BOICAE GENTIS ANNALIUM PARS 1. [-3.] [IOANNES ADLZREITTER À TETENWEIS]

Jean m.1662 Fervaux,
Melchior Küssel






HISTORIÆ
BAVARICÆ
LIBRI
LXXII.
ANNO. CIↃ.IↃ.CLXII.
Melchior Küsell sculps.



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARS I.


COMPLECTITUR HISTORIAM à prima Bojorum origine usque ad annum Christi M. CCC. XIV. quo Ludovicus IV. Bavariæ Dux electus est Imperator Romanorum.



AD

SERENISSIMUM PRINCIPEM,

AC



DOMINUM, DOMINUM

FERDINANDUM MARIAM

Utriusque Bavariæ, & Palatinatûs Superioris

DUCEM,

S. R. I. ARCHIDAPIFERUM

ELECTOREM,

Comitem Palatinum Rheni, Leuchtenbergiæ Landgravium, &c.





MONACHII,
Excudebat IOANNES GUILIELMUS SCHELL,


ANNO M. DC. LXII.



SERENISSIME
ÁC
POTENTISSIME



ELECTOR,
PRINCEPS AC DOMINE
Clementiſsime.



Avaricæ Hiſtoriæ Libros ſeptuaginta duos, Ser.tis V.ræ Clementiſsimis manibus, quâ decet ſubmiſsione & reverentiâ, conſigno.

Videbit ex ijs Ser.tas V.ra Majorum ſuorum Geſta ac Decora, ſed & æternæ Providentiæ pulcherrimas ambages admirabitur, pro Boici Nominis Gloriâ & Salute, per tot ſæcula, tot arcana conſilia, tam ſolerter excubantis.

Spectabit victricia Bojorum Arma, per Aſiam Italiámque, & totam, quàm latè patet, Germaniam circumlata. Majores autem ipſos, nunc inter Sceptra, Faſces, Diademata ſublimes; nunc aliquantùm à Fortunâ deſertos, & tamen non oblitos innatæ Magnitudinis; nunc iterum ab eâdem ſublatos ad Imperia, coronas,

ac totius Germaniæ, Italiæque Arbitria; nec multò pòst, domesticis dissensionibus collisos: donec in ea, quâ nunc est circumscripta, magnitudine, sæculo uno alteróque Provincia acquievit.

Sic sunt humana, sic eunt, neque dignius est etiam Maximo Principe spectaculum, quàm intueri hos Divinæ Providentiæ ludos, quos instituit in hac scenâ, erudiendæ tantis Actoribus Mortalitati.

Præcipuum autem, & placiturum ante omnia spectaculum erit Ser.mus Parens, quem benigna Divinitas, & haud dubiè bonorum precibus exorata, ipsos annos quinquaginta tres fatiscenti, per tam spissa pericula, Bavariæ concessit.

Ex ijs annis, tanquam indulgente ad initium Numine, primi magnam partem innocentes pacatique decurrerunt; quo tempore, ordinatæ Provinciæ, revisum Ærarium, extructum, tanto dignum Habitatore, Palatium; Arma, Munimenta, Fœdera conquisita, quasi jam tum providente perspicacissimo Principe, quæ peccaturi essent anni sequentes.

Igitur erumpente, anno sæculi decimo octavo, belli flammâ, Duces, Milites, Armamenta, Consilia statim prompta fuêre. Recepta mox Austria; debellata Bohœmia; finísque jam tum im-

imponi potuit malis, quæ tam longo ordine secuta ſunt. Cæterùm, cunctantibus, qui victi erant, & alios atque alios identidem Bellatores producentibus, receptum interim Electoralis ſuffragij Decus, & exercitibus procul à felici Bavariâ pugnantibus, decennium ferè totum, numerandis tantùm Victorijs, inſumptum eſt.

Sed nimirum Publici intererat, ſapientiſsimi Principis Virtutem, etiam inter aſpera exercitam oſtentari. Abrupta à mari Baltico tempeſtas, Germaniæ primùm omni, deinde etiam Bavariæ incubuit. Ibi Ille prudentiſsimo Conſilio, hoſtem, primis ſucceſsibus ferocem, præreptâ primùm Ratisbonâ, & admotis deinde Norimbergam exercitibus ex Bavariâ, jam victorem & alia parantem, extraxit. Atque eo deinde cæſo, belli reliquiæ ad Nerlingam, occupantibus primam Victoriam Bavaricis copijs, totâ acie deletæ ſunt.

Illo etiam tempore debellari potuit, ſi Ser.tis Suæ Conſilijs Reſpublica ſtetiſſet, ſed mixta bellacibus animis externa potentia, rem diſtulit; dimicandúmque poſtliminio, non magis aperto Marte, quàm arcanâ prudentiâ fuit.

Geſta per id tempus, nec ſegniter, nec infeliciter Arma, ut agnoſcerent hoſtes, precariam Pacem non quæri, non recipi. Mixta etiam felicibus Armis æquiſsima conſilia, ut conſta-

ret, ſinceram, & Poſteritati innoxiam Pacem, etiam à pugnacibus & vincentibus ferri poſſe; donec ardente iterum Bohœmiâ, quæ prima belli faces intulerat, acta tamen res eſt omnium pulcherrima, atque PAX PVBLICA minacibus, & iterum novæ prædæ imminentibus extorta, ita MAXIMILIANVS Ser.tis V.ræ amantiſſimus Parens, pacatâ demum Germaniâ, collocatâ in tuto Patriæ & Ser.mæ Familiæ Fortunâ, (quantum quidem fas eſt humanis conſilijs) relicto Ser.ti V.ræ tot Provinciarum, tot Virtutum Patrimonio, mortalitate exceſsit.

Virtutum porrò Nomina, quæ tantis rebus geſtis ſemper præſto fuêre, quis evolvat?

Pietatem, & cum DEO conjunctionem, quantam arcanorum omnes conſcij nôrunt; ita tamen temperatam, ut humanarum interim curarum nihil omitteret.

Æquitatis & Iuſtitiæ ſeveras ſemper & incorruptas Leges, ſed miſerationibus pauperum & ſubditorum ita permixtas, ut, quamvis vaſtatâ Provinciâ, Regij tamen quotannis ſumptus ſupereſſent ad juvandos egentes.

Pacis Bellique juxtà ſtudium indefeſſum, ut propè neſcias cui ſe Maximus Princeps majori curâ & ſolicitudine impenderit.

Frugalitatem Orbi cognitam, ſed tamen cùm Magnificentiâ opus eſſet, Conditionis & Majeſtatis ſuæ non immemorem. Ob-

Obſervantiam erga Reges, Principes, Cæſares, fidam, conſtantem, perpetuam, ſed tamen talem, ut metui etiam & mereretur, & poſſet.

Prudentiam tam certò, tam longè, tam multa proſpectantem, quæ tamen etiam aliorum conſilia audire, & quærere non dedignaretur.

Quos inter cùm Optimus & Sapientiſsimus Princeps etiam me (quamvis minimum) delegerit, qui impensâ in ejus felicibus obſequijs ætate, mortalitatis metas, non longè proſpicio, dignius munere ac conditione meâ monimentum reperiri non potuit, quàm ut hoſce Bavaricæ Hiſtoriæ Libros Ser.ti V.ræ dedicarem, ſimul Teſtes meæ erga Ser.tem V.ram humillimæ ac ſingularis obſervantiæ, ſimul obſides meæ, etiam poſt Fata ſemper devotæ, ſemper addictiſsimæ voluntatis. DEVS Ser.tem V.ram in annos plurimos Publico & Patriæ ſervet, ac tueatur incolumem: ita voveo!

Ser.tis V.ræ

Humillimus ac devotiſsimus Servus

IOANNES ADLZREITTER
à Tetenweis, Arcani Conſilij Cancellarius.



AD LECTOREM.



Es à Boijs gestas mandare litteris, ad posterorum memoriam, meditanti, haud pauca stylum mihi à scriptione revocabant. Etenim obstrepebat rerum scribendarum magnitudo, sæculorum longa series, destituta scriptoribus, & velut immemorabilis; tandem etiam ne in ijs, quæ virorum præstantissimorum operâ lucem jam dudum accepêre, non modò viderer actum agere, sed bene actum, malè etiam egisse. Verùm, in isto cogitationum æstu, pervicit eorum sententia, quibus honestè nequibam refragari; ut auderem saltem facere laboris mei periculum. Et verò, si mihi deforet facultas, adeundi rerum tot retro sæculis abditarum, recessus, non apparebat, cur id mihi fraudi foret potiùs, quàm alijs, quibus citra noxam contigit, eò non penetrâsse, unde nullus adhuc pedem retulit; nec aperuisse viam, hactenus irrepertam, quantævis majorum nostrorum diligentiæ.

Esto, viri clarissimi in eodem stadio, ante me, cum magna laude desudârint, non fuit tamen omnibus idem genius, sed suus cuique modus & peculiaris industria, quâ citra (ut opinor) mutuam injuriam, singuli ad palmam aliquam cucurrerunt, inque suo (ut ajunt) mustaceo quæsierunt Lauream. Vt enim minimè mihi non pollicerer, Velseri nitorem, Raderi claritudinem, Brunneri numerosam, & vix ulli imitabilem celsitatem; reperere tamen aliquid viri gravissimi, cur dicerent se meam cuicuimodi manum flagitare. Voluerunt scilicet eodem stylo ac tenore, in unum semel simúlque conferri, quæ ad nostram usque ætatem gessêre Boij; tametsi

etſi alij nonnulla ex ijs, per partes, & verſicolore admodum cultu ediderant. Et neſcio quo fato contigit, contigit autem mihi longè ſecus opinanti, & alia omnia exoptanti, ut poſcerent meam dictionem, non ut ſublimem, qualem in alijs mirabantur magis quàm amabant, ſed planiorem, & tanquam cymbalum ad quaſvis aures. Verbo, voluerunt cæteris relinqui ſui pretium, ſi non augeri, vilioris objectu; & ſincera quidem ſcribi, ſed ad guſtum plurium, quicquid tandem Catones varij ingenij, & ſermonis ampullati adoratores, exadverſum arbitrarentur. Quare geſsi morem, eâ conſcientiâ, quòd integrâ fide, & nullius odio, vel amore ſcripſerim; licèt haud ſim neſcius, quòd quemadmodum in diuturnâ navigatione non deſunt Syrtes, & tempeſtates, ſic in prolixâ rerum multiplicium narratione, proclive eſt, incurrere in ſcopulos & aliquas aberrationes. Quamobrem haud ægrè patiar, ſi quid devium irrepſerit, à peritioribus reduci in viam, modò ne culpæ vertant, aut vitio, quòd mihi conſcius ſum nullo meo dolo proveniſſe. Nolim diſsimulent, quicquid erit, quod accuſent; id verò ſi fecerint, me (ut cum Livio loquar) conſolabor bonorum ingeniorum nobilitate, quantumvis meo nomini offecerint.



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER I.

Bojorum nomen & origo. Migratio. Res gestæ in Italiâ. Roma occupata. Pugnæ ad Clusium, ad portam Collinam, ad Præneste, in agro Albano, adversus Græcos in agro Pomptino, ad Camertem, ad Aretium, ad Lacum Vadimonis. Bojorum fœdera cum Dionysio Siculo, Alexandro Macedone, Hetruscis, Gallis Transalpinis.



Ebet Assyriorum natio nominis sui celebritatem non tam potentiæ, & fortunæ magnitudini, quàm felicibus ingenijs, quæ ab Hebræis Græcísque nacta est ad propagandam rerum domi forísque gestarum memoriam. Ad famæ perpetuitatem perinde profuit Spartanis & Atheniensibus, non quòd Respublicæ non amplissimis definitæ regionibus cæteris gentibus præstarent, sed quòd haberent laudatores domesticos, qui earum facta gloriámque dictis superarent potiùs, quàm æquarent; si verum est, quod Tullius de Græcorum levitate & mentiendi libidine, gravi oratione notavit.

Crisp. Salust. in exord. Conjur. Catilin. *Cic. lib. 2. de Orat.* *Orat. pro Luc. Flacc.*

I. BOJORUM NOMEN SERO RELATUM IN LITTERAS.

Quòd si Bojorum genti sors fuisset similis ab immortali DEO concessa, nihil foret, cur hodie illius originem, sedes antiquas, præclara facta, fortunam, tam anxiè, pérque tot ambages pervestigaremus. Verùm ut illi procul abfuerunt à Musis mansuetioribus, & cultiore Litteratorum conspectu, ita seriùs Græcis Romanísque litteris innotuêre. Et Italiæ quidem ad usque Tarquinij Prisci Romæ regnantis ævum, sexcentis ante Christi in terras adventum annis, fuerunt ignorati, & communi mortalium fato etiam diutiùs ignorandi, nisi suscepto in Græcos Italósque de gloriâ déque imperio certamine, fuissent consecuti, ut duo populi, quibus nullus facundior, sua facta aliter recensere non possent, quin simul Boicæ fortitudinis meminissent. Hoc tametsi (ut solet ab hostibus) malignè præstiterint, quia tamen id qualecunque est, tanquam ab inimicâ manu profectum, pro sincero atque rigido habendum; nec est, cur sit obnoxium suspicioni, quasi fuerit aspersum ullâ specie vanitatis, aut fuco adulationis.

II. Bojorum nomen edidêre quidem vetus Poëta Simylus apud Plutarchum in Romulo, Polybius, Livius, Cæsar, Tacitus, Strabo, Cornelius Nepos, Plinius, aliíque veteres, sed longè seriùs, quàm ut domestici juxtà atque externi rerum Boicarum Scriptores omnem retrò memoriam, ad usque prima gentis incunabula, ex ijs certâ ratione possent relegere. Eo factum, ut ne primævam quidem Boici vocabuli originationem satis perspectam habeamus. Si quorundam recentiorum exemplo luberet facere conjecturas parùm idoneas; ductâ è linguâ Celticâ nomenclatione, novitijs commentis posset adijci, Boijs suam appellationem obvenisse, quòd, cùm ex Galliæ populis, unde ijs origo est, provenerint, & magnam partem intra vastum Hercinij nemoris ambitum, velut coronâ cincti consederint, à Sylvâ, quæ Celtis Bois dicitur, hodiéque à Ripuarijs Buisch & Boscum, Bojos Græci & Latini nuncupârint. Sed in re seriâ non lubet in incertum ariolari. Id certius est, temporis diuturnitate, per varias mutationes, Boicum nomen degenerasse in Bavarum, eo quòd Scriptores vulgus secuti, arripuêre vocem, quæ à multis intelligeretur, ne cum paucis sentientes vix se ullis satis explicarent. Hinc apud Iornandem legere est Boibaros, Bajobaros, aut ex veteri codice Baibaros; apud Paulum Diaconum Bajoariam, Bojoariam, quod in gentis quoque legibus invenitur. Metellus Poëta inter Bojos antiquissimus Bajaricam patriam & Bajaricum solum dixit. Venantius Fortunatus Bojariam, Bajovariam, Bajuariam: Author vitæ S. Udalrici Bajoarios & Bauvarios scripsit: quibus ex fontibus paulatim prodijt nomen Bavariæ, Bojerorum, item & Bojarorum, vernaculâ appellatione, retentisque priscæ nomenclationis vestigijs. Sunt etiam, qui Bavâriæ dictionem ex Boijs & Avaribus confusam esse autumant, secuti Paulum Æmilium gravem alioquin auctorem, quando in Carolo Magno, Hunnos vocat Bavarorum consanguineos, ac denique asserit Avares Hunnorum populos eosdem esse cum Bavaris, & omisso vetere gentis universæ nomine, ab Avare Rege nuncupari voluisse. Ab Æmilio non procul discedit Crantzius in Daniâ, & post Blondum, Nauclerus & Aventinus, addens: Hunnos à Boijs deletos, regionem novis Bojorum colonijs vacuam fecisse, indéque primùm Babaros & Babariam, postea Bavariam extitisse. Verùm ut ista sine teste ac consule adferuntur, ita meritò relegantur ad nugas & errorem Æmilio non ignoscendum. Nec verò credibile est, Scythicam Hunnorum nationem cum Boicâ coaluisse, ob pertinacissima odia, quibus se duo isti populi atrociter exercuerunt.

Incerta Boici nominis etymologia. Cæs. de bell. Gall. lib. 1. Tacit. de Morib. Germ. Strabo ex Possid. Lib. 7.

III. *In prolog. leg. Salic. juxta M. S. & edit. Parisien.*

Crantz. lib. 3. cap. 19. Blond. lib. 4. decad. 4. Nauclerus Volum. 2. Generat. 19.

Longè levior est eorum opinatio, qui Boicum nomen in Armenum quempiam, hoc argumento, referunt, quòd Romano imperio sub unius dictaturam redacto, sive Julij Cæsaris, vel Augusti, sive Tiberij ævo, Boamundus & Ingramus pulsi ex Armeniâ, vel sponte migrantes, in oras Boicas venerint, & eâdem quidem viâ, quâ primus Boici nominis conditor olim præcesserat: Id enim planissimè refellitur ab ijs, qui Bojos aliunde, quàm ex Armeniâ accersunt, faciúntque Bojorum appellationem istâ Boamundi profectione longè vetustiorem. Ut enim demus, ex minore Armeniâ, quæ in Tolistobojorum potestate fuerit, Galatas aliquos Romana castra secutos Imperatoribus arma sociasse, ijs bellis, quæ Augustus & Tiberius in Rhætia, Vindelicia, Norico, & Illyrico gessêre, inde tamen nemo sapienter inferet, Boijs nomen ante istud ævi defuisse.

Arenbeck. Andre. Ratisb. Tritthem.

IV. Hæc de Bojorum nomine: Nunc de eorum origine, sedibus, factis illustribus, indole, paucis agendum est. Et primò quidem fatendum, in memorandis populorum natalibus miram apud Genealogos reperiri fictionum libertatem, quando súsque déque habitâ veri falsíve ratione, putârunt, se denique nobilem operam præstitisse, si per nescio quæ fabularum diverticula, ortus eorum, quos laudandos susceperant, ad unum aliquem è Semideis reduxissent. Philosophati fuissent cum Senecâ longè sapientiùs, si dixissent, longam cognationum varietatem, progressu sæculorum & infinitâ gentium propagatione, nobilissimum sanguinem miscuisse, & sursum deorsum versasse familias. Certè uti magnorum fluminum noti sunt lapsus, nota ostia, & fontes ferè ignoti vel promiscui, ita gentium

Bojorum origo.

Senec. Epist. 44.

tium primordia pleraque tam sunt obscura, ut pauca sibi satis constent in longum, nisi quæ sacrarum paginarum authoritate firmantur. Sit sua Romanis origo à Trojanorum excidio & fugitivorum reliquijs; Francis à Trojano Francione, & palude Mæoticâ: Numerent alij, quibus vetustissimæ & propè incognitæ nobilitatis amor est, inter suos progenitores nationem Aboriginum, aliaque, si lubet, nomina; nobis certa placent præ speciosis. *Ammian. Marcel. l. 15. Paul. Æmil. p. 1. v. 1.*

V.

Non bene Bojorum propagini consuluerunt, qui ut eos Herculis sanguine nobilitarent, Bojum aliquem ex ipsius cum Celtione aut Sterope congressu inani commento protraxerunt in lucem: Haud multò meliùs alij ex equo Trojano Heroëm ediderunt Bojorum parentem. Qui Bojos è montibus Armeniæ profectos Europæi imperij partem credunt condidisse, perinde faciunt, atque si è Noëticâ posteritate eos dicant provenisse. Paulò quidem enucleatiùs se explicant, qui per Ascenezi, Gomeri, & Japheti sobolem ad Noëmum ascendunt; sed neque illi faciunt satis anxiè timanti continuam nepotum successionem ad Boicum usque nomen: Quare id duntaxat efficiunt, ut nobis ostendant, esse per ignoratas multorum sæculorum generationes denique veniendum ad ea saltem incunabula, quæ nobis certior Priscorum Fides monstravit.

In his Livius, pôstque eum Tacitus & alij, qui Bojos Gallicam esse gentem observârunt. Porrò Gallos cæterósque Europæos, ab Japheto, qui Noë Pater, conditos, pervulgata est inter complures, ex Josepho Judæo hausta sententia, quam adversus pertinaces nec confirmare sit facile, nec operosum infirmare. Ad Gallos pertinere Celtas, & ab his Bojos genus ducere, nemo ambiget, qui veteres Celticæ limites in Priscorum monumentis legerit. Illi enim Celtas diductiore vocabulo dixerunt eas gentes, quæ Pyrenæis montibus & Graijs, Peninis, atque Cottijs Alpibus inclusæ, quæque cinctæ mari mediterraneo ad ipsas usque Gades, ne exclusis quidem Celtiberis, & quæ æquore Aquitanico, Britannico, & parte Oceani Germanici, magnæ Germaniæ fines extremos & Danubium Rhenúmque accoluere. Ita Celtarum nomen non Galliam modò, sed etiam Germaniam complectebatur, donec divisis imperijs & appellationibus, singulæ partes relictâ Celtarum nomenclatione pecularia sibi nomina asseruerunt, & Celtica, quæ antea latè admodum patebat, in angustiores fines est redacta. Etenim Germani, serò licèt abjecto Celtarum nomine, coluere Germaniam, Galli Galliæ duos trientes occuparunt: In tertio, qui tractus est partium Lugdunensium, regionúmque, quas Ligeris & Garumna Fluvij à cæterâ Galliâ disterminant, hæsit Celtarum nomen. Atque in his quidem fuere Boij, quousque allecti cupidine dominandi, extra angustiores patriæ limites novas sibi sedes sub suis quique Ducibus quæsierunt. Ad eum modum divisi à cæterâ suorum popularium multitudine, suas ut sibi res haberent, innatæ fortitudini campum si non lautiorem, at latiorem saltem & gloriosiorem aperuerunt, in quo jus ab armis mutuari & à virtute honorem, palmas ferrent, & opes suâ industriâ procrearent.

Liv. lib. 5. post med. Tacit. de Germ. morib.

CELTICÆ DIVISIO ANTIQUIOR.

Dio lib. 39. Ephor. apud. Strab. lib. 4. Hipparch. ib. Eudox. Rhod. apud Apollon. hist. mir. 24. Joan. Marian. l. 5.

BOII È CELTIS ORIUNDI.

VI.

Tito Livio potissimùm nititur hæc narratio, cujus proinde verbis ferme utemur. Prisco Tarquinio Romanorum Rege, Celtarum imperij summa penes Bituriges fuit. Ii Ambigatum dedêre Regem virtute tum suâ, tum publicâ præpollentem; quòd ipso imperante Gallia adeò frugum hominúmque fertilis fuit, ut abundans multitudo intestinâ laborans discordiâ, assiduísque domi dissidijs, vix posse gubernari videretur. Ergo Regi magno jam natu, regnum prægravante turbâ exonerare cupienti, consilium fuit Celtarum colonias amandare in terras alienas, specioso nomine libertatis; cuius pars esset, nullis agrorum spatijs, sed solo bellicæ fortitudinis complexu coërceri. Valuit ea ratio apud gentem præferocem, eò præsertim, quòd regios nepotes, duces, quorum militarent auspicijs, erant habituri. Hi fuere Bellovesus ac Sigovesus, sororis Ambigati Regis soboles, impigri & magnanimi juvenes. Iis facta potestas, quantum vellent numerum sub signa redigendi. Justinus author est, legisse eos trecenta omnino millia, quan-

Lib. Dec. 1. Lib. 5.

AN. AB URBE CONDITA CL.

Iustin. lib. 20.

BOIORUM È CELTICA MIGRATIO.

Iustin. lib. 24.

INGRESUS IN HERCINIAM quantum videlicet esset abunde, nequa gens advenientes posset arcere. Tum divisis inter utrumque copijs, sortitò ductæ regiones, quas singuli invaderent. Sigoveso, sub quo meruere nostrates Boij, obtigère saltus Hercinij & terrarum finitima, spe haud dubiâ, fore, ut Rheno superato, in adversam ripam segniter custoditam evaderent, invaderéntque sedes nullâ adhuc regnorum potentiâ regionúmve conjunctione satis firmatas adversus ingentes copias, quæ ut numero, ita animis & migrandi necessitate invaluerant.

ITALICA EXPEDITIO. VII. Belloveso sorte haud paulò lætiore, venit in manus Italia. Ille ex Biturigibus, Arvernis, Senonibus, Heduis, Ambarris, Carnutibus, Aulercis, quod Provinciarum modum spaciáque exuperabat, excivit, eduxítque in Tricassinorum fines. Ulteriùs profecturo obstabant Alpes, & eæ quidem ab omni retro memoriâ (nisi de Herculis transitu fabulis sit fides) nullâ dum viâ visæ exuperabiles. Ibi cùm montium altitudo Gallos veluti septos contineret; circumspectantes quanam per juncta cœlo juga in alium quasi terrarum orbem transmearent, etiam religio tenuit, quòd allatum esset, Massilienses advenas navibus è Phocide advectos, agrúmque quærentes, abs Salyum gente oppugnari. Id Galli fortunæ suæ omen rati, Massilienses adjuverunt, ut quem primum in terram egressi locum occupaverant, patentibus silvis communirent; ipsi verò per Taurinos, saltúsque alpis Juliæ transcenderunt, & fusis acie Thuscis haud longè à Ticino flumine, cùm, in quo consederant, agrum Insubrium appellari audissent, cognominem Insubribus, pago Heduorum; ibi, omen sequentes loci, condiderunt urbem, quam Mediolanum appellarunt: quod Claudianus in nuptijs Honorij notasse videtur his verbis: MEDIOLANI ORIGO.

Ad mœnia Gallis

Condita lanigeræ suis ostentantia pellem:

eò quòd cùm ejusce Urbis fundamenta jacerentur, effosso solo, repertam ferunt suem lanatam. Alia subinde Gallorum manus priorum vestigia secuti Duce Elitovio, ubi nunc Brixia ac Verona Urbes sunt, consederunt. Post hos Salluvij, qui prope antiquam gentem Levos Ligures, circa Ticinum amnem incolentes, petière Apenninum: Deinde Boij Lingonésque transgressi, cùm circa Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Hetruscos modò, sed etiam Umbros agro pepulerunt, ita tamen, ut intra Apenninum sese continerent. Tum Senones recentissimi advenarum, ab Usente flumine usque ad Athesim fines habuere. Inde venère Clusium, & Romam denique: An verò soli venerint, an junctis cum cæteris Celtarum copijs, haud satis est compertum. Vix tamen potest ambigi, Bojos, quos Appianus Gallorum appellat ferocissimos, in expeditionis partem venisse, & neutiquam passos à cæterâ gente sine suis auxilijs triumphari. Et vero non est simile, nostrates Bojos Herciniæ sic adhæsisse, ut quietam assecuti sedem, cæteris Celtarum in Italia laborantibus, cessare sustinuerint. Certè Italico bello Volcas, Tectosages, Bojorum cognatos, confines Herciniæ, Viros Straboni bello bonos, Italico bello navasse operam, à Cæsare juxtà ac Tacito assertum reperio: Nec dubitârim, quin Boij plerique, ut periculorum, ita præmiorum voluerint esse socij, sociatis in hostes communes armis atque animis, quæ fuit erítque semper ars optima acquirendi juxtà ac retinendi dominatûs. Ergo tametsi nominibus sedibúsque forent discreti, nullo tamen discrimine, non hostes minùs, quàm amicos habuere communes, ne cui liceret istis constituendarum sedium initijs, unos bello petere, qui simul omnes non lacesseret: quibus rebus, perinde atque multitudine, & invisâ corporum armorúmque formâ, Italis evasère formidandi, quamdiu in eorum mores non immigrârunt ex ambitione discordiæ, ex discordijs inimicitiæ, pestes Reipub.; quæ per libidinem perdendi pereundíque, nihil malorum in imperia non invexère: Tanti refert per quos viros, quibus animis, gerantur summæ res mortalium. Bojos igitur, melioribus instructos artibus licèt, oderant vicini, quíque patrijs Laribus erant exacti; metuebant tamen adversus invictam Celtarum nationem hostilia facere.

OCCUPATA à BOIIS PADI CONFINIA. VIII.

SENONUM COLONIÆ.

Appian. in Celtic.

MUTUA AUXILIA.

Strab. lib. 4.

BOII ITALIÆ FORMIDABILES. *Liv. lib. 5.*

Id

Id patuit anno ducentesimo à Bellovesi in Italiam irruptione, Vejenti bello, quod Veijs demum exitiale fuit. Cùm enim eorum res à Romanis in præceps urgerentur, Hetruriæ populi ad Volturnæ fanum egêre comitia, meritò suspectantes Romæ paulatim crescentis magnitudinem, & veriti, ne Veijs superatis, ipsi quoque pari sorte à Romanis sub jugum mitterentur. Capenatibus igitur ac Faliscis postulantibus, ut Vejos ope communi simul omnes Romanorum obsidioni eriperent, responsum est, auxilium jam antè Vejentibus fuisse negatum, quia à quibus consilium super tam periculoso bello non petijssent, petere suppetias non deberent; eo maximè tempore, quo novi accolæ Boij, qui proximi consederant, & olim cis ultráque Padum Hetruscas Legiones fudissent, & fugassent ultra Apenninum, arma aliorsum non finerent converti; quando ex eorum propinquitate Hetturiæ esset abunde discriminis, nondum oblitteratâ acceptarum ab ipsis cladium memoriâ, metúque, ne gens assueta bellis per domesticarum copiarum absentiam, occasionem sumeret hostilia denuo moliendi, insuper habitâ pacis, quæ satis fida non esset, ratione, si hominibus aliena semper ambientibns bello videretur esse inutilior. Paterentur ergo Veij cæteros Hetruscos suæ rei, quàm aliorum esse propiores, nec tamen à re communi sejunctos, quando in hostem æquè atque Romanos metuendum, essent intenti. Concessere tamen comitia publico nomini, & præsenti consanguineorum periculo, ut, si qui è juventute voluntarij cuperent Veijs militare, eorum se causæ sociarent, modò tamen ne in Hetruriâ legerentur. Quæ res satis prodidêre, quàm formidabile nomen apud Italos Boij sibi comparassent, quámque sit imbecillis potentia per intestinas discordias dissoluta, quæ rei communis internecina labes semper publico obfuit, nec satis tamen unquam cavebitur. Veij enimvero deserti, post obsidium decem omnino æstates hieméſque incredibili virtute toleratum, cùm Romanis plus intulissent cladis, quàm accepissent, denique urgente fato fuere superati. IX. ROMANORUM BELLUM IN VEIENTES.

Ad Bojorum famam eodem anno atque die, quo Camillus dictator Veijs potitus est, accessit illustre factum, quod Cornelius Nepos ac Plinius scriptum reliquêre. Melpum erat in Insubribus oppidum inprimis opulentum, quod majore, quàm cæteræ urbes, fiduciâ suam libertatem tuebatur, detrectans Gallicum imperium. Visum id Boijs perniciosius, quàm ut gliscente ad reliquam Italiam exemplo, putarent esse tolerandum. Quamobrem adscitis Senonum & Insubrium auxilijs, visum est fore è re communi, si refractarijs vis admoveretur. Id factum tantis animis & aspirantis fortunæ benignitate, ut Melpum uno die obsessum, captum, atque deletum, in suo cinere atque ruderibus descriptum monimentum reliquerit, quod cæteras doceret urbes, arma Boica ad exscindendam rebellium pertinaciam plus unâ die posse, quàm Romana per decennium contra Vejos potuissent. AN. AB. URBE CONDITÂ CCCLIX. X. *Plin. l. 3. c. 17.* MELPUM à BOIIS EXCISUM.

Ne Melpi excidio provincia vastior minúsque culta redderetur, Boij haud procul inde vicum condidêre, qui, posteaquam mœnium cinctu civitatis formam induit, Laudis Pompejæ nomen accepit. An eosdem conditores Mutina debeat agnoscere, neutram in partem facilè pronuntiem, cùm id videam à quibusdam præfractè satis negari. Verùm, quòd Plinij commentator inclinet in Bojos, nec abludat Livius, quando agrum Mutinæ & Parmæ vicinum ait ad Tuscos primùm, deinde ad Bojos pertinuisse; non videtur vero esse simile, gentem quamlibet fortem, quæ centum duodecim Tribus, teste Catone apud Plinium lib. 3. cap. 15. numerabat, à Mutinâ condendâ, vel ab alijs etiam urbibus extruendis abstinuisse. Mihi bonus author est Justinus, qui Gallos ait Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Vergamum, Tridentum, Vicentiam condidisse. His addunt aliqui Bononiam, Felsinam à primis incunabulis appellatam, ac demum Bononiam, quasi per paragrammatismum dicas Bojoniam. Enimvero quis credat Bojos in Celticâ urbium non insuetos, imbutósque Gallicis moribus atque disciplinis, haud secus quàm Bituriges, Lugdunenses, Senones Senarum in Italiâ BOII VARIARUM CIVITATUM CONDITORES. XI. *Comment. Plin. lib. 3. cap. 17. Liv. Dec. 4. lib. 9. Justin. l. 20.*

liâ conditores, tam procul à primævo ingenio degenerasse, in Italici cœli mitissimâ temperie, ut ne cogitarent quidem de moliendis mœnibus, qualia domi viderant, videbántque indies à vicino hoste magno commodo excitari, & verò etiam frequentari. Hanc illis industriam qui detraxêre, simul negavêre mores civiles atque sapientiam; quasi unica ipsis cura laúsque foret, pericula solo pectorum objectu, non murorum præsidijs depellere; nullam nisi in armis vim ponere; conjuges, liberos, fortunásque sub mapalibus neglectim habere, cuivis hostium latronúmque opportunas; commune cum pecudibus tectum umbrámque habere, idémque adversus hiemes pluviásque cum bestijs suffugium: verbo, non modò inhumanam, sed ferinam vitam perpetuò agere. Ut enim non eam inficias, Polybium de Bojorum institutis vera scripsisse, si migrationis Italicæ primordia respexerit, non ideo tamen est consectarium, illos annis succedentibus nihil novæ munitionis vel ædificij ad suos usus tutelámque excitasse. Initio nihil mirum est, eos vicatim pagatímque habitasse, cùm nullis adhuc mœnibus potirentur: tenuem oportet fuisse supellectilem & castrensem vivendi modum, non in specubus, ut volunt severiores Curij, sed sub dio vel pellibus: ut illos autem ad dapes silvestres, ad nemorum spolia, ferarúmque lustra relegemus, id sanè alienum est ab hominibus, qui solum mutârant non modò hominum, sed frugum etiam optimarum abundans, quod paulò antè ex Livio demonstravimus. Nobis sufficiet ad asserendam Boici nominis gloriam, nihil ipsis moderatæ frugalitatis negare, sed potiùs tribuere, quicquid paritur honesta sobrietas, quódque exigit civilis sapientia, militaris fortitudo, quæ foris reddat invictos, domi temperatos, publicè concordes, & ad omnes casus probè comparatos. De Podencomago Bojorum civitate Pado adsitâ, cùm nihil certi habeatur, vanum esset quicquam certò asserere, tametsi Plinius Padum scribat Bodincum, hoc est, fundo depressum fuisse nominatum, & Polybius Podenci nonnullam faciat mentionem. Eò sumus digressi per occasionem excidij Melpinorum: consequens est, ut quæ præterea Boij gessêre in Italiâ, prosequamur, inde venturi ad res gestas alibi locorum.

Brun. lib. 1. pag. 19. *Polyb. lib. 2. pag. 106.* *Plin. l. 3. c. 16.* *Polyb. hist. l. 2.*

ROMAM INVADUNT. XII. AN. AB. URBE CONDITA CCCLXV.

A Melpi eversione sex anni non toti fluxerant, cùm eorum auxilio, Brenni ductu & auspicijs, ad Clusium, quod Galli expugnandum sumpserant, belli atrocissimi factum est initium. Videtur quidem Livius ambigere, an sola gens Senonum, an omnes Cisalpini huic expeditioni navârint operam; haud tamen obscurè ostendit Polybius, interfuisse Bojos & Romæ captæ, & arcis Capitolinæ obsidioni. A Polybio non abludit Silius vir consularis, idémque orator ac poëta, qui historiæ quàm poësi propiora scripsit, Neronis ævo. Is Chrixum Bojorum Ducem, & Brenno atavo captique Capitolij auspice gloriantem, sic inducit:

Sil. lib. 4. de bello Punic.

Bojorum ante alias, Chrixo Duce, nobilis ala
Arietat in primos, obicítque immania membra.
Ipse tumens, atavi Brenni se stirpe ferebat
Chrixus, & in titulos Capitolia capta trahebat,
Tarpejóque jugo demens, & vertice sacro,
Pensantes aurum Celtas umbone ferebat.
Colla viri fulvo radiabant lactea torque,
Auro virgatæ vestes, manicæque rigebant
Ex auro, & simili vibrabat crista metallo.

Hæc si ad historiæ fidem, ut pleraque Silij, scripta sint, haud levem faciunt conjecturam, Bojos urbi capiendæ, cæteróque bello commodasse manus; quippe qui ducem dederint, nec eum haud dubiè passi sint sine Boicis copijs adversus Romanos proficisci. Sed istud est haud exigui momenti, quòd Virgilius, ex quo Silius Bojorum habitum corporis cultúmque mutuatus est, Gallos arci Tarpeiæ imminentes tessellatis Bojorum rhomborum insignibus vestivit:

Virg. Æneid 8.

Galli

Galli per dumos aderant, arcémque tenebant
Defensi tenebris, & dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis:
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur.

BOIORUM INSIGNIA. XIII.

Certè ex Virgiliano Gallorum cultu viri litteratissimi collegerunt prisca hodiernáque Bojorum insignia, & nominatim Propertius.

Illi virgatis jaculantis ab agmine brachis,
Torquis ab incisâ decidit unca gulâ.

Propert. lib. 4. Eleg. 11.

Virgata quoque sagula Tacitus & Sidonius versicoloria appellârunt. Diodorus vocat tunicas varijs coloribus imbutas, caligásque, vel ut nominat Propertius, brachas, & saga virgata, per hiemem densa, per æstatem tenuiora, crebrisque tessellis, instar florum, distincta fibulis: vel ut ingeniosè Velserus, varijs coloribus, eo modo, quem rete signaret, si ejus maculæ discretis segmentis, coloris varij, velut depictæ, funiculis decussatis Virgarum vice, tessellata fragmenta necterent. Turnebus ad carmen Virgilij, *Ego (inquit) simplici intellectu & latino, virgatum ῥαϐδωτὸν significare puto, quod virgas quasdam in longum aut latum, variâ serie & colore porrectas habet, ut in concharum genere sunt virgulata.* Valerius certe Flaccus Thracum mulieribus vestes tribuens, purpureas non intellexit, sed barbarorum ritu discolores, & veluti segmentis virgatis intextas:

Tacit. lib. 2. Sidon. lib. 4. Ep. 20. Diod. lib. 5.

Val. Flacc. 2. Argonaut.

Iam veniet decorata gelu, sed me quoque pulsam
Fama vico, nostrósque thoros virgata tenebit.

Et hoc genus cultûs Gallos ad Caroli Magni ætatem retinuisse probat Barbarus Sangallensis. Nemo, meo quidem animo, meliùs Bojorum signa imaginésque descripsit, quàm Velserus, asserens, vetustissimam Boicorum insignium partem, cæruleo & candido alternatam, perparùm abire à virgatis areolis quadratis, quæ modicè in rhombos comprimantur. Idem affirmat se habere compertum, pleraque insignia, quæ ex meris sunt coloribus, à militari primùm habitu manasse, tum ex clypeis in saga migrasse, quod ipsum viri eruditione præstantes non inscitè arbitrantur. De Boicorum rhomborum colore Streinius ita disserit, ut primùm atro albóque, dein rubro & candido, demum cæruleo & niveo fuerint distincti. Atque hæc quidem, ut appareat Romanæ expeditioni Bojorum non arma modò, sed insignia quoque adfuisse: Ea quibus causis modóve suscepta sit, paucis, Livium secuti, exequemur.

Barb. Sangal.

Rich. Strein. pag. 383.

Liv. lib. 5.

XIV. LEGATIO ROMANA AD BOIOS.

Boij, unáque gentes, quæ trans Padum sedes fixerant, movère Clusium, atque inde Romam. Et Clusini quidem eorum adventum, multitudine, formâ peregrinâ, Gallicorum armorum genere, actísque pridem de Hetruscis, Umbris, aliísque circà gentibus, triumphis exterriti, per Legatos, abs Romanis auxilia rogavère. Ea quidem Senatus populúsque negavit; sed tamen hoc dedit Legationi, ut tergemini M. Fabij Ambusti filij mitterentur, qui cum Gallis agerent, ne Clusinos populi Romani Socios, à quibus nullâ essent injuriâ lacessiti, bello peterent: fore alioquin ut suos Romani amicos tuerentur: mallent Galli, nova gens, nec satis adhuc Italiæ cognita, pace, quàm armis innotescere. Hucusque modesta legatio, sed mox exasperata superbâ oratione Fabiorum, apud homines æquè ferocis ingenij, quibus ira in promptu, & responsum fastu atque jactantiâ tumidum: Gallis videlicet non minùs esse novum Romanorum nomen, quam Gallica gens nova Romanis videatur: non tamen dubitare se, viros Romæ esse fortes, quorum auxilium in re trepidâ, à Clusinis esset imploratum. Non videri etiam aspernandam Romanorum prudentiam, qui Legationem pacísque consilia armis antetulissent. Quare se lubentes assensuros, si Clusini Gallorum coloniæ egenti aliquem agri modum, suis in finibus, quos latiores habeant, quàm colant, concesserint; aliter pacem impetrari non posse: A Clusinis se responsum, quod Romani coràm audirent, expectare: si negetur ager, se Romanis inspectantibus rem daturos in calum & specimen, quo Senatui populóque Romano domi

renun-

renuntient, quantum Galli cæteros mortalium virtute præstarent. Legatis vicissim sciscitantibus, quidnam id juris esset? agrum à possessoribus poscere, & ni detur, arma vimque minari: cùm Galli sibi jus in armis esse dicerent non secùs atque Romanis, qui sua pleraque non à stricto jure, sed ferro potiùs accepissent; exarsêre utrinque animi, & dato velut classico itum ad arma. Dum ad vim concurritur, fatis Romanam fortunam urgentibus, Legati, contra jus gentium, ad signa convolant, & ante Hetruscorum Legiones manus conserunt tanto ardore, ut illorum unus, Q. Fabius, equo provectus extra aciem, è Gallis ductoribus quempiam hastâ transfixum perimeret. Spolia legentem Galli agnovêre, réque per aciem vulgatâ, ira omnis conversa est in Romanos. Ergo, Clusinis omissis, signum dedêre receptui. Fuêre è Gallis, qui mox Romam totâ vi petendam censuerunt: obtinuêre sedatiores, ut Legati mitterentur expostulaturi de injuriâ, & petituri, ut Fabij, ad pœnas violati gentium juris, dederentur. Senatui Romano Fabiorum temerarium facinus displicuit, & visi Legati æqua postulare; sed ne impetrarent, obstitit populi intercessio, negantis ultima priscæ severitatis exempla in tantæ nobilitatis viris esse statuenda. Creati præterea per intempestivam arrogantiam Fabij tribuni militum, cum potestate consulari, quasi rem contra Gallos bene gessissent. Eo facto Legati, pro eo ac dignum erat, offensi, bellum palàm minantes, redivêre ad suos. Postquam auditum in castris, Fabijs humani juris violatoribus, supplicij loco, honorem esse habitum, Galli irâ flagrantes, convulsis confestim signis, citato agmine, iter arripiunt tantâ celeritate, ut fama properantium Romam delata, ingentem terrorem ante se egerit, eo maximè, quòd ad tantæ molis bellum urbs esset imparata, & quæ fuit ex inani virium confidentiâ, & hostium contemptu, Senatûs populique cæcitas, ne quidem de Dictatore, uti aliàs, in re creperâ, extra ordinem creando, adsciscendísve sociorum præter solitum auxilijs ulla mentio audiretur. Contracta tamen languido delectu vis tumultuaria, sed eâ oscitantiâ, ut Gallis imminentibus nemo iret obviam, priùs quàm undecimo ab Urbe lapide, ad Alliam, flumen Romanis fastis damnatum, latè circumfusi, omniáque metu complentes, pervenissent. Tribunos, quorum iniquitate bellum erat accensum, animus ratióque defecerat. Illi denique prodire ausi, ne quidem festinato ad castrorum munimentum receptúmque vallo, copias diducunt in cornua, explicántque aciem extenuatis ordinibus malè cohærentem: tum subsidiarios, in quibus spes potissima, locant in edito tumulo. Brennus Gallorum regulus suspectans paucitatem hostium in acie apparentium, ratus malè densatos rarósque ordines ex composito dari in conspectum, ut, dum Galli in frontem incurrerent, Romana subsidia in aversos transversósque facerent impetum; omissâ acie, signa in subsidiarios convertit, ut, si eos loco moveret, facilem sibi pararet de cæteris, qui longè erant impares Gallorum multitudini, victoriam. Conspirabant videlicet cum Brenno, non fortuna duntaxat, sed ars quoque & industria, quæ à Romanis defecerant, relictâ animorum tam stupendâ turbatione, pavore, & pristinæ virtutis oblivione, ut, qui steterant in acie, nihil præter fugam meditantes, ne tentato quidem certamine, vix conspecto hoste, cujus ne vultum quidem ferebant, pars Vejos citato cursu profugerent, pars Romam ad conjuges properè dilaberentur. Collis eminentia haud diu tutata est subsidiarios. Qui ab alterâ acie pedem nondum retulerant; simul ac instantium clamores à latere & à tergo auditi, cùm ne vocem quidem redderent, integri intactíque terga hosti cædenda dederunt. Cornu sinistrum ad Tiberis ripam fugiens armis abjectis, magnâ strage concisum est: multos nandi imperitos, & loricis cæteráque armaturâ graves hausêre amnis vortices. Qui Vejos confugerant, sui patriæque immemores, ne fugæ quidem, & vitæ servatæ nuntium Romam ad suos misêre, tantum abfuit, ut de urbe tutandâ consilium caperent. Dextrum cornu illæsum, cursu citato, ne clausis quidem post se portis, se in arcem totum recepit. Galli victoriam omni spe faciliorem obstupescentes, vix suis credebant oculis, cùm hostem omnem instar nebulæ viderent evanuisse, simúlque suspicarentur,

XV. Pugna ad Clusium.

Gallorum in Romanos ira et expeditio

XVI. Romani profligantur.

rentur, insidias dolósque fugâ adeò fœdâ componi; satis in præsens habuere, legere cæsorum spolia, & arma cogere in trophæa. Tum deinde, cùm exploratores nihil hostile prorsus referrent, ingressi viam, sole jam ad occasum præcipiti ad urbis mœnia deferuntur. Cùm præmissi equites renuntiarent, patere urbis portas, nullam apparere usquam stationem; ne unum quidem pro mœnibus stare armatum, velut incredibili miraculo agebantur in stuporem, novámque fraudis latentis suspicionem. Ergo tenebris diffidentes, veritique situm atque vias urbis inexploratæ, Romam inter & Anienem constiterunt. Post misêre rursus, qui muros, portas omnes, & si quà possent, hostis consilia cognoscerent. Retulere illi mera lamenta; pavorem publicum, luctus privatos, dissonos ejulatus; mortuorum funera, patriæque desperatæ interitum, totâ urbe muliebrem in modum deplorantium; cùm nihil propiùs miserorum obversaretur animis, quàm proxima moriendi necessitas, & ultima fata Urbis calamitosissimæ. Horrorem exaggerabat lux propinquans, velut nuntia supremi mali jamjam adfuturi. Fuere omnes propè exanimati, cùm infesta signa portis vidêre illata. In eâ tamen calamitate promicuit aliqua lux, vigórque Romanæ sapientiæ, quæ rationem ostendit servandi reliquias urbis, ad terrarum orbis imperium aliquando evasuræ. Placuit enim senioribus, qui domi restiterant, urbe, quæ à paucis armatis atque imbelli multitudine defendi non poterat, relictâ, spem reipublicæ ultimam militari juventuti, civibúsque, qui supererant, valentioribus, collatâ in Capitolium annonâ, committere, cæteram turbam fortunæ commendare. Die posterâ, quæ fuit Iduum Quintilium, Galli sine impetu, sine iracundiâ, vel ulciscendi ardore urbem ingressi, forum, propinqua foro loca, arcísque, quæ sola belli speciem referebat, aditus, præsidio occupant. Cæteri dilapsi ad prædam, per vacuas hominum occursu Urbis silentis vias, patentes optimatum ædes, obserata privatorum tecta, prout cuique fors obtulerat, pro arbitratu pacatè & sine sanguine diripiunt. Sedebant inter hæc viri ætate, & gestorum magistratuum majestate venerandi in domorum vestibulis. Cùm ad eos Galli velut ad simulacra mirabundi consisterent, è militibus quispiam Papirio viro consulari promissam ad pectus barbam permulcere ausus est. Permulcenti senex scipionem eburneum in caput impegit. Hinc militum indignatio furórque, & civium strages. Factum à Papirio cædis initium; qui, ut postea cæteri, in suâ sede est obtruncatus. A Principibus itum in promiscuam multitudinem, nullo discrimine: tecta Romanis opibus exhausta, exhaustis injecti ignes per dies aliquot, quorum nullus fuit, qui Romanos, spei suæ reliquias in arce retinentes, novæ cladis horrore non compleret, exciretque ad patriæ ruentis spectaculum, inter hostium vociferationes, mulierum puerorúmque ploratus, flammarum stridores, & fragores tectorum occidentium. Exinde circumsedêre Galli, quod ferè supererat Romani sanguinis, intra Capitolinæ arcis angustias. Septenos menses obsidio tenuit. Rupem, quam neque vis, nec ars ulla domuisset, auxilij desperatio, & famis ultima necessitas superavit. Pacta mille auri pondo ex mundo muliebri, qui tum Romæ vicem ærarij fuit. Id pretium populi, gentibus olim imperaturi, ab urbe Gallos submovit idib. Februarij: quando (si Polybio fides est) comperto, Venetos in Hetruriæ fines irrupisse, domum fuere revocati. Qui plusculum Romanæ gloriæ indulgent, scribunt eos morbis, inediâ, cladibúsque fatigatos abijsse.

XVII. URBS CAPTA.

AN. AB URBE CONDITA CCCLXVI. *Plin. lib. 33. cap. 1. ponit* AN. AB URBE CONDITA CCCLXIII. *Flor. in Epit.*

DIREPTA. XVIII.

PATRATÆ CÆDES.

Quæ prodidit Livius, ad delendam Romæ subactæ memoriam, tametsi Floro, Appiano, Plutarcho, & recentioribus persuaserint, non perinde apud alios valuêre. Ejusce generis sunt, quòd Brennus cum exercitu fuerit à Camillo Dictatore deletus: cum, quando de ponderibus auróque appendendo erat altercatio, eodem puncto temporis derepente intervenisse, & negasse pactionem esse ratam, quæ suo injussu, à magistratu juris inferioris facta esset: jussisse itaque aurum auferri de medio: submoveri Gallos, & vetuisse Romanos pretio redimi, sed eorum, patriæque libertatem ferro, pióque bello reparari: Gallos proinde versâ fortunâ, haud majore negotio esse fusos, quàm illi Romanos vicerant ad

Flor. l. 1. c. 13. Appian. Celt. Plutarch. in Camillo. XIX.

Alliam, ac demum octavo ab urbe lapide, viâ Sabinâ, à Camillo justo prælio, amissis castris sic esse superatos, ut ne nuntius quidem acceptæ cladis evaserit. Ea tametsi speciosè sint dicta; non desunt tamen antiquæ fidei testes, qui istam dictorum vanitatem refellant. In his C. Plinius scriptum reliquit, Romam, quando capta est, si multum, duo millia pondo habuisse. Ea cùm urbi redimendæ non sufficerent, Massilienses, id temporis Gallorum hostes, addidisse æs collatitium, quo Romani desponsam redemptionem conficerent: quod non fuisset necesse, si Camillus solâ nominis sui majestate Gallis aurum, si ferro vitam extorsisset, quorum neutrum illum fecisse, bini testes conficiunt Suetonius & Polybius. Et ille quidem author est, aurum Romanum in Galliæ ærario fuisse servatum, quousque Drusus illud ipsum à Gallis recepit. Polybius Livio antiquior, homo Græcus, eóque remotus à partium studio, asserit, Bojorum & Insubrum Legatos, cùm à Gæsatis auxilia poscerent adversum Romanos, magnam illis auri vim ostentasse; revocasse in memoriam partam de Romanis victoriam, Urbem occupatam spoliatámque rebus omnibus, & sponte à victoribus redditam, Gallorum verò copias in Hetruriam rediisse incolumes; quæ profectò sunt procul à Camilli victorijs, & eâ quam Livius jactat, Gallorum internecione. Atque hæc quidem non eò dicta velim, quasi censeam Livium fraudis & indiligentiæ esse damnandum; sed ut ostendam, cùm in scriptorum silvam ingredimur, ut fit in testium dijudicatione, pernôsse oportere singulorum dicta, integritatem, vacuitatem ab affectibus, aliáque, quæ faciunt ad discernendam veritatem. Haud dubitârim Livium incidisse in commentarios, quorum authores gloriæ Romanæ justo studiosiores, suo genio multa indulserint, extollendo res domesticas, premendo alienas.

Plin. nat. hist. lib. 33.

Refutatur Livii narratio.

Sueton. in Tiber. c. 3.

Polyb. lib. 2.

XX.

Venetorū in transpadanam Galliam irruptio.

Pax.

Dissidia domestica.

Polyb. lib. 2. pag. 106.

Justin. lib. 20.

Ab istâ lite redeo ad cæteram Bojorum in Italiâ fortunam, & dimicationes. Gallos ex urbe ad suas sedes reversos bella propiora exceperunt. Non longam illis fuisse contentionem cum Venetis, oportet, quando nihil memorabile præter Venetorum irruptionem in litteras missum est; ut proclive sit æstimare, Venetos redeuntium metu perculsos, retro tulisse pedem, & cum Boijs reducibus sine sanguine pacem sanxisse, ne arma victricia, metuendámque fortunam pergerent irritare. Bella exinde arsère civilia in gente armis assuetâ & facilè irritabili, quæ quietis impatiens, si communes foris causæ deessent, privata domi odia exercebat, quæ haud raró erumpebant in cædes atque tumultus. Non potuit tamen intestina illos discordia diu tenuisse, quandoquidem consensionem externa pericula brevi revocârunt. In his motibus minimè dubitem fuisse Tuscos, eos præsertim, qui, ut Justinus meminit, avitis pulsi sedibus, alpes occupavere; & ex nomine Ducis, Rhætorum gentem condiderunt. Proclive etenim fuit, eos acceptæ injuriæ memoriâ, quòd à Boijs patriâ exuti, & in alpium claustra fuissent conjecti, cum Inalpinorum reliquijs, spe recuperandarum possessionum, conspirasse. Id bellum concitavit metus, & metu validior invidia. Enimvero gentes Boijs vicinas non immeritò habebat sollicitas, crescens indies Gallorum potentia, cui nisi iretur obviam, proximum erat, ut continuâ novarum ditionum accessione; torrentis instar, qui ut augetur aquis, ita alluvione propinqua camporum depascitur, tandémque absorbet, finitimorum libertatem opprimeret. Quæ enim alia sit mens gentis ambitiosæ, quàm ut perpetuò insidietur alijs super alias evalescendi occasionibus, & nisi reperiat, faciat bellorum causas, & nullo justi injustive discrimine, in immensum, jus armorum pergat extendere? Enimvero scitum illud, ad dominandum tendentibus vias omnes esse amœnas: illorum nihil interesse, jure, an injuriâ, positos à naturæ & gentium legibus antiquos imperiorum limites submoveant. Quòd si Celtis jus fásque fuit olim erepere ex suis angustijs, & pulsis indigenis alienas sedes invadere; quid vetet Inalpinos, quos partim Bojorum ambitio, partim fortunæ malignitas, velut mortalium ultimos compegit in montium carceres, sua spatia Gallorum exemplo laxare? Inalpinis non deesse ferrum, non viros manu fortes, non animos, non multitudinem hominum: qui si junctis viribus in causam, rémque veniant, facilè sint coacturi in arctum, non Senones modò atque Ligures, sed alia

XXI.

Conspiratio inalpinæ gentis in Boios.

alia quoque exterorum nomina non tam suâ virtute, quàm finitimorum ignaviâ formidanda. Quid enim, si Secusses, Sucobrini, Catili, Taurisci, Triumpilini, Cumuni, Vennonetes, Isarci, Lepontij, Salassi, Rhæti, Octoduri, Centrones, Seduni, Veragri, Cottiani, omne denique Alpinorum nomen in Transpadanos socientur, quàm non sit futurum arduum id obtinere saltem, ut timeri desinant, qui se credunt mortalium cæteris esse potiores? Pulcherrimi facti gloriam fore sempiternam, si patria periculo, Romani metu, tota Italia anxietate liberentur: In præmium cessuras Italiæ manubias, assertam libertatem, Romana spolia, publicam securitatem, communémque omnium salutem. Hæc fuere flabra, quibus bellum accensum est, gestúmque haud dubiè partium magnâ contentione: sed quibus eventis, veterum monumenta siluêre. Exitu Boijs sociisque non fuisse improsperum, vero simile faciunt opes integræ, quæ illis ad famam & jungendum fœdus cum Dionysio Siculo satis supérque fuerunt. Etenim per id temporis Dionysius, pulsis è Sicilia Carthaginensibus, occupatóque totius Insulæ imperio, ne miles otio diffluerer in vitia, quorum segnities mater est, exercitum, ut continenti labore acueretur, útque Tyrannus suæ ditioni novas gentes subijceret, trajecit in Italiam, quam Græci multarum urbium in majore Græciâ conditores, priscis sæculis sibi asseruisse ferebantur. Ut ejus societatem Boij appeterent, fecit vicinorum inimicitia, & ingens fama, quam sibi Dionysius armis pepererat. Cùm enim Crotonienses, post acceptam à Locrensibus cladem, virtutis bellíque cogitationem posuissent, Dionysius Locris sub jugum missis, Crotonienses bello petiit, ratus, longo mollitos otio, nondum reparatis ex nuperâ clade viribus, haud magno negotio posse debellari. Verùm cùm illos Pythagoras disputationum assiduitate ad frugalitatem revocasset, Dionysius bellum, quod adversus homines luxu voluptatibúsq; effœminatos facile fuisset, expertus est difficillimum contra temperantes & virtute quàm armis, & multitudine fortiores. Dum in ijs variâ fortunâ lacessendis occupatur, Galli, atque inter hos Boij, haud nescij quàm flagrante finitimorum odio, invidiáq; laborarent, crediderunt se egregium operæ pretium facturos, si se Regis bellicosissimi amicitiâ contra tot hostes firmarent, id saltem fructûs ex ejus societate collecturi, ut licèt forsan minùs prodesset, non noceret tamen, si quando Græci Italiâ potirentur. Igitur non multò pòst, quàm Galli Romam incenderant, ab ijs venêre Legati ad Dionysium in bello Crotoniensi non sine periculo laborantem, qui nomine gentis universæ Transpadanorum cum eo fœdus sancirent. Illis ubi dicendi facta est copia, qui princeps Legationis fuit, Dionysium affatus est in hanc sententiam. *Senones, Boij, ac Ligures gens Celtica, ut tuam amicitiam expetant, non facit necessitas, sed magna fama tui nominis, quam parti tuâ virtute nobilissimi de hostibus triumphi longè latéque celebrârunt: Invitavit etiam spes haud dubia tuæ fortunæ ad summa quæque adsurgentis. Majores nostros Italici soli amœnitas, è suis sedibus, ad novas in Hetruscis capessendas excivit. Ea pars Italiæ, avorum nostrorum armis domita, eorundem virtuti tantum concessit, quantum victi debebant, & victoribus debebatur. Roma ab eorum posteris nuper occupata, & excisa, sensit, quod hactenus putaverat incredibile, esse viros, qui frenos ejus fortunæ injecerent. Gentes aliæ, quarum in umbilico pedem, nostræq; spei domicilia fiximus, omnes sunt expertæ, arma nostra faciliùs, quàm feliciùs irritari. Nunc quando sic à natura est comparatum, ut, quibus est morum & causarum similitudo, animi ducantur similibus studijs, eadémque affectuum conspiratione; nostri Principes populíque universi, quibuscum pleraq; Italiæ malè convenit, quam tu quoq; habiturus es hostem; credidêre, tuis nostrisque rebus nihil fieri posse præstabilius, nihil ad decus præclarius, quàm si (quod nobis in votis est) dextras fidémque jungamus, & mutuis auxilijs communi causæ consulamus. Id, nisi per te steterit, tanto erit usui, ut brevi nationem non modò utrisque nostrûm, sed toti terrarum orbi inimicam, rerúmque summæ imminentem, nostris armis domitam subactámque videamus.* Grata fuit Dionysio Legatio; cúmque recens cladem à Crotoniensibns accepisset, Gallorum fœdere animosior, ex integro bellum instauravit, quod Carthaginenses in Siciliam appulsi, & mors Dionysij, cùm spes imperij

INCERTUS BELLI EXITUS.

XXII.

FOEDUS SICULUM.

Iustin. lib. 20.

GALLORUM LEGATIO.

XXIII.

potiundi maximas animo esset complexus, subitò intercepêre; nullo præterea fructu initæ cum Gallo societatis.

ROMA INSTAURATUR. XXIV. AN. AB URBE CONDITA CCC LXXXXV. *Polyb. lib. 2. Plutarch. in Camill. Liv. lib. 6. Polyæn. de Strategem.*

Cæterùm domesticæ Bojorum, cæteræque gentis dissensiones, & secuta ab armis cessatio, Romanis præbuere otium resumendi vires, miro Urbis fato, quæ tantisper nacta est tempus è suis cineribus caput velut redivivum attollendi. Eam respirasse per annos omnino triginta, Polybius author est: Plutarchus & Polyænus mediam ejusce quietis partem detrahunt: Livius annorum viginti quinque pacem tribuit, quâ vires instauratæ sunt, & ædificia, quæ alioquin æternùm sepulta in suis ruderibus jacuissent. Nam Tribunis, per continuas conciones, plebem concitantibus ad Urbem prorsus deserendam, lege sancitum erat, ut damnatis majorum consilijs, sedem populus Veios transferret: quod effectum dedisset, nisi Camillus abiturientibus, objectis religionum commentis, persuasisset, ut antiquato plebiscito, revocatisque, qui Veios, ædificandi curas pertæsi, migraverant, Roma civium frequentiâ cresceret, Urbsque, operis ad effectum properantibus, brevì nova exurgeret.

NOVA IN ROMANOS EXPEDITIO. XXV.

Jam utcunque restituta erant pristinæ formæ tecta, atque munimenta, cùm Volsci, veteres Romani nominis hostes, rebus contra Æquos & Hetruscos prosperè gestis elati, ad ingenium redierunt. Galli (in quibus Boij) communi Romanorum odio imbuti, ex conspirato ingentem contraxêre exercitum; & castris ad Albam locatis, omnibus circùm agris vastitatem, Albanis ultimam propè desperationem; Romanis, quos in re trepidâ socij deseruerant, tantum intulêre terroris, ut inopinatâ tot hostium irruptione consternati, mœnibus se continuerint, patriæ cladis timidi spectatores. Galli, quibus consilium erat manu certare in viros, non ariete rem agere in redivivos parietes, cùm nemo hostis appareret, onusti prædâ domum rediêre. Livius longè magnificentiùs de Romanis scribens, etiam exinde rursus Camillo partam de Gallis victoriam triumphúmque affingit: Multa, inquit, millia Barbarorum in acie, multa captis castris cæsa. Palati alij Apuliam maximè petentes, quòd passim eos simul pavor terrórque distulerat, ab hoste se tutati sunt. Subinde Romanis non ultra annos duodecim à Boijs sociisque quies fuit. Illi cognito, Gallos cum ingentibus copijs esse in procinctu, centuriatis ex urbanâ juventute & sociorum agro, quantas potuere, viribus, longè majore, quàm aliàs alacritate statuerunt adventantibus occurrere, certi, si ferret occasio, manus conserere. Id ne fieret, intercessit mixta panico timori Gallorum ducum juxtà ac manipularium dissensio, quâ ut nihil inter diversarum gentium malè cohærentes animos frequentius, ita nihil tetrius; quando præsertim bella æquali potestate à pluribus administrantur. Galli enim, comperto per exploratores, iratum hostem signis ad pugnam explicatis ingruere, cùm in militari Senatu discordibus sententijs, alij pugnandum, alij bellum extrahendum dicerent; dissidio atque metu in Legiones propagato, ineunte nocte, fugientibus similes retrocesserunt, unde venerant, edocti vices fortunæ alternantis, quæ non pateretur palmas sine ferro decerpi.

AN. AB URBE CONDITA CCCC VII. GALLI RE INFECTA IN PATRIAM REDEUNT. *Polyb. lib. 2.*

Liv. lib. 7.

Rem haud pauló aliter narrat Livius: Gallos nimirum trans pontem Anienis tertio ab urbe lapide, viâ Salariâ castra habuisse: è diverso T. Quintium Pœnum Dictatorem in citeriore fluminis ripâ cum valido exercitu consedisse: cúmque pons à neutris rumperetur, crebras intercessisse de eo occupando velitationes, incertâ semper victoriâ. Gallum interea procero corpore, versicolore veste (ut agnoscas Bojum) pictísque & auro cælatis armis, in pontem progressum, provocasse ad singulare certamen, quem Roma virum haberet fortissimum; ut pugnæ eventus decerneret, utra gens alteri virtute anteiret. Tum orto inter juvenum primores silentio, T. Manlium, adolescentem ejus familiæ, quæ urbe occupatâ Gallos ex rupe Tarpeiâ dejecerat, acceptâ à Dictatore congrediendi facultate, inter duas acies in arenam descendisse, Gallúmque uno alteróque vulnere confossum, stratúmque, torque spoliasse, eóque facto asseruisse sibi posterísque Torquati nomen. Et eam quidem Gallis fuisse causam, castris noctu relictis,

XXVI. SINGULARE CERTAMEN T. MANLII ET BOII.

in

in Tiburtem agrum; indéque, accepto à Tiburtibus commeatu, in Campaniam abeundi.

Anno, qui proximè secutus est, si (Polybio tacente) Livio est fides, Senatus populúsque Romanus bellum in Tiburtes decrevit, quòd nuper annonam Gallis, Romanorum hostibus, præbuissent. Tiburtium discrimen Gallos excivit è Campaniâ, ne, à quibus essent adjuti, opem poscentes desererent. Postquam illi agrum Lavicanum, Tusculanum, & Albanum populationibus deformaverant, instructâ acie cum Romanis conflixerunt. Gesta res est ad portam Collinam in parentum, conjugum, liberorum, totius adeò Urbis conspectu, magno utique hortamento, cùm subjecta oculis verecundia misericordiáque, pugnantes Romanos vehementer accenderent. Certatum grandi utrinque strage, donec aversa Gallorum acies, à Petilio Balbo consule intra Tiburtes portas compulsa est, tantâ apud Romanos rei feliciter gestæ æstimatione, ut Petilio decreti fuerint gemini triumphi; unus ob pulsos Gallos, alter ob devictos Tiburtes; contra quos Consul ne ferrum quidem strinxerat, cujus proinde pompa à Tiburtibus fuit derisa, eóque contemptu habita, ut anno postero ausi sint subitam facere in Romanos muros impressionem. Illi enim, ne se debellatos cessando profiterentur, sumptis derepente armis, primo noctis confinio, silenti agmine, ad urbem delati, subitum Romanis terrorem attulêre. Pavorem auxit res improvisa, nocturnus horror, & ignoratio, qui, quanti, & unde hostes adessent. Saluti tamen Romanis fuit, portas stationibus, muros firmâsse excubijs; & tamdiu Tiburtes sustinuisse, donec prima lux paucitatem mœnia subeuntium detexit, excivitque Consules, ut duabus egressi portis, hostem mœnium coronæ varijs locis insultantem, multitudine potiùs, quàm virtute opprimerent, averterentque in fugam.

An. ab Urbe condita CCCCIIX. Justũ prælium ad Portam Collinam. XXVII. Tiburtes Romanis insultantes. An. ab Urbe condita CCCCIX. Fugantur. *Liv. lib. 7. Appian. in Celt. Eutrop. lib. 2.*

Eo, qui successit, anno, major Romanis ex Boiorum reditu metus fuit. Ut enim in Urbe nuntiatum est, eos Præneste venisse, quod Gallicis tumultibus consuetum erat, ob periculi magnitudinem Dictator creatus est C. Sulpitius Peticus; eique additus equitum magister M. Valerius, qui præcipuum Romanæ juventutis robur ad arma concivit, objecitque Boijs, cùm seorsim duo Consules adversus Tarquinienses & Hernicos diversos exercitus ducerent. Paulò morosiùs id bellum gestum est, quòd Dictator cunctaretur, ratus, se hostem loco alieno, nudum à munimentis, & commeatûs inopiâ laborantem, ipsâque morâ languescentem, quòd ipsi omnis propè vis esset in impetu, paulatim ita debilitaturum, ut vel sponte discederet, vel impar ad conserendas manus evaderet. Sed cùm Boij multò forent, quàm Romani, pugnæ avidiores, ventum denique ad manus, Dictatore propè invito; quem concitatus miles ad explicanda signa impulit, si non coëgit. Jam dextrum Romanorum cornu fluctuabat, cùm legiones Sexti Tullij, quo interprete usi fuerant seditiosi milites apud Dictatorem, gravi oratione accensæ, simúlque accurrens Sulpitius, labantem aciem restituerunt, Gallísque in utrâque alâ disjectis, cruentam victoriam reportaverunt. Gallorum exercitum eo prælio fuisse dissipatum, author est Appianus Alexandrinus; non occidione deletum, ut vult Brunnerus. Feruntur magna spolia à victoribus fuisse lecta, atque in his haud leve auri pondus, quod Dictator quadrato lapidi inclusum in Capitolio sacraverit.

Nova Boiorum in Romanos expeditio. XXXVIII. An. V. C. CCCCX. Boii prælio superati.

Octo ab ista pugna anni fluxêre; cùm in novum bellum Boij, unáque Socij, adversus Romanos sunt coorti. Metu periculi M. Popilius Lenas Consul, extra ordinem imperator à Senatu populóque dictus, copias festinato delectu conscriptas bifariam partitus, quatuor sibi è Romanâ juventute Legiones adjunxit, cæteras P. Valerio Publicolæ commendavit, demum Patribus author fuit tertium exercitum legendi, qui ad incertos eventus pro Repub. excubaret. Tum rebus ad bellum comparatis egressus in campum, collem Gallorum castris proximum, vallo per triarios munire instituit. Id factum, quod etsi prudentiæ militaris erat, hostis timoris professionem interpretatus, aviditate pugnandi, aciem confestim explicuit; nihilque moratus, tumulum, in quo se Romani continebant,

An. V. C. CCCCXIIX. Bellum renovatur. XXIX.

 jussit

jussit oppugnari. Incurrêre Boij immani ferociâ munitionem jam affectam: Subeuntes Popilius per hastatos & principes, qui pro munitoribus steterant, fortiter excepit. Ubi se Galli sensêre figi, transfigique pilorum è loco superiore magnâ vi, certâque destinatione, primùm suspendere gradum; dein mentis ambigui receptum meditari; denique cùm plurimi caderent, pedem referre confusis ordinibus: postremò commilitones obvios, cùm restitarent, sternere, se mutuò obterere, strage longè, quàm per Romanos dabatur, fœdiore, & nihilo minùs collectis animis aciem instaurare, novúmque Legionum robur in Romanos educere. Jam Popilius Consul, lævum humerum trajectus, ad obligandum vulnus è conflictu excesserat; & Romani pugnando fessi, in recentes ire veriti, victoriam propè deseruerant; réque ipsâ deseruissent, nisi consulis ad pugnam reversi cohortationibus, signis rursus in adversam aciem illatis medium perrumpentes agmen, Gallos per campum fusos fugatósque in collem Albanum, qui omnium, quos habebant in conspectu, erat editissimus, compulissent. Popilius metuens, ne, si eos insequerentur, fatigatis cohortibus, in tumulis, quos Galli insederant, expugnandis, exitiale certamen imponeret; ratus satius, eos semel submovisse loco, quàm de rei summâ denuò periclitari, nihil ultrà tentavit.

GALLI PUGNANT IMPROSPERE.

Ex eâ clade ut se Galli collegêre, digressi ex Albanâ statione, quam hiemis rigor occupaverat, per agrorum plana, orásque maritimas, egêre prædas. Eos Græci, qui classe mare infestum habebant, copijs in continentem expositis, anno sequente prælio lacessiverunt. Pugnatum, ait Livius, dubiâ victoriâ. At enim Boij nec isto prælio, neque superioribus fracti, fortunam rursus ausi sunt experiri. Id factum in agro Pomptino. L. Furius Camillus castra munimentis firmârat, è quibus Gallos, quos rapto vivere cogebat necessitas, accisis prædis, cunctando premeret. Eo loci duplici certamine Galli devicti sunt. Priore Marcus Valerius tribunus militum, Gallum, mole corporis armísque insignem, superavit, eodem propè eventu, quo T. Manlius Torquatus olim singulari pugnâ Gallum vicerat. Prodigium affinxit Livius; corvum videlicet in Romani galeâ consedisse, & ad singulos congressus, alis, rostro, unguibus, os Galli, oculósque invasisse; itáque turbasse mentem, ut Valerio non fuerit operosum, virum alioquin formidandum obtruncare, cæsi corpus nudare exuvijs, atque Corvini nomen eo facto nancisci. Certatum subinde atrociter circa cadaver jacentis, acri utrinque Legionum concursu, partáque Romanis rursum victoria de Gallis, qui terga vertentes per Volscos, agrúmque Falernum, in Apuliam, orásque maris inferi sese receperunt.

à GRÆCIS LACESSUNTUR. XXX.

AN. AB URBE CONDITA CCCCXIX. PUGNANT RURSUS ADVERSO MARTE. XXXI.

Sedecim exinde annos egêre quieti, Romanis lætantibus, sibi tantum otij ad reliqua bellorum, ab infestâ gente indulgeri. Redijt tamen post exactum istius temporis curriculum, novus belli metus. Cùm enim nuntij Romam venissent, Gallos recenti tumultu ad arma convolasse, rebus Romæ tranquillis tanta cura incessit, ut, quod solenne erat in summo discrimine, Patres Dictatorem esse creandum censuerint. Is dictus est M. Papirius Crassus, cui adlectus P. Valerius Publicola Magister equitum; qui dum impigrè, majoríque, quàm in finitimis bellis consueverat, sollicitudine copias cogerent, exploratores retulerunt, nihil motuum, vel apparatûs bellici fieri à Gallis: apud quos quieta essent omnia, eóque nuntio Romanos magnâ sollicitudine metúque liberârunt. Porrò tametsi id temporis Galli nihil contra Romanos moverent, non desinebant tamen finitimis facessere metum, multúmque negotij. Nam de Patavinis à Livio traditur, nunquam eos timore Gallorum arma posuisse, eò quòd bellicosis hominibus facile esset bellandi causam vel sponte oblatam accipere; vel facere, si non offertetur. Unde subit mirari, post tot bella, luculentásque clades, ipsis ex subnascente indies sobole tanta supplementa superfuisse, ut non tam de accisa juventute, quàm de finium angustijs quererentur, indéque sumerent obtentum invadendi aliena.

AN. AB URBE CONDITA CCCCXXXIV. INANES ROMÆ DE GALLORUM TUMULTU NUNTII.

Et

Boii foedera iungunt

Cum Alexandro Macedone,

Et verò non bellandi duntaxat artibus, sed fœderum quoque jungendorum dexteritate suam fortunam esse tutatos, palàm est ex initâ nuper cum Dionysio societate, tum ex amicitiâ juréque hospitij, quod cum Alexandro Magno Macedone circa hæc, quæ recenseo, tempora, contraxerunt. Cùm enim Regum ille, litteris omnium gentium celebratissimus, magnis victorijs inclaresceret; Boij, ab ipso Adriatici maris confinio, exciti famâ præclarissimi nominis, ad eum venêre, dextras mutuámque fidem juncturi. Cùm ab eo rogarentur, quidnam Galli maximè pertimescerent; responderunt, se id unicè metuere, ne cœlum rueret; quasi nullam nossent aliam sub cœlo causam metuendi. Tandem etiam docti vario bellorum eventu, quæ cum Romanis gesserant, ut suam fortunam cum fatali dominatricis Urbis felicitate metirentur, putavere se facturos sapienter, si pactâ cum Senatu populóque Romano amicitiâ, sibi aliquid saltem otij compararent. Non abnuêre Romani: fœdus ictum quidem est, sed quod non stetit diutiùs, quàm gens ferox & quâvis occasione irritabilis, pertæsa pacis dulcedinem, arma rursus induit.

Cum Romanis.

XXXII.

Dissidium cum Transalpinis.

An. Urb. condit. CCCC. LXIV.

Per Legatos

Id quâ factum sit ratione, paucis exequar. Persuasum quidem erat Boijs, qui mores sensúsque paulò mitiores combiberant, bellum non esse facilè sumendum, multísque experimentis didicerant, arma faciliùs indui, quàm exui; nec antè fieri pugnandi finem, quàm victores velint. Pacem igitur cum Romanis coluere per annos triginta, donec à Gallis Transalpinis lacessiti, ad pristinam inquietem fuere revoluti. Cùm in Italia cessaretur, foris turbatum est, quòd Galli suis finibus minimè contenti, Cisalpinorum agros solâ crescendi libidine appeterent. Jam ad bellum internecinum inclinatis, intercessêre, qui ingenio sedatiore, ex superiorum temporum recordatione augurabantur, quantâ omnium Cisalpinorum pernicie ad cognatas discordias foret descendendum. Igitur authores sunt mittendæ ad Transalpinos Legationis, quæ rem consilio disceptaret, bellúmque dissuaderet, sparsis etiam in primores largitionibus, quæ omni facundiâ fuere valentiores. Questi sunt Legati, immeritò à consanguineâ natione arma parari adversus Insubres, Bojos, aliósque Gallici nominis, qui sedes in Italiâ fixissent, & quieti, id temporis, retinerent. *Enimvero in bellis* (sic ratiocinabantur) *ante omnia spectari debet bellandi causa, priùs quàm statuatur de incertâ spe vincendi, & de dubio bellorum eventu. Mars, si justus sit, ut plurimùm addicit, velut æquus judex, victorias, quâ parte jus certat & bona causa, ostenditque frequenter, longè minùs valere vim, quam æquitatem. Injuriæ sive illatæ, sive acceptæ, belli causas faciunt, ut depellatur, aut vindicta sumatur. Insons non est, qui solâ bellandi, vel dominandi libidine; vel irâ præcipiti, nullâ lacessitus noxâ, invadit innocentem. Quamobrem Boij, & Bojorum socij, vix capiunt, qui possit fieri, ut Transalpini, non modò omnem rectè curam, sed etiam nominis sui rationem adeò posuerint, ut arma rapiant in consanguineos, nullâ prorsus vi aut injuriâ provocati. Neque enim possunt non meminisse communem utrarumque gentium, ab ijsdem majoribus ortum, & sanguinis consortionem. Ea natalium necessitudo, si quicquam apud sapientes valet, valere utique debet, ut, quæ propinquitatis est vinculum, eadem quoque sit nexus mutuæ consensionis, ad asserendam communem omnium salutem, & augendam in majus Gallici nominis gloriam. Quæ enim possunt vobis evenire tristia, quæ nobis non adferant causas mœrendi? Quòd si Galli, fatorum acerbitate, Gallis sint inimici, quos tandem habituri sunt amicos? Iura consociatióque fœderum etiam inter eos, qui nullâ nominum & nationum communione sunt conjuncti, sanctè nectuntur, & cum fide servantur: quantò sanctius, atque fidelius stringit sanguis, & agglutinat eadem nomina, unámque nationem vinculo mutuæ charitatis? Ergo si vobis stat firma, atque irrevocabilis, bellandi sententia, per nos licet; bellate: sed sic bellate, ut quod suscipietis bellum, cœptu sit laudabile, ratione causiq. honestum, progressu generosum, gloriosum exitu, omnibúsque partibus beatum. Quòd si majorum nostrorum exemplo, ambitis nova terrarum spatia, nolite, obsecro vos per majorum nostrorum manes, pérque sancta Celtarum numina, nostras sedes appetere, quas nec potestis sine injuriâ occupare, nec retinere citra impietatem. Placet soli cœlique Italici amæ-*

amœnitas? Satis terrarum in Italiâ reliquum est, quæ vos accipiant; satis est populorum, quibuscum de domicilijs, de opibus, deque gloriâ contendatis. Parcite, precor, vestræ existimationi; parcite vestro sanguini: ne violate, sed potiùs sartam tutámque habete eam, quæ apud omnes gentes sacrosancta habetur, germanitatem.

COMPONUNT. XXXIII. Hac oratione Transalpini se eò faciliùs deliniri passi sunt, quòd Procerum plerosque effusa clanculum in singulorum sinus Italicæ opulentiæ liberalitas, nobilitatis animos emolliverat. Ergo mutato, de invadendâ Insubriâ, cæterisque Galliæ Cisalpinæ finibus, consilio; cùm tamen Transalpini bellum omnino poscerent, ne frustra, & cum sannis confinium, arma parasse dicerentur, visum in commune est, aliunde bellandi materiam, magnis animis & sumptuoso apparatui non imparem, quærere. Cùm in Comitio sententiæ dicerentur, eorum vicit oratio, qui Romanos bello petendos pronuntiârunt: Dignam enim Gallico nomine ex eo bello nasci turam esse gloriæ segetem, si Urbs tot victrix populorum, vel mitteretur sub jugum, vel ille Romanarum virium impetus sisteretur, ne porrò humano generi pergeret formidari.

NOVA GALLORUM IN ROMANOS CONSPIRATIO. In Transalpinorum sententiam ivêre Cisalpini, sive attracti metu periculi, seu potiùs (quod Polybius observavit) ad bellum Romanum cæteros Gallorum proritantes. Etsi enim eos fœdus, cum Romanis non ita pridem ictum, nonnihil teneret animi ambiguos, obtinuit tamen ratio cognationis, & verò etiam rei bene gerendæ fiducia, ut sese Transalpinis adjungerent. Ita Romana Societas necessitudine sancita, servatáque per annos triginta cum fide, utilitatis obtentu, parùm honestè fuit abrupta.

Ad eam conspirationem ultro accessêre Hetrusci, jam dudum infensi Romanæ magnitudini, lætique adesse tempus, quo acceptas non ita pridem Sutrij, & apud Nepesinos, clades vindicarent, ut nihil opus fuerit eos ad exercenda cum Romanis odia (quod nonnemini sine authore visum est) à Gallis concitari. *Polyb. lib. 2.*

GALLI ROMANUM AGRUM DIRIPIUNT. XXXIV. Galli igitur junctis copijs, per Hetruscorum fines, in agrum Romanum invecti, cùm obvia quæque diripuissent, ingenti prædâ potiti, nullo præterea operæ pretio, ne lacessiti quidem à Romanis, domos quisque suas repetierunt. Neutiquam lætum accidit, magnas opes congessisse: cùm enim reversis in patriam nihil pro singulorum cupiditate in dividendis spolijs æquum posset præstari, versi in tumultum, mutuisque cædibus grassati, magnam manubiarum & exercitûs partem pessundederunt. Quam ob rem haud dubitem esse secutum, quod recenset Livius. Hetruscis videlicet erat constitutum, cœptum cum Romanis bellum, contra pactas cum ipsis inducias, persequi, Gallorum auxilio. Adfuit contestim in agro Hetrusco ingens Gallorum exercitus, cui grande æs persolutum. Credebant Hetrusci eos tali auctoramento devinctos, haud ægrè venturos in belli societatem. *Liv. lib. 10.*

ARMA AB HETRUSCIS DISSOCIANT. Verùm paratâ jam profectione, Galli, qui signa movere jubebantur, negârunt se ad bellum cum Romanis gerendum ab Hetruscis esse conductos: quòd aurum sibi quidem esset numeratum, sed eo duntaxat pacto accepissent, ut ne Hetruriam vastarent, sed à vi abstinerent: se tamen, si omnino Hetruscis videatur, Romam moturos; sed eâ lege, ut in agri partem accipiantur, ubi certâ sede consistant. Verùm id non impetravêre; non quòd agri copia deficeret, qui novæ coloniæ traderetur; sed quòd metus esset, ne, si Galli admitterentur, turbas identidem excitarent. Dum ista disceptarentur, & Galli Hetruscâ pecuniâ ditiores reditum pararent in patriam, Romam allata est fama, nihil esse cur Hetrusca expeditio formidaretur.

SAMNITES CÆSI. XXXV. Sub hæc exortum est aliud bellum, in cujus partem venêre Boij, & Hetrusci, perpetui Romanæ fortunæ osores. Id conflârunt Samnites, fortunis omnibus, patriisque Laribus eversi per Romanos. Ut tres istæ gentes venêre in agrum Romanum, tam opimas egêre prædas, ut ijs prægravati, non essent pares aciei explicandæ, sed pessimo consilio ad deponendas sarcinas Samnium repeterent, mox ad castra reversuri. Id cùm L. Volumnius Consul Romanus haberet exploratum, abeuntium hærens vestigijs, eos ad Vulturnum flumen, ubi noctem egerant, primâ luce est assecutus. Secum rapiebant captivorum septem millia, signa-

ſigna armatis infrequentia, cæterámque turbam gradum ſub oneribus ægrè molientem. Cùm igitur agmen ignobile nec certo ſatis imperio ſubſtitiſſet; Volumnius in eos expeditas Legiones immiſit, quæ momento fractos, ac diſpalatos, ingenti clade affecerunt. Cæſa eo die ſupra ſex hominum millia, recepta præda, dominiſque res ſuas noſcentibus reſtituta; nobili, quod hodie ſequamur, vel ſaltem miremur, exemplo. Qui à Samnitibus ſociiſque captivi tenebantur, venêre in potiorem partem prædæ reſtitutæ, qui & venerant in pugnæ partem, & victoriæ. Nam ubi fuere conſertæ manus, repentinâ defectione coorti, alij alios vinculis ſolvere; arma in ſarcinis deligata deripere, intermixti Samnitibus; tumultum prælio terribiliorem cædéſque edere: Statium Egnatium, Samnitum ducem, qui diſſipato equitatu Legionarios in officio retinebat, circumſiſtere; ac demum captum ad conſulem Romanum rapere. Ea pugna Samnitibus propè exitialis fuit: non concidêre tamen animis; ſed qui cladi ſuperfuerant, collecti, ut fortunam afflictam erigerent, auxilia externa paraturi, ſupremas ſpei ſuæ reliquias ſub ſignis duxêre in Hetruriam; futuri amici, ſi Hetruſci arma caperent pro defenſione libertatis, vel hoſtes, ſi abnuerent. Prætulêre Hetruſci honeſtum belli conſortium periculoſo diſſidio, & fuere authores, Bojos & Umbros ad eadem vota trahendi.

Bellum, Boiorum aliorumque auxiliis reparant.

XXXVI.

Id Appius Prætor crebris litteris in Urbem nuntiavit; quatuor videlicet gentes arma contuliſſe: Hetruſcos, Bojos, Umbros, Samnites; jámque, cùm unus locus tantam multitudinem non caperet, caſtris bifariam diviſis incedere. Eapropter centuriatis comitijs Q. Fabius, geſtis cum laude bellis inter Romanos facilè princeps, conſul creatus eſt. Is quòd ſenectâ eſſet gravior, populi conſenſu P. Decium collegam optavit. Fabio demandatum bellum Hetruſcum, qui ex Romana juventute quater mille pedites, equites ſexcentos legit; cùm certatim juniores nomina offerrent, ardentes eo duce ſtipendia facere. Qui ab Appio Claudio Prætore accepti, quíque à L. Volumnio adducti, fuere è Romanis univerſim quatuor Legiones: mille præterea Campani equites, ſociorúmque nominis Latini major exercitus, quàm Romani. Alij duo exercitus Hetruriæ oppoſiti, unus in agro Faliſco, alter in Vaticano, C. Fulvio & L. Poſthumio Megillo Proprætoribus.

Romana legio cæditur.

XXXVII.

Antequam venirent in Hetruriam per montem Apenninum, Galli in agrum Camertem, cum ingenti multitudine pervenerunt. L. Scipio Proprætor iſthîc Legioni Romanæ præerat. Ut ſuorum paucitatem loci adjumento firmaret, tumulum, qui medius erat inter Urbem & caſtra, delegit: illuc dum properat itinere parùm explorato, aliâ ex parte jugum occupavere Galli; ínque Legionem à tergo procurrentes, ſic eam circumvenerunt, ut nullum eſſet undique clauſis effugium; tantáque cæde ſternerentur, ut ne cladis quidem nuntius evaſerit; nec priùs deletæ Legionis fama ad Conſules pervaſerit, quàm habuere in conſpectu Gallos equites, equorum pectoribus ſuſpenſa geſtantes cæſorum capita, & quædam infixa lanceis, ovantéſque carmine Gallico. Iſtius diei lætitiam abſterſit Gallis pugna paulò pòſt æquo Marte commiſſa. Conſules Apenninum tranſgreſſi, in agro Sentinate caſtra tetenderant. Ne ab utroque hoſtium exercitu ſimul peterentur, juſſit Fabius ambos Proprætores, Fulvium & Poſthumium, Camerti vim admovere, agrúmque hoſtilem devaſtare. Quæ res Hetruſcos & Umbros excivit ad tuendos ſociorum fines. Eo diminutæ Gallorum vires: deſcendêre tamen ad juſtum certamen. Cùm in procinctu ſtarent utrinque acies, dextrum cornu tenuêre Galli adverſus Decium, quintámque & ſextam Legionem; ſiniſtrum curavêre Samnites contra Fabium, primámque ac tertiam legionem. Concurſum eſt Marte primùm dubio. Fabius ſtudio certamen in ſerum diei extrahebat; ratus Samnitum animos, Gallorum verò corpora ſenſim poſſe labefactari. Bonum à ſene conſilium. Decius, annis & ardore animi valentior, primo ſtatim certamine in Gallos effudit Legiones, ſimúlque equitatum; glorioſum ratus, ſi à lævo cornu, in quo ipſe curabat, & ab equite victoriæ daretur initium. Semel ite-

Atrox pugna.

iterúmque aversæ fuerunt Gallorum turmæ: Verùm cùm longiùs Romanæ proveherentur, pugnámque impetu cierent; supervenêre Galli, essedis carrísque superstantes. Ii fortiter progressi inter medias Decij phalanges, factâ viâ, erectis suorum ordinibus, prælium reparaverunt. Romanorum equi insueti immanis sonitûs, quem vehicula rotarum stridoribus edebant, paventes in fugam aversi, & ruentes velut lymphatici suos sessores abripiunt, turbant in transcursu signa Legionum, prosternunt obvios, iter Gallicis curribus aperiunt, qui rapti per agmen obtrivêre permultos. Tum Gallicæ cohortes in Decianas invectæ, ne relicto quidem spatio respirandi, jam in manibus victoriam habere videbantur; cùm Fabius aciem restituit, misso per Cornelium Scipionem, & C. Martium, ex novissimo agmine subsidio, & turbatis Gallis, dextro cornu immisso in Samnites, quibus fractis, demum etiam castris, quò hostis refugerat, & victoriâ potitus est.

XXXVIII. Decius in acie occubuit. Eum ferunt, commento fabulæ haud absimili, erexisse suorum animos dirâ comprecatione, quâ se hostésque, execrandum carmen præeunte M. Livio Pontifice, Telluri ac Dijs manibus (Dæmonibus meliùs dixeris) devovit. Eo die cecidisse scribunt octo Romanorum millia & ducentos; capta octo millia de Gallis & Samnitibus, è quibus unà occubuerunt quinque & viginti millia. Polybius, à Causabono malè, à Perotto bene redditus, victoriam Gallis addicit. Nam post narratam Romanæ Legionis in Camertibus occidionem, *eo ipso tempore* (inquit) *victoriam prosequentes, secundùm cladem Romanis illatam, post paucos dies exiverunt, & conjunctis copijs universis, in finibus Sentinatum, contra prædictos, plurimos quidem prostraverunt, reliquos verò coëgerunt celeriter dispersos domum refugere.* Ita è Græco contextu visum verba verbis reddere. Causabonus pro Polybij narratione, Livianam obtrusit, quæ hodie apud plerosque obtinuit; ut frustra propè sit, tot scriptoribus pro Livio nitentibus obluctari.

Controversa Victoria.

Ut ut res habeat, tot bellis atque victorijs Gallorum nomen ac fortitudo sic inclaruit apud Romanos, ut, cùm de omnibus ferè Italiæ gentibus triumphos egissent, Senatus Populúsque Romanus, Bojorum atque sociorum Gallici nominis arma ita suspexerit, ut ad leges militares, quas antè tulerant, peculiares metu Gallorum adjecerint: ut ne bellis Gallicis neque senes, qui majores essent quinquagenarijs, neque ij, quos Deorum obsequia mancipatos haberent, ullâ ætatis, aut dignitatis prærogativâ à militiâ essent immunes. Cogebantur etiam ad arma, quoties tumultus Gallici audiebantur, artifices, ipsa proletariorum turba, fæxque plebis infimæ: Ut in summis periculis, legebantur Dictatores, qui reliquis magistratibus eminentiores, cum supremâ potestate Rempublicam gererent. Sanè Romani primis nascentis imperij temporibus, suam cum Gallorum fortunâ viribúsque metientes, nunquam putavere, gentem bello natam abs re esse lacessendam: Galli contrà Romanam potentiam insuper habentes, quoties res ferebat, prosiliebant ad arma, ut vinci malle, quàm non solicitasse victoriam, viderentur; adeò ut infelicis quidem aleæ non tæderet, si cum Urbe bellicosissimâ de gloriâ certavissent. Quapropter Cæsar, testis locuples, bellicâ fortitudine Gallos omnibus gentibus antetulit, cujus laudis partem nihil vetat ad Bojos referre.

Leges Romanæ de tumultibus Gallicis. XXXIX.

Galli gentium fortissimi. *Cæs. de Bell. Gall. lib. 5. Polyb. lib. 2.*

XL. Anni decem à postremâ pugnâ nondum abierant, cùm Galli integri recentésque, quasi nihil antè adversi tulissent, Aretium claram inter Hetruscas civitatem, obsidere sunt aggressi. Belli causa (quamquam Orosius præpostere aliam prætexit) quòd Aretini quadraginta annorum inducias, mutuámque auxiliorum fidem cum Romanis essent pacti. Ea res cùm Gallis ægrè fecisset, ratis eâ sibi pactione novum esse quæsitum hostem, armis putârunt esse vindicandam. Propinquum discrimen ubi Aretinos advertit, missis in urbem oratoribus petivere, ne socios Romani desererent. Pro fœderis obligatione impetravere suppetias: Lucio etenim Cæcilio Consuli datum negotium, cum exercitu valido bellum pro Aretinis gerendi. Ille sub ipsis Aretij mœnibus tetenderat, cùm Galli in cum

Bellum Aretinum. *Oros. l. 3. c. 22.* *Romani acie devicti.*

cum coorti, Romanam aciem pugnâ memorabili superârunt. Occubuere tredecim armatorum millia, robur Romanæ juventutis, multíque è primâ nobilitate: capti item magno numero: Consul in acie interemptus, septem tribuni militum occisi. Exinde M. Curius, subrogatus in locum Cæcillij, fide publicâ ad Gallos misit oratores, qui de captivis libertate donandis paciscerentur. Illi cùm se gentium lege tutos meritò crederent; quòd Legati nomen velut sacrosanctum & inviolabile, perinde inter hostium tela, atque amicas sociorum manus incolume versari debeat; nihilo minùs, quâ causâ incertum, Gallos sensêre non iratos modò, sed etiam crudeles. Nam ad unum omnes ferro fuere sublati. Quæ Romanis tam atrox visa est injuria, ut anno proximo, Corn. Dolabellâ & Cn. Domitio Coss. bellum in Senones, sceleris authores, decreverint. Ex eo tempore apparuit, quàm Superis & hominibus exosum sit, fidem perfidiâ, naturæ jura crudelitate temerare. Nam Senones hoc ipso evasêre infelices, quòd justi esse desijssent: quam infelicitatem ad Gallici quoque nominis socios, quodam criminis contagio, cœlum iratum propagavit: ita deinceps Gallorum fortunam in Italiâ consilium, virtúsque velut longè proscripta, destituit. Secutæ ordine clades, quæ demum suis sedibus Gallos exturbârunt. Primi omnium Senones prælio devicti, & immani strage attriti, coacti sunt solum vertere. Ne in posterum ipsis pateret reditus, Patres censuere mittendam esse coloniam, quæ agro occupato, insessisque præsidijs, redire volentes arceret. Nomen tamen Senonum, Senis à suis conditoribus relictum.

Romanorũ Legati violantur. An. ab Urbe condita CCCC LXV.

à Senonibus, qui An. ab Urbe condita CCCC LXVI. post eiecti ex Italia.

XLI.

Exactis igitur Senonibus, supererant Boij, qui Romanam fortunam, ad universæ Italiæ dominatum magnis passibus grassantem morarentur. Plurimùm oberat, Romanas aquilas jam ultra Apenninum nidulari, metúmque finitimis omnibus inferre. Igitur Boij, haud nescij quantæ deinceps tempestates à Romanis imminerent, in fortunæ bellique societatem adscivere Hetruscos, hactenus suæ libertatis, adversus quasvis confinium molitiones, ut qui maximè retinentes. Junctis ergo copijs ad lacum Vademonis progressi, Romanos habuere obvios; ubi signa magnis utrinque animis collata, Marte Boijs adverso. Cùm enim Hetruscorum multi cecidissent, Boij demum fracti fusique prælio excessêre magno satis numero. Tot enim acceptæ cladi superfuerunt, ut anno postero, C. Fabricio, & Q. Æmilio Consulibus, ausi rursus aleam experiri, cum Hetruscis odio Romani nominis conjurârint. Gesta hæc triennio antequam Pyrrhus in Italiam traijceret, & quinquennio ante cladem Delphicam, de quâ in loco sumus dicturi. Eo namque tempore (inquit Polybius) ubique locorum Gallos, ceu pestilenti quodam sidere afflatos fortuna exercebat: certè graviter exercuit pugnâ Vademoniensi: tametsi enim pubem omnem ad arma concivissent; victi tamen à Fabricio, de integro profligati sunt. De ijs Consul, ut est in fastis Capitolinis, triumphavit, Româ haud secus gaudente, quàm quæ omnium maximè metuendum hostem debellasset. Mansit tamen genti suus genius, eâ apud hostes famâ & solicitudine, ne aliquando exurgeret in novos tumultus; ut eos Romani amicorum numero habendos censuerint, quando pacem per Oratores petentibus lubentes concesserunt. Eam per quadraginta quinque annos Galli coluerunt, donec sublatis è vivis militiæ infelicis testibus & authoribus, succesêre juvenes temerarij, qui perinde bellicorum malorum inexperti, atque adversæ fortunæ rudes, cœpêre rerum præsentium fiduciâ, eventorum incerta in futurum sollicitare, & contra Romani imperij fata, rem Boicam dare in casum extremum.

Boiorum foedus cum Hetruscis.

Utrique prælio superati, ad Lacum Vademonis. *Flor. l. 1. c. 13. Polyb. lib. 2.*

An. ab Urbe condita CCCC LXXVII.

Boii denuo profligati Pacem faciunt cum Romanis.



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER II.

Romani cæſi ſub P. Valerio: rurſus affecti clade ad Cluſium: L. Manlius profligatus, obſeſſus Taneti, liberatur à Conſule: Romani victi ad Padum, ad Trebiam, ad Thraſymenum lacum, ad Cannas, in Litanâ ſylvâ. Item duce C. Appio, Bebio prætore, Flaminij crudele in Bojum facinus: ejuſdem lex Agraria. Galli 14000. cæſi. Bello Gæſatico ſemel iterum profligati: Pòſt ad Cremonam. Infeliciter pugnant ſub Regibus Corolamo, Dorulaco, Bojorige: cæſa Bojorum juventus. Victi Ligures. Vltima Bojorum in Italia clades. Migratio in Tauriſcos.

Polyb. l. 2. Zonar. tom. 2. Annal. p. 65. n. 50. Oroſ. lib. 4. c. 12.

I. BOII BELLŨ RENOVANT.

DE tempore belli à Boijs adverſus Romanos renovati, non eſt una ſcriptorum ſententia. Polybius pacem cæteris longiùs extrahit: Zonaras & Oroſius citiùs abrumpunt, Titi videlicet Sempronij Gracchi, & Publij Valerij conſulatu. Abrumpendi cauſas haud anxiè expenderunt Galli, quibus ceſſatio longior pacem exoſam reddiderat. Arma etenim, quibus nihil pulchrius in parentum hæreditate acceperant, ut agrorum poſſeſſiones credebant oportere aſſiduo labore verſari, ipſo uſu excoli, ne ignavo ſitu obſoleſcerent, & præcipua virtus, quam in militari fortitudine ſitam eſſe cenſebant, inertiâ langueſceret. A majoribus longo bellorum uſu quæſitam eſſe gloriam, armis conditam patriam, animi magnitudine defenſas ſedes: quas ſine vi, contra potentiſſimos hoſtes retineri, & citra ignominiam, amitti non poſſe ratiocinabantur. Hoc poſteris incumbere, ut quibus artibus tot decora, facultatéſque eſſent comparatæ, iiſdem ſervarentur. Is nimirum erat totius ferè Gallicæ nobilitatis ſenſus, in quâ ſanguinis aviti fervor nondum refrixerat, quæque, quòd ab agri laboribus foret aliena, fructus ſibi longè uberiores ex ferro, quàm ex gleba pollicebatur. Oroſius, nationis nomine contentus, Gallos nominat redintegrati belli authores; Zonaras Gallos & Bojos diſertè exprimit. Secunda utcunque fuere initia, cæſis ter mille quingentis Romanis

manis, P. Valerio ductore. Verùm cladem ipse Gallis reposuit, non expectatis suppetijs, quas ex recenti delectu mitti ex urbe cognoverat, ratus, sibi fore dedecori; quod ipsâ morte duceret acerbius, si acceptam ignominiam novarum copiarum accessione deleret. Quæ mens, licèt temeritati, quàm magnanimitati foret affinior, effecit tamen, ut partâ de Gallis victoriâ, Senatui populóque Romano satisfaceret, & viri fortis constantisque nomen tueretur. Cæsa in acie quatuordecim millia, bis mille capti. Negatus tamen fuit victori triumphus, quòd se priori conflictu passus fuisset superari. Ligures à Graccho malè esse habitos author est idem Zonaras.


P. Valerius improspere confligit.
Cladem acceptam, Gallis cum foenore reponit.
Ligures male habiti.

II.
An. V. C. DXVI.

Boij nihilo ex superiore jacturâ dejectiores, lectis copiarum supplementis, scriptisque novis legionibus, bellum reparârunt in annum, qui ab Urbe conditâ quingentesimus decimus sextus fuit. Romani, haud ignari cum quibus viris certamen esset futurum, geminos exercitus, totidémque consules opposuere. Ii fuere T. Corn. Lentulus, & Q. Fulvius Flaccus; hosti non modò pares, sed etiam metuendi, quamdiu se unis castris continuere: Sed ubi divisis copijs, partitóque, & malè cohærente imperio, rem communem singuli gerere cœperunt, mox hosti fuerunt contemptui. Separandis castris obtentui fuit loci angustia, difficultas pabulationis, annonæ penuria, hostis contempta virtus, & vulgata imbecillitas: sed reipsâ, quos antè conjunxerat amor patriæ, disjunxit cupido ditescendi & vivendi ex rapto, quâ nihil in bello est perniciosius. Ergo posteaquam diversi tetenderant, Legionum emissarij, veriùs ductorum ministri, & prædatores, sparsi per agros, sævierunt, nullo amici aut inimici discrimine. Hæc non modò dissimulabant duces, sed fovebant etiam, immo jussionibus urgebant, eò quòd spoliorum potissima in eorum manus venirent: quæ erat ratio vastandi agros, colonos abigendi, perdendi exercitum, promptissimúsque modus pereundi. Horum nihil latebat Gallos. Quare coorti nocte intempestâ, castra Fulvij diversis locis, velut in coronâ, oppugnârunt, & expugnassent, nisi Romani, quos prædandi licentia extra castrorum loricam non eduxerat, explorato hostis adventu, fuissent in armis, & pro vallo generosè stetissent. Galli itaque, cùm in paratos fortiter incurrissent, nec esset loco, & tempore tam iniquo, æqua pugnandi ratio: receptui cecinere: Consules edocti periculo, de jungendis denuo consilijs convenerunt. Quam ad rem magno illis hortamento fuit, quòd Ates, & Galatus, Gallorum Reges, non modò omne Gallorum Cisalpinorum nomen, sed Transalpinos etiam auxiliares haberent sub signis, & stimulante ambitu, fines duobus Regibus nimis angustos proferre statuissent, quasi justo arctiùs regium nomen, & fortuna haberetur, nisi occupatas avorum virtute regiones, ipsi pari gloriâ prolatarent. Quod consilium ut vulgo probarent, accusabant insatiabilem dominandi cupiditatem, quæ Romanos in finitimorum exitium ad nova indies audenda concitaret, crescente in immensum, ex rerum successu, audaciâ. Quid enim deinceps Boijs tutum futurum sit, quando exactis Senonibus, ductâque in Senensem agrum coloniâ, Romani confinium cervicibus jam propè incumbant? Quid porrò illud, quòd Picentes non ita pridem subactos, clientelis, servitijs, supellectile, & agri parte multatos, Romano præsidio, colonisque sic frenârint, ut oppressâ libertate, non populi Romani socij, sed Urbis, nullis exsatiandæ opibus, mancipia videantur? Jam nihil esse propius, quàm ut ex agro Picente, in Gallicos fines sese improvisi effundant: quod si fecerint, sera fore auxilia, nisi in promptu, & parata ad nutum habeantur. Denique nomini Gallico esse propè infame, quòd velut hebescente ferro, virtus ingloria, tot olim victrix præliorum, hebescat. Hæc speciosè à Regijs, & nobilitate jactabantur; sed tardiùs, quàm ut iratæ multitudini satisfacerent. Querebatur illa, se inconsultâ, Transalpinos esse evocatos, in consilijs capiendis negligi, bella clanculum conflari, specie tuendæ libertatis, liberam gentem jugo servitutis paulatim indui. Quid enim opus fuerit, altâ cum Romanis pace, nuper resumpsisse arma? Plebi non tam fuisse invisum otium, ut bello mutaret. Bellum gererent, qui suscepissent, sed suo ære atque periculo

Romani prædatores.
à Boiis oppugnantur.
Polyb. lib. 2.

III.
Gallorum dissidium.



culo, quando suo ipsi arbitratu, ne audito quidem populo, novum istud publicæ rei incendium excitassent. Si de nostrâ fide, ac virtute (inquiebant) quam toties sunt experti, pro eo ac debebant, censuissent, quorsum tot à longinquo accersitæ gentes? Nobis si diffiditur, quiescentibus nobis pugnent exteri; vincantur nostri cincinnati, ut tandem nobis fidendum esse sentiant.

An. V. C. DXVII.

IV.

Gallorum Legati de Pace

Jam Transalpini in Ariminensem agrum processerant, cùm promiscua Bojorum multitudo hæc consilia, non clàm modò in circulis, sed palàm etiam in conventibus agitaret: quæ cùm omnino pacem vellet; visum est Proceribus ipsâ repugnante, bello nihil esse tentandum. Quamobrem missi sunt ad novos Consules, C. Licinium Varum, & P. Cornelium Lentulum, oratores, qui pacem ferrent, facerentque, si ager Ariminensis pristinis colonis ilicò redderetur. Verùm Consules, causati, rem tantam non esse in suâ potestate, responderunt, se facturos inducias, dum Galli, si videretur, ad Senatum, de pace acturi, Romam proficiscerentur. Conditionem accepêre Legati, & à Patribus in Urbe auditi, magnificentiùs, quàm sapientiùs, suorum causam perorârunt, jactantes se agrum precariò poscere pacatos, quem, si negetur, pio bello mox possint vindicare. Esse enim in Consulum conspectu tantum gentis bellicosissimæ robur, cui non sit futurum arduum per vim exprimere tantillum agri, quod injuriâ sit ablatum, & arma ad longè ampliorem proferre. Senatus sedatè auditos, re infectâ, cum frigido responso ad suos remisit, haud nescius, consulibus esse negotium cum multitudine tumultuosâ, à quâ nihil, aut vix quicquam sit periculi. Et verò, rem Patres, ut erat, divinabant. Domum enim reversi oratores, omnia repererunt turbatissima. Boij plerique proceres, re cum plebe compositâ, bellum execrati, cum Romanis amicitiam omnino redintegratam volebant. Auxiliares è diverso, se non ad sancienda fœdera, sed ad bellum, dicebant, esse evocatos. Proinde sibi fore probrosum, si, ne stricto quidem ferro, ad suos revertantur. Cùm Bojorum Reges haud dissimulanter irati exterorûm sententiam paci præferrent, insana plebs correptis armis utrumque obtruncat, & factâ à Transalpinis secessione, ferociter vim ostentat. Denique venitur ad manus tantâ utrinque pertinaciâ, ut non cognati & fœderati, sed efferatissimi hostes confligere, implacabili crudelitate, viderentur. Occubuere in eo certamine quamplurimi. Boij, deserti ab iratis socijs, Romanorum armis, arbitrióque patuerunt. Cùm nihilo minùs paci sanciendæ instarent, non aliter fuere auditi, quàm si non modò Ariminensis agri finibus excederent, sed partem etiam possessionis avitæ haud exiguam, facerent obnoxiam populo Romano.

Frigido responso à Senatu dimissi.

V.

An. V. C. DXXI.

Lex Flaminia de agris Boiorum dividundis.

Eorum deinceps arma quievêre per annos ferè undecim. Agebant utcunque compositi, cùm res supervênit, quæ pristinis cladibus indormientes excitavit. Agebatur annus ab Urbe conditâ vigesimus primus supra quingentesimum, qui quartus est à pace nuperâ (Polybius unum annum adijcit) M. Æmilio Lepido & M. Publicio Malleolo Consulibus. Id temporis C. Flaminius Tribunus plebis, homo turbulentus, ut sibi populi studium adversus Romanam nobilitatem adjungeret, Patribus invitis atque repugnantibus, tulit legem agrariam, quâ ablatos nuper Boijs, circumpadanisque alijs fundos, civibus Romanis viritim dividendos addixit, nihil moratus neque minas acerrimas, neque preces, neque terrorem exercitûs, quem Senatus ad legem abrogandam conscripserat, neque parentis vim, qui injectâ manu detraxit pro rostris verba pro lege facientem. Quæ res Gallos, Bojos inprimis, mirum in modum turbavit. Enimvero quid Gallico nomini in Italiâ tandem futurum sit reliquum, præter rerum fortiter gestarum memoriam, antiquis monimentorum ruderibus adhærentem; si Leges hujusmodi obtineant, quæ fortunas virtute partas, iniquitate detrahant, ut tandem vivendi subsidia fortissimæ gentis posteritati detrahantur? Quàm sit proclive futurum Romanæ ambitioni, avaritiæ, atque inveteratis odijs, novo indies Legum agrariarum invento, quicquid uspiam sit terrarum, pro libidine publicare, ac demum nationes suis motas sedibus proscribere, vel, quod est tristius, serviendi necessitati

Valer. Max. lib. 5. cap. 4.

Novas turbas excitat.

non

non secus atque mancipia subijcere, ut denique Roma totius orbis dominatum invadat? Id ne eveniat, omnibus esse viribus obsistendum: Ad Bojos haud gravatè accessuros, quotquot sint populi; qui facilè conijciant, Legis Flaminiæ iniquitatem ad communem Italicarum gentium perniciem pertinere. Ergo cum Boijs ultro conspirârunt Insubres, minimè dubitantes, se commune fortunarum discrimen adituros, si leges istiusmodi tolerentur.

Visum in commune consulentibus factu commodum, atque salutare, si non modò arma pararent, sed etiam Gæsatos conducerent. Erant Gæsati genus hominum bellis exercitum, paratúmq; commodare manus, quocunque eos spes lucri vocaret. Degebant mediâ inter alpes & Rhodanum regione, milites mercenarij, non gens aliqua (uti Orosio placuit) peculiaris, quibus tamen regio quasi nomine imperabant Concolitanus & Aneroëstus duces: Lazius imperitè vocat Boiorum Reges. Ad hos Boij & Insubres miserunt Oratores non ære duntaxat onustos, sed præmiorum etiam, & prædæ magnis pollicitationibus. Regulos repererunt quales optabant, cúmque ijs conspirantia ductorum & manipularium studia; quippe qui bellis unicè addicti, nihil ducebant vitâ militari præclarius; nihil gloriosius morte, quam quærerent per vulnera; nihil turpius ignaviâ, quam sicca mors sequeretur. Legati in concilium admissi aureum fecère fastuosæ orationis exordium; ostentantes aurum, quod jam inde à devictâ Româ Galli asservarent; quódque in opulentissimis Romanorum ærarijs passim per Italiam essent reperturi. De secundo belli successu nihil esse cur ambigerent: Quid enim occurrere possit impervium tot gentium domitoribus; tot victoribus præliorum, quos ipsa triumphorum fama reddidisset metuendos? Ad eos accessurum omne Cisalpinæ Galliæ robur: Bojos viam præituros, quâ Romam olim invaserant; eosdem (si per Gæsatos licuerit) in primâ acie & exercitûs universi fronte pugnaturos, contra gentem sæpius devictam, captam, auro redemptam; & jam totius Italiæ spolijs superbam. Ista oratio tantam Gæsatis belli Romani cupiditatem injecit, ut nunquam plures suam operam exteris addixerint. Tauriscos etiam in partes venisse reperio. Quæ res non tam occultè gerebantur, quin expeditionis longiùs extractæ fama in Urbe vulgaretur. Quapropter, motis terrore simul ac religione animis, Decemviri libros Sibyllinos jussi sunt consulere, Urbs lustrata, cæsæ hostiæ majores, curandis religionibus Pontifices occupati. Zonaras Gallum virum & Gallam fœminam, Græcum item & Græcam, vivos in foro Boario aliquando defossos meminit; ad implendam oraculi fidem, quo prædictum erat, fore ut Græci, & Galli Urbem occuparent; quasi foret satis, si ex utrâque natione gemini viventes mortuique solum Romanum contingerent. Id factúmne sit eo tempore, non est satis compertum; hoc est certius, edixisse Senatum, ne quis homini Gallo argentum aurúmve daret, eò quòd M. Æmilio Barbulâ, & M. Junio Perâ Consulibus acceperant, Bojos, aliósque Gallici nominis ad conflanda stipendia cæterúmque belli apparatum, ex commercio, præsertim mancipiorum, quantam possent pecuniam conficere. Ab his conversa Patrum populique cura ad contrahenda fœdera, & sociorum auxilia. Missi deinde Legati, qui Cisalpinis ultro pacem offerrent, alij ad Cenomanos & Venetos à Boijs dissidentes, qui eos causæ Romanæ conciliarent. Vix aliàs tanti à Romanis fuere habiti delectus, non in Urbe solùm, sed etiam passim per Italiam, apud ipsos Japyges & Messapyges. Si Fabio Scriptori vetusto, qui bello interfuit, apud Orosium & Eutropium fides est, in utriusque Consulis exercitu numerata sunt ex Romanis, Campanis, cæteráque multitudine, sociorum octingenta armatorum millia. Livius apud Florum scripsit, trecenta sociorum & Latinorum millia, non accensis Romanis. Polybius, numerum per partes accuratè recensens, ait, fuisse peditum supra septingenta millia, equitum ad mille septuagies. Addit, copias universas in sex divisas fuisse exercitus; & duos quidem mansisse penes Consules, Prætorem duxisse tertium in Hetruriam, quartum, qui erat ex Cenomanis, immissum in Bojorum fines, quintum ad tuendam Siciliam

VI. GÆSATI VOCANTUR IN AUXILIUM.

Laz. lib. 7. de migrat. Gent.

Plutarch. in Marcell.
Zonar. tom. 2. pag. 68.

VII. INGENS BELLI APUD ROMANOS APPARATUS.

Eutrop. lib. 3.
AN. V. C. DXXIIX.
Oros. l. 4. c. 13.

liam abijsse; sextum Urbis præsidio fuisse relictum. Roma nihilominus, tot septa præsidijs trepidabat, nondum oblitteratâ pristini terroris, & Gallici nominis memoriâ. Plinius extra socios Transpadanos equitum scribit octoginta millia, peditum septingenta: tantum numerum, quantus toti terrarum orbi debellando fore satis crederetur. Gallicarum copiarum numerus incertus est. Sunt, qui quinquaginta duntaxat peditum millia fuisse tradunt, Essedariorum viginti, quod vix credibile est de tot gentibus, cùm præsertim nunquam majore numero Gæsati bello auxiliari meruisse à Polybio prodantur. Hi ad Padum, superatis alpibus, se junxerunt Cisalpinis, anno ab urbe conditâ quingentesimo vigesimo octavo, C. Atilio Regulo & L. Æmilio Papo Coss. Boijs imperabat Britomarus. Hi, carmen præeunte duce, jurejurando se obstrinxêre; neminem prorsus thoracem baltheúmve nisi in Capitolio positurum; tanta erat vincendi confidentia. Priusquam patriâ excederent, danda fuit opera, ne, dum alienis imminerent, suis ipsi exuerentur. Cenomani etenim, qui factâ ab ijs secessione defecerant, cum quadraginta armatorum millibus ad vastandum Bojorum agrum erant relicti; quibus proinde arcendis haud exigua Bojorum vis domi fuit retinenda. Tandem rebus ad profectionem comparatis, Gallicæ copiæ superato, citra omnem remoram, Apennino, cœpêre omnem circà regionem populationibus cæterísque belli incommodis, fœdum in modum vastare, nemine, qui prohiberet, armis prodeunte. Prætor enim Romanus cum exercitu missus in Hetruriam, veritus sui facere periculum, vitánsque conspectum hostis, detrectabat pugnam, sive ut Æmilij Consulis auxilia expectaret, sive ut cunctando primos Gallorum impetus infringeret. Galli contrà, istam cessationem professionem metûs interpretati, crescente ferociâ, votis vocibúsque consentientibus, Romam, ductrice majorum fortunâ, eodem, quo olim, itinere, rectâ petendam esse conclamant. Ergo, refixis signis, Clusium fatale Romanis oppidum veniunt. Cùm per exploratores adferretur, Prætorem, à tergo, citato agmine provectum, haud multò pòst adfuturum, Galli pugnæ avidi, obversis mox legionibus aciem explicant, tam modico à Romanis intervallo, ut nihil nisi concurrendi signum expectarent. Verùm cùm sol in noctem præceps parem justo prælio lucem negaret, nihil eo die gestum est memorabile. Ne tamen, quod diei erat reliquum, daretur otio, Gallorum duces communi consilio decrevêre, fore tutius, hostem insidijs circumvenire. Etenim suo malo didicerant Boij, nihil inposterum cœco impetu agere; sed rerum incerta cum belli momentis ad libellam rationis exigere. Igitur, quò cautiùs hostem fallerent, adultis tenebris omnem peditatum castris eductum silenti agmine Fesulas jubent iter intendere, & posteræ lucis eventum expectare. Ne Romani Legionum abitionem sentirent, crebros in castris ignes accendunt, turmásque omnes in castrorum excubias partiuntur. Romani, quos focorum frequentia deceperat, rati, adesse universum Gallorum exercitum, nihil moverunt in abeuntes. Pòst, ubi noctis atque diei confinium solos equites prodidit Prætor ratus, peditatum inivisse fugam, sublatis repentè aquilis, omnes copias immisit in terga discedentium. Gallorum equitatus, ex condicto, cessit insequentibus, donec in Gallicas legiones incurrerent. Hîc Galli pectora objicere, stare in ordinibus; móxque proruere in instantes. Concurritur utrinque magnis animis; nec priùs desinit cædes promiscua, atróxque conflictus, quàm Romani fusi fugatíque, tumulo, quem fors receptui commodùm obtulit, occupato, speciem aliquam defensionis dederunt. Visus est Gallis locus iniquior, quàm ut peditatum, pugnâ atque labore itineris fatigatum, equitatum verò nocte pervigilatâ defessum, Romanis expugnandis è vestigio committerent. Jussêre tamen turmas, curatis corporibus, coronam obsidionalem in gyrum explicare, dum legiones respirandi spatium nactæ, paulùm conquiescerent. Eo conflictu desideravêre Romani sex millia; jámque in eo erant, ut deditionem proximè facturi crederentur; cùm Consul Æmilius laborantibus opportunè advênit. Is enim cognito, Gallos vastatis Hetruscis, citatum agmen magnis itineribus Romam trahere, Arimino

Minor apud Gallos.

An. V. C. D. XXIX.

VIII. Boii transgrediuntur Apenninum.

Romanos cædunt.

Polyb. lib. 2.

IX. Prælio elapsos obsident.

Arimino digressus, quantâ licuit celeritate, eâ ipsâ nocte, quæ pugnæ successit, non longè à colle, quem Prætor insederat, castra locavit. Obsessi ejus adventu ex collucentibus latè ignibus perspecto, noctis beneficio, quâ parte laxiùs cingebantur, ad ipsum, non secus ac benignum numen de cœlo lapsum, per densa nemorum miserunt, qui hesternam cladem & superstitum discrimen nuntiarent. Æmilius omnia in celeritate posita intelligens, capto in arenâ consilio, legiones mox jubet cœlo diluculante stare in acie, & à se signum, à ductoribus imperia expectare: Ipse verò cum equitatu movet ad obsessos, certus, altero prælio prioris diei fortunam corrigere. Galli de consularis exercitûs motu facti certiores, coacto consilio, decrevere, in præsens esse pugnâ abstinendum, & antè quàm confligatur, prædam esse in tuto collocandam. Id non fuit difficile probare militi lautis Hetruriæ spolijs opulento, cùm ad ciendam pugnam minùs esset expeditus; rara enim mixtura est pugnatoris strenui & divitis prædatoris. Ergo vasis collectis, nocte intempestâ silentes discedunt Galliam versus, secundum Hetruscum mare. Consul explorato discessu, veritus insidias, satis habuit, Prætorem eripuisse periculo, & carpere postremum hostium agmen pugnis velitaribus.

Consul Rom. obsessos liberat.

Contigit inter hæc, Atilium consulum alterum rebus in Sardiniâ compositis, reducem cum exercitu Pisas appellere. Hic rerum ab Æmilio collega & Prætore gestarum prorsus ignarus, iter cum copijs Romam intendebat, cùm Galli pabulatores ad Telamonem maris inferi promontorium ab ipsius præcursoribus intercepti, omnia ex ordine referunt, Prætorem videlicet profligatum; obsesso Æmilium in tempore venisse suppetias: Gallicum exercitûm haud abesse procul, Romanum à tergo incumbere. Fuit iste nuntius inexpectatus Atilio, & tristis quidem adversâ Prætoris fortunâ, sed lætus spe, acceptam ignominiam cum fœnore rependendi. Quid enim vetet hostem ex omni propè parte conclusum gemino exercitu sic premi, ut à fronte simul & à tergo pugnare coactus, Romanæ virtuti succumbat? Æmilius quamquam sciret Collegam Pisas contendere, nihil dum tamen de ejus adventu cognôrat, nec judicabat Atilius tutò posse nuntiari, metuens, ne, si nuntios Galli interciperent, consilia caperent elabendi. Mandat igitur confestim aciem instrui, progredi agmina militari gradu, fronte explicatâ, quantum locorum spatia paterentur. Commodùm habuit in conspectu viæ munimenta, quà Gallis erat procedendum. Ea ratus sibi magno emolumento fore, si prior clivi eminentiam occuparet, illuc properè immittit equitatum. Galli nescij Atilianos adesse, credentes Æmilium aliquid equitatûs ad intercludendum iter, noctu in tumulum viæ impositum circumegisse, ipsi quoque, quod suadebat necessitas, mixtas equiti legiones jubent invehi in obstantes. Verùm ubi intellexêre ex captivis, Atilium adesse cum exercitu, cúmque duplici acie sibi simul esse confligendum, copias divisêre bifariam, quæ eodem tempore cum utroque consule manus consererent. Æmilio obversi Gæsati & Insubres; Atilio Boij & Taurisci; carpenta cum impedimentis locata extra aciem, præda in colle propinquo. Gæsati, quibus mos erat vestium involucra, ne lacertos implicarent, ante pugnam abijcere, solis protecti scutis, cæterà nudi (si torques & armillas aureas excipias) exultabant ante principia, vultu truces, viribus & corporum magnitudine visendi. Boij & Insubres sagis tegebantur. Cœpta ab utroque equitatu pugna ingentibus animis. Victoriam Gallis propè in manus dedit Atilij præfervidus ardor pugnandi, & quod crebrò rei summæ obfuit, omissis imperatoris munijs, militis officium temere occupasse. Dum enim pugnat fortiter, in confertâ turbâ occubuit. Cæsi caput à cervice revulsum allatum Gallis regulis, quæ res eorum animos vehementer accendit, nec tamen remisit ardorem Romanorum. Hi enim occisi consulis dolore æstuantes, in Gallos multò quàm antè acriùs connixi, utramque illorum alam loco moverunt. Exinde inter acies, quæ in æquâ campi planitie constiterant, gravis coorta dimicatio. Galli inter geminum Romanorum agmen velut indagine conclusi, intérque terribiles buccinarum hominúmque ululatus immani truculentiâ Romanos incessebant. Æmilius

Atilius Consul Æmilio accedit.

X.

Committitur prælium.

Atilius cadit.

XI.

Gæsati a sagittariis vincuntur.

lius studio Gæsatis sagittarios commisit, utpote nudis, expositisque missilium continenti jaculationi, quæ proceris infixa corporibus, nullam propè fallebant destinationem. In scutis nihil ipsis admodum erat præsidij ad ictus reprimendos; nihilo plus erat in hastilibus prælongo ferro armatis, quibus eminus hostem ferire non poterant. Itaque permulti figi spiculis, haud pauci confodi, alij sterni, & vulneribus amentes rugire, tum eorum acies fluctuare, multi salutis desperatione in hostes confertissimos ruere velut destinatæ morti victimæ; cæteri demum corporibus fracti atque animis, fugam capessere, sociorúmque retrò aciem confundere. Insubres interea, Boij, ac Taurisci, retusis Romanorum sagittarijs, adversus legiones acerrimè dimicabant, nihilo quàm Romani virtute, sed solo armorum genere inferiores. Gallorum enim scuta ferè erant ex arborum cortice, gladij grandes sine mucronibus, ad inferenda cæsim duntaxat vulnera, facilè evitabiles, suóque pondere perincommodi. Romanis contrà ensis brevior acutâ cuspide, nullo propè labore tractabilis, aptúsque infligere plagas crebras & angustas quidem, sed sæpe lethales: Scuta ex tabulis nervo ferróque munita, quibus commodè tegeretur corpus, & tela exciperentur. Stationem nihilominus utrique suam tuebantur, quousque Romanæ turmæ, posteaquam collem occupaverant, è superiore loco in hostium latus invectæ, turbaverunt legiones.

Boii superantur.

Hîc jam non cædes, sed immanis strages, Gallis in vestigio (tantum morituris erat animi) hærentibus. Equitatus magnam partem fugâ sibi consuluit. Eorum cecidêre ad quadraginta millia, capti non pauciores decem millibus. In his Regulorum alter Concolitanus: alter enim Aneroëstus evasit Romanorum manus, suas non evasit. Etenim dedecoris impatientiâ sibi ipse, ac familiaribus crudeliter vitam abrupit. Victor Æmilius legit spolia, Romámque misit: prædam hosti ereptam, insigni moderationis documento, prioribus dominis permisit: militi in rei præclarè gestæ præmium objecit opes Boicas, quas devictâ gente

Prædæ objiciuntur.

esset reportaturus. Igitur quò faceret voti mercedisque compotes, absque cunctatione per Liguriam Bojorum fines ingressus, tantas egit prædas, quantæ militis avaritiæ sufficerent. Non multos exinde dies moratus, Romam reversus, Gallica signa cum torquibus & armillis aureis in Capitolio dedicavit. Captivos præ se egit in triumpho, & armatos quidem duces, ad acerbiorem populi irrisum, exprobrantis religionem, quâ se in Capitolio, non alibi, thoracem posituros, obstrinxerant, quâ ut solverentur, jussi sunt arma in Capitolio ponere. Atque is quidem fuit nominatissimæ expeditionis exitus, unde patuit, non tam barbariem & vasta corpora, quàm mentem prudentiâ validam, in hoste esse metuendam.

XII.
An. V. C. D. XXIX.

Mirum quantum ex isto successu creverint Romanis spiritus. Etenim Senatus populúsque Romanus erecti in spem Galliæ Circumpadanæ debellandæ, anno sequenti, qui ab Urbe conditâ quingentesimus vigesimus nonus fuit, utrumque Consulem Q. Fulvium Flaccum & Tit. Manlium Torquatum cum maximis instructissimisque copijs in Bojorum fines voluêre proficisci, verùm experti Consules, Boijs ex postremâ clade viros adhuc viresque superesse, quibuscum pro aris focisque decertarent, nihil in præsens armis tentandum rati, à Gallis haud ægrè impetrârunt, ut in fidem ac ditionem Senatûs Populique Romani concederent. Reliquus annus imbribus ac subeunte pestilentiâ fœdus inter domesticorum mortes absumptus est, cætera expers rerum memorabilium, nisi Orosius juxtáque Zonaras sint Polybio fideliores, cùm referunt, Romanos Eridano superato invasisse Insubres, agrósque vastasse. Sed ea crediderim potiùs spectare ad annum proximum, quo P. Furius & C. Flaminius Nepos Coss. renunciati sunt, is, inquam, Flaminius, qui Boicæ gentis odio, lege agrariâ agrum Boicum cæterúmque Circumpadanum plebi Romanæ censuerat esse transscribendum.

Recipiuntur in Romanorum ditionem.

Oros. l. 4. c. 13. Zonar. to. 2. pag. 68.

XIII.
An. V. C. D. XXX.

Bellum in Boiis recrudescit.

Isto anno Consulum utrique Gallia Senatûs decreto provincia obtigit, hoc ipso Flaminio gratior, quòd inexpiabili odio Circumpadanæ gentis excidium avidissimè sitiebat. Bellum ab eo gestum prosperiùs, quàm religiosiùs: ne enim gere-

gereretur, vetabant augures & prodigia Urbi formidata. In Piceno fluvius interlabens sanguine rubuit: in Hetruriâ cœlum ardere visum: Arimini, adultâ nocte, clara lux effulsit: tres Lunæ diversis cœli regionibus simul visæ oriri: tum quoque, ne aliæ nationes terrore vacarent, Caria & Rhodus insulæ, tanto terræ motu concussæ, ut procumbentibus passim ædificijs, colossus etiam Rhodius collaberetur. Quare Consules vitio creatos videri, obnuntiabant aruspices, & pugnaturis conjectores dira ominabantur. Jam cùm atroces cœlitum iræ passim jactarentur, in castris erat Flaminius, coquebátque veteres in Gallos iras. Præcipuam belli molem subierunt Insubres Arionisto imperatore. Bello accessisse Bojos Gargeni, alijs Gargani Regis auspicijs, Silius ostendit historico quàm poëtæ similior, quando cassidem cæso Gargeno detractam à Flaminio cecinit: *Polyb. lib. 2. Oros. lib. 4. cap. 13.* *Sil. lib. 5.*

Nobile Gargeni spolium, quod rege superbus
Bojorum cæso, capiti illacerabile victor
Aptârat, pugnásque decus portabat in omnes.

Conspirat apud eundem Flaminij oratio:

Siccine nos, inquit, Bojorum in bella ruentes
Spectastis, cùm tanta lues vulgúsque tremendum
Ingrueret, rupésque iterum Tarpeia paveret?

Belli initia Romanis adversa fuere: bis enim victi fœdus pepigerunt cum Insubribus, sed non servârunt diutiùs, quàm ferro rescindi posse Reipub. commodo putaverunt. Vix enim paulum temporis intercesserat, cùm insuper habitâ pactæ fidei & jurisjurandi religione, infesti rediêre ad arma, castrísque loco, qui Insubribus erat iniquior, locatis, Martem denuo tentandum censuerunt. Jam propè erat, ut confligerent, cùm à Senatu litteræ Flaminio redduntur, quibus ipse jubebatur, omisso bello, unà cum Collegâ redire in urbem: Verùm quæ erat libido pugnandi, non antè litteras aperuit, quàm pugnando, Dijs contemptis, hostem superasset. Sapuit quidem spretâ inanium Deorum superstitione, sed desipuit violato fœdere, quod humana ratio omniúmque gentium voces & Deus fœderum arbiter inviolabile esse voluerunt. Ne tamen omnino malè de Dijs videretur sentire, Jovi ex Gallicis monilibus trophæum erexit, ut eum Marti præferendum esse ostenderet, cui ante prælium Galli torquem unum, si forent victores, spoponderant. Cæsorum numerus non venit in historiæ calculum. Id constat, Gallos Marti fortunæque iratos, à Senatu populóque Romano, per Legatos orasse pacem quibuscunque legibus, non exorasse tamen, quòd sequentis anni Consules M. Claudius Marcellus & Cn. Cornelius Scipio eos sibi sumpsissent debellandos, ne otiosus consulatus materiam triumphi ambitiosis hominibus subtraheret, tametsi de gente supplici & cladibus afflictâ, ignobiliter quæreretur. Quare Insubres hoc quidem tempore numero Romanis impares, ne imparati opprimerentur, Gæsatos novo errore conduxerunt. Ex ijs, Vidomaro duce, transmissis alpibus triginta millia venêre auxilio, futuri rursus Romanæ fortunæ ludibrio. Victi enim profligatíque Regem Marcelli ferro in pugnâ obtruncatum amiserunt, quod loquitur vetus lapidis Capitolini monimentum his incisum litteris:

ROMANI BIS VICTI. FOEDUS INEUNT CUM INSUBRIBUS, ET PAULO POST RUMPUNT.

XIV. PRÆLIO INSUBRES VINCUNT.

AN. V. C. D.XXXI. VICTIS PACEM NEGANT.

GÆSATOS PROFLIGANT.

DE GALLEIS. INSUBRIBUS. ET GERMA.

Quæ inscriptio non obscurè significat, Germanicum nomen, Celticum, & Gallorum promiscuè ad totam nationem pertinuisse. Vidomarum verò Gæsatis imperasse, occisúmque venisse in partem cladis, venustè ludit Sext. Propertius:

Claudius at Rheno trajectos arcuit hostes,
Belgica cùm vasti parma relata Ducis
Vidomari, genus hic Rheno jactabat ab ipso
Nobilis erectis fundere gesa rotis
Illi Virgatis jaculantis ab agmine brachis
Torquis ab incisâ decidit unca gulâ

Propertius lib. 4. Eleg. 11. intellige Marcellus. Passeratius ex vetusto Cod. pro Rheno Brennum legit.

 Nunc

Nunc spolia in templo tria condita: caussa Feretri
Omine quod certo, dux ferit ense ducem.
Seu quia vecta suis humeris hac arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iovis.

Belli eventus fuit quem Romani optaverant. Sub jugum missa Insubria, subactum Mediolanum gentis universæ caput: Boij quoque redacti in ordinem. Victis nihilominus concessa pax, quæ potuisset tolerari, si Boijs otium magis, quàm odium Romani nominis spésque novæ placuissent. Ut arma rursus caperent, fecêre Romani, & Annibalis in Italiam adventus.

XV. Nam vix lapsum erat totum ab acceptâ pace quadriennium, cùm novæ irarum causæ Bojos ad vindictam excitârunt. Romani duas colonias decreverant, quibus adscripta duodecim colonorum millia, omnes è Latinis. Triumviri ijs deducendis lecti C. Lutatius, C. Servilius, T. Annius: ager attributus, qui nuper Boijs ereptus fuerat.

NOVI IN BOIIS MOTUS EX CREMONENSI ET PLACENTINA COLONIIS. AN. V. C. D. XXXV.

Coloniarum alteri data Cremona trans Padum, alteri Placentia Pado citerior: consilium erat, ex utrâque Bojos in officio continere. Id verò isti perpetuæ servitutis compedes jugúmque, quod nunquam excuterent, interpretati, haud paulò ægriùs, quàm antè legem Agrariam accepêre. Ecquis enimvero futurus sit Romanæ ambitioni modus, quis injuriarum finis? Alias ex alijs sobolescere, nec desituras unquam, nisi cum excidio Boicæ libertatis. Strui nova in geminis urbibus ergastula, aptari sine numero lora & catenas, imponi totidem Eretarchos remigum præfectos dominis crudeliores, quot mittantur Latini, per quos omnia mancipiorum obsequia ab ingenuis corporibus exigantur. Non sufficere dominantibus, accepisse Bojos in amicitiam, nisi etiam accipiant vinciendos pro arbitrio, ad contumeliam. Id infamiæ, si Boij gentésque Celtici nominis universæ sibi velut stigmaticis inuri patiantur, non habituras deinceps, cur ausint pristinæ nobilitatis vel cogitando meminisse. Ita bellum suadebatur majore invidiâ quàm viribus. Jam arma spirantibus stimulos admovit fama Annibalis in Italiam cum infesto Pœnorum exercitu properantis. Magnum viro nomen conciliârat capta excisáque Saguntus, & tactis aris juratum ab ipsâ pueritiâ immortale in Romanos odium, contra quos trahebat secum Africæ vires, nec dubitabatur crescentis Romani imperij fortunam, si non eversurus, at saltem vehementer inclinaturus ad ruinam; si præsertim Italicarum factionum accessione firmaretur. Quare Boij, Insubres, Romanæ magnitudini suâ sponte infensos sibi adjungunt, atque ope communi non bellum modò in Italiâ, sed foris etiam Urbi conflare invidiam, aggrediuntur.

FAMA ANNIBALIS IN ITALIAM VENTURI.

XVI. Eo consilio missi ab illis ad Transalpinos, qui Gallorum studia odiosissimis quiritationibus abs Romanis averterent, nec vererentur addere criminationes supra verum rebúsque ipsis acerbiores, quibus niterentur persuadere, insidias à Romanis strui universæ Galliæ libertati. Id tanto procliviùs à suspiciosâ gente creditum, quòd similia Pœni aliæque passim gentes quererentur. Quibus indignationis facibus Galli mirum in modum irritati, Romanorum oratores sannis excepêre per singulas propè civitates, cùm populos Romano nomini conciliare niterentur, vel hoc impetrare saltem, ne Annibali propediem venturo liberum in Italiam aditum aperirent. Ista cùm Legati dissererent, una ferè erat vox Gallorum, sciscitantium, majoráne extarent Romanæ Urbis in Gallos maleficia, an merita? Bellè utique opem amicitiámque ab ijs flagitari, qui perpetuis ferme injurijs lacessiti causas potiùs ulciscendi haberent, quàm certandi pro securitate gentis, quæ id semper egerit, ut Galliam non salvam, sed eversam se velle, rebus ipsis sit professa. Gallos non eò usque posuisse omnem sensum humanitatis, ut non moveantur consanguineorum calamitatibus, non intelligant, quibus armis, quibus exilijs, quâ legum iniquitate indies opprimantur. Ea fuere responsa, quæ Legati suæ spei irriti Romam retulerunt. Ne ilicò res in bellum erumperet, intercedebat discrimen obsidum, quos in nuperâ fœderis pactione à Boijs Romani acceperant, haud dubiè

ROMANORŪ APUD TRANSALPINOS ODIUM.

biè de capite periclitaturos; si fide violatâ, pactam amicitiam Galli rescinderent. Verùm & iste cuicuimodi pacis nexus insuper à Boijs habitus, sperantibus, se è Romanis propediem tot tantósque tracturos in vincula, qui obsides securos suo capite præstarent. Spei respondit eventus. XVII. Nam cùm ex improviso armati in agrum Placentinum magnâ vi irrupissent, Romani Triumviri Placentiæ mœnibus diffisi, Mutinam anxij refugerunt, rati, hostem oppidi firmitate ab obsidione deterrendum. Verùm contrà accidit. Boij etenim Mutinam confestim coronâ cinxerê, & cùm in longum oppugnatio traheretur, agi cœptum de conditionibus solvendæ obsidionis, Boijs simulantibus voluntatem rei componendæ serióque de pace tractandi. Id cùm Triumviros pellexisset ad colloquium, nec quicquam doli metuerent, tracti sunt in custodiam.

TRIUMVIRI ROMANI DOLO CAPIUNTUR MUTINÆ

L. MANLIUS à BOIIS CLADEM ACCIPIT.

Hoc cùm L. Manlius Prætor rescisset, ferrétque ægerrimè, fidem publicam violari, iræ impotens vindictam sumere instituit. Quare justo confidentior, non satis exploratis itineribus, agmen rapiens ad ultionem, Bojorum insidijs bis inter sylvarum densa circumventus, bis cæsus, permultis suorum desideratis ægrè è saltu evasit in apertum. Posteriore conflictu occubuêre octingenti, sex exuti vexillis. Dehinc per camporum plana elapsum fuga Tanetum vicum Pado adsitum detulit, ubi certus tolerare obsidionem, se suósque opere tumultuario circumsepsit.

TANETI OBSIDETUR.

Cùm Brixianorum auxilio, & facili ex fluminis propinquitate commeatu sese acriter tueretur, jámque tumultus Gallici, rei apud Mutinam malè gestæ, Prætoris fugati obsessique nuntius Romam esset perlatus, Patres veriti, ne Manlius obsidionis diuturnitate tandem ad deditionem cogeretur, Cajo Atilio dedêre negotium, ut cum unâ legione Romanâ, & quinque sociorum millibus, quos subitario delectu conscripserant, auxilium obsesso festinaret. Is Tanetum quidem à nemine prohibitus pervenit, sed exiguo operæ pretio: nam Boij moram pertæsi Taneto abscesserant, non expectato ipsius adventu.

à C. ATILIO LIBERATUR.

BELLUM PUNICUM. XIIX.

His successit bellum Punicum, cui magnam operam Boij navaverunt. Nam cùm Annibal trajecto Rhodano, consilij ambiguus, haud satis explicaret, præstaretne rectà in Italiam tendere, an cum Scipione, cujus castra habebat in conspectu, Martem experiri, in tempore adfuere Bojorum Legati unà cum Matalo regulo (Polybio Magilus dicitur) qui se viæ ductores Gallorúmque Circumpadanorum societatem offerentes, authores fuere, omisso in præsens Scipione, quando vires Punici exercitûs recentes essent atque integræ, Italiam aggrederetur, ubi validissima à Boijs auxilia, commeatus abundè & campos omni frugum fructuúmque genere uberrimos esset habiturus.

AN. V. C. D. XXXVI.

ANNIBALIS COPIÆ.

Numerum militum, quem ex Hispaniâ duxit, incertum faciunt diversi Scriptorum calculi. Polybius, quo nemo fidelior, affirmat fuisse ex Africanis peditum millia duodecim, ex Hispanis octo millia: equitum non ultra sex millia: cui numero fidem adstruit columna Lacinij erecta ab Annibale, cujus inscriptione exercitûs sui vires est complexus. Haud dubium, quin ex Boijs alijsque Gallorum valida manus accesserit. Ut ut sit, persuasêre Legati profectionem. Annibal superatis alpibus, magno hominum ac jumentorum labore, nec minore damno, decimo quinto die prima castra ad montium radices in Taurinis habuit, ijsque expugnatis, movit in Insubres.

INGRESSUS IN ITALIAM.

PUGNA AD TICINUM ROMANIS ADVERSA.

ALTERA ÆQUE IMPROSPERA AD TREBIAM.

Medio Ticinum inter & Padum intervallo, P. Cornelij Scipionis, qui à Rhodano properè in Italiam pervaserat, & Pœnorum exercitus venêre ad manus. Victoria stetit penes Annibalem; laus potissima acerrimi certaminis data Bojorum auxilijs. Eo prælio Chrixus Bojorum Dux fortissimè pugnans Scipionis hastâ confossus est: Scipio saucius ex acie discessit: Annibal trajecto Pado, Romanos usque & usque cedentes insecutus, ad Trebiam fluvium alterâ pugnâ superavit. Scipio istis cladibus nonnihil perculsus, aliam belli rationem inijt usus cunctatione, quâ fortunam ac militum animos putavit esse erigendos, Gallorum verò impetum refringendum. Quare transmisso ultra Trebiam exercitu, castra firmat loco peropportuno, certus vitare pugnam, nisi quam necessitas certáve victoriæ ratio exprimeret. Verùm Sempronius Longus, quem cum novis co-

pijs Româ Collegam acceperat, ignei vir ingenij, credebat primo quoque tempore prælio esse decernendum : ita gemini Duces castris juncti dissidebant animis.

XIX. Ea consiliorum dissensio Annibali rursus victoriam dedit in manum. Etenim gnarus collectam superioribus certaminibus gloriam famámque novis factis ali oportere, nec meliùs se Gallorum ardore usurum, quàm dum fervérent, in omnem pugnandi occasionem intentus, cognovit per exploratores, tale esse Sempronij ingenium, ut levi negotio possit trahi ad pugnam. Rem hac arte aggressus est : Primò omnium Romana castra commeatu prohibita ad tantam penuriam redegit, ut fames non patientiam modò Romanam, sed militum quoque vires frangeret : deinde collocatis insidijs aciem instruxit, prodiitque in Sempronij conspectum. Hic & legionum voto pugnam fami præferentium & suo raptus animo, contrà quàm visum Scipioni, in arenam signis explicatis descendit. Cùm fortiter inveheretur in Pœnos, incidit in dispositas insidias, tandémque à fronte & à latere oppressus victoriam hosti reliquit, non tamen incruentam. Decem Gallorum millia mediâ in acie à Romanis obtriti : multi prætetea è Carthaginensibus cecidêre. Quapropter Annibal, ut Legiones compleret, hiberna cepit in Circumpadanorum finibus, hospes (ut solet) ingratus, quòd Gallis esset permolestum, præter omnem spem, belli sedem domi suæ maximo cum incommodo habere. Hinc in Carthaginenses deinceps remissius studium, pòst simultates, & odium, tandémque paratæ capiti Annibalis insidiæ, quas ipse mutatâ itentidem habitûs orísque formâ, ingeniosè vitavit, donec hibernis excedens quiritantium iras mitigavit.

In castris Romanis fames.

Romani tertium victi.

Sequens annus Cn. Servilium & C. Flaminium consules dedit, quorum hic domi forísque turbulentus, & fatali in Gallos odio nominatus. Hoc anno Annibal partis de Romano victorijs, quod demum vincere est, bene usurus, vere nondum aperto, per iniquissima paludibus itinera, cum incredibili copiarum fastidio, quatriduum diu noctúque cum cœno lacunísque luctatus, amisso insigni jumentorum numero, & oculorum altero ob palustris aëris gravitatem, luscus ad firmius solum evasit. Dici vix potest, Boij & Gallorum cæteri quantas perpessi sint isto trajectu calamitates atque ludibria. Nam viarum pressi angustijs, ne qui dilaberentur, paterétve ullum à signis abiturientibus effugium, quod apud gentem libertatis retinentissimam omnem indignitatem superabat, medij inter Numidarum turmas, Annibale inspectante, qui elephanto sublimis ponè sequebatur, captivorum, veriùs belluarum more agebantur, eâ desperatione, ut non pauci tum demum experti, se in Afrorum incidisse fraudes, ignominiæ fatigationísque impatientes, cœno semet immergerent, & vitam simul dolorémque obvio lacunarum sepulchro obruerent.

An. V. C. D.XXXVII.

Iter Annibalis per paludes.

XX.

Gallorum impatientia.

Annibal tandem eluctatus, summè defesso militi ad inducendam malorum oblivionem, Hetrutiæ spolia & rebus omnibus affluentis soli delicias objecit. Id consilium duo spectabat potissimùm : alterum, ut Gallorum animos componeret: alterum, ut refectis exercitûs universi viribus, Flaminium pugnandi avidum fortiùs exciperet. Ejus mores (quod sapientis Ducis est) Annibal probè arbitratus, bellum statuit attemperare homini irarum perinde atque arrogantiæ prorsus impotenti, haud dubius, in eo verti momenta victoriæ, si ex adversarij genio vincendi artes depromantur, & ab hostium erroribus capiantur sana consilia. Quæ res Afri vafritiem non fefellit. Flaminius etenim Hetruscorum, quos Romani in fidem receperant, calamitate provocatus, tametsi ostenta & augures viríque sapientiores alia omnia suadebant, fidentiæ immodicus, neglectis monitoribus, obstinat hosti ire obviam. Repetita hoc anno Romæ feralis religio, quâ Græcus & Græca, Gallus & Galla vivi publicè tumulati. Pœnus per exploratores edoctus, Flaminium irâ, & devictorum Insubrum memoriâ tumidum, esse in procinctu, simul arte Punicâ, simul virtute sibi putavit esse pugnandum. Quò foret ab utroque latere tutior, caperétque loca tegendis insidijs opportuniora, castra movit inter lacum Thrasymenum & montes Cortonenses.

Flaminii ardens ingenium.

XXI.

Gallus et Galla vivi Romæ tumulati.

Tum

Tum cognito, haud longè abesse Flaminium, inter montium abdita copiarum partem locat extra Romanorum conspectum, jubétque fixo pede signum prodeundi expectare: tum patentiore loco explicatâ acie se hosti præbet adversum. Flaminius insidiarum ignarus, eò usque se in subjectam monti planitiem induit, dum Carthaginenses & Gallos haberet à fronte & à tergo, à lateribus autem montem & Thrasymenum. Jam instar belluæ inter plagas clausæ tenebatur, cùm Annibal signum dat incurrendi. E diverso apud Romanos, ut in re prorsus incogitatâ, raptim fieri omnia, turbari acies, miles animo fluctuare, qui tamen ductorum virtute erectus, tantâ fortitudine Pœnos excepit, ut per tres omnino horas Mars esset communis, nec discrimen fortuna faceret, quâ parte datura vires esset. Cùm anceps pugna in serum diei extraheretur, &, quod dictu mirum est, terra, flumina, maria, tota adeò Italia, motu tremeret, nemo tamen erat pugnantium, qui tremorem notaret. Pòst ubi pertinacissimè dimicatum, victoriam ad se rapuit Bojorum virtus manu Ducarij, quem disertè Bojum nuncupat Silius: ROMANI AD THRASYMENUM QUARTO SUPERANTUR.

Advolat ora ferus mentémque Ducarius, atri
Nomen erat gentile viro, fusisque catervis
Bojorum quondam patrys, antiqua ferebat
Vulnera barbaricæ mentis.

Livius Insubrem quidem eum scripsit, fortè eâ causâ, quòd cum Insubribus aliquando militasset, atque eâ pugnâ, quâ victi Insubres, honesta vulnera retulisset. Nec abludit à vero, quòd ex eo tempore Flaminium nosse incepisset, notúmque cùm inter agmina esset conspicatus, fortiter dimicantem neci destinasset. Certè Flaminium à Ducario confossum Livius author est, tametsi Silius incertis telis transfixum scripsit. Ducarium spoliare instantem Consulis truncum cadaver (confecto enim victor caput avulserat) triarij amovêre. Quindecim Romanorum millia in acie occubuerunt. Veriùs non potuit nec breviùs Prætor Romanus cladis magnitudinem exprimere, quàm cùm ad Senatum scripsit: *Pugnâ magnâ victi sumus.*

Secuta est atrocissima Romanorum clades ad Cannas, quam Livius pluscululum elevat, Polybius cæterique cum fide describunt. Ad eam multùm contulerunt centuriata Romani populi comitia, quæ L. Æmilium Paulum & C. Terentium Varronem dedêre Consules, & hunc quidem haud paulò deteriorem Flaminio & Sempronio. An Boij prælio interfuerint, dubium facit, quòd Livius asserat, à capite ad umbilicum nudos pugnasse Gallos, addátque Polybius, pugnasse more gentis. Ex adverso in obscuro non est, per idem tempus Lucium Posthumium Prætorem, cùm in Galliam Cisalpinam missus esset, uti Gallos à castris Annibalis retraheret, editis in eorum finibus tristissimis vastitatis exemplis, id egisse potissimùm, ut patriæ charitate Boij domum revocarentur. Unde factum, quod anno sequente memorabitur, ut Posthumius cum toto exercitu à Boijs deleretur. Cæterùm Cannensi pugnâ cæsa sunt Romanorum quadraginta millia, quorum sanguine Aufidus totus rubuit, volvítque tantum cadaverum, ut congestus eorum velut agger, pontem transituris præberet. Non priùs desitum est fundere Romanum sanguinem, quàm Annibal, ejus licèt sitientissimus, jussit ferro cædéque temperari, imperio, quo ferus homo nullum unquam dedit humanius: *Parce ferro.* Quòd si eâ victoriâ scivisset uti, tantum Romæ terrorem intulerat, ut dubium vix fuerit, quin urbe potiturus ultimam Romanæ rei perniciem attulisset. Annuli, qui cæsis fuere detracti, tres modios impleverunt. Ii Carthagine in Senatûs oculis effusi victoriæ magnitudinem ostentârunt. AN. V. C. D. XXXIIX. XXII. ROMANI QUINTUM VICTI AD CANNAS. *Plin. l. 33. c. 1.*

XXIII. AN. V. C. D.XXXIX.

Non multum ab eo temporis abierat, cùm Lucius Posthumius Albinus designatus Consul, quem in Cisalpinos missum fuisse diximus, Bojorum insidijs oppressus cum suis legionibus perijt. Nemus erat densum opacúmque proceris arboribus, per quod Posthumio traducendus erat exercitus, Litanum eâ sylva Gallis nuncupabatur. Boij ejusce profectionis facti certiores, arbores, quà futu- POSTHUMIO CLADES A BOIIS ILLATA. *Polyb. lib. 3.*

tus

Liv. l. 23. an. te med. Frontin. lib. 1. c. 6. IN SYLVA LITANA.

rus erat transitus, ab imo sic inciderunt, ut tota tamen sylva staret quidem, sed pulsa leviter, haud levi impetu procumberet. Ejusce saltûs oras Boij frequentes insederant. Mox ubi Romani hostium securi se in sylvam infuderant, Boij ejus marginem dejectis arboribus impulerunt in casum, quæ proximas, & deinceps aliæ alias solo afflixerunt. Sic propagata toto nemore strages deprehensos in medio hostes equites, pedites, armatos, inermes, ipsáque jumenta truncis arborum & denso ramorum implexu elisit. Galli obrutos intricatósque circumfusi, aliósque, qui è sylvâ conabantur eluctari, sic accepêre, ut decem non amplius evaserint, qui cladis nuntium Romam perferrent. Pauci alij, qui fugâ ad pontem quempiam evaserant, à dispositâ statione interclusi, venerunt in hostium manus. Posthumij caput præcisum: calua auro cælata in pateræ vicem, sacrificijs, ut eâ libaretur, devota. Strata humi spolia per otium collecta, victoribus aurum, vestes, arma, ingenti copiâ suppeditaverunt. Meminit Livius, nuntiatâ istius exercitûs internecione, Romam Cannensi clade jam tristem, tantum mœroris simul & pavoris concepisse, ut occlusis tabernis, per urbem mera esset solitudo, dandúmque fuerit Ædilibus, Senatûs decreto, negotium, qui vicos obirent, juberent recludi officinas, & publicæ mœstitiæ speciem, (neque enim animi mœrorem poterant) quoad liceret, tegerent, si non abstergerent. Sempronius Consul ut Patres plebémque solaretur, id duntaxat habuit, quod diceret, passis graviora Deos his quoque finem daturos. Senatus quamvis implacabiles in Bojos iras coqueret, ire tamen ultum in præsens non est ausus, quòd affatim haberet ab Annibale periculi, cui depellendo vix erant pares Romanæ vires. Ergo vindictam, quam rerum temporisque ratio non ferebat, censuit esse differendam. Ejusce facultatem dedit infelix deinceps fortuna Annibalis, quem Campaniæ hiberna per luxum immanémque lasciviam sic corrupêre, ut non tam armis, quàm vitijs devictus, collectam ex tot victorijs gloriam inglorio fine delêrit.

INGENS URBIS ROM. LUCTUS.

ANNIBALIS LUXUS ET FINIS INGLORIUS.

·XXIV· AN. V. C. D. XLVII. ASDRUBALS IN ITALIAM ADVENTUS.

Non descivêre tamen Boij à Carthaginensibus, sed quoad licuit, sociati non in Italiâ modò, sed in Africâ etiam Romanos oppugnârunt. Cùm enim anno belli Punici duodecimo, Asdrubal frater Annibalis novas ex Hispaniâ copias, in Italiam, transcensis Alpibus, adduxisset, ubi primùm Gallorum fines attigit, nihil prius habuit, quàm ut eos sibi liberalibus stipendijs devinciret. Habuit etenim in Boiorum sociorúmque agris magnos delectus, Gallis lætantibus, quòd bellum Romanis ultro alioqui facturi, ære peregrino, grandibus præmijs, ad exercendas inimicitias auctorarentur. Id contigit M. Livio Salinatore II. & C. Claudio Nerone Coss. Ingens Romanos ex valido apparatu metus incessit, nondum expertos elumbes inposterum Annibalis conatus, & magnopere veritos, ne tantâ Africanorum & Gallicorum armorum mole, tandem res Romana, quæ ne uni quidem istorum hostium sufficeret, à tribus simul obrueretur. Asdrubal, ut Bojos novo sibi beneficio devinciret, in eorum gratiam, Placentiam, quæ continuò Gallorum consilia frenabat, obsedit quidem, sed oppugnatione irritâ: quòd binæ Legiones Româ in Galliam à Prætoribus adductæ, istam coloniam aliásque magnis animis tuerentur. Ex istis castris Asdrubal quatuor Gallos equites, cúmque ijs binos Numidas ad fratrem misit cum litteris, quibus fieret de ipsius adventu consiliisque certior: quæ res Asdrubalem (tantum in re non magnâ momenti est) perdidit, & vehementer Annibalis fortunam afflixit. Cùm enim equites elusis ubique excubijs, peragratâ magnam partem Italiâ, in pabulatorum manus incidissent, Romam tracti, tormentorum metu, Asdrubalis consilia evulgârunt: quibus cognitis, minùs fuit operosum occurrere. Cùm enim Senatus conijceret, Annibalem absente fratre nihil moturum, Gallia utrique Consulum provincia decreta est cum exercitu consulari, quo Asdrubalem à Placentinâ obsidione digressum ad Senas consecuti, prælio memorabili superârunt, Romámque in spem fortunæ melioris erexerunt, cum ingenti rei Boicæ detrimento. Ex eo enim tempore (quod Annibal solebat fateri) Punica felicitas ad Romanos cœpit deficere, séque aperire modus respirandi à pristinis cladibus, simul bellum in Bo-

DELECTUS E GALLIS.

ASDRUBAL PLACENTIAM FRUSTRA OBSIDET.

PROFLIGATUR AD SENAS, ET OCCIDITUR.

in Bojos omnésque Cisalpinos Gallici nominis, instaurandi. Pugnâ Senensi Asdrubal interfectus est: interfecti caput à trunco amputatum, missum Annibali, nuntij per ludibrium projecêre ante excubias, mœstum fratri spectaculum, quem licèt Capuanæ voluptates effœminârant, mente tamen supra fœmineum modum futuri præsagâ, tum magnas patriæ imminere calamitates prædixit, tum de se cœpit sentire humiliùs, rémque gerere meticulosè. Galli, qui Senensi cladi fuere superstites, agmine incomposito se in patriam receperunt, non desiverunt tamen exercere hostilitates, Placentinis & Cremonensibus, propter quos nuper arma induerant, continenter infesti prædis agendis & agro devastando, qui demum ad eam venerat solitudinem, ut incultus desertúsque passim sine colono jaceret. Cùm paulatim utraque colonia ne mœnibus quidem satis tuta sibi videretur, Romam ivêre Legati conquestum, petitúmque auxilia, quibus se fortunásque suas adversus Bojos defenderent. Quamobrem Patrum jussu, Lucio Veturio Philone & Q. Cæcilio Metello Coss. Manlius Thurinus Prætor, Gallorum ad Pœnos defectionem & coloniarum injurias sibi sumpsit castigandas. Res tamen stetit inter excursiones & mutuam agrorum devastationem, nullo præterea operæ pretio, quod relatum sit in Annales.

XXV.

Galli se domum recipiunt. Infestant Romanas Colonias

An. V. C. D. XLIIX.

Retunduntur à Prætore Romano.

Annus posterus, qui P. Scipionem & P. Licinium Crassum Consules sortitus est, celebris fuit Magonis ex Africâ in Italiam adventu. Is frater erat Annibalis & Asdrubalis, domestico in Romanos odio imbutus. In ejus copijs fuere duodecim peditum, equitum duo millia, ad quos tanto numero confluxere Galli, ut rursus tali hoste Romana res periclitari crederetur. Impetrari tamen à Boijs nequijt, suis ut auspicijs auxilia jungerent, sed facta est potestas, ut, quotcunque è Liguribus vellent, facerent Carthaginensibus stipendia. Commeatum & aurum addixerunt Boij, Legionibus, quas habebant in promptu, ad finium tutelam contra Romanos usuri.

An. V. C. D. XLIX.

Magonis adventus in Italiam. Belli apparatus.

Anni duo fluxerunt nullâ re memorabili; tertius Coss. dedit M. Servilium Geminum & T. Claudium Neronem. Prior C. Servilium patrem & C. Luctatium patruum Triumviros, qui geminam coloniam in Bojorum Insubrúmque agros deduxerant, post captivitatis annum sextum decimum, libertati tandem reddidit. Id auro an armis effecerit, non est quidem à quoquam proditum, nec quæ sors fuerit T. Anni Triumviri item agrarij: non tamen est à vero procul, Bojos Magonis clade perculsos ad mansuetiora demum consilia respectantes, istâ humanitatis specie, Romanorum iras mitigare voluisse. Credebatur Mago tantum animi & fortunæ in Italiam attulisse, ut ingenti, quem in Cisalpinis fecerat, rerum apparatu, Romanam potentiam esset fracturus. Verùm quæ fuerunt Urbis invicta fata, longè quàm sperabatur alius fuit belli exitus. Commissum est prælium in Insubria, ubi P. Quintilius Varus Prætor & M. Cornelius Proconsul Magonem sunt aggressi. Cùm instructæ starent acies, tantus Legiones Romanas terror invasit, ut, quicquid demum hortando agerent duces, ad ineundum certamen nequirent impelli. Spes reliqua fuit penes equitatum, qui fortiter quidem invectus est in Pœnos; sed ubi in Elephantos incurrit, quibus Mago aciei frontem munierat, equi adverso belluarum odore afflati, stridore & aspectu territi, abreptis retro sessoribus, terga Numidis cædenda dederunt. Cùm Numidæ in Legiones irrumperent, decima tertia stetit in vestigio, & aciem inclinatam erexit. In hanc ex subsidijs incubuere Galli, qui protinus retusi fuerunt sine magno certamine. Legio Romanorum duodecima magnam partem cæsa, pudore magis, quàm virtute restitabat. Ducti in peditatum elephanti confundebant ordines, cùm ab hastatis undecimæ Legionis excepti, velut œstro perciti, excusso rectorum ductu, in suos aversi furere, sternere obvios, aciem evertere, confundere ordines, terrorem inferre, ac demum Romanis bellè opitulari. Quatuor è bestijs, vulneribus confossæ corruerunt; longè plures pilis confixæ; cùm in confertas nulla ferè tela in irritum jacerentur. Commotâ ab his primâ Magonis acie, Romanorum peditatus, ut vidit aversos elephantos, animos resumpsit,

Liv. lib. 30.

An. V. C. D. LI.

Triumviri Romani redditi libertati.

XXVI.

Mago prælio superatus.

ſéque paſſus eſt duci in hoſtem. Confligebant inter hæc Galli impigrè, quouſque Mago ſtans ante ſigna femine transfixo humi extenſus, extra aciem fuit efferendus. Tum amiſſo duce, omnibus in fugam effuſis, conceſſa fuit victoria Romanis, è quibus deſiderati fuerunt bis mille trecenti, tres militum Tribuni, duodeviginti illuſtres equites cum aliquot centurionibus, quos obtrivêre elephanti pleroſque. De Magonis exercitu perierunt quinque millia, ſigna militaria capta octodecim.

XXVII. *Revocatur in Africam.* Mago noctis intempeſtæ beneficio cladis reliquias ſubduxit in Liguriam, ubi Carthaginenſium Legatos obvios habuit, cum mandatis à Senatu, ut proximo quoque tempore in Africam rediret: quòd res domi non eſſent eo loco, ut externo Italiæ bello, patriæque defendendæ ſufficerent. Ad Annibalem quoque per eos dies Legati iverant, qui ſimilia jubentes eum Carthaginem revocarent. Jam enim P. Scipio, qui à devictâ Carthagine dictus eſt Africanus, bellum metúmque in Africam tranſtulerat, hoc agens, ut Pœnorum arma ab Italiâ ad domeſticas curas diverteret. Mago permotus non modò Senatûs imperio patriæque diſcrimine, ſed metu etiam, ne victor Romanus cedentis veſtigia premeret, & ipſe deſtitueretur à Gallis, copijs in naves impoſitis, abijt. *Moritur ex vulnere.* Vix dum prætervectus Sardiniam, ex vulnere extinctus eſt. Annibal ſexto decimo, poſtquam Italiam ingreſſus erat, anno, frendens víxque lacrymis temperans mandata Senatûs accepit, multa queſtus de inimicâ Hannonis apud Carthaginenſes factione, quæ Amilcaris domum, unde Annibali natales, oppreſſum iret, ruinâ Carthaginis, quando aliâ re non poſſet, & Annibalem toties victorem obtrectatione debellaret. Geſſit tamen morem Senatui, & florem exercitûs vexit in Africam, fæcem militis, ne Brutium agrum planè nudum relinqueret, præſidij ſpecie oppidis impoſuit. Multos Italici ſanguinis, qui ſe in Africam navigaturos negaverant, in Junonis Laciniæ fano, quò velut ad aſylum eatenus inviolatum confugerant, barbaro ſpectaculo fœdè juſſit obtruncari. Ex hoſtili terrâ mœſtior exceſſit, quàm alius quiſquam iret in exilium, ſe capútque execrans, quòd mox à Cannenſi pugnâ, recentem exercitum Romam non duxiſſet, ſed ignavâ libidine circa Caſilinum, Cumas, Nolámque peſſum dediſſet.

XXIIX. Ex ejus fratríſque diſceſſu, Romam magno hoſte liberatam (ut malorum metus, quàm bonorum ſenſus eſt acrior) cura inceſſit, ne Scipionis virtus tot tantiſque hoſtibus circumſedenda frangeretur tandem, & bellum in Italiam reveheret: verùm hac curâ ſoluta eſt per multas victorias, quibus Scipio Carthaginenſes eò uſque in publicæ ſalutis deſperationem adegit, ut pacem per Oratores Romæ, in Africâ à Scipione peterent. Apud hunc nihil effecit Annibalis colloquium: In Urbe Senatus mitior ſupplicibus annuit decimo ſeptimo belli Punici anno Cn. Cornelio Lentulo & P. Ælio Pæto Coſs., qui annus Livio Urbis conditæ quingenteſimus quinquageſimus tertius eſt, Polybio quinquageſimus ſecundus.

Flor. decad. 3. lib. 1. *Pax data Carthag. An. V. C. D. LIII.* *Liv. lib. 31.*

Boij deinceps à Pœnis deſerti non minùs quàm à prudentia, induxerunt animum, ut à Romanis pacem ne peterent quidem, rati, ſe ſuas injurias tantiſper ulturos, dum Roma bello Macedonico implicita, & Aſianæ civitates in fide nutantes ad Philippum Regem inclinarent: quaſi nihilo plus eſſet futurum in poſterum, quàm in præſens foret ab Urbe vindictæ appetentiſſimâ periculi, & ſatis ſaperent, qui ex hodiernâ fortunâ, futuram metirentur. Quare velut omni ſoluti metu, eodem iſto anno irruperunt in agros ſociorum populi Romani, prædas agentes. Id ubi in Urbe cognitum, P. Ælius Conſul delectu ſubitario ſcripſit binas Legiones, quibus addidit ex Conſularibus copijs cohortes quaternas. Cum iſtâ manu tumultuariâ, C. Appium ſociorum Rom. populi præfectum juſſit Bojorum agrum incurrere, ipſe verò aperto per montium ardua itinere, eòdem contendit. Appius Bojorum fines ingreſſus, proſperum habuit populationis initium. Eo ſucceſſu factus audacior, oſcitantiùs cœpit cavere inſidias, & hoſte contempto graſſari fidentiùs, quod ipſi impune non fuit. Tempus erat metendarum

Boii hostiũ agros vastant. *Ælii consulis in Boios expeditio.* *C. Appius Boiorum fines ingressus.*

darum segetum: Ille, ut frumentatione exercitui prospiceret, prope castrum Mutilum insedit locum satis opportunum quidem, sed hostis explorandi prorsus negligens, neque sat frequentes defensores inermi turbæ, quæ in agro colligendæ messi dabat operam, adjunxit, neque stationes adhibuit, quæ hostem, si qua vis ingrueret, exciperent. Ipse quoque cum paucis è castris profectus, dum securus & incogitans omnis periculi, oberrat, en tibi subitâ Gallorum irruptione circumventus confoditur. Orta exinde non frumentatorum modò, sed armatorum etiam fuga. Septem hominum millia per agrum palantes deleti: cæteri, quos terror & imminens hostis in castra compulit, nullo præfecto, certóve imperio, sed militari impetu nocte proximâ, per sylvarum avia penetravere ad Ælium Consulem, mœstum Præfecti casu & tot hominum internecione. Ipse hoc anno nihil dignum egit memoratu, nisi vastando Bojorum agro, pactóque cum Ingaunis Liguribus fœdere: atque eam ob rem inglorius in urbem reversus est. XXIX. AB IIS OBRUITUR.

Anno proximo omnium animis in bellum Macedonicum Romæ intentis, cùm nihil minùs timeretur, Gallici tumultûs fama vulgata est. Quamobrem P. Sulpitius Galba & C. Aurelius Cotta, consulatu inito coacti sunt, curas viresque Romanas habere bifariam. Belli Gallici concitator Amilcar Pœnus fuit, qui de Magonis, vel, ut Livius, de Asdrubalis exercitu, quæ superfuerant, reliquias collegerat, firmârátque novo milite. Is Bojos, Insubres, Sallyos, Iluates, ipsósque Cenomanos ad eam diem in colendâ Romanorum amicitiâ constantes, cæterósque Liguriæ populos ingenti rei feliciter gerendæ fiduciâ erectos, accensósque suâ sponte Romani nominis æmulatione, ad arma concivit. Hostilia aggressus est à colonijs, quarum deductio tot jam bella pepererat. Placentia, primo mox impetu, capta & direpta, magnámque partem accensa à furente milite. Sævitum quoque in colonorum corpora, è quibus vix bis mille inter civitatis busta & parietinas superfuerunt. Hoc successu Boij alacres, Pado trajecto, raptim exercitum moverunt ad Cremonæ excidium, rati, se eam ex improviso pari celeritate oppressuros. Verùm audita Placentinorum calamitas & metus, necessitatem injecit parandæ defensionis. Portas occlusas muniêre stationibus, pro mœnibus disposuere excubias, totâ urbe concursum ad arma. Cùm quinque duntaxat armatorum millia circum Ariminum, duce L. Furio Purpurione, tuendo limiti forent ad manum, atque in eâ paucitate nihil aut parùm esset adversus quadraginta Gallorum millia præsidij, missi ad populum Romanum celeres nuntij, qui præsens civitatis obsessæ periculum explicarent. Addidit Purpurio litteras in eandem sententiam. Quibus in Senatu recitatis, Senatusconsulto decretum, ut C. Aurelius Conf. ipse, si Reip. commodo posset, ad opprimendum Galliæ tumultum properaret, & copijs consularibus missis in Hetruriam, diem ad conveniendum Arimini diceret, aut mandaret L. Furio, ubi primùm ad eum ex Hetruscis copiæ venirent, quinque millibus in Hetruriâ relictis, cum reliquis Legionibus ad Cremonenses obsidione solvendos proficisceretur. Igitur Furius ab Arimino, festinatis itineribus profectus, castra mille quingentorum passuum intervallo à Gallis posuit. Hos ne protinus invaderet, prohibuit contracta ex properatione militum lassitudo, quæ nisi fuisset, poterant haud difficili negotio Gallorum castra expugnari. Nam cùm palati passim per agros prædas agentes vagarentur, qui in castris erant residui, vallo defendendo non erant pares. Cùm revocati properè ex agris revertissent, dies posterus prælio decretus est, quo tantâ celeritate Galli aciem festinârunt, ut ejusce explicandæ spatium Romanis vix reliquerint. Prætor tamen pugnæ avidus, confestim sociales copias in alas divisit, dextrámque in primâ acie locatam M. Furio demandavit. In subsidijs duas Legiones posuit, quibus præerat M. Cælius. In equitatu curabat L. Valerius Flaccus. Prætor cum C. Lectorio & P. Titinio legatis in omnem hostium motum erat intentus. Galli errore exitiabili coactâ in unum agmen multitudine, quæ disijci faciliùs, quàm regi, vel verti ad quosvis casus poterat, neglecto ordine, unde vis & anima pugnantium, sunt arbitrati, se nullo negotio singulas alas ac

AN. V. C. D.LIV. NOVUM BELLUM AB AMILCARE ET GALLIS CONTRA ROMANOS CONFLATUM. *Zonar. Tom. 3. p. 98.* XXX. PLACENTIA EXCISA. OBSESSA CREMONA. XXXI. LIBERATUR. GALLI DEVICTI

denique aciem universam obtrituros. Igitur impetu in dextram alam, quæ aciei frontem tegebat, converso, totâ vi in eam incubuere. Cecidere quidem è Romanis permulti, sed cùm tamen ala suam stationem obtineret, Galli consilio improvido, agmine in cornua diducto, amplecti Romanam aciem, atque simul totam nituntur obruere. Eo facto extenuata media acies patuit Romanorum incursioni. Id ubi Prætorem advertit, dilatat & ipse aciem, & duas Legiones ex subsidijs, alæ, quæ in acie pugnabat, circumdat: tum jubet L. Valerium partem Legionum cum firmo equitatu ducere in Gallos, ac prohibere, ne, quod moliebantur, aciem circumvenirent. Demum in medium hostium agmen immittit confertas phalanges, quæ eorum perrumpant ac disturbent ordines. Cùm ad eum modum Galli in utroque cornu & acie mediâ ingenti cæde sternerentur, nec ampliùs sibi turbata acies constaret, fugâ ab omni parte exortâ, in castra convolant: tergis fugientium hærens equitatus, móxque secutæ Legiones, facto in vallum impetu, castra irrumpunt, tantámque edunt stragem, ut non omnino sex Gallorum millia inde effugerint. Cæsa & capta supra triginta quinque millia: reportata septuaginta signa militaria: avecta carpenta plus ducentis, atque in ijs ingens rerum copia: simul Amilcar belli incentivum, & tres Gallorum duces illustri sanguine interempti. Qui ex Placentinis captivi ingenui, in coloniam bis mille reducti. E Romanis sociisque occubuere duo millia, plerique dextræ alæ. Quod Orosius de Cremonâ vastatâ meminit, accipiendum de agro direpto à Gallis, qui non sunt civitate potiti. Victoria parta bello difficillimo mirè Urbem recreavit: Eapropter decreta tridui supplicatio. C. Aurelius consul, cùm jam esset debellatum, venit demum ad exercitum, haud obscurè Prætori infensus, quòd se absente pugnasset. Ne tamen nihil prorsus in provinciâ fecisse diceretur, misso in Hetruriam Furio, ipse movit in hosticum, unde prædæ aliquantum, gloriæ nihil Romam retulit. Furio ob rem præclarè gestam, cùm in Senatu fuisset varijs sententijs disceptatum, plurium voto decretus triumphus, sed sine spolijs & sine milite, quem penes se Consul retinuerat. Prætor ærario intulit trecenta viginti millia æris, argenti centum septuaginta pondo, id est, 1704265 $\frac{10}{11}$ coronatos, millionem videlicet auri, atque insuper septingenta quatuor millia aureorum, & ducentos sexaginta quinque, & quod excedit. Ab his contra Livium abit Zonaras, qui Placentiam anno demum sequenti captam tradit, negátque, Amilcarem hoc prælio cecidisse, sed Gallis junctum multas postea clades Romanis intulisse, Ligures pacem cæteris Gallorum negatam impetrasse. Ipse Livius alibi scribit ex aliorum sententiâ, Amilcarem ab Cethego consule captum, ductúmque in triumpho, quod proinde tertio abhinc anno factum oporteat.

XXXII. INGENTI STRAGE. *Oros. l. 4. c. 20.* AGRI GALLICI POPULATIO. MAGNA PRÆDA. *Liv. lib. 32. prope fin. & lib. 33. prope princip.*

AN. V. C. D. LV. XXXIII. BEBIUS PRÆTOR ROM. A GALLIS CÆSUS.

Cæterùm cùm ab urbe conditâ anno quingentesimo quinquagesimo quinto L. Cornelius Lentulus & P. Villius Tappulus Coss. Idib. Martijs magistratum inivissent, C. Bebio Tamphilo Prætori Legiones, quas anno superiore C. Aurelius consul habuerat, sic fuerunt decretæ, ut eas circa Ariminum ad Galliæ Cisalpinæ, quæ ipsi provincia obtigerat, tutelam retineret, donec Consul Lentulus, qui jussus erat novum militem scribere, succederet, & exauthoraret anni prioris exercitum, præter sociorum quinque millia, quibus omnis circa Ariminum regio posset tutò contineri. Ita Romæ erat persuasum, nihil deinceps esse, quod à Boijs socijsve timeretur. Quamobrem Bebius omni solutus metu, velut sui facturus periculum, temere nec satis exploratò Insubrum fines ingressus, ex improviso à Gallis circumventus cum toto exercitu, supra sex armatorum millia sexcentos amisit. Tanti fuit sprevisse hostem, vel belli artes nescivisse. Ea clades propere Lentulum consulem ab urbe excivit, qui provinciam reperit turbatissimam, trepidúmque exercitum. Prætorem convitio increpitum jussit abire Romam, causam Patribus dicturum. Sed nec consul ipse quicquam gessit dignum annalibus, hoc solo melior, quòd nihil agendo, bene quidem sibi, sed malè rei communi consuluisset.

AN. V. C. D. LVI.

Verùm

Verùm, qui ſucceſſit annus, nihil etiam habuit, quo Sex. Ælius Pætus, qui cum T. Quintio Flaminio geſſit conſulatum, gloriaretur: quamquam Zonaras ſcribit crebrò velitares pugnas eſſe commiſſas, quæ contemptim acceptæ, ne in chartis quidem locum invenerint, neque reſponderint expectationi, quam magnus belli apparatus concitârat. Annum penè integrum Conſul totus in eo fuit, ut Placentiam ac Cremonam à colonis deſertas, ad aliquam frequentiam revocaret. Romani enim tot Bojorum irruptionibus agríque direptione fatigati, non modò latifundia, ſed ipſa quoque civitatum mœnia ac tecta averſati, urgebant ſuum in Urbem reditum, negantes ſe ullum operæ pretium facere colendo agros, quorum fructus omnis ab hoſte quotannis ferè raperetur; aut habitando domos, quas adverſus Gallorum multitudinem, citra certum libertatis & fortunarum diſcrimen, tueri non poſſent. Quare conſul mirè negotioſus credidit, bene ſe utilitérque laborare, quòd conſulari ſuâ authoritate homines diſpalatos ad ſuas ſedes reduceret. Zonar. To. 2.

XXXIV. Novum a Boiis in Romanos bellum. An. V. C. D. LVII. Insubrum defectio.

Boij quamvis ex ſuperiorum annorum cladibus ſe nondum collegerant, ex Romani tamen exercitûs ceſſatione arbitrati ſe formidari, novam ſibi fortunam ominantes, cepere nova de bello inſtaurando conſilia. In eandem cauſam ſociatâ fide venêre Inſubres & Cenomani, magna vis, niſi diſcordia malè cohærentes diſſociaſſet. Ejuſce expeditionis fama perlata Romam, Patres populúmque variè affecit. Sex. Ælius conſul comitiorum causâ Romam regreſſus, ſucceſſores accepit Cn. Cornelium Cethegum & Q. Minutium Rufum, quibus Senatus Italiam provinciam decrevit, ut eam à recenti Bojorum tumultu tutam præſtarent. Uterque profectus in Galliam: Cethegus rectâ ad Inſubres: Q. Minutius flexit ad lævam Italiæ, ſecundùm mare inferum, abductóque Genuam exercitu, bellum cœpit ab Inſubribus. Quindecim gentis iſtius oppida, in quibus Claſtidium & Litubium, duæ civitates Cerdiciates Celelateſque cum hominum viginti millibus, mox fecere deditionem. Ita cis Padum omnia ſub Romanorum ditionem venerant, præter Bojorum fines & Iluates Ligurum. Error in ſpeciem non magnus, (quod in bello perfrequens) magna conſilia corrupit. Boij videlicet non ſatis explorârant mentem Conſulum. Rumorem ex compoſito vulgaverant, ambos conjunctis copijs geſturos bellum. Ita rem habere arbitrantes Boij, Pado trajecto, copias Inſubribus & Cenomanis, qui tum in armis erant, junxerunt. Cùm vires ſociaſſent, certis nuntijs allatum eſt, Qu. Minutium conſulem Bojorum agros ingreſſum, graſſari incendijs, ac populationibus, totáque paſſim regione dira facere. Hinc orta in caſtris ſeditio, Boijs poſcentibus, ut, quâ parte bellum eſſet, eò omnes accurrerent. Negantibus Inſubribus, ſe aliena proprijs præhabituros, quòd ſuum cuique ſit chariſſimum, facta eſt copiarum ſeceſſio. Boijs abeuntibus, Inſubres unáque Cenomani ad Mincium flumen tetendêre quinque paſſuum millia ſupra caſtra, quæ Cethegus ad amnis ripam fixerat. Iſthîc Conſul comperit Cenomanorum juventutem, injuſſu ſeniorum & ſine publico imperio, pro Inſubribus arma induiſſe, eóque ſpem eſſe, fluxam adoleſcentum fidem opémque ab Inſubribus alienandi. Miſſis igitur in Cenomanorum vicos, Brixiámque principem gentis urbem, qui fide publicâ Proceres invitarent ad colloquium, ad diem condictam cum ijs egit, ſuos juvenes ut revocarent domum, & in Romanorum fidem concederent. Poſterius, quod eſſet perfidiæ nimis affine, non potuit obtinere; loco prioris, conſpirârunt ad facinus longè fœdiſſimum. Addixit Cenomanorum juventus, ſe nihil moturam in acie, ſed ſi fors daret, Romanis auxiliaturam. Hoc non eò uſque clàm fuit Inſubribus, quin ſubiret animum ſuſpicio ſiniſtri alicujus conſilij, quod Cenomani agitaſſent. Quare ſic inſtruxerunt aciem, ut neutrum illis cornu committerent, veriti, ne pugnam defectione inclinarent: eos rati cum minore utique periculo poſt ſigna ſtaturos in ſubſidijs.

Boiorum error.

Galli discordes secedunt.

Cenomanorum proditio.

XXXV.

Sed quæ cautio ſatis ſit adverſus proditores? Mox ubi collata ſigna, à Cenomanis Inſubrum terga cædentibus ortus repente tumultus: ſimul acies à fronte labora-

laborabat, & cùm utrobique vim non sustineret, à cæde ventum ad immanem Insubrum stragem, quæ Romanis peperit victoriam. Occisa Insubrum triginta millia, capti quinquies mille septingenti, signa militaria centum triginta, carpenta ducenta & amplius. Cenomanorum oppida, à quibus orta defectio, ad Romanorum societatem rediverunt. Minutius Consul, qui effusis populationibus & cremando, Bojorum agrum fœdaverat, cognito, Bojos ad sua tutanda redijsse, copias in castris habuit, facturus sui copiam, nisi staret per hostem. Neque erant Boij à prælio alieni, donec intellectâ Insubrum fortunâ fracti animis, domos quisque suas palantes abiêre. Quare Consul desperans se rem unâ dimicatione confecturum, institit denuo prædas agere, depopulari agros, vicos devastare, tecta cremare. Exinde conversa arma in Iluates Ligusticos, qui soli detrectabant imperata facere. Sed ubi ea gens inaudijt acie devictos Insubres, Bojos certaminis aleam non esse ausos experiri, fecit deditionem. Quas ob res Romæ tridui supplicatio indicta est. Consules domum reduces, cùm in æde Bellonæ Senatum haberent, postularéntque triumphum, ne ambobus par esset honor in dispari merito, Tribuni plebis eâ de re seorsim agendum esse censuerunt. Tandem cùm Cornelius Cethegus pro Q. Minutio collegâ niteretur (eò quòd communi consilio bellum gessissent) & per biduum altercatio inter Consules ac Tribunos plebis tenuisset, Consules victi Tribunorum obstinatione separatim retulerunt: Tum omnium consensu Cornelio decretus de Insubribus & Cenomanis triumphus: Q. Minutius, cùm adversari omnem Senatum videret, quòd in Liguriâ vix quicquam memoriâ dignum gessisset, amisisset magnum militum numerum, atque in ijs duos Tribunos, cum multis viris boni sanguinis, civibus ac socijs, quòd paucorum oppidorum simulatas ad tempus deditiones sine obsidibus admisisset; non expectatâ relatione, in monte Albano suis sumptibus triumphavit, sed inglorius: quòd palàm esset, è publico nihil esse ad instruendam pompam erogatum, tametsi ipse spoliorum magnitudine, carpentorum numero & signorum, collegam ferme æquaret, inferrétque in ærarium tantundem æris atque argenti, & pari liberalitate milites, centuriones, & equites, viritim muneraret.

Insubrum magna clades.

Altercatio de consulum triumpho.

An. V. C. D. LIIX.

XXXVI.

Actis triumphis, lecti consules L. Furius Purpurio & M. Claudius Marcellus. Cùm nondum esset in Gallia debellatum, & post tot annorum certamina cæsósque innumeros propè gentis bellicosissimæ viros fortissimos, sanguinis tamen illi satis superesset, quem Romani metuerent, subactâ bello Africâ, terris occupatis, quæ Afros ab Italiâ dividunt, partísque de Macedoniâ triumphis, Senatus populúsque censuere, non esse eos negligendos, qui de Italiæ dominatu, cum Urbe tot urbium victrice, propè soli auderent contendere. Boijs id temporis imperitabat Corolamus, habebátque sub signis non contemnendam manum. Ad eum opprimendum profecti consules, vario Marte pugnavere. Marcellus Bojorum ingressus agrum, ne fatigatum molesto totius diei itinere militem cum recenti Gallorum exercitu committeret, castris in opportuno tumulo locatis, spatium cepit respirandi. Verùm cùm Corolamo certum esset, hostem de viâ fessum invadere, eum, se in colle communientem, cum aliquâ suorum parte aggressus, adegit ad manus conserendas. Eum Romani vallo moliendo intenti, tumultuario concursu excepere tumulo subeuntem; cúmque illorum multi sternerentur, subsidio venêre legiones. Tenuit aliquantum ardor pugnandi: sed cùm alij super alios Romani accurrerent, Corolamus se in tutum recepit. Ceciderunt ex hoste viri nobiles T. Sempronius Gracchus, M. Junius Syllanus, & Legionis secundæ Tribuni A. Ogulinus & P. Claudius, cúmque ijs tria armatorum millia: Gallorum perpauci desiderati, qui si justis copijs ad prælium venissent, poterat eo die deleri consularis exercitus. Doctus eâ clade Marcellus, cum quibus viris rem gereret, castra properè firmavit, séque in ijs dies aliquot continuit, dum curaret saucios, & militem terrore perculsum reficeret. Rursus castrorum expugnationem tentaverunt Galli, sed propugnatorum virtute repressi, frustra fuere.

Corolamus Boiorum Regulus

Hostem aggreditur

Reprimitur.

XXXVII.

Rursus oppugnat castra.

fuere. Posteaquam hosti circumfusi obsidendis castris adsederant, moræ tædiíque impatientes ad sua castella vicósque sunt dilapsi. Quamobrem Marcellus refixis confestim signis, trans Padum evasit in agrum Comensem, ubi Insubres juncti Comensibus stativa habebant. Ab his prælio lacessitus est in itinere, tantâ ferociâ, ut primo impetu antesignani de gradu moverentur, essétque periculum, ne retro acti turbarent aciem. Id ne facerent, obstitit Marsorum cohors, effusúsque simul omnis Latinorum equitatus in Gallos. Concursum semel iterúmque incertâ victoriâ, quousque Romana acies intulit signa, conjecítque Gallos in effusam fugam. In eo prælio ceciderunt quadraginta armatorum millia, capta signa militaria quingenta septem, carpenta quadringenta triginta duo, lecti torques aurei magno numero, Gallorum castra expugnata direptáque, Comum oppidum paulò pòst occupatum, castella octo supra viginti recepta in deditionem.

Marcellus Consul prælio ceptus.

Gallos vincit.

Sub hæc L. Furius Purpurio consulum alter per Umbriam, quæ ipsa dicebatur tribus Sappinia, movit in Bojos. Jam pervenerat ad castrum Mutilium illustre Romanorum cæde, victoriáque à Gallis de Appio reportatâ ante quinquennium, cùm propè esset, ut à Boijs simul & Insubribus, quos postrema clades nihil dum dejecerat, medius à fronte & à tergo premeretur; id ille veritus, agmine subitò converso, viam, quâ venerat, per camporum aperta magno circuitu relegens, pervenit ad Marcellum Collegam. Tum junctis copijs, Bojorum agrum ingressi, cuncta populationibus ad usque Felsinam, quam Bononiæ nomen à Boijs accepisse diximus, devastaverunt. Hæc, venientibus illico cum castellis Boijsq; plerisque manus dedit. Boica juventus, quæ actis prædis in sylvarum devia se abdiderat, ferè sola supererat, quæ vinceretur. Igitur Romani, quasi in Boijs esset debellatum, bellum vertêre in Ligures agmine solutiori, quòd Bojos juvenes procùl abesse crederent. Verùm hi per occulta nemorum eos insecuti, ut Martem ex improviso tentarent; ubi eos celeritate elapsos senserunt, Pado repentè navigijs transmisso, Levos Libuósque Romanorum socios pervastârunt. Redibant onusti prædâ, cùm in Ligurum extremis finibus obvios habuere consules. Ausi nihilominus conserere manus, irâ stimulante, tantâ pertinaciâ pugnârunt, ut, cùm in commilitonum oculis alij super alios immani strage cæderentur, non fuerit antè cædendi finis atque cadendi, quàm omnibus ferè interemptis, vix superfuerit, qui cladis nuntium domum referret. Marcello triumphus de Insubribus & Comensibus magnâ Patrum consensione in Urbe decretus: Furio spes sola de Boijs triumphandi relicta, quòd non ipsius, sed collegæ auspicijs res prosperè gesta tribueretur. Nulli captivi præcessêre currum, signa militaria magno numero, multa spolia in carpentis ostentata. Illata in ærarium æris trecenta viginti millia, argenti bigati ducenta triginta quatuor millia: in singulos pedites divisi octingenti æris, triplex equiti & centurioni.

Furius consul a Boiis reiicitur.

XXXIIX.

Consul uterque agrum Boicum vastant, capiunt Bononiam.

Boiorum iuventutem delent.

Deinceps Boijs Italicis, fortunâ novercalibus odijs adversante, improspera evenerunt in Italiâ, quasi belli sortes soli urbis Romanæ magnitudini in solidum essent authoratæ. Sequitur septennium continentibus nobilitatum cladibus, quibus tamen tantum Boici sanguinis haustum non est, quin ad tuendam avorum gloriam, viribus quamlibet afflictis animi magnitudo insigne robur usque & usque suppeditaret. Carthaginenses, post paucorum annorum felicitatem, unius adversæ pugnæ casu fuere deterriti, ne de orbis terrarum imperio cum Romanis pergerent decertare, sed desinerent tueri suam libertatem. Non longâ dimicatione Asia sub jugum missa: Hispania Urbi dominatrici quàm citò palmam concessit? Sed Boij, quod fidem propè excedit, non uno duntaxat sæculo, inter innumera suorum funera spes suas sic sustentârunt, ut, quod de Germaniâ dixit Tacitus, sæpius fuerint triumphati quàm victi. Quamobrem certi nemini servire, neque quiescere, nisi victores, aut omnino debellati; anno, qui postremam cladem secutus est, M. Portio Catone & L. Valerio Flacco Coss. in bellum rursus coorti, fortunam sollicitare sunt ausi ad Litanam Sylvam L. Posthumi strage anno abhinc vigesimo nobilitatam, ubi adverso Marte pugnantes amissis octo milli-

XXXIX.

Boicæ rei inclinatio.

Tacit. de mor. Germ.

An. V. C. D. LIX.

Boii prælio superati

Liv. lib. 34.

An. V. C. D. LX.

Dorulacus Boiorum regulus

Pugnat improsperè.

Boiorix Rex Boiorum

millibus ex acie discesserunt. Secuta mox anno postero clades alia P. Scipione Africano & T. Sempronio Longo Coss. quorum utrique adversus Bojos Italia demandata; cúmque Roma, tametsi victrix, suis viribus diffideret, jussæ conscribi novis delectibus duæ urbanæ Legiones, quæ octonûm Legionum numerum implerent. Dorulacus Bojorum regulus ad arma jam suos conciverat, & Padum transgressus, Insubres in belli societatem, veterum injuriarum memoriâ, traxerat. Eos Luc. Valerius proconsul haud longè à Mediolano assecutus, collatis signis fudit, cæsis decem omnino millibus, nondum tamen fractâ constantiâ, cui vires & Duces ad reparandum eodem anno bellum superfuerunt. Ii fuerunt Bojorix regulus & gemini ipsius fratres, quibus authoribus tota gens arma resumpsit adversus T. Sempronium consulem, qui extremos agri Boici fines ingressus cæteræ regioni infestus imminebat. Bojorix, ne præcipiti consilio rei summam toties afflictam daret in casum, castra cepit locis opportunis, tum demum conflicturus, cùm Consul se penitiùs in agrum inferret, & Martem loco non iniquo vellet experiri. Verùm Sempronius, explorato hostium numero & fiduciâ, non ausus cum uno exercitu sui facere copiam, collegam putavit esse expectandum. Ergo

XL.

Scipioni renuntiat, quæ sint Bojorum vires, & quanti periculi, Romanos numero inferiores cum gente universâ committere: proinde consultum videri, copias consulares sociare, sociatásque in hostem ducere; se quidem cunctando, in earum adventum, prælio temperaturum. Quæ causa Sempronio tergiversandi, eadem maturandi Gallis fuit, tum quòd cunctatio ipsis videretur timoris argumentum, tum quòd in utrumque consulem pugna, si diutiùs extraheretur, futura esset iniquior. Eductis itaque copijs, biduum steterunt in acie, inspectante Sempronio, seque intra vallum cohibente. Cùm non prodiret in apertum, jubet Boiorix die tertio castra totis copijs oppugnari, & portis manum validam objici, ne quà hostis confertus erumperet. Consul demiratus audaciam, extemplo jubet ad arma conclamari, moveri signa, firmari milite stationes, cæteras copias imperium in armis expectare. Boij vallum subibant animis ingentibus, cùm Sempronius per portas principales emittit duas Legiones. Hîc ortum acre certamen, Boijs obnitentibus, ne Legiones erumperent in rarescentes ordines, his conantibus efferre signa. Diu in angusto aditu, non dextrâ magis & ferro, quàm parmis & mutuo nisu corporum, dimicatum, & res in ancipiti fluctuabat, immotâ utrinque acie, cùm Q. Victorius primipili centurio secundæ, & C. Atinius Tribunus quartæ Legionis, signa (quod aliàs in prælijs bene verterat) signiferis adempta in medium hostem projecêre. Miles impatiens ignominiæ, signa omnino velle recipere, se mutuò cohortari, poscere pugnam extra vallum. Quarta Legio in portâ etiamnum hærebat, cùm per portam prætoriam ex adverso Boij irrumpunt in castra, obvios cædunt L. Posthumium Tympanum quæstorem, M. Atinium & P. Sempronium sociorum præfectos, unáque ducentos ferè milites. In isto tumultu Boij castris ex eâ parte potiebantur, cùm Consul subsidio mittit cohortem extraordinariam, quæ juncta propugnantibus, Gallorum aliquot obtruncat, alios vallo eijcit, portam Quæstoriam recuperat, irrumpendi facultatem hosti adimit. Eodem propè tempore quarta Legio cum duabus extraordinarijs portâ erupit. Eam generosè Boij excepêre: Tria simul prælia circa vallum, locis distantibus, ciebantur, audiebantúrque clamores dissoni pro varietate eventuum, fortunâ nunc huc nunc illuc vacillante, pugnantium animis nihilo fluctuantibus. Eâ Martis inconstantiâ pugnatum æquis viribus, usque ad meridiem, spe non impari, pari vincendi obstinatione, cùm Gallorum pars, sitis impatientiâ, quam æstus labórque accenderat, acie decedens commilitones destituit, decollavítque fiduciam vincendi. Cæteri jam Romanis inferiores in sua se castra recepêre. Consuli eousque incerto & anxio de pugnæ exitu, cùm satis esset, non potuisse superari, ne fortunam pergeret irritare, signum dedit receptui. Fuere nihilominus è Romanis, qui spe potiundi castrorum hostilium, Bojos ad vallum sunt insecuti, quos Boij factâ eruptione fusos in castra rejece-

Sempro castra oppugnat.

Certamen acerrimum.

XLI.

Controversa Victoria.

rejecerunt, pavoris & neglectæ disciplinæ castigandos. Variam fugam ac victoriam notavit Livius in laudem Romanam pronior. Adscribit Boijs quàm Romanis cladem duplo majorem: Verùm si, cæteris dissimulantibus, fides est uni Sexti Aurelij Victoris commentario manuscripto, è Romanis occubuerunt viginti millia, stetitque victoria penes Bojos. Certè Sempronius hostem non est ausus persequi, sed (quod fatetur Livius) Legiones Placentiam, ubi tutò se reficerent, subduxit: nisi fortasse verius sit, quod volunt alij, ipsum junctis cum Scipione copijs Bojorum Ligurúmque agros, nullâ præterea re memorabili esse populatum.

Annus proximus L. Cornelium Merulam & Q. Minutium Thermum Consules dedit; ambobus Italia decreta est. In Galliâ Ligurum bellum anno superiore minimè extinctum instaurabatur, & affluente indies armatorum multitudine, Pisas circumsedebant quadraginta hominum millia. Q. Minutius exercitum jussit convenire Arretium, eóque ipse venit ad dictam diem. Inde Pisas progressus, Gallos ab obsidione submovit. Tum castris haud procul ab hoste positis, levibus duntaxat prælijs, sociorum agrum tutabatur, neutiquam ausus pugnâ experiri, quamvis se Ligures paratos ostenderent ad certamen, & magnas passim prædas agerent, armenti præsertim, quod per disposita certis intervallis præsidia, in sua castella vicósque agebant, frendente consule. Ea belli ratio longè erat alia, quàm in Boijs. Nam Merula Consulum alter in horum regiones per fines Ligurum exercitum duxerat pugnandi avidus, cùm Boij pugnam detrectarent, suáque impune diripi ab hoste paterentur, donec evastatis agris, Mutinam Consul concessit. Boij explorato, quòd is neglectim non secus atque inter pacatos agmen traheret; silentio Romana castra noctu prætergressi, in nemore, quà Merulæ erat transeundum, locavêre insidias: verùm cùm non satis occultè fecissent, cognitum per exploratores, quo se loco abdidissent. Quæ causa Consuli fuit mutandi modum itineris. Captatâ etenim auræ nocturnæ temperie, ne diurnus æstus militem lassaret, se tantisper continuit, dum prima lux oriretur, redirentque in castra, quos miserat exploratum. Ii reduces renuntiârunt, qui saltus interpositi, quæ viarum aperta, quæ angustiæ, quis locorum genius, quis hostium numerus, quibúsque latebris tecti constitissent. His cognitis, Consul omnes sarcinas jubet in unum conferri, & per triarios vallo firmâque statione muniri: ipse cum reliquis copijs agmine composito rectà ducit in hostem.

An. V. C. D. LXI.

Bellum reparatur in Insubria.

XLII.

Boii struunt insidias consuli.

Sensêre Boij, non latere insidias, & consulem parâsse pugnam; sed cùm sibi ducerent ignominiosum, ultrà detrectare aleam, acie instructâ ingentes animos in prælium attulerunt, rati, Martem, qui Boicæ fortunæ olim tot victorias dedisset, rursus tandem virtuti palmam esse daturum. Aciei Boicæ formam nemo descripsit, quia nemo scriptor domesticus fuit, qui describeret. Livius Romanam scitè elegantérque delineavit. Locus fuit in saltu patens non ineptus signis explicandis. Primam aciem componebant ala sinistra sociorum & extraordinarij, in quibus curabant M. Marcellus & T. Sempronius viri consulares. Q. Minutius Consul imperatoris munia faciebat, nunc apud Legiones in subsidijs, ne ante signum procurrerent, nunc ad prima signa. Quintum & Publium Minutium militum tribunos iusserat equites educere in planitiem, atque inde facere impetum, ubi mandata accepissent. Alterâ ferme diei horâ cœptum certamen. Boij in extraordinarios ipso statim initio, tantâ vi incubuêre, ut, cùm permultos cæderent, plures nisu atque metu percellerent, Sempronius Consuli renuntiârit, rem esse in proximo, ut accipiat ignominiam, nisi confestim altera Legionum subsidio mitteretur: etenim extraordinarios non sustinere Gallorum impetum, rarescere ordines, pugnæ ardorem linqui, inclinare aciem. Ergo missa Legio secunda, cujus accessione erecti extraordinarij, pugna restituta. Tum ala sinistra, milite jam defesso, prælio subducta. In ejus locum successit dextra recentibus instructa cohortibus & animis. Demum exarsêre utrinque in cædes mutuas.

Deteguntur insidiæ.

XLIII.

Atrox pugna.

tuas. Neutris loco cedentibus, æstus hoste quovis infestior, Boijs longo jam fatigatis certamine & sudore madentibus, pro Romanis stetit. Cùm enim deinceps solis vehementiam non ferrent, paulatim aliqui pedem referre ex acie, nutare alij, cæteri incumbentes scutis, non tam ferire Romanos, quàm feriri, sustinere tamen cuicuimodi Legionariorum impetum, & non imbellè servare ordines: sed denique cedendum fuit, quando jussu Consulis C. Livius Salinator, qui præerat turmis alarijs, sese ad disturbandos Bojorum ordines fulminis instar in aciem infudit, quæ tum fluctuare cœpit, ac tandem turbari, quòd turmæ interequitantes restitui ordines non paterentur.

XLIV. Boii devicti.

Fuit nihilominus atrox inter confusos dimicatio, antequam Boij omnino dissiparentur, eò quòd identidem aciem integrarent ductorum industriâ, qui trepidantes quà hastilium ictibus, quà hortatu cogebant, obversâ in hostem fronte, pugnam repetere, & incessere equitatum, qui victoriâ antè potiri non potuit, quàm missæ subsidio Legiones totam aciem conjecerunt in fugam. E Romanis sociisque in eo conflictu desiderati quinque militum millia, centuriones tres supra viginti, sociorum præfecti quatuor, M. Genucius & M. Martius tribuni militum secundæ Legionis. E Boijs ceciderunt quatuordecim millia, capti mille nonaginta duo, equites ducenti viginti unus, tres eorum duces, signa militaria ducenta duodecim, carpenta centum & unum; editio Livij Francofurtensis habet sexaginta tria. Quantavis Bojorum clades fuerit, non præstitit tamen securum Q. Minutium Consulem, quin Patribus in Urbem scriberet, adeò adhuc ancipitia esse omnia in Liguribus, ut non esset è Republicâ, inde exercitum educere. Post acrem in Senatu disceptationem, L. Lentulo negatus est triumphus, quòd Patrum plerisque seorsim M. Claudius Legatus scripserat, victoriam non virtuti Consulis, sed fortunæ Romanæ & militum fortitudini in acceptis esse referendam. Consuli tribuendum, quòd pars hostilis exercitûs, cujus delendi fuisset facultas, per fugam esset servata, eò quòd equites & Legionarios signo seriùs dato, passus non esset tempestivè insequi fugientes: Ejusdem esse vitium, quòd è copijs Romanis tanto numero viri fortes occubuissent, quibus nisi Lentulus lentè subsidia laborantibus misisset, etiam tum essent in vivis. Hæc cùm in Senatu fuissent relata, & Lentulus coràm postularet, sibi ut triumphanti in Urbem liceret invehi, Marcus & Cajus Titinij Tribuni plebis se Senatusconsulto intercessuros dixerunt, si quod de permittendo triumpho fieret.

Ligures bellum renovant. An. V. C. D. LXII.

Atqui Ligures non tam dejecêre animos, quin anno proximo, qui L. Quintium & Cn. Domitium Ahenobarbum Consules sortitus est, rem Romanam in grande discrimen iteratò adduxerint, ausi denuo arma induere, quæ infelicia jam toties erant experti. Primùm enim ad ejusce anni exitum, Ligures castra Quintij Consulis tantâ vi oppugnârunt, ut ægre fuerint defensa; non dubium, quin res acta sit cum luculentiâ Romanorum cæde.

XLV. Romanos habent in arcto.

Haud multò pòst, cùm per angusta sylvarum Consul exercitum duceret, Ligures Boijs mixti (hos Livius disertè nominat) nemoris fauces à fronte insederant. Consul, quia illac in apertum nequibat penetrare, agmine converso contendit evadere. Sed à tergo etiam via, quâ parte erat arctissima, à Gallis ita tenebatur, ut conclusi Romani maximæ cladis imaginem non modò animis, sed oculis etiam propè usurparent.

Numidarum Strategema.

Erant in exercitu Numidæ equites auxiliares ferè octingenti. Ab his orta Romanorum salus. Eorum præfectus Consuli spondet, se unà cum suis, utrâ parte juberetur, erupturum quidem, sed fortasse fore consultius, si illuc erumperet, ubi forent vici frequentiores. In eos enim se facturum impetum, & injectis in tecta ignibus, coacturum Gallos, ut ad opem suis ferendam, statione desertâ, extra nemus convolent. Consul hominis fide collaudatâ, spem magnam præmiorum fecit. Ergo Numidæ conscensis equis, Gallorum stationes obequitare, sensim se dare eminus in conspectum, dein refugere, pòst accedere propiùs, rursúmque terga vertere, quasi spectaculum hosti per modum ludi exhiberent. Et ea quidem erat forma equitantium, ut risum potiùs quàm metum facerent. Juvat hoc loco

loco Numidarum speciem cognoscere. Eorum aspectu nihil contemptius: equi hominésque exesi, minutuli, eques discinctus & propè inermis, solis armatus jaculis: jumenta sine frenis, extentâ cervice, capite erecto, cursu deformi. Hunc contemptum de industriâ augebant, subinde labentes ex equis, tum inficetè resurgentes, jussi indecorè equos regere, & velut inviti impotentésque ferri hac illac. Ubi propiùs claustrum paulatim accesserant, satísque fuerant ludibrio, subditis calcaribus, instar procellæ invecti per medios spectantium Gallorum ordines evaserunt in campum. Hîc protinus propinquas primò domos, deinde remotiores subjectis facibus incendentes, vastantésque quæque obvia, latè terrorem colonis intulerunt. Fumus variis ex locis conspectus, trepidatio, auditæ agricolarum vociferationes, concursus senum, ejulatus mulierum, fuga debilioris ætatis, turba convolantium in Gallorum castra, ingentem fecêre tumultum, aliis de tuendâ statione, aliis de domesticorum salute fortunisque sollicitis. Denique castris momento relictis, pro se quisque, injussu ductorum, à signis abeunt, uxores liberósque tutaturi. Ita Consul grandi metu, miles Romanus inextricabili obsidione solutus. Tam levi momento maximæ spes dissipatæ, fractíque Bojorum animi, qui ne id quidem à se passi sunt impetrari, ut, cùm Cn. Domitius motis Arimino castris, in eos arma vertisset, se darent in ejus conspectum, sed damnato istius erroris stupore, nec suorum captivitatem pensi haberent, nec respicerent tectorum conflagrationem, neque ullâ hostis diritate ad defendendam vim moverentur. Tandem etiam eò venêre desperationis, ut libertatis tuendæ cogitatione susque deque habitâ, consilia in commune ceperint, de faciendâ sui & suarum facultatum deditione, quo in Romanorum fidem recepti, finem aliquando tandem tot calamitatibus invenirent. Reipsâ fuere mille quingenti, qui omnes, nullo præfectorum & manipularium discrimine, non pedites modò, sed equites etiam, facto unà cum uxoribus liberísque transfugio, sese ultro Consuli permiserunt. Nec verò turba reliqua procùl aberat à pari ignominiâ, nisi L. Quintij Flaminij factum post hominum memoriam turpissimum & maximè barbarum, gentem à faciendæ transitionis consilio deterruisset. Scelus fuit hujusmodi, quod octavo, postquam patratum fuerat, anno, P. Claudio Pulchro & L. Porcio Licinio Coss. gravissimâ oratione M. Porcius Cato notavit. Quintius exoletum, & ad execrandas fœditates projectum scortum habuit, quod à gladiatorum spectaculis abstractum in Galliam pellexerat. Dicax puer, quâ est id genus hominum impudentiâ, domino per cavillationem frequenter objecerat, quòd abductus à ludis esset, ut amatori consuesceret. Factum sub hæc, ut, cùm unà epularentur, jámque adbibissent plusculum, renunciaretur Consuli, venisse Bojum illustri genere, transfugam cum liberis, qui colloqui & in fidem recipi desideret. Admissus in conspectum Bojus vix cœperat dicere, cùm inter ejus verba Quintius scorto insusurrat: Vin' tu, inquit, quando sic te delectant gladiatores, cernere Gallum hunc morientem? Cùm puer annueret, homo spurcissimus ense, qui supra verticem pendebat, peroranti Bojo caput sauciat, tum fugienti, & Deorum hospitalium, populi Romani, & præsentium fidem imploranti, latus haurit crudelissimè. Sævum & supra ferinam rabiem belluinum facinus tantâ Bojorum execratione fuit acceptum, nemo ut esset, quin mori mallet, quàm ejusmodi perfidiæ caput obijcere, quæ vino amens & Venere, inter epulas, ubi bene precari, & Dîs libare mos esset, ad faciendum scorto luridissimo feralem ludum, mactaret humanam victimam, mensámque nobili cruore fœdaret. Ergo Boij sceleris immanitate permoti, detestantes Romanorum societatem, se impigrè ad bellum comparârunt, quod anno sequenti P. Cornelio Scipione Nasicâ & M. Acilio Glabrione Coss. supremis quidem viribus, sed eventu improspero gesserunt.

Forma.

XLVI. *Numidæ Gallorum agrum vastant.*

Romanos periculo eximunt.

Boiorũ ingens consternatio.

XLVII. *Crudele foedissimumque L. Q. Flaminii facinus.*

Liv. lib. 9. post med. Flor. in lib. 9. Dec. 4.

Boios deterret a Romanorũ societate.

Per idem temporis L. Quintius Minutius in Liguriâ castra habuit, cum potestate Proconsulis, quam provinciam anno superiore militum insolentiæ permissam devastârat, captis aliquot castellis. Ligures Flaminij flagitium execrabiliùs quàm

An. V. C. D.LXIII.

XLIIX.

Ligurum clades.

quàm Boij detestantes, coacto sacrâ lege exercitu, ejus castra ex improviso nocturnis tecti tenebris adorti sunt. Quintius eos, dispositis quaquaversum excubijs, totâ nocte vallum oppugnantes repressit, dum reliquus exercitus primam lucem & erumpendi signum expectabat. Fatigabantur interea Ligures continentibus impressionibus, cùm Minutius duabus simul portis recentes emittit, qui hostem aggrediantur. Primum impetum fortiter excepêre Ligures, & duas ampliùs horas dubio Marte certavere. Demum cùm alij atque alij viribus integris adversus fessos in pugnam succederent, Ligures nocte pervigilatâ & laboribus magis, quàm hostium virtute fracti, pedem ex acie retulerunt, amissis suorum quinque millibus. Romani vix ultra trecentos desiderârunt. Secuta duobus abhinc mensibus clades internecina Bojorum, qui supremo conatu, quod ipsis adhuc supererat sanguinis, ausi dare in discrimem, venêre ad manus cum P. Cornelio Nasicâ Consule viro fortissimo, quem Senatus ob religionis peculiare studium dignum judicavit, qui Idæam matrem navi Pessinunte advectam acciperet, & delatam in continentem, traderet matronis gestandam. In eo prælio, si Orosio credimus, occisa sunt viginti Bojorum millia: si Valerio Antiati, quo in augendis numeris, teste Livio, non alius est intemperantior; cæsa sunt duodetriginta millia. Capti ter mille quadringenti, signa militaria centum viginti quatuor, equi mille ducenti triginta, carpenta ducenta quadraginta septem, castra expugnata, direpta. Nasica in oratione, quam habuit pro triumpho, retulit ultra mediam partem de quadraginta hostium millibus occubuisse. Atque hæc fuit pugna, quæ Bojos ad extremum fractos, accisis opibus, deletâ omni propè juventute, cùm pauci præter imbellem turbam superessent, adegit ad deditionem. Eos P. Cornelius Consul, acceptis obsidibus, dimidiâ fermè agri parte multavit, in quem, si populo Romano videretur, colonias deducere fas esset. Ipse de ijs triumphavit. In triumpho ostentata gentis spolia, arma, mille torques aurei quadringenti septuaginta; auri ducenta quadraginta quinque, argenti facti infecti duo millia trecenta quadraginta pondo, bigatorum nummûm ducenta triginta quatuor illata in ærarium. Militibus currum secutis divisi triceni viceni quini, duplum centurioni, triplum equiti.

Boiorũ internecina clades. Oros. lib. 4. c. 20. Liv. lib. 36.

XLIX. An. V. C. D. LXIV. Supplentur Romanæ coloniæ Placentina et Cremonensis.

Proximo, qui id bellum secutus est, anno, L. Corn. Scipione, qui dictus postea Asiaticus, & C. Lælio Nepote Consulibus, è Galliâ Cispadanâ Legati Placentinorum & Cremonensium Romam ivêre, expostulatum in Senatu de colonorum infrequentia, quorum alios bellum absumpserat, alios vicinorum arma fugaverant, alios morbi sustulerant. Decrevere Patres, uti Lælius, cui Gallia sortitò obvenerat, si ei videretur, sex familiarum millia conscriberet, qui venirent in coloniarum supplementa. Lælio item referente, Senatus censuit, duas præterea colonias in agrum Boijs ademptum deduci oportere.

An. V. C. D. LXV. Colonia Bononiæ.

Cùm anno insequente C. Manlio Vulsone & C. Manlio Nobiliore Coss. imperium Lælio esset prorogatum, & Q. Minutius exercitum traducere in Bojos, quem P. Cornelio traderet, esset jussus; ex agro Boico deductæ sunt urbanæ Legiones, atque sub anni finem ad 3. Cal. Jan. ex Senatusconsulto nominati Triumviri L. Valerius Flaccus, M. Attilius Serranus, L. Valerius Tappus, qui coloniam Latinam ter mille capitum, in Legionum locum, Bononiam deducerent. Equiti jugera septuagena, reliquis quinquagena sunt attributa. Nihilominus post deductam coloniam, ager, retento prisco nomine, Boici appellationem servavit. quod Sex. Pompejus ex Verrio Flacco retulit. Mutina posthæc & Parma, civium Romanorum coloniæ, in reliquum agri Boici venêre. Duobus hominum millibus, Parmæ, octona in singulos jugera; Mutinæ quina obvenere, M. Æmilio Lepido, T. Ebutio Caro, & L. Quintio Quirino Triumviris.

Parmæ et Mutinæ.

Boii de Italia deserenda deliberant.

Boij, quos urebat non tam præteritæ calamitatis recordatio, quàm gliscens in horas metus servitutis, ex tot coloniarum accessione, Italiam potiùs deserendam, quàm faciendam esse libertatis jacturam censuerunt, gloriosâ excelsæ mentis magnitudine, quæ in Gallis alijs, qui post ejectos Senones Romanæ dominationi

tioni cervices subjecerunt, fuit desiderata. Julius Obsequens Bojos citra prælium cessisse ait: Strabo pulsos; armatâ manu, an Senatusconsulto, in medio relinquit. Quacunque tandem vi discesserint, discessère tamen, posteaquam annos supra ducentos ab urbe captâ, victores sæpe, victi sæpius, Urbis fortunam fortiter morati, superati tandem, ab eâ timeri desierunt; id laudis ad famæ immortalitatem assecuti, quòd, cùm maximi Reges & florentissimæ Respublicæ jugum subirent, non putaverint tamen Romani, sibi satis firmam tutámve Italiæ possessionem, quamdiu cis Alpes Boij pedem figerent. Ipsi verò excessère M. Valerio Messalâ & C. Livio Salinatore Coss., sedésque in Norico apud Tauriscos sunt consecuti. *Iul. Obseq. de prodig.* *Strabo lib. 5.* L. AN. V. C. D. LXV.

Tauriscos locat Strabo ad Istrum flumen, cùm ait, permixtas fuisse Thracibus intra Istrum flumen colentibus, Gallicas gentes, Bojos videlicet, Sordiscos & Tauriscos. Hos vocat disertè Gallos, quibus Plinius sedes assignat in Pannoniâ à tergo montis Claudij: nonnullos etiam locat in alpibus juxta Carnos: cui Strabo consentit. Idem Plinius deserta Bojorum prope lacum Peisonem ad confinia Scarabantiæ & Sabariæ extendit. Strabo vult illa ipsa deserta Illyrici partem occupasse, in quæ migrare Boijs difficile non fuit, facili Istri fluminis trajectu. Tauriscorum nomen ipsâ vetustate exolevit; mansit tamen regioni nomenclationis affinitas, ut quemadmodum taurum Germani Stier nuncupant, sic ætas posterior Tauriscos Stirorum nomine, linguæ vernaculæ confini, indigitaret. Quamquam & illud vero simile notavit Cluverius, Gallos Tauriscos nomen traxisse à montibus, qui inter Dravum & Salsiacum fluvios hodiéque ab indigenis Taureti appellantur. Appianus Tauriscos gentibus Illyricis adnumerat. Sunt etiam, qui Taurinenses ad Tauriscos referunt, nimis liberali sententiâ: Id probabile est, ex primis Tauriscis, quos Strabo inter Gallos numerat, & ex Boijs Italicis, haud ægrè coaluisse socialem amicitiam, tum ob communionem sanguinis, tum quòd in magnâ terrarum amplitudine, quæ à Pannoniâ per Norici longitudinem extendebatur, vacuæ sedes fuerint, quæ concederentur exulibus, quorum opera adversus Pannones, aliósque Taurisci nominis æmulos futura esset apprimè opportuna, ad tuendam gentis utriusque fortunam, & veterem virtutis existimationem: quod eò procliviùs est credere, quòd nullum extet in historiâ vestigium, ex quo possit colligi, Bojos Italicos quicquam in Tauriscis per vim occupasse, quando illuc ex Italiâ immigrârunt. *Strab. lib. 4. & 7.* TAURISCI QUI, ET UBI TERRARUM. *Plin. l. 3. cap. 20. & 25.* *Cluver. Vindel. c. 2.* *Appian. l. 6.*





BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I. LIBER III.

Res à Boijs gestæ in Pannoniâ, Thraciâ, Græciâ, Asiâ. Tolistobojorum ex Herciniâ migratio, fines, civitates, magistratus, disciplina militaris. Prædas agunt in Illyrico, Thraciâ, Macedoniâ. Ptolomæum Ceraunum debellant. Brennus Sosthenem prælio superat. Tolistoboij à Græcis victi sæpius. Græcos profligant ad Thermopylas. Eorum clades ad Delphos. Thraciæ dominantur exiguo tempore. Bellum infeliciter tentant in Antigonum Regem Macedoniæ. Traijciunt Hellespontum. Invadunt partem Bithyniæ. Asiam occupant. Bellum inferunt Mithridati. Improsperè bellant in Spartanos, Attalum, Ptolomæum Regem Ægypti, Prusiam, Diaphanem, Antiochum, Romanos. Magnâ strage funduntur in Olympo. Crudeliter habentur à Mithridate. Dejotarus Tolistobojorum Regum penultimus: Amyntas ultimus.



I. TOLISTOBOIORUM GENIUS. *Cæs. lib. 1. de bell. Gall. Tacit. de mor. Germ.*

HActenus Bojorum, quos in Italiam Belloveso Duce profectos, atque illic suas habuisse sedes historiæ memorant, fortunam sumus executi: proximum est, ut eorum, qui in Illyricum, indéque in Pannoniam, Thraciam, tandémque in Asiam penetrârunt, res utrâque fortunâ gestas referamus. Retinuere diu Boij Celtarum, ex quibus orti sunt, ingenia, nec ab ijs descivêre, donec cesserunt aliarum gentium genio, plantas imitati, quæ, cùm è nativo solo ad aliud transferuntur, à primâ indole sensim in aliam degenerant. Fuere, quod Cæsar de Gallis scripsit, & Tacitus de Germanis, procul ab externorum commercijs, hostes voluptatum, alieni ab illecebris, quibus corporum robur & spiritus militares effœminantur. Non est inanis conjectura, Tolistobojos, qui bonam Asiæ par-

partem suæ ditionis fecerunt, ab animi magnitudine & ferociâ nomen accepisse, nuncupatione ex linguâ vernaculâ Germanorum, quæ Celtarum olim fuit, desumptâ. Toll enim hodiéque dicunt, audacem, ingentis animi, ferocem, cultum eleganter, quem Galli Italique *brave*, *bravo* solent appellare, ut Tolisto in summo gradu eas dotes significet, & Tolistobojus idem sit, qui maximi animi, audacissimus, bellicosissimus Bojus, qualem describit Appianus, cùm de Celtis ait, *quòd his mores insunt ferocissimi, in aggrediendo insignis audacia, contemptus mortis maximus, ob spem reviviscendi.* Ejusce ferociæ exempla videre est apud Florum & Livium, quando victi prælio vinctíque, catenas morsibus tentaverunt & suffocandas invicem præbuere fauces: item cùm Ortiagontis Regis uxor à Centurione stuprum passa, abscissum militis caput velut propriæ ovans virtuti tulit ad maritum. Quæ animi excelsitas si in muliere tanta fuit, mirum non est, in viris fuisse majorem, quæ illis in novas terras ferro per hostium strages viam aperuit. Et tales quidem fuere Tolistoboij, quos Plinius & Strabo Tolistobogos vocant, quíque sibi in Græciâ & Asiâ sedes quæsierunt. Illorum migrationi, si Pausaniæ credimus, prælusit Phaënnis Choanij Regis filia hoc oraculo:

TOLISTOBOIORUM NOMEN UNDE.

Apian. in Celt.
Flor. lib. 2. cap. 11.
Liv. lib. 38.

EORUNDEM FEROCIA.

Plin. Nat. Hist. lib. 5.
Strabo. lib. 12.

Hellespontiacis invecta Propontidos arvis,
Inferet atroces Asiæ Bellona procellas.
Celtica progenies rapiet tua Bosphore sceptra,
Quæ Tauri soboles, fato meliore, reponet.
Huic, Iove placato, cùm patria regna capesset,
Natio promeritas dabit olim Gallica pœnas.

II.

TOLISTOBOII UNDE MIGRARINT IN ASIAM.

Quânam ex Bojorum coloniâ orientale istud Tolistobojorum examen prodierit, non usque eò convenit inter Scriptores, quin lis aliqua Boijs Hercinijs moveatur, de istorum migrantium origine. Disceptationi causam dedit Justinus in Trogi Pompeij Epitome, ubi Gallos ait abundante multitudine trecenta hominum millia velut ver sacrum ad quærendas novas sedes misisse, atque ex his aliquos consedisse in Italiâ; Romanam urbem incendisse: alios penetrasse in sinus Illyricos, per barbarorum strages, gentem videlicet asperam, audacem, bellicosam, quæ prima post Herculem, alpium invicta juga & frigore intractabilia loca transcendit: eam, inquam, gentem, domitis indigenis, sedes in Pannoniâ accepisse, & multos annos cum finitimis varia gessisse bella; deinde hortante successu, divisis agminibus, alios Græciam, alios Macedoniam petijsse: Unde Cluverius argumentatur, orientales colonias non ex Boijs Hercinijs, sed ex Illyrico, & quidem post trajectas alpes prodijsse. Verùm Cluverio non est, cur subscribamus, contra Velserum virum doctissimum & accuratissimum. Tametsi enim Justinus asserat, gentem illam bellicosam trajecisse alpes, non asserit tamen totam trajecisse: ut enim verum esset, eam post Herculem alpium intractabilia juga superasse, satis tamen esset, si pars trecentorum millium superasset. Nititur hæc ratio certiore historicorum fide, quàm ut eam faciat ambiguam nimis adstricta Justini narratio. Mirum non est, eum ex Boijs Hercinijs nullos Asiæ assignasse, qui nescivit quidem, Gallos, posteaquam Galliâ excesserunt, sui partem, Sigoveso Duce, in saltu Bojohemo reliquisse. Quamobrem fieri non potuit, ut ipse ea descripserit, quæ Bojohema colonia gessit, vel quos ipsa in alias terras destinârit. Atqui Livius Justino longè exactior, disertè ostendit, Bojorum alios sub Belloveso ivisse in Italiam, alijs, quibus Sigovesus imperabat, sortibus obtigisse saltus Hercinios. Ex alterutris autem oportet aliquos divertisse in Illyricum, cùm nulli essent præterea; atqui ex Italiâ ullos isthuc divertisse Livius uspiam non meminit, ergo necesse est divertisse ex eâ Bojorum coloniâ, quæ hæsit in Bojohemo, alijsque fertilissimis Germaniæ regionibus, quas Cæsar ipsis adscripsit.

Cluver. in Vindel. pag. 25. n. 2.

REFUTATUR.

Liv. lib. 5.

Cæs. lib. 8. de bell. Gall.

III.

TRES GALLOGRÆCORUM GENTES.

Disertiùs Livius lib. 38. describens Gallogræcorum originem, eorúmque profectionem in Asiam, tergeminas gentes commemorat, inter quas Asia divisa est, ut nossent singulæ, quæ cuique genti pars Asiæ foret vectigalis: Eæ fuerunt Tolistobogi, Trocmi, Tectosagi, alijs dicti Tectosages vel Tectosagæ: Sed nulla harum

rum gentium sedes unquam habuit in Italiâ, quod ex eodem Livio alijsque est manifestum, ergo neque ex Italiâ migravit in Asiam. Is, quem dixi, Livij locus tam clarus est, etiam in recentioribus editionibus, ut nihil opus sit ad vetustiores codices, qui vix teruntur manibus, recurrere, vel ad Sigonij interpretationem, quæ tamen multùm favet nostræ sententiæ, ut pro Tolistobogis Tolistobojos legamus, vel ex Stephano & Appiano in Syriacâ, Tolistobios asseramus Gallatarum populis. Jam verò Livius recensens Celtarum populos, qui in Italiâ consederunt, puta Bojos, Senones, Cenomanos, Insubres, Ligures, quique bella cum Hetruscis Romanisque gesserunt, ne apice quidem Tolistobojorum, Trocmorum vel Tectosagum meminit, quos non fuisset omissurus, si Romanos armis appetivissent, pertineret enim ad populi Romani gloriam, quam mirè spectavit Livius, tres quoque istas gentes perinde atque alias, Romanæ potentiæ cessisse.

Atqui Justinus ait, unam Gallorum portionem in sinus Illyricos per strages barbarorum penetrasse, & consedisse in Pannoniâ: Quid inde infers Cluveri? Ex Italiâ, inquit, per Alpes penetrârunt. Sed ne somniavit quidem hoc Justinus, qui exertè discriminat Gallos, qui in Italiam profecti sunt, ab ijs, qui transierunt in Illyricum, Pannoniam, Græciam, Asiam: quare qui Italiam invaserunt, non invaserunt Illyricum, vel Asiam. Quærit Cluverius, an tres istæ gentes, Tolistoboij, Trocmi, & Tectosages in Bojohemo omnes consederint? Asserit Velserus, & ego assero. Sed inquies; qui Sigoveso Duce Hercinios saltus habitarunt, è Celticâ profectos testatur Livius, Tectosages autem fuere gens braccatæ Galliæ: Rectè: quid postea? Galli omnes, qui sive in Italiam, seu in saltus Hercinios immigrârunt, è Celtica sunt profecti, atque inter hos haud dubiè Tectosages, Trocmi, & Tolistoboij: quid vetet igitur eos inter Hercinios aliquando degisse? Distincta eorum nomina & cognationem videre est apud Strabonem, cujus verba ex Græco reddo fideliter. *Tectosages* (inquit) *Pyrenæis propenqui sunt montibus, paulatim etiam Cemmenum attingunt ex Aquilonis latere, auriferámque colunt terram. Potentiâ verò & hominum robore quondam valuisse videntur, adeò ut incidente seditione, magnum è suis numerum domo ejecerint: ad eorum verò fortunas communicandas, alij ex alys gentibus convenêre, è quibus sunt, qui finitimam Cappadociæ & Paphlagoniæ Phrygiam occupaverunt. Hujus autem rei argumentum habemus, quod hâc etiam ætate Tectosages appellantur. Nam cum ternæ gentes existant, una quidem circa Vrbem Ancyram habitans, Tectosagum dicitur gens, reliquæ duæ sunt, Trocmi scilicet ac Toelistobosgij. Hos autem è Celtis digressos fuisse significat juncta cum Tectosagibus cognatio. Quibus autem ex oris concitati fuerint, explicare non possum: Nunc enim Trocmos aut Toelistobosgios ullos uspiam habitare nequaquam intelleximus, nec intra Alpes nec extra, in ipsis Alpibus. Eos autem loca deseruisse propter crebras hominum expulsiones, credendum est, sicuti multis alijs obvênit, ut Brenno, qui Delphos incursavit, Prausum quidam appellant.*

Liv. lib. 5.

Strab. lib. 4.

IV.

Hinc clarum est, Tolistobojos è Celtis esse profectos, unà cum consanguineis populis. Licèt verò ignoravit Strabo, quibus ex oris fuerint concitati, non ignoravit tamen Livius, qui duas ex Celtis tantùm facit migrationes, unam in Italiam, ad quam non debere referri Tolistobojos, qui se infuderunt Asiæ, demonstravimus: alteram in saltus Hercinios: ex qua necessarijs rebus efficitur, ut Tolistoboij migrârint in Illyricum, Pannoniam, Thraciam, Asiam. Pergit Cluverius. *Ab unis Boijs Bojohemo nomen remansit.* Non eo inficias: sed & Tolistoboij Boij sunt, quod apparet ex ipsâ appellatione paulùm mutatâ, ob animi magnitudinem, quâ se à Boijs, qui Bojohemo adhæserunt, ad subigendas alias gentes ausi sunt separare. Unde non inscitè dixerit, qui Tolistobojorum nomen asseruerit esse natum in Asiaticâ profectione: tametsi Strabo eos sic velit dictos à Duce, cujus auspicijs sunt profecti. Non desiêre tamen ideo esse Boij, nec fuere diversi ab ijs, quos Appianus & Stephanus vocant Tolistobios, aut Ptolomæus & Solinus Tolistobogos, vel Eratosthenes & Florus Tolistobogios: non secus

Strab. l. 4. & 12. Appian. in Siriac. Solin. Polyhist. cap. 52. Flor. l. 2, c. 11.

secus atque Gothorum aliqui Ostrogothi, alij Visigothi paulùm quidem auctâ nomenclatione fuere distincti, nec tamen esse Gothi desierunt.

Polybium quoque, Plutarchum, & Livium pro sua opinione adducit Cluverius: id quàm peritè, paucis expedio. *Immensum* (inquit) *errorem errasse Velserum circa Bojos, ubi Gallos, quos Livius lib. 44. ab Istro profectos Macedonibus auxilio Clonaico Duce venisse tradit, hos ipsos Bojos fuisse docet; quos tamen disertè Polybius, referente libro Legationum, & Plutarchus in Æmilio Paulo, ipse adeò Livius lib. 40. vocat Bastarnas, trans Istrum Getarum agri partem colentes, antequam à Philippo & Perseo Macedoniæ Regibus in auxilium contra Romanos vocati.* Polybij verba sic habent: *Senatus post Legationis Rhodiorum adventum, eâ auditâ, responsum dare distulit, cùm autem Dardani venissent, & de Bastarnis exposuissent, quanta eorum multitudo, quàm ingentia eorum corpora, quanta in periculis esset eorum audacia, docuissent etiam de societate cum ijs inita à Perseo & Gallis, dixissentque, majori sibi Perseum, quàm Bastarnas esse terrori, ac proinde opem sibi ferri postulassent.* Quæ sequuntur, nihil ad rem faciunt. Ex adductis palàm est, non solos Bastarnas cum Perseo belli societatem inijsse, sed etiam Gallos; quos illos? Eos fuisse Bojos Bastarnis vicinos, & ad Istrum incolentes, nemo dubitaverit, qui rectè expenderit Strabonem: ergo non fuerunt Boij Italici, qui non ad Istrum sive Danubium, sed ad Eridanum degebant. Strabo in libri septimi limine agens de tractu ad Istrum, sic ait: *Spectantes in septentrionem Istri partes, sunt trans Rhenum regiones & Galliæ, quæ sunt Gallicæ gentes & Germanicæ usque ad Bastarnas & Tyrrhegetas:* Et paucis interjectis: *In Austrum vergentia sunt Illyrica, & Thracia, & quæcunque de Gallicis istis admixta sunt, seu de plerisque alijs usque ad oras Græciæ.* Ex quibus luce palàm est, Gallos Perseo & Bastarnis sociatos, degisse ad Istrum, & Bastarnis quidem vicinos, à quibus Boij Italici procùl distabant. Quare duplicem errorem erravit Cluverius: primum, quòd (nescio an bonâ fide) Bastarnas solos belli socios nominaverit: secundum, quòd mutilârit Polybij testimonium omissis Gallis, quos si non omisisset, ilicò potuisset confutari ex ipso Polybio & Strabone, quorum hic Gallos Bastarnis vicinos, ac proinde haud difficili fœderis nexu conjunctos, ad Danubium locat, satisque hoc ipso ostendit, pertinuisse ad illos, qui Sigoveso duce in Herciniam vicináque loca migrârunt. V. *Polyb. Legat. 62.* *Strabo Geog. lib. 7.*

Plutarchus nihilo plus facit pro Cluverio. Etsi enim asserat, Bastarnas Perseo roganti auxilio adduxisse decem millia equitum, ac totidem pedites, non negat tamen, adfuisse simul Gallo-Bojos à Polybio non prætermissos: sed affirmat potiùs, quando ait, Perseum falsâ fide Gallos à se dimisisse: ergo cum Bastarnis etiam Galli Perseo adduxere suppetias. Vel igitur ostendat Cluverius, hos Gallos venisse ex Italiâ, quod nunquam præstabit: vel fateatur, fuisse Gallos, qui extra Italiam degentes, Bastarnis fuere confines, quales fuere Hercinij. Plutarchus nihil prorsus patrocinatur Cluverio: neque enim inficiatur, Bojos Bastarnarum socios Perseo adfuisse, sed insinuat potiùs, quando Bastarnas ait Istrum, quem utique Boij accolebant, trajecisse: unde facilis est conjectura, secum Bojos traxisse. *Plutarch. in Æmil.* VI. *Liv. l. 40. fin.*

Atque hæc quidem de Justino aliisque, quorum authoritate contra Velserum usus est Cluverius: qui si Pausaniam legisset, reperisset testem haud paulò disertiùs pro sua opinione loquentem; cui quantum sit tribuendum, verbo indicabimus. Is agens de Gallis, qui irruperunt in Græciam, sic scribit. *Galli verò, de quibus nunc incidit mentio, in extremis Europæ oris, ad vastum mare accolunt, cujus fines adiri posse navibus, negant. Est enim gurgitis æstu, scopulis & belluarum immanitate, quàm mare aliud omne importunius. Horum fines Eridanus perlabitur, cujus in ripis Phaëthontis casum Solis filiæ, illius Sorores, collachrymari creduntur. Verùm ut Galli appellarentur, non nisi serò usus obtinuit. Celtas enim cùm ipsi se antiquitus, tum alij nominârunt. Hi contractis undecunque copijs, ad Ionium mare conversi, omnes Illyrici populos, & quicquid gentium ad Macedonicum usque nomen patet, quin & ipsos Macedonas oppressere.* Fateor, nisi essent, qui Gallogræcorum ortum, migratio- *Pausan. Att. lib. 1.* VII.

nem, sedes, meliùs quàm Pausanias describerent, & corrigerent errores aliquot, quos Pausanias paucis istis verbis prodidit, crederem Gallos, qui Illyricum & Macedoniam invaserunt, ad Eridanum, qui hodie Padus, habitasse: sed cùm testes Pausaniâ longè locupletiores audierimus paulò antè, qui prorsus alia exertè profitentur, hoc Pausaniæ commentum relegabimus ad cæteras ejusdem fabulas, quales sunt, quòd Galli isti degebant in extremis Europæ oris: quòd habuere sedes ad vastum mare: quòd hoc ipsum mare navibus sit impervium: quòd infame sit tempestatibus, scopulis, belluarum monstris, suprà quàm ullum aliud: quorum nullum ex vero de Padi sive Eridani confinio, aut vicino mari potest affirmari. Verbo, Pausanias æquè atque Justinus ignoravit primas Bojorum trans Rhenum sedes, & cùm præter Circumpadanos Celtas nullos nôsset, Gallos ex Italiâ in Illyricum cæterásque gentium finxit armis penetrasse. Neque verò extra rem est, quod prudenter observavit Velserus, nimirum ab ipsis Herciniæ nemoribus in ipsam usque Asiam extare Boici nominis vestigia, quæ ad Tolistobojos, lectorem velut manu ducere videantur. Inter hæc Bojodurum, ad Danubij trajectum, quà Oenus Vindelicos & Novios interfluit. Idem ambigit, an Bojon oppidum in Tauricâ Chersoneso, huc quoque pertineat, quod in eâ Peninsulâ hodiéque gentes vivant, quæ sermone, moribus, ore denique ipso & corporis habitu originem Germanicam referunt. Ajunt item, in Asiaticâ Friderici

VIII. Ahenobarbi Imperatoris expeditione, prope Armeniam, repertam fuisse gentem, quæ Boico sermone utebatur: quod an fidem mereatur, non satis video.

Ptolem. lib. 5. c. 4. Strabo lib. 12. Cic. Orat. pro Dejotar.

TOLISTOBOIORUM REGIONES, POTENTIA.

Cæterùm, ut (omisso Cluverio) ad lineam redeamus: Tolistoboij Æolide atque Joniâ potiti sunt. Civitates incoluere Germam, Pessinuntem, Vindiam, Andrum, Vegistum, Tolastam pagum ducis Tolisti fortasse monimentum: Addit Strabo Blucium (Ciceroni Lucejum) & Pejum: Memnon adnumerat Tabiam. Trocmorum sedes versus Pontum & Cappadociam fuere Tanium, Mithridaticum, quod Pompejus postea donavit Bogodotaro, Lascoria, Androtia, & Davala. Tectosagibus attributæ regiones Phrygiæ majori finitimæ, in quibus Ancyra, Olemus, Corbiuntus, & Anchora castellum. Et ad tantam quidem populi isti potentiam evasêre, ut, cùm nominis sui terrore Asiam complêssent, nullum id temporis bellum sine mercenarijs Gallorum copijs in Oriente gereretur, *neque Reges expulsi sedibus ad alios confugerent, quasi neque tutam servare suam majestatem, neque amissam recuperare se posse sine Gallicâ virtute arbitrarentur.* Tandem uno omnes nomine, quod ternæ gentes usurparent, Galatæ à Græcis; ab alijs mixto vocabulo Gallogræci fuere nuncupati. Terram coluere frugum omnium feracem, quæ & Amethistum gemmam parit. Tota ditio finiebatur à meridie Pamphiliâ; ab Oriente, Cappadociâ; à Septentrione, parte maris Euxini; ab occasu Bithyniâ. Strabo singulas istas gentes, quæ unius erant linguæ, in quatuor partes ait fuisse divisas, & earum unamquamque habuisse Tetrarcham Judicem, atque Tribunos Tetrarchæ subjectos, duos protribunos: duodecim verò Tetrarcharum consilium trecentis viris constitisse. Horum erat, in loco, cui nomen Drynæmetum, de rebus capitalibus judicia exercere, causis minoribus Tetrarcharum arbitrio relictis. Atque is quidem fuit priscus Galatiæ status, qui pòst ad tres Duces devolutus est, deinde ad duos, denique ad unum Dejotarum, cui postea successit Amyntas; postremò Romani, qui Galatiam sub jugum missam, fecêre Provinciam.

Iust. lib. 25. princ.

Mar. Niger Georg. com. 1. Ptolem. lib. 5. cap. 4. Strab. lib. 12.

FINES.

IX.

Deinceps agendum de Boicis expeditionibus, quibus quæsitus fuit amplissimus Gallogræciæ Principatus. Quo tempore Boij primas sedes in Herciniâ tenuere, arma protulere in finitimos, eo successu, ut multis elati victorijs, ijs debellandis animos adjecerint, usque eo formidandi, ut Reges solo Gallici nominis terrore perculsi, pacem ab ijs pecuniæ magnâ vi redimerent. Ut gentes numero & virtute præclaras faciliùs superarent, multum adferebat opis scientia militaris, normáque equitatûs cum Legionibus componendi. Singulos enim equites stipabant notæ inferioris accensi, equorum paratu aliquantùm quidem, sed pugnandi

ARS MILITARIS.

gnandi industriâ viribúsque nihilo dominis inferiores. Hi parati ad omnes casus erant loco subsidij. Nam si forsan in prælio domino peribat equus, secundarius, qui erat instar famuli, suum præbebat. Si dominus occumberet, famuli partes erant, mox in ejus locum succedere. Quòd si & hic caderet, tertius demortui locum in acie occupabat. Jam verò, si primarius vulnere debilitatus stare nequiret in pugnâ, eum secundariorum alter educebat ex acie, alter saucij vices subibat. Hæc ad Persarum exemplum, qui in exercitu plerumque decem habebant millia selecti militis, ex quibus constabat phalanx, quam vocitabant immortalem, eò quòd uno extincto, mox alius velut succresceret, sed eo discrimine, quòd Persæ subsidiarios succenturiarent post exitum certaminis, Galli verò in ipso prælij fervore, in cæsorum vel sauciorum locum recentes integrósque sufficerent tempestivo valde supplemento. Istam formam equitatûs vocabant Boij Trimarcisiam: nam illis linguâ populari equus marca, qui hodie Merche appellatur: unde nata nomenclatio Mareschalli, Marestalli, Marcomani sive viri equestris, Macar item in antiquis Bajoariorum tit. 13. cap. 10. & Alemanorum Legibus, §. 2. Et in Saxonia circa Vistulæ ostia, Maere equus strigosus, in Britanniæ verò Walliâ, equus vulgo March nuncupatur. Atque ista quidem erat forma Galloboici equitatûs: haud dubium, quin, ut consueverant prisci Germanorum pedites, in quibus plurimum roboris, equitibus mixti pugnarent pari numero, quos ex omni juventute legebant equites, veluti salutis suæ præsidiarios. Et in his tanta erat velocitas, ut equorum jubis hærentes, si quò longiùs erat properandum, aut recipiendum celeriùs, equorum cursum adæquarent. Reliquus peditatus coibat in cuneos, quorum prima acies erat angustior, paulatímque latiùs se explicabat ad rumpendos hostium ordines. Sic acies tota anteriore sui parte desinebat in acutum, sed densatis inter se corporibus scutísque tota bene cohærens. Alæ contrà in longum protractæ cum nonnullâ obliquitate, in explicatam latitudinem porrigebantur, minùs tamen stipatæ in medio. Aciem sic instructam claudebat ingens vehiculorum sepimentum, ut miles à tergo foret tectus, néve spes aliqua evadendi in fugâ poneretur. In carpentis eo digestis ordine, matres, liberi, stabant testes spectatorésque pugnæ, magno ad fortiter agendum pugnatoribus incitamento. Permittebatur saucijs receptus ad uxores, quibus mos erat numerare vulnera, tergere, exugere, obligare, cibos & hortamenta ferre laborantibus, tantâ ad concitandam virtutem efficacitate, ut precum pertinaciâ, objectu corporum, & imminentis captivitatis, nî fortiter pugnarent, mentione, aliquando labantes acies fœminæ restituerint.

X. — *Pausan. lib. 1.* — PERSARUM PHALANX DICTA IMMORTALIS. — TRIMARCISIA QUID? — UNDE DICTA. — *Veget. l. 3. c. 19.* — ACIEI FORMA. — *Agathias l. 2.* — XI. — *Plutarch. in Mario.* — *Dio. lib. 51.* — *Oros. l. 5. c. 16.*

His instructi artibus Tolistoboij, post gesta cum finitimis bella, quorum obiter meminit Justinus, Duce Cambaule moverunt in Thraciam, nec fuere tum ultrà progressi, quòd intelligerent, copias, quas eduxerant, minores esse, quàm ut consultò hostium multitudini, quæ in Græciâ parabatur, possent objici. Eas tamen validas esse oportuit, quas Thraces quamlibet bellicosissimi, magnis onustas spolijs, è suis finibus impune passi sunt in patriam reverti. Opes, quas domum reportârunt, cæteris, qui à bello abfuerant, ostentatæ, traxêre populares ad arma tanto numero, ut tergeminis castris sufficerent. Rediêre enim ad signa, quos prioris fortunæ benignitas & semel degustata prædæ dulcedo pellexerat, quâ consumptâ, longè videbatur suavius, ex rapto, quàm laboriosâ agrorum culturâ vivere. Quod ipsum non fuit operosum persuadere contribulibus, quos vel egestas domestica, vel otij & ditescendi cupido, ad sociandas manus invitabant. Rebus ad bellum comparatis, cùm in tripartitum agmen copias divisissent, primum demandârunt Cerethrio, qui Thraces & Triballos invaderet, bello haud dubiè difficili, quòd sola Thracia tantâ virorum fortium multitudine abundaret, ut ante Romanos (si Pausaniæ credimus) nemo totam potuerit debellare. Alteri agmini, cui invadendæ Pannoniæ negotium datum est, ductores impositi Acichorius & Brennus ab eo longè alius, qui Româ captâ Capitolium obsedit. Macedoniam & Illyricum Bolgius (alijs Belgius) aggressus est. Cerethrij & Brenni

Iustin. lib. 24. — *Pausan. in Phocic. l. 10.* — BOII THRACIAM SPOLIANT. — ALTERA EXPEDITIO. — *Pausan. l. 10.* — TRIPARTITA. — XII. — *Pausan. lib. 1.* — *Iustin. l. 24.*

Brenni successus non prodidit Pausanias, nisi quòd nullâ re memorabili domum redierint, ut proinde præter prædas nihil videantur egisse. Bolgij expeditionem *Plutarch. in Pyrrho.* rebus gestis nobiliorem descripsit accuratiùs, Plutarchus paucis insinuavit. Bellum illi fuit in Ptolemæum Macedoniæ Regem cognomento Ceraunum, quasi dicas fulmineum, propter turbulentam & præfervidam audaciam.

Is ipse est, qui cùm Macedoniæ regnum, pulso Antigono, occupasset, majori scelere sibi soli sceptrum putavit esse asserendum. Tres illi erant ex Arsinoë sorore & Callimacho Rege nepotes, qui urbe Cassandreâ velut paterni regni PTOLEMÆI CERAUNI FRAUDULENTIA. reliquijs potiebantur. Ut eos tantillâ possessione omníque recuperandi regni fiduciâ, sororem verò filijs ipsâque vitâ spoliaret, quòd apertâ vi difficiliùs impetrasset, clandestinâ impietate fraudibúsque est aggressus. Ille igitur primùm simulare flagrantem sororis amorem, congeminare officiosa obsequia, addere munera, demum ejus ambire nuptias. Insuetam hominis urbanitatem cùm illa suspectaret, damnarétque scelerata vota, cœpit tergiversari, excusare varia, rem extrahere. Ptolemæus contrà preces intendit, pollicetur montes aureos, Deos Deásque omnes mentis suæ conscios obtestatur, nihil se doli in nepotes, nihil in Arsinoën moliri aliud, quàm ut thori fœdere sanctissimam cum ipsâ conjunctio- PERIURIUM. nem, cum filijs ineat regni consortium. Quamobrem sororem obsecrat, dignetur mittere jurisjurandi arbitrum, quo teste, quóque dictante, quibus vellet XIII. devotionibus, apud Deos patrios sese suámque fidem obliget. Paulatim, quæ est muliebris animi mollities, anxia dubitabat, quid caperet consilij: si legatum mitteret, timebat decipi perjurio, si fratrem omnino respueret, obversabatur animo fraterna crudelitas, quam periculosum esset, per repulsam agere in rabiem. Demum labefactatâ constantiâ, mens ad amandum nimis cerea, sumpsit obtentui liberorum salutem, & spem regni ipsis asserendi. Ergo mittit è domesticis Chodionem, quo præsente Ptolemæus in principe totius Macedoniæ Jovis delubro, tactis aris, ipsisque Deûm simulacris & pulvinaribus, per ultimas, & vix priùs auditas execrationes dejeravit, se probâ fide, nullo prorsus dolo, sororis nuptias cogitare; se cum ipsâ diadema noménque regium esse communicaturum, NUPTIÆ CŨ SORORE ARSINOE. nullam præter ipsam admissurum in thalamum: præter Arsinoës liberos, nullum prorsus regno destinaturum. Monuit ingemiscens Ptolomæus Callimachi filius, haud dubium subesse fraudes: sed Arsinoë mater jam expugnata promissis & amore, nescia, quòd mox esset futura filiorum noverca, monentem neglexit. Fratri ergo collocuta, magísque quàm aliàs devincta blandienti manus dedit, fidémque futuri matrimonij. Sub hæc nuptiæ splendido apparatu, pompâ suprà quàm regiâ, publicâque Macedonum lætitiâ celebrantur, Arsinoë corona imponitur, inspectante & fausta acclamante exercitu. Misera tot irretita vinculis, ultro maritum Cassandream urbem invitat: Id verò ipsum erat, quod spectabat XIV. Ceraunus, ad struendas matri liberísque insidias. Illa maritum prægressa, sacra, CRUDELITAS. profana, templa, palatia, cætera omnia instruit, exornat, festum propediem secuturo Regi civitati indicit, aras hostiásque jubet parari. Aberat Ptolemæus filius, fraudem pompámque abominatus: Aderat Lysimachus sedecim annos natus, & Philippus triennio minor. Ambos mater voluit coronatos Ceraunо obviam occurrere: Occurrentes vitricus fraudulentus ultra consuetum modum (is decipientium mos est) amplexibus, osculis, blanditijs ad nauseam fatigavit. Verùm postquam in urbem ventum est, mox erupêre doli. Jubet extemplo Tyrannus Nepotes trucidari, invadi arcem, urbem dispositâ passim statione occupari. ArARSINOES LUCTUS ET EXILIUM. sinoë Deos hominésque inclamans, se pro filijs identidem obtulit percussoribus, sæpe laterum opposito eorum corpora protexit; sed in cassum. Uterque in ejus oculis confossus, quódque luctuosissimum, funus utriusque ereptum matri. Illa damnans suam credulitatem, mœstáque, quòd cum filijs non liceret mori, passis capillis, scissâ veste, cum duobus servulis urbe ejecta, in Samothraciam extorris, & ultimæ calamitatis exemplum proficiscitur. Hoc inter cætera fuit execrandum Cerauni facinus, quod cœlum per Tolistobojos sociósque voluit expiare.

In

In ejus perniciem cœptum est bellum, anno urbis conditæ quadringentesimo septuagesimo quarto. Ad Ceraunum Galli Legatos miserant, qui pacem offerrent, aliorum Regum more pecuniâ sanciendam. Eam ille Legationem sic accepit, ut inter familiares stolidè gloriaretur, Gallos metu pacem orare. Pòst ubi audierat Oratores, negavit, se pacem daturum alio pignore, nisi Gallorum Duces se sisterent obsides, exercitus arma poneret; neque enim posse se cum armatis quicquam pacisci, nec habere fidem, nisi talibus obsidibus. Cum isto responso ad Gallos remisit Oratores. Verùm pro delirio accepta est à Gallis Cerauni ferocia. Sed & hoc longè stolidius. Dardani rebus suis metuentes, si Galli Ceraunum superarent, periclitanti obtulerunt ultrò viginti armatorum millia in auxilium. Sed pereundum erat homini facinoroso, quem ad exitium flagitia destinabant. Respuit Dardanorum suppetias, jactans, actum esse de Macedoniâ, quæ terrarum orbem ad extremas usque oras domuisset, si tantillâ Dardanorum manu ad suorum finium defensionem indigeret. Habiturum se sub signis viros, quorum majores Alexandro Magno innumerarum gentium domitori stipendia fecissent, & peperissent imperium. Hæc ubi Dardaniæ Regi renunciata sunt, prædixit, Regnum Macedoniæ quamlibet inclytum, stolidi juvenis inani temeritate ruiturum. Nec à vero aberravit vates: ut enim regna fundantur regentium sapientiâ, ita stultitiâ & temeritate subruuntur. Igitur Ptolemæus vecors ac præfidens, cum paucis suorum, iisque incompositis, se validissimis Gallorum copijs ausus est objicere, quasi eâdem facilitate bella, quâ scelera patrarentur. Nimirum à furijs ad interitum rapiebatur latro tot parricidiorum conscius. Secundum hæc acies inter se commissæ: Galli Macedones superant, conijciunt in fugam. Ptolemæus multis vulneribus saucius venit in Bojorum manus. Ejus caput amputatum de hastili sublime, totâ Gallorum acie ad hostium ludibrium terrorémque circumfertur. Paucos Macedonum fuga servavit: reliqui cæsi aut capti. Ejus ignominiæ fama cùm per omnem Macedoniam vulgaretur, mira fuit gentis devictæ consternatio, & agrorum vastitas, colonis profugientibus, urbibus luctu & mœrore squalidis. Audiebantur passim lamenta, non privata solùm funera, sed patriæ quoque ultima fata deplorantium, & è præsentibus futuros casus præsagientium. Vocant in auxilium votis inanibus Philippi & Alexandri suorum olim Regum nomina, quorum fortitudine non tuti solùm, sed etiam orbis domitores evasissent. Cùm omnia spectarent ultimam desperationem, Sosthenes contractis ex Macedonicâ juventute copijs, Gallos victoriâ exultantes cohibuit, ne Macedoniam populationibus ultrà deformarent. Quamobrem Rex appellatus ab exercitu, repudiato Regis titulo, contentus Ducis nomine, milites in sua verba adegit. Galli non ausi armato occurrere, in suos se fines recepêre.

Secundum hæc, Brennus ductor secundi Bojorum exercitûs, cùm infra spem ejus optatis fortuna initio respondisset, cognitâ Bolgij felicitate & facilitate invadendi Orientis imperium, si ille victoriam fuisset prosecutus; cœpit militem modò privatis congressibus, modò pro concione sollicitare ad novam expeditionem, ductores animare spe rerum maximarum, socios adsciscere, ostentare innumerarum gentium spolia, quibus olim Alexander Macedoniam ditasset; privatorum ingentes opes, opulentissima templorum donaria, civitatum rebus omnibus abundantium amplitudinem, incredibilem soli amœnitatem atque delitias; quibus omnibus victoriâ citra magnum discrimen parabili, potiri possent, si non defuturus esset animus potiendi. Ne verò Sosthenis copias cæterásque Græcorum vires metuerent, in magnâ suorum frequentiâ Græcos captivos produxit in medium, sordidatos, luridos, rasâ cæsarie, vix hærentes ossibus, quos Gallis corporum proceritate, armaturâ, robore longè melioribus composuit, ut æstimarent, cum quibus homulis, veriùs homulorum umbris, res esset futura viris robustissimis: quàm foret facile bellicæ virtuti certamen cum ipsâ propè imbelliâ! His rationibus ad arma pellexit ingentem bellicosorum hominum

An. V. C. CCCC. LXXIV.

Boii Ceranno pacem offerunt.

XV.

Recusanti pacem et auxilia Regis Dardani.

Boii bellum inferunt.

Victo caput amputant.

Macedoniæ consternatio.

XVI.

Sosthenes Gallis obsistit.

Finis belli Macedonici.

Brennus bellum renovat in Macedones.

Polyen. Strat. lib. 7.

num multitudinem. Qui nomina huic bello dederunt, fuerunt centum quinquaginta millia peditum, equites vicies mille quadringenti: Justinus non numerat ultra quindecim equitum millia. Fuere in his è prima nobilitate plurimi, ipséque Acichorius.

Justin. l. 24.

XVII. SOSTHENEM SUPERAT. *Pausan. l. 10.* GRÆCORUM CONSPIRATIO IN GALLOS.

Cum formidando isto apparatu Brennus irrupit in Macedoniam, quam cùm devastaret, Sosthenes ausus cum suis occurrere, devictus prælio, atque retrusus intra urbium mœnia, agrum universum populationibus exhauriendum Brenno reliquit. Cùm in Macedonum clade totius Græciæ periculum verteretur, magnus universam terror invasit. Ne tamen se suásque fortunas ignavâ cessatione destituerent, descendêre in eam sententiam, patriæ periclitanti, communi omnium quantâ possent ope, esse succurrendum Macedoniæ, neque ferendum, ut pars ulla Græciæ hosti dederetur, ne ad cæteras ex ordine subigendas, arma proferret, atque in ipsam ingenuorum hominum libertatem involaret. Neque enim memoriâ exciderat, quibus calamitatibus Galli superioribus excursionibus, Macedonas, Thraces, & Pœonas affecissent. Et certi jam tum adferebantur nuntij, de Thessaliæ injurijs, déque immani oppressione Calliensium, in quos omni diritate Galli sævierant, omni sexu virili, nullo ætatis discrimine, deleto ad internecionem, epoto parvulorum sanguine, voratis eorundem carnibus; matribus, puellisque post illatam ignominiam trucidatis. Erat igitur una vox totius Græciæ, aut vincendum esse tam barbarum hostem, aut omnibus esse moriendum, nisi forsan essent aliqui, quibus longa mors in perpetuis compedibus & probrosis mancipiorum vinculis, generosæ morti videretur esse præferenda. Quantum copiarum singulæ gentes contulerint, enumerat Pausanias. Prima cura fuit Thermopylarum fauces firmare præsidio. Sunt illæ loci genio sic munitæ, ut olim Xerxi totius Orientis viribus imminenti, novem duntaxat hominum millia Græci objiciendos censuerint, & cùm alij non expectato pugnæ eventu essent è statione dilapsi, è Lacedæmonijs trecenti, vel summùm (ut scribit Justinus) sexcenti hostem excepêre, quem transitu prohibuissent, nisi præmaturâ vincendi cupiditate, ut ad solos Spartanos facti gloria pertineret, Leonidas manus cum totis Persarum castris conseruisset, ab ineunte nocte ad majorem diei partem, donec inter magnas prostratorum hostium strages, vincendo fatigati potiùs, quàm victi Lacedæmones nomen sibi immortale pepererunt. Certè eos victoriâ potitos asserit Polyænus. Eodem loci è Græciæ populis adversus Bojos missa supra viginti tria peditum millia. Iis accessêre ab Antigono Rege Macedoniæ ductu Aristodemi auxiliares copiæ, quibus Antiochus Rex Syriæ ductore Telesarcho sua quoque auxilia ad Thermopylarum defensionem adjunxit. Gallorum iter intercipiebat amnis Sperchius. Græci, quò trajectum redderent operosiorem, miserunt cum expedito equitatu mille Legionarios, qui castris ad ripam positis, disjecêre pontes, ne quà forent Gallis usui.

GALLORUM CRUDELITAS.

THERMOPYLARUM PRÆSIDIUM.

Polyæn. Strat. lib. 1.

XIIX. BRENNUS SPERCHIUM FLUVIUM TRAIICIT.

Brennus, qui jam tum in Magnesiæ & Phtiotidis finibus castra locaverat, decem fortissimorum hominum millia jussit, vitatis Græcorum excubijs, inferiorem amnis partem procùl ab hostium castris, tranando superare, vel, quà aquæ stagnantes latéque in paludem diffusæ proceris Gallorum corporibus vadum aperiebant, in adversam ripam evadere. Cùm noctis beneficio Galli flumen paludémque trajecissent, Græci, qui ad Sperchium excubabant, re compertâ, ad Thermopylas se receperunt. Exinde Brenno non fuit arduum, Sperchium ad transmittendum exercitum pontibus sternere, operâ præsertim accolarum, qui opus, quantâ licuit celeritate, deproperarunt, ut se metui, & provinciam hospitibus odiosis eximerent. Galli flumine superato, Heracleam, agro direpto, prætergressi, cùm per Græcorum transfugas explorassent Græcorum apparatum; postero die sub orientem solem decreverunt de summâ rei Martem experiri. Græcis fuit idem consilium. Nullus utrinque erat equitum usus, propter montis, cui Porta nomen, angustias, quæ vetabant alas explicare, quódque saxum naturâ lubricum, & creber aquarum interfluentium lapsus, equorum vestigia fallerent & frequenter

quenter implicarent. Ergo tota prælij moles Legionibus incubuit. Gallis in hostem ruentibus leve erat in imbecillis scutis adjumentum, Græcis plurimùm conferebant loricæ & umbones, cùm densatis ordinibus contra furentium impetum, eminus jacula, cominus enses atque bipennes fortiter opponerent, feriréntque seminudos. Fervente pugnâ, ex Atheniensium navibus quàm proximè appulsis, Græci missilium procellas effundebant in Gallos usque eò infestos, ut telis confixi, eodem, quo integri, ardore, hostem incurrerent, obstantésque revulsis è corpore spiculis peterent. Demum post densas suorum cædes, de victoria desperantibus, Brennus signum dedit receptui. Cùm turbatis ordinibus in castra temere confugerent, multi per angusta locorum protriti, multi dejecti in paludem, cœnosâque luti voragine sepulti. Post eam cladem visum est Brenno, Oetæ jugum Minervæ templo donarijsque opulentum tentare. Erat ad montem iter secundum urbem Heracleam per angustum callem. Venientibus Telesarchus natione Syrus, cum Asiaticorum Antiochi Regis auxiliari manu, sese obvium intulit, & fortiter pugnans cecidit. Superati nihilominus fuere Galli. Brennus geminâ affectus ignominiâ, doctus, Græcorum vires non habere contemptui, aliam belli rationem inijt. Erant in Græcorum exercitu Ætoli robore, numero, armísque ad genus omne pugnæ expeditissimi. Hos ut domum Brennus retraheret, delegit peditum quadraginta millia, equitum octo centurias, cum quibus jubet Orestorum & Combutin, trajecto per pontes Sperchio, transmisśáque Thessaliâ, in Ætoliam confestim irrumpere, agros vastare, tecta flammis, corpora ferro subijcere. Ætoli cognitâ per profugos immani suorum calamitate, facto à cæteris, qui curabant ad Thermopylas, divortio, signa mox rapiunt ad ferendam patriæ ruenti maturam opem, antequam urbes hosti dederentur. Ad eos confluxit omnis Ætolorum ætas: mixti juvenibus senes pristinæ memores virtutis, si res ferret, æquis animis unà cum patriâ fati necessitatem accepturi. Ipsæ fœminæ, memores Calliensis ignominiæ, arma induerunt. Ex Achivis omnibus Patrenses Ætolis auxilia adduxerunt gravis armaturæ, quâ peritissimè utebantur. Sola multitudo Gallorum Græcos reddebat anxios. Ne tamen Ætoli in supremo patriæ discrimine suæ virtuti deessent, à justo quidem certamine ob suorum paucitatem putârunt esse abstinendum, & viarum angusta locáque aciei explicandæ importuna præsidijs insidere, ubi non multi plurimos valerent, si non obruere, at saltem carpere, & oppidò fatigare. Galli prædâ ingenti graves, direptis quà delubrorum, quà privatorum opibus, velut re prosperè confectâ ad Brenni castra revertebantur, cùm per inexploratas locorum ambages progressi, cœperunt premi Ætolorum insidijs, è quibus non viri modò, sed etiam mulieres in confertos tela jaciebant. Illi irâ amentes tela reponere, de viâ erumpere, paucos hac illac insectari, compellere in angusta notósque receptus, quibus se tegebant Ætoli tantisper, dum Galli persequendo fessi, ad suos reditum molirentur, haberéntque rursus catervas à tergo instantes. In isto confligentium æstu identidem recurrente, viæ, tot Gallorum quà cæsorum, quà sauciorum stratæ fuerunt corporibus, ut ex quadraginta millibus, quos eduxerant, vix media pars ad Thermopylarum castra rediverit.

Galli prælio victi, semel. XIX.
Iterum.
Ætoli domum revocati. XX.
Gallos ex insidiis cædunt.

Ad Thermopylas Gallis fuit fortuna mitior. Duo fuere tramites, per quos erat ad hostem accessus. Unus per Oetæ montis abrupta angustus & arduus: alter per Ænianum fines haud paulò mollior. Per hunc Ænianes præbuere se Brenno viæ duces unà cum Heracleotis, quò minore suarum fortunarum detrimento atque expeditiùs Gallos à se amoverent. Hi se fidos itineris indices professi, Brenno authores fuere, eâ parte tentandi Thermopylas. Quamobrem relicto in castris Acichorio, cum agmine quadraginta millium movens in Græcos à tergo, Acichorium jubet à fronte rem strenuè gerere, ubi primùm intelligeret, hostem ex adverso premi. Brennum adventantem nebula, quæ eo die montem obduxerat, sic texit, ut Phocenses, qui claustra præsidio tenebant, non priùs Gallos senserint, quàm stationem suam ex improviso circumventam. Corripuere

XXI. Gallorum victoria ad Thermopylas.

ripuere tamen arma, licèt trepidè & confusè; nonnulli etiam pugnam iniverunt: alij in vestigio resistentes stationem conati sunt tutari; sed cùm nihil ordine fieret, loco moti, ad castra fugientes, terrorem simúlque fugam in socios propagârunt. Athenienses inter primos territi, copias triremibus impositas, quoad licuit per festinationem, in tuto locare maturârunt. Reliqui, qui manus hostium evaserunt, ad suos quique fines dilapsi. Cæsorum numerus à Pausaniâ ob nationis studium non est relatus in calculum. Brennus victor, ne momento quidem moratus, festinatâ profectione Delphos contendit. Acichorius ejus legens vestigia, habuit à tergo hinc inde Græcorum postremos lacessentium incursiones. Is relictis ad Heracleam impedimentis, ad Brennnm contendit. Sed quæ fuit Brenni deproperatio, priùs venit in fani Delphici conspectum, & ad conserendas manus, quàm Acichorio jungeretur. Locum ut aggrederetur absque morâ, authores fuerunt Emanus & Tessalorus (alijs Thessalonus & Thassilo gentile apud Bojos nomen) duces, quos prædandi cupiditas ad bellum traxerat. Festinantibus tamen intercessit Gallorum lassitudo, & fames ex longâ inediâ, quæ eorum vires extenuârat. Illi per agros palantes noctem reficiendis corporibus dederant, vino somnóque indulgentes. Nam studio agrestes magnam meri & cibariorum vim domi reliquerant, ut Galli more militari pergræcantes, totâ nocte à signis abessent, daréntque Delphis spatium, sese per tenebras communiendi, sociósque recipiendi in urbem. Habuere in armis hominum quatuor millia: Brennus sexaginta quinque, ut suorum animos acueret, captivos metu mortis adegit, ut in medium adducti mentirentur, in urbe esse immensas opes in delubro, deorum signa ex auro solido, eáque magno numero, aureas præterea quadrigas, & splendidissima Regum, ac civitatum infiniti pretij donaria: Hæc omnia Brennus jactabat militi cessura in prædam. Cùm exercitus prælium posceret, acies instructa est ad Parnassum montem. Græci ad tuendam impiarum religionum æstimationem, mira prodigia conjecêre in chartas. Apollinem videlicet oraculo jussisse, Græcos esse bono animo: se enim sibi rebúsque suis non defuturum: Terram horrendo motu Gallorum aciem ad multas horas concussisse, cœlo immissos ignes, qui multos absumpserint: Deum Delphicum humanâ adolescentis specie; Dianam, Minervam, quatuor Heroum umbras Hyperochi, Laodici, Pyrrhi, & Phylaci, Græcis confligentibus auxilio venisse: Jovem crebrò tonantem fulminantémque Gallos terruisse, immisisse nives, grandinem, saxa ingentia: His subsidijs Delphos à Phocensibus adjutos victoriam reportasse: Brennum vulneribus & animi dolore saucium, quòd suos tot malis objecisset, pugione (ut Justino placuit) vel, ut refert Pausanias, hausto mero mortem sibi conscivisse. Fatentur tamen, è Phocensibus complures, ínque ijs Aleximachum viribus & ætate florentem, in acie cecidisse. Refert Pausanias, post conflictum, nocte intempestâ, Gallos panico timore correptos & amentiâ, correptis armis in se mutuò sævisse, cladem fuisse triginta duorum millium, quæ tumultus, hostile telum, inedia, & auræ rigor absumpsit. Qui ex Acichorij copijs, quæ post pugnam advenerat, ad Heracleensia castra refugerant, feruntur plerique ab Ætolis, Thessalis, Atheniensibus, Bœotis, alijsque deleti. Hæc Pausanias gesta asserit Olympiadis vigesimæ quintæ anno secundo, C. Fabricio Luscino II. & C. Æmilio Pappo II. Coss. Polybius cæteris sincerior affirmat, Gallos Delphorum urbem ante suorum stragem occupasse.

XXII. *Polien. in Strat. lib. 7.* BRENNI CLADES AD DELPHOS.

AN. V. C. CCCC. LXXV. *Synops. Chronol. Hist. Polyb. lib. 1. Strabo. Geogr. lib. 4.*

XXIII.

Hoc ipsum facit admodum verisimile Strabo, ex Timagene referens, aurum Tolosanum thesauri Delphici partem fuisse, idque raptum à Tectosagibus, in patriam, cujus Tolosa caput erat, fuisse allatum, auctúmque fortunis domesticis, ut sibi propitiarent Apollinem. Cùm enim pestilentiâ laborarent, aruspicum responsis fuisse monitos, id unicum grassanti morbo fore remedium, si aurum argentúmque sacrilegio quæsitum in Tolosensem lacum mergerent. Posidonius, ejus peculij portionem in templi Tolosani adytis ait fuisse depositam, alteram, quæ rude aurum argentúmque erat, in lacu conditam. totam verò prædam

dam quindecim talentorum millia: Strabo appendit argenti pondo centum & decem millia, auri quinquies decies centena millia. Et ejus quidem contactu Justinus memorat Cæpionem (Scipionem vocant alij) Romanum Consulem perinde atque sacrilegio contaminatum, sibi exercituique Romano supremam perniciem accersivisse, ejus verò liberos, relictas à parente facultates, velut Dîs exosas, inter scorta fœdè abligurivisse, ac demum vitam finivisse turpiter. Unde natum, quòd hodiéque celebre est proverbium, quod sacras opes sacrilegio aversas aurum Tolosanum compellat, eò quòd vix unquam sine luculentâ iræ cælestis animadversione contrectentur. Porrò quæ Strabo aliique, de isto Delphorum Thesauro, & Tolosatum rapinâ disseruerunt, manifestè Polybio adstipulantur, & refellunt Græcorum vanitatem, qui Brennum volunt, ab invasione urbis ac templi Delphici cælitus fuisse prohibitum; quod si contigisset, certè Tolosates tantum auri non sublegissent.

An verò, (quod Velsero & Brunnero placuit) Tolistoboij à bello Delphico & spolijs absfuerint, non nisi per conjecturam licet assequi. Strabo postquam recensuit, ternas è Celticâ gentes venisse in Phrygiam, Trocmos videlicet, Tolistobojos & Tectosages, disertè asserit, Tectosages venisse in Delphicam expeditionem, aurúmque Tolosanum abstulisse, non negat tamen, Trocmos ac Tolistobojos cognatas gentes, manus huic bello & rapiendis delubri thesauris sociasse. Ut autem demus Livio, Gallorum viginti millia, qui Brenno duce in Dardanos pervenerant, secessione factâ, in Thraciam iter avertisse, non est tamen inde consequens, vel solos Tolistobojos, vel omnes à Brenno secessisse. Quòd si horum aliqui venerint in partem Delphicæ expugnationis, non est credibile, eos Tectosagibus fuisse religiosiores vel abstinentiores. XXIV. *Strab. lib. 4.* An Tolistoboii Delphicæ cladi adfuerint. *Liv. lib. 38.*

Cæterùm Galli, quos ducebat Acichorius, si Polybio fides est, paulò mitiore, quàm cæteri, quos Brennus sub signis habuit, fortunâ sunt usi. Tametsi enim magno numero post cladem Delphicam perierint, tot tamen tantâque potentiâ superfuerunt, ut ad Hellespontum delati, allectique soli frugúmque bonitate, sedes isthic, regiámque Tule posuerint, Thraciâ subinde debellatâ Comontorio Rege, Byzantinos eò necessitatis adegerint, ut, cùm eorum fines crebriùs incursarent, illi agrorum devastationem, ternis aliquando aureorum millibus, aliàs quinis, interdum denis, ac tandem septuaginta talentorum annuâ pensitatione sibi putaverint esse redimendam, donec Clyarum Regem, regnúmque Gallicum Thraces à suis cervicibus excussum funditus everterunt. *Polyb. lib. 4.* Galli dominantur Thraciæ.

Ut verò tandem accedamus propiùs ad Gallogræcorum, inter quos Tolistoboij, fundatum in Asiâ imperium, annus, quem paulò antè diximus, Olympiadis quintæ supra vigesimam secundus agebatur, quando Galli, qui sub Brenno meruerant, magnis perfuncti periculis, cùm resumpsissent animos, & auxilia è cognatis gentibus sibi adjunxissent, trajecerunt in Asiam, quòd ex propinquo audissent, spem esse potiundi regionibus, in quibus terræ amœnitas cum summâ ubertate certaret. C. Julius Solinus author est, priscas Gallorum gentes Galatiam insedisse, Tolistobogos scilicet, Voturos & Ambianos, quos antè retuli vocatos primitus nomine Tolistobojorum, Trocmorum & Tectosagum, ac postea Gallogræcorum nuncupatione fuisse comprehensos, cùm se Græci Gallis miscuissent. D. Hieronymus suâ etiamnum ætate Ancyram, quæ Tectosagum fuit, Galatiæ primariam urbem agnovit. Asiaticam expeditionem suscepêre, posteaquam Propontidis oram sibi fecerant vectigalem. Præter eos, qui se ex clade Delphicâ collegerant, habuerunt in armis viginti millia, qui (teste Livio) dissidio in Dardanis exorto, cum Lomnorio, seu Leonorio, ac Lutario Regulis à Brenno discesserant in Thraciam. Et verò Justinus tantam Gallicæ juventutis sobolem fuisse asserit, ut ejus examina complerent omnem Asiam. Brunnerus vult, è Boijs suppetias accessisse, quod non iverim inficias; sed an ex Bojohemo, quod ille affirmat, vehementer dubito. Habuere enim Bojos amicos longè viciniores, quod quidem Brunnerus negat, sed asseverat Justinus, cùm eos ait conse- *Solin. c. 53.* XXV. *Appian. Lactant. ad Prob.* *Hieron. in Ep. ad Galat.* Unde Gallogræcis suppetiæ?

consedisse in Pannoniâ, & penetrasse in Illyricum, unde subsidia fuere propinquiora. Nec abnuit Pausanias, cùm illum Gallorum exercitum, qui in Illyrios, Pannonios, & Thraces, utpote hostes, arma verterat, asserit, rebus secundis usum, ad suas sedes rediisse. Cùm enim Illyrici fines, qui hodie Sclavoniâ, & Albaniâ continentur, priscis sæculis ipsos Mysias (quod testatur Appianus) qui supra Macedoniam & Thraciam, usque ad flumen Istrum incolebant, complecterentur; quid vetat, Gallos fecisse in Mysias excursionem, non autem in eos, qui Danubii secundo fluxu labentis dextram oram habitabant; qui & communi Illyrij vocabulo à Romanis censebantur? Si verò, quod non negaverit Brunnerus, deserta Bojorum fuerunt in Pannoniâ saltem superiore: nihil prohibet, tertium Gallorum agmen, de quo paulò antè, è superiore in inferiorem Pannoniam irrupisse, atque hinc regressos in eam, quæ superior, vel Pœonia dicebatur, mutuatâ nomenclatione à Pœonio Autarij filio, ut tradit Appianus. Igitur præsidia in Bojorum finibus relicta, non consedére in ultimâ Celticâ, neque in Bojohemo, quod suspicatur Brunnerus, sed in Illyrico atque Pannoniâ, adversus Thraces atque Macedones, aliósque populos, qui facilè defectionem molirentur, si jam erant subacti, vel apertas cum Gallis inimicitias gerebant. Et nemo facilè videat, quod genus sit argumenti, quo à Bojoduri sive munimento, sive statione Brunnerus colligit, Boicum limitem, id temporis, ultra Oeni Danubiique confluentes non excurrisse, Bojósque intra Bojohemi angustias (contra veterum scriptorum fidem) hæsisse conclusas. Quamobrem Boicæ gentis limites, qui à Brenno in Græciam proficiscente peculiari Gallorum tutelæ fuerunt commissi, alij prorsus fuerunt, quàm quos sibi ille persuasit. Ex his fuerunt educta tria equitum, peditum quindecim millia.

Dom. Mar. Niger. Georg. Comm. 6.

Iustin. lib. 25.

BOII CUM FINITIMIS BELLANT. *Iustin. lib. 25.*

XXVI. Antequam ad bellum Asiaticum educerentur, ipsis aliisque Boicæ præsidio à Brenno relictis, bellum cum Antigono Rege intercessit. Etenim ne, dum Brennus sociique bello occupabantur, desidiâ & otio marcescerent, (quod Justinus scribit) signis cum Getarum Triballorúmque robore collatis, victores, arma verterunt in Macedoniam adversus Antigonum, qui bello expeditus, pace cum Antiocho Rege confectâ domum redierat. Gentem alioquin inquietam accendit auri sitis & gloriæ, perpetuæ comites avaræ ambitionis. Simul incitavit fama Belgij, qui ex devicto non ita pridem Ptolemæo magnum sibi decus pepererat. Ergo Legatos mittunt ad Antigonum, qui pacem, si pecuniâ venalem accipiat; vel si bellum malit, arma denuntient, simul (quod Legatis familiare est) Regis opes, bellicum apparatum, copias explorent. De Regis licitatione, vel oblatâ pacis redemptione, nihil reperio; sed multa, de regiâ opulentiâ, déque gazæ ac virium ostentatione, quâ Legatos à minacibus postulatis absterreret, ostenderétque, sibi ad vim defendendam non defuturas rationes, si bello peteretur. Excepit igitur Oratores civiliter, & cum Græcâ humanitate, cúmque verba sine re reposuisset, adjecit epulas sumptu regio. Fulgebant mensæ abacique gemmis & auro, pellaci ad acuendam avaritiam invitamento: Cætera magnificentiæ deliciarúmque, Regem Græcum referebant. Hæc velut insueta Gallicis oculis, Legati admirari, avidè intueri, identidem laudare, concupiscere, destinare ad prædam. Post geniale convivium, edita spectacula grandium Elephantorum ad Gallorum terrorem, ut nossent, sibi non cum viris modò fortibus, sed cum immanibus etiam belluis fore certamen. Itum inde ad armamentarium, & bellicarum navium stationem, militum epibatarúmque numero spectabilem. Datus demum in conspectum instructâ acie visendus exercitus; sed quem magis auri fulgor ac pompa, quàm ferri rigor commendabat, pelliciebátque Gallos ad experiendas vires adversus homines, ex quibus plus sperarent spoliorum, quàm timerent vulnerum; secum reputantes, nunquam esse pugnam alacriorem, quàm ubi viro minus est ferrei roboris in ense, quàm in capulo auri argentique. Ita Rex inani rerum ostentatione hominibus imperterritis nihil metûs, sed avaris multum cupiditatis speique inijciebat. Igitur Oratores bene pasti ventre atque oculis,

EORUM LEGATIO AD ANTIGONŪ.

XXVII.

oculis, cæterâ vacui, remissi ad castra, non retulere pacem, sed incentiva belli, opes immensas, aureas hominum armatorum species, molles animas, castra neglectim munita, languentes excubias, nulla propè munia militaria, merum belli simulacrum. Hæc cùm in majus extulissent, miram excitârunt in gente belli avidâ, & exterarum virium contemptrice, bellandi cupiditatem. Antigonus inter hæc non ignarus, quos Legati animos ad exercitum retulissent, suum errorem statuit arte corrigere. Jussit primùm res præstantiores comportari in tutum, deinde castris desertis insidiarum locum in proxima sylva capere, tum simulatâ fugâ, quæ essent viliora, temere projici per tentoria. Galli magnâ omnium consensione, faciendæ in castra irruptioni noctem delegerunt. Ad vallum progressi, mirantur nihil apparere excubiarum, ne unum quidem pro portis agere vigilias. Dolum itaque non fugam suspicati, diu devitare portas, circuire castrorum loricam, attentè omnia per circuitum explorare, tandémque, cùm nullus prodiret hostis, scrutari potiùs, & carptim spoliare tentoria, quàm diripere. Inde progressi ad navalia, dum incauti ac sine ordine naves invadunt, à remigibus & confertâ militum turbâ, de improviso, tantâ vi excipiuntur, ut permultis desideratis, fusi fugatique non hostium spolia, sed luculentam ignominiam reportârint. Atque is quidem fuit tentati potiùs, quàm gesti belli exitus, qui tamen Gallorum animos non fregit, quominus longiùs arma proferrent.

Ad Asiæ Principatum aspirantibus, ne infesta à tergo Thracia immineret, Commontorium frenando Byzantio, & Propontidi in officio retinendæ, præfecerunt. Reliquus exercitus ex Tolistoboijs, Trocmis & Tectosagibus Asiam sibi domandam sumpsit. Dum profectionem moratur breve Bosphori fretum, & navium inopia; en tibi (quod in natione generosâ & irritabili non est insolens) exorta inter Lutarium & Lomnorium discordia, copias in partes distraxit. Lomnorius retro, unde venerat, discedens, cum majore parte exercitûs movit Byzantium. Agmen Lutario fidum perstitit in proposito Asiæ occupandæ: Audax enimvero consilium. Jam Lysimachiam astu, & Chersonesum vi redegerant in suam potestatem, cùm postulato, ad Hellesponti trajectum, ab Antipatro navigiorum adjumento, sæpius variâ frustratione delusi, demum Macedonibus per speciem Legationis ab Antipatro missis ad explorandum, binas onerarias, unáque ternos lembos ademerunt. Hinc trajiciendi ratio; sed eâ festinatione, ut noctes diésque, nullâ intercapedine, in transvehendo milite fuerit laborandum. Cùm alios atque alios continuò transmisissent, paucos intra dies omnes copiæ in Asiæ continente fuerunt. Lomnorius haud multò pòst, damnatâ secessione, stimulatus usque adeò secundâ sociorum fortunâ, consilium capit, ad belli societatem revertendi. Hæc agitanti commodùm evenit, ut Nicomedes Bithyniæ Rex suscepto bello in Ziboeam (Zipoetem alij nominant) eò quòd invito Nicomede Thynniacam Thraciam, partem Bithyniæ, fœderatis urbibus gravis, occuparet, Gallorum auxilium imploraret. Hoc pactus Lomnorius, nactúsque navigiorum facultatem, transmisit in Asiam, séque, positis simultatibus, Lutario reddidit. Nicomedes auctus Gallorum suppetijs, devicto Zyboeâ, Bithyniam omnem in deditionem accepit, eámque cum Gallis, quorum ope victor evaserat, ex pacto divisit, unde initium nominis & Principatûs Gallogræci. Gradus hic fuit ad majora tantò opportunior, quò magis Asia isto belli eventu, & Bithyni Regis ad Gallos defectione suspensa, sibíque parùm cohærens, nec sociabat vires, nec inter Reges erat quisquam, qui pro se auderet belli aleam experiri. Quod omnem superat admirationem, Galli, qui ex Bithyniâ sunt in Asiam profecti, non plures viginti millibus, atque in his mediam ferè partem inermes, tantam formidinem omnibus, qui cis Taurum montem degebant, populis injecerunt, ut, quos vel aggressi essent, vel nondum armis appetijssent, remoti perinde atque propinqui, ad nutum Gallorum imperata facerent, victi solâ famâ, & fortitudinis æstimatione, donec Asia in tres divisa partes, Tolistoboijs, Trocmis

XXIIX. Copias dividunt. *Liv. lib. 48.* Inter se dissident.

Hellespontum transmittunt.

Juvant Nicomedem.

Asiam sine sanguine occupant. XXIX.

atque

FACIUNT VECTIGALEM. atque Tectosagibus facta est vectigalis. Quæ fortuna nunquam aliàs fuit audita, ut tantillus hominum numerus sine sanguine tot gentes subigeret, redderétque Reges sic obnoxios, ut nec adire regna, nec servare, postquam adierant, nec amissa recuperare sine Gallis auderent, aut possent.

Memnon apud Photium in Bibliot. cap.23.

CCXXIV. Id patuit (si Memnoni fides est) quando Cn. Manlius Vulso cum Romano exercitu in Asiam trajecit. Id temporis Nicomedes Bithyniæ Rex Gallis fœderatus fato concessit. Huic è primis nuptijs filius erat Zeila nomine, qui Etazetæ novercæ odijs insidiisque appetitus, & antea proscriptus à parente, ad Armeniæ regem confugerat. Nicomedes cùm supremæ vitæ lineæ immineret, testamentum condidit, quo Zeilam natu majorem regni spe exuit, filiósque ex Etazeta natos hæredes dixit, & moderandis regni habenis nondum idoneos, Antigoni & Ptolemæi Regum tutelæ commendavit, eâ tamen lege, ut Heracleenses, Byzantini & Ciani cernendæ & defendendæ hæreditati suas curas adjungerent.

AUXILIANTUR ZEILÆ BITHYNO.

Bithyni ex defuncti Regis tabulis turbas veriti, quò regnum parvis liberis stabile transmitterent, Zeilæ novercam Nicomedis fratri nuptum dant: tutores autem legunt copias, quibus Zeilam diadema poscentem submoveant. Heracleenses auxilia adduxere Bithynis, quæ res ipsis bello finito magnarum calamitatum sementem dedit. Tolistoboij Zeilæ sortem natalibus indignam miserati, ad depellendam paterni testamenti injuriam arma sumpserunt. Frequentia inde prælia Marte vario inter Zeilam & Bithynos. Cùm fortunâ ancipiti neutri se pro victis ferrent, tandem per sequestres pax convenit, sed talis, quæ concepta contra Heracleenses, qui præcipui pactorum arbitri fuerant, Gallorum indignationi non fecit satis. Illi etenim cùm præ cæteris contra Zeilam Gallosque fortiter fecissent, odium sibi grande consciverant. Igitur irati Galli Heracleensium fines ad Calletem usque fluvium depopulantur, opimámque prædam domum reportant. Sensêre perinde ignominiam, atque damna rebus suis spoliati, cumque ad vindictam non essent satis comparati, iras pressêre taciti, quousque ejus expromenda opportuna sese ratio aperiret. Ea sponte nata est causâ Regis impuberis, cujus ætas, qualis erat reipsâ, visa est Tolistoboijs ad res novandas accommodata. Misera populorum conditio, si quos sapientia, rerum usus, fida consilia deficiunt; quando pendentes ex alieno arbitrio incidunt in odia potentiorum. Mithridates Rex Ponti, pueritiam nondum egressus, visus est Gallis, haud magno negotio posse regno exui. Ergo Ariobarzane ejus patre defuncto, illi lites primùm, deinde bellum movent. Cùm puer in campum prodire non esset ausus, se intra Amisi munimenta continuit, ultimam fortunam mœnium objectu, experturus. Sic inclusum Tolistoboij fame superandum putavere. Et jam annonâ interclusâ ad tantam inediam devenerat, ut obsessi victas manus daturi esse crederentur, quando Heracleenses suum in Gallos ulturi dolorem, Mithridati extremè laboranti, cibariorum tantam copiam intulere, ut hostem longo obsidionis fastidio, bellúmque extrahendo fatigaturus, si non fracturus esse videretur. Quæ res mirè exacerbavit Gallogræcorum animos. Igitur omisso Amiso, impetum omnem confestim vertunt in Heracleenses, quibus magno stetit, litem alienam fecisse suam. Cùm nihilominus expectarent, vidêre suum agrum flammâ, ferro, populatione vastari, résque eò calamitatis venisse, ut pacem ab hoste supplici Legatione precarentur. Quam ad rem missi oratores, & in his quidem Nymphus facundiâ, & Historiæ scriptione nobilis. Ut molliret Gallogræcorum iras, omnem, quâ pollebat, dicendi vim adhibuit, sed in cassum, donec aurum, omni dictione valentius, verborum lenocinijs accessit. Eo denique mansuefacti hostes, armis tantisper positis, Heracleensibus otium indulserunt, in lucro ponentibus, quinque aureûm millibus in totum exercitum, ducentis in Duces in tempore divisis, quietem emisse.

BELLUM INFERUNT MITHRIDATI.

XXX.

HERACLEENSES AD EMENDAM PACEM ADIGUNT.

XXXI. His rerum successibus, partâ bello gloriâ, & crescente non modò divitijs, sed Regum etiam Asiaticorum clientelis, Gallogræcorum dominatu, ne gens perinde belli atque proferendorum finium avida, quicquam relinqueret intentatum, quo

PARS ANTIGONO PARS

quo suam potentiam novis accessionibus firmaret, cœpit ad maris imperium adspirare. Occasione intentis subortus est hostis Pyrrhus Epirotarum Rex, rei bellicæ peritiâ, manu & audaciâ, Principum eâ tempestate nominatissimus, & si quisquam alius, variam fortunam domi militiæque expertus, ex eo tempore, quo duodennis regno destinatus, tum quinto pòst anno spoliatus, deinde restitutus, per alternantes bellorum vices, Macedones, Siculos, Pœnos, Romanos exercuit, donec à postremis victus, spéque rerum Italicarum & Siciliensium depulsus, animum nihilominus invictum cum lacero octo millium & quingentorũ exercitu in Epirum retulit. Is cùm nullum bellandi finem facere statuisset, nec consultum duceret, rebus utcumque afflictis fortunam unáq; famam habere inermem, veritus, ne ex virium tenuitate contemptus, ex contemptu hostis nasceretur, ut erat aliena appetendi semper immodicus, acquisitorum negligens, támque nescius parta retinere, quàm assuetus, novis parandis inhiare; Macedoniæ regnum, quod olim Demetrio ejecto invaserat, sibi sumpsit recuperandum. Is belli Antigono Regi Demetrij filio faciendi obtentus fuit; causa verò non differendi hostilia, egestas exhaustúmque nuperâ in Romanos expeditione ærarium, unde tantum pecuniæ peti non poterat, quantâ opus erat, ad copias alendas, numero licèt exiguo. Quare ut ipsis ex alieno prospiceret, duxit in Antigonum. Et hinc quidem nata Galatis materia belli resumendi; quippe quorum ferè auxilijs & arbitrio res Asiæ starent, caderéntque. Cùm autem non satis in commune statuerent, utri Regum arma sociarent, in diversa distracti, pars Pyrrho, pars Antigono manus commodarunt, consilio in speciem non inani. Nam utrilibet partium fortuna accederet, Galatis videbatur non fore ex asse iniqua. Qui se junxêre Antigono magnis auxilijs, ducebantur spe rei faciendæ. Ad Pyrrhum alij pellecti odio Romani nominis. Sed res vertit in Antigoni perniciem. Cùm enim virtutem magis quàm consilium secutus, Pyrrhus multas Macedoniæ civitates suæ ditionis fecisset, & aliquot armatorum millia de Antigoni exercitu ad ipsum transijssent, animo viribúsque ad majora erectus, signa movit in Antigonum, quem est ad fauces, quæ Græcis Stena dicuntur, assecutus. Ut prælio decerneret, fecit intrepida ipsius fortitudo, & Galatarum vincendo assueta manus. Sed stabant ex adverso in postremâ Antigoni acie, ejusdem magnanimitatis & sanguinis Gallograci, qui si cognatis committerentur, cùm essent majore numero, victoriam ad se possent rapere, vel magnopere saltem inclinare. Quare Pyrrhus, ubi cœptum erat confligi, in eos immisit phalanges, haud dubius, non fore operosam belli aleam, si, in quibus erat præcipuum robur hostium, de suâ statione moverentur. Restitêre illi tantâ obstinatione, ut, cùm fugam ipsâ morte putarent esse ærumnosiorem, plerique in vestigio, ne desertis quidem ordinibus, sternerentur. Grandis fuit ista strages, & perincommoda Antigono. Proximum fuit, ut ad eam sarciendam elephanti succederent in pugnam. Verùm Galatarum cæde consternati belluarum rectores, sese elephantósque Pyrrho dediderunt. Quod gravius fuit, secuta est propudiosa phalangis Macedonicæ, in quâ velut in triarijs spes erat ultima certaminis, ad Pyrrhum defectio, quasi omnia adversus Antigonum conspirarent. Sed & hoc fuit calamitosissimum. Pyrrhus eam phalangem immisit in Antigonum, quâ conspectâ, quasi Macedonum virtus omnis obtorpuisset, nemo unus ex ijs fuit, qui contrà ferrum stringeret. Ergo Pyrrhus eâ cessatione in rem suam usus, extensam dextram velut pacis tesseram ostentans, omnésque ex æquo duces, centuriones, & manipularium vulgus amicè compellans, totum ad se peditatum pertraxit. Antigonus, cùm nullus esset nisi ex fugâ salutis expediendæ modus, se ad urbes maritimas recepit. Pyrrhus verò memorabili exultans victoriâ, eo præsertim, quòd Galatas ad eam diem invictos superasset, jussit ex ijs legi spolia, & trophæum in æde Minervæ Itonidis erigi cum hoc titulo:

PYRRHO. LOCANT OPERAM.

Plutarch. in Pyrrho.

XXXII.

PUGNA AD STENENSES FAUCES.

PYRRHUS GALATARUM AGMEN PROFLIGAT. VINCIT ANTIGONUM.

XXXIII.

Quæ suspensa dedit galeata scuta Minervæ
Pyrrhus, devictis sustulit ex Galatis.
Vicit & Antigonum: non est res mira, quòd ambos
Vicerunt prisci sanguinis Æacidæ.

Navatæ eo bello operæ præmium Galatis fuit parta gloria, & quod à Pyrrho acceperunt probatæ fidei documentum. Cùm enim Ægas Macedoniæ urbem recepisset, ut cives, quos habuerat inclementer, constanter in officio contineret, Galatarum ipsis præsidium imposuit. Verùm miles auri, quàm laudis appetentior, se quidem fidum præstitit Pyrrho, quem vivum reverebatur, sed demortuis Regibus ignominiosum & infidelem, stimulante avaritiâ. Nam horum monumenta violenter aggressi Galatæ, refossis sparsísque contemptim eorum hàc illàc exuvijs, urnas auro argentóque superbas, & conditos simul gemmarum, & gentilis luxûs thesauros diripuerunt, insuper habitâ sepulchrorum religione. Id quamvis cives gravissimè, & Pyrrhus acerbè sentiret, dissimulavit tamen in præsens, ne ulciscendo mortuorum injurias, non modò populum pristinæ conditionis nondum oblitum, ad res novandas Galatarum supplicijs & præsidij diminutione accenderet, sed etiam concitato in se Gallogræcæ nationis odio, regnum daret in discrimen, & à se alienaret viros bello fortes, quorum operam in obsidendâ Spartâ usui futuram existimabat.

GALATÆ SEPULCHRA REGUM VIOLANT.

Etenim ad bellum Lacedæmonijs inferendum sollicitabatur à Cleonymo Spartano, jámque ei suppetias ad invadendam urbem addixerat, non tam animo juvandi, erigendíque fortunam afflicti Principis, quàm fiduciâ crescendi ex alienâ calamitate. Cleonymus regio Regum Spartanorum sanguine erat oriundus. Hunc acriter urebat dolor, quòd Areus regnum occuparet, quódque Acrotatus, juvenis ætate florens, in furtivos Cleonidis, quam ipse Cleonymus annis jam grandior duxerat, amores irrepsisset, non sine gravi legitimi thori ludibrio, & infamiâ mariti apud cives, qui adulteri flagitium patiebantur impunè haberi. Cùm igitur publica injuria regnique jactura, domestico dedecore mirum quantum augeretur, Cleonymus ad Pyrrhi auxilia confugit, haud satis reputans, regem sine modo ambitiosum, suæ potiùs cupiditati, quàm alienæ vindictæ vela facturum. Non fuit difficile impetrare auxilia, & persuadere Spartæ obsidionem. Erant in Pyrrhi exercitu viginti quinque peditum, duo equitum millia, in quibus mercenariæ Galatarum centuriæ. Simul ducebat viginti quatuor elephantos. Cum his progresso in Spartæ conspectum, Cleonymus suadebat, ne oppugnationem vel momento procrastinaret, fore alioquin, ut cives noctis beneficio, ductis in gyrum operibus, infirma mœnium communirent. Contrà Pyrrhus rem censuit in diem posterum esse differendam, ne miles nocturnum horrorem urbis direptione, & civium sanguine intenderet, eóque civitatis, quam spe jam devoraverat, animos à novo dominatu, quem habebat in votis, redderet alieniores. Tantilla mora Spartanis saluti fuit. Jam deliberabant de imbelli turbâ, præsertim mulierum, in Cretam deportandâ, quòd se crederent, ob propugnatorum infrequentiam, ad vim repellendam esse imparatos. Id odoratæ mulieres, ductrice Archidamiâ, factâ conspiratione confluxere in Senatum, & armatæ stricto ferro objurgârunt Patrum intempestivum timorem, quódque patriâ pereunte, nollent fœminas unà perire, sed ad ineluctabiles miserias reservari: Se verò urbis muniendæ labores in se suscepturas, ducturas circum muros aggerem fossámque, quantam viri describerent: se elephantis viam obstructuras, carris ad vallum ordine dispositis. Nec fecêre minùs, quàm dixerunt. Humo egestâ, protinus fossam perfecerunt, altam quatuor cubitos, sex latam. Ipsæ virgines operi accinctæ, tertiam munimenti partem effectam dedêre, dum pugnatores corpora curarent, séque ad crastinam pugnam expedirent. Primâ luce Pyrrhus dato ad oppugnationem classico, agmen duxit in nocturnas fœminarum munitiones, magnóque nisu conatus irrumpere, terrâ fallente subeuntium vestigia, irritam fecit impressionem. Successit Ptolemæus filius cum selecto bis mille Galatarum globo, & delectis Chaonibus,

BELLANT IN SPARTANOS.

al. Chelidonidis.

XXXIV.

MULIERUM SPARTANARUM FORTITUDO.

SPARTÆ OPPUGNATIO IRRITA.

nibus, qui aggerem, impositósque carros eversis rotis proturbarent in fossam. Sed neque hi Pyrrho feliciores, nisi quòd rem in majus discrimen adduxere, victores haud dubiè futuri, nisi juventutis urbanæ virtute à vallo rejecti cum luculentâ suorum clade fuissent. Quamobrem Pyrrhus desperans, se eo die confecturum, quod Galatæ, præcipuum exercitûs robur, nequîssent; copias ab oppugnatione retraxit. Integravit tamen postridie conflictum. Parùm abfuit, quin urbis magnanimæ fato istâ die succumberet. Nam cùm equo sublimis fossam circumveheretur, loco lubrico in terram effusus, ægrè à suis neci fuit ereptus. Sinistro id omine acceptum. Etenim inter hæc Areus Laconum Regulus, qui obsidionis initio ab urbe abfuerat, cum valida pugnatorum manu reversus, spem omnem expugnationis Pyrrho excussit. Receptum facienti, Areus cum infesto Laconum agmine hærebat à tergo, & continente pugnâ premebat postremos. Quare Pyrrhus ut suos protegeret, Galatas unàque Molossos jussit ultimis esse præsidio; qui licèt fortissimè hostem exciperent, non potuere tamen sic omnes tegere, quin Ptolemæus Pyrrhi filius, acriùs quàm cautiùs invectus in instantes, Cretensis cujuspiam manu stratus occumberet.

XXXV. Pyrrhi in Argorum expugnatione interitus.

Ejus amissi dolore Pyrrhus amens, bellum traxit in Argivos, ultima fata propediem obiturus. Adscivit in societatem Gallos, quorum virtutem in Spartana oppugnatione valde probaverat. Is comperto, Antigonum occupato montis vertice, qui pugnæ erat periniquus, cum exercitu prope urbem consedisse, castris ad Naupliam positis, missóque feciali, illum ad decretorium certamen provocavit. Respondit Antigonus, se bellum non armis duntaxat, sed etiam tempori attemperare; pugnaturum, quando visum fuerit è suo commodo: Pyrrhum posse pro lubitu sua sibi fata properare, cui, si vivere non esset integrum, viæ permultæ ad mortem paterent. Interim per oratores Pyrrhum juxtà & Antigonum rogârunt Argivi, vellent suis finibus excedere: quod si facerent, uterque urbem ex æquo habiturus esset addictam: Promisit Pyrrhus multa prolixè, deditque Antigonum filium obsidem amicitiæ, quò tectiùs falleret, fatis eum ad exitium urgentibus. Consilium erat, dolo civitatem invadere, Aristææ proditione. Ergo intendentibus se tenebris, Galatas per portam, quam Aristæas aperuerat, immissos, forum jussit occupare. Nemo erat civium, qui ingressum sentiret, tanta erat vigilum oscitantia. Verùm cùm porta depressior Elephantos non reciperet, & in deponendis reponendísque turribus fieret temporis dispendium, Argivi ab ingredientibus excitati, facto in urbis loca munitiora concursu, missóque nuntio, Antigonum in urbem vocaverunt. Is è castris, quæ propè aberant, confestim filium cum Macedonum fortissimis auxilio misit in urbem; ipse cum phalange subsidiariâ castra sub mœnibus locavit. Simul accurrit Areus cum expeditissimo Spartanorum globo. Hi omnes conferto agmine incurrerunt in Galatas. Hinc exortus utrinque clamor, & Gallorum trepidatio, quòd non modò cum hoste numeroso, sed etiam cum tenebris & inexploratis locorum ambagibus esset decertandum. Aliâ parte Pyrrhus civitatem ingressus, citato equitatu laborantibus accurrebat auxilio; cùm in angiporto repressus ab oppidanis, pedem referre coactus, incidit in suos, qui ab Heleno filio opitulatum ducebantur. Simul Elephanti in furorem versi, & Argivi fortiter pugnantes, egressum molientem retinebant. In eo conflictu à plebejo homine per thoracem vulneratus est. Restitantem adhuc, Vetula mater Argivi, qui vulnus inflixerat, tegulâ è sublimi tecto projectâ prostravit, comminutâ imæ cervicis vertebrâ: prostrato Argivi caput demessuerunt. Galatæ ejusce necis ignari, pergebant urgere cives acri dimicatione, quamquam & iniquo Marte & multitudine graviter premerentur. Verùm cognito Pyrrhi casu, impetratóque ad paciscendum colloquio, facto in speciem cum Antigono fœdere, dedêre manus. Pactam fidem paulò pòst fœdè violârunt, cùm adversus Spartanos & Ptolemæum ducerentur. Antigonus potitus victoriâ non sine suorum sanguine, Galatarum perfidiam egregiè ultus est. Cùm eos velut fœdifragos desertorésque, cum expeditâ suorum manu insequeretur,

Pyrrhus occiditur.

XXXVI. Galatæ dolo periculum evadunt.

tur, festinatis itineribus incogitantes sic oppressit, ut nullum ipsis nisi à manu superesset effugium. Si denuo tentarent pactionem, videbant, profligatâ jam fide, se non esse audiendos: si arma opponerent Antigono, suorum paucitas faciebat, ut nisi vis aliqua humanâ major ferret opem, victoriam sibi non possent polliceri; præterquam quòd vehementiùs timebatur hostis, qui recens victor suæ virtutis magnam æstimationem hosti impresserat. Quod igitur necessitas

GALATARUM CRUDELITAS.

& barbaries suggessit, remedium putârunt esse à Dijs petendum. Cùm eos audîssent, humanis victimis posse malæ causæ conciliari, ad nuperam perfidiam adjecerunt immane scelus, ne Cyclopibus quidem, aut Lestrygonibus approbandum. Communi consilio uxores, liberósque omnes ad cultrum destinant, aris admovent, omnes jugulant, fusúmque parricidio sanguinem litant crudeli sacrilegio. Tum quasi sibi egregiè Martem obstrinxissent, eâdem, quâ suos trucidârant, manu arma corripiunt, signa explicant, & hostem aggrediuntur, non tam reportandæ victoriæ fiduciâ, quàm furijs cæsorúmque manibus agitati. Pugnavere quidem, & non omnino inulti, sed tanquam execrabiles Orci victimæ ad memorabile divinæ ultionis exemplum, occidione deleti, unà omnes ceciderunt, indigni mitiore fine, qui vitam tam horribili crimine temerârant. Fuit eâ tempestate ferali nescio quo sidere afflata Gallogræcorum natio, non quòd desijsset esse bellicosa, sed quia ad insaniam impia, cœli hominúmque jura violando, Deo hominibúsque evaderet exosa atque reipsâ infelix, cùm nemini contingat esse felicem, qui Numini sit invisus. Poterant Galatæ, qui domi manserant, sapere suorum civium pœnis. Sed cùm ne pilo quidem essent probiores, nihilo cœlum sensêre benignius, eóque rapiebantur ad extremam fortunæ suæ metam, cùm

ASIÆ TURBATIO.

XXXVII.

nollent adduci ad frugem meliorem. Et erat quidem isto ævo talis Asiæ conditio, ut non Galatæ modò, sed & Reges ac civitates in patriæ perniciem viderentur ex condicto conspirasse. Sed Galatarum sortem reddebat infaustiorem, quòd alijs super alia Regum populorúmque Asianorum bellis ac contentionibus, se ultro lubentésque continenter implicarent, ubique velut unguis in ulcere, nusquam quieti, alligati mercenarijs obsequijs, quæ præstabant, quamdiu numerabantur stipendia, & spes erat, ex aliena calamitate proficiendi. Rem strictim quidem, sed enucleatè satis ex Trogo descriptam reliquit Justinus. *Justin. l. 27.*

Antigono demortuo, Syriæ regnum venerat in manus Seleuci filij. Is regni auspicia parricidali novercæ suæ Beronices, Ptolemæi Regis Ægypti sororis,

SELEUCI PARRICIDIA.

parvulique ex eâ fratris nece fœdavit. Quæ res non Ptolemæum modò, ob tam atrocem sororis nepotisque injuriam, sed & Asiæ civitates vehementer offensas, quòd Daphnes asylum, quò se Beronice ad vitandas privigni insidias receperat, infami crudelitate violasset, mirum in modum exacerbavit. Quamobrem tota penè Asia ad Ptolemæum defecit: unde Seleuco pernicies, Ptolemæo Asiæ invadendæ cupido, quam & ilicò suæ ditionis fecisset, nisi intestinâ seditione in Ægyptum fuisset revocatus, metuens, ne, dum novum sibi regnum quæreret, avitùm perderet. Pòst ubi discesserat, Seleucus existimans, natam sibi occasionem Asiæ civitates recuperandi, classem comparat, séque ad vim inferen-

NAUFRAGIUM.

dam accingit. Verùm qui parricidio terram polluerat, mare est expertus iratum fœdâ tempestate, quæ ejus classem usque eò laceravit, ut præter miserabilem spiritum, paucósque comites procellis ereptos, nihil reliquum fecerit. Perierat verò, nisi perijsset. Nam civitates, mutatâ voluntate, naufragij cala-

XXXIIX.

FORTUNA VARIANS.

mitatem miseratæ, sumptúmque cœlo arbitro de sceleribus supplicium autumantes, irâ in misericordiam conversâ, ejus causam imperiúmque de integro sunt amplexæ. Videri poterat, recenti jacturâ collegisse ingentes naufragij sui reliquias, ex pronis Asianorum studijs & liberalitate, nisi natus factúsq; ad fortunæ ludibrium, ideo regni recepisset opes, ut eas fœdiùs terrâ quàm mari projiceret. Armatus enim rursus Asiæ copijs, ausus cum Ptolemæo congredi, ingenti acceptâ clade, fugam intendit Antiochiam. Hic inops consilij, quasi Numen illi omnem mentem ademisset, impegit in novum scopulum, secúmque traxit in exitium Antiochum

chum Hieracem fratrem, postquam eum conatus fuerat sibi bello sociali devincire. Nondum hic decimum quartum ætatis annum excesserat, ferox & regnandi supra modum appetens. A Seleuco ad arma jungenda amplissimis pollicitationibus sollicitatus, eâ lege condixit, ut, bello confecto, præmij loco ferret eam partem Asiæ, quæ est intra Tauri montis fines. Sed quod in speciem visus est fratri piè promisisse puer, sumptâ virili audaciâ, impio facinore corrupit, totam Asiam latronis more conatus sui juris facere. Ptolemæus, ne cum utroque bellum sumeret, pacem fecit cum Seleuco. Jam credebatur Asia quietura, cùm Antiochus, quam hostis dederat quietem, hostili in fratrem animo intercepit, se apertè inimicum professus. Quam ad rem conduxit mercenarium Gallogræcorum exercitum, eóque præfidens in arenam descendit. Seleucus tametsi obnitens viribus omnibus, tamen à fratre devictus eò necessitatis est adactus, ut nullam nisi in fugâ vitæ tantisper servandæ rationem repererit. Jam Asiæ universæ dominatum Antiochus spe devoraverat, cùm Galli persuasi, Seleucum in acie cecidisse, fatali dementiâ consilia capiunt Hieracem tollendi è medio, certi Asiæ imperium eo sublato occupare. Partam enimvero fuisse non pueri, sed Gallorum virtute, victoriam, cujus fructum sibi jure possint usurpare. Sensit insidias puer emunctæ naris, miniméque puerilis. Quid ageret? ubi nequibat opprimere perfidiam, neque, si sibi deesset, à perfidis esse securus. Consilio rem aggreditur eâ parte, quâ Gallos noverat esse opportuniores. Collaudatos invitat ad novum fœdus, dissimulatâ prorsus offensione, & quò arctiùs eos devinciret, interponit grandis auri, quod præsentariâ largitate numeraret, pactionem. Hac arte rursus bello implexi exiguum operæ fructum retulerunt. Cùm enim Eumenes Bithyniæ Rex ex fratrum discordiâ, exhaustísque bello utriusque viribus, facilem sibi subigendæ Asiæ rationem ominaretur, Antiochum victorem, Gallósque recens integrísque copijs est aggressus, cùm illi ex nuperâ pugnâ adhuc bonam partem saucij, vix habuissent spatium respirandi. Unde illi non difficilis de Hierace victoria. Qui è Gallis prælio fuerunt superstites, Asiam perinde atque Eumenes sunt depopulati, fructu non diuturno. Nam cùm Eumenes magnam Asiæ partem in suam potestatem redegisset, Seleucus & Antiochus, calamitosi fratres, eo omisso, avitis possessionibus, propter quas bellum gesserant, exuti, mutuis in se odijs bellóque certare, quàm in communem hostem vires jungere maluerunt. Prælio congressi sævum in modum, præbuere specimen furiosæ germanitatis. Superatus Antiochus unàque cum Galatis exutus castris, & rebus omnibus, ad Artamenem Cappadociæ Regem, suum socerum, confugit, à quo cùm advertisset sibi strui insidias, in Ægyptum ad Ptolemæum Regem, quamvis hostem, elapsus, incidit in arctissimam custodiam, quam deceptis custodibus fugiens vix evaserat, quando à latronibus in itinere est trucidatus. Seleucus eodem propè tempore ex equo præceps humi collisus, vitæ scelerúmque finem invenit.

Bellum cũ Antiocho Hierace.

Gallorum in Hieracem conspiratio. Discutitur arte Antiochi.

XXXIX.

Eumenes Bithyniæ Rex vincit Antiochũ.

Antiochi et Seleuci prælium et exitus.

Quæ à Gallogræcis deinceps in Asiâ gesta sunt, quoad licebit, obscuris licèt sparsísque hinc inde vestigijs apud Scriptores, Gallico nomini infensos, investigabimus. Ac primùm quidem illud, quod Livius de Attalo meminit, non videtur esse tribuendum Eumeni Bithyniæ Regi, contrà ac Justinus scripsit. Neque enim apparet, quamobrem Attalum, & illum quidem, qui primus Asiam incolentium Gallis vectigal & stipendia negavit, quem Livius disertè Eumenis patrem nominat, Bithynum Eumenem fuisse credamus. Si verò Strabonem Attalicorum Regum originem describentem audiamus, erit perspicuum, hunc, de quo est quæstio, Attalum, prognatum esse ab alio Attalo ex Antiochide Achæi filiâ, non autem dici debere Tauri filium, uti Brunnerus malè colligit ex Phaënnidis oraculo, in quo quidem vocatur Tauri soboles, non eò quòd Taurum progenitorem habuerit, sed quòd in Tauri montis promontorio à Pergamenis habitato, ubi servabatur novem talentorum millium thesaurus Lysimachi, fuerit natus ex Attalo, Philetæri Eunuchi arcis Pergamenæ custodis, germano fratre, dictúsque nomine

Liv. lib. 38.

Attali ortus, et contra Gallos Victoria.

Strab. lib. 13.

Brun. l. 1. p. 119 & 138.

Strabo lib. 13.

mine patris Attalus. Et hic ipsus est parens Eumenis ex Apollonide Cizycenâ, qui patri defuncto successit in regnum; qui Attalus, authore Pausaniâ, & Strabone, Gallos maximo prælio in Mysiâ superatos delevit ad internecionem, ejúsque victoriæ signum dedicavit in arce Atheniensi. Palmarium ejus facinus, fructúmque victoriæ Pausanias in eo ponit, quòd Gallos ab orâ maritimâ, ad eam regionem, quam ejusce scriptoris ævo tenebant, rejecerit.

Pausan. in Attic.

XL. Nec verò est, cur ea, quæ de Eumene habentur, cum rebus ab Attalo gestis, credantur à Justino (ut subtimidè Brunnerus suspicatur) confundi. Nam constat ex Justino, Attalum Gallici nominis odium exitiúmque fuisse professum: atqui scribit idem Justinus, Eumenem eâdem, quâ Gallos, aviditate, uno eodémque tempore, vastasse Asiam, cùm hæc undique bellis arderet, quæ Seleucus & Antiochus fratres, quæque Ptolemæus Ægypti Rex, & Eumenes pro suo quisque commodo, & animositate accenderant: quæ sanè cum Attali rebus, qui Asiam non vastavit, componi nequeunt. Eumenes iste, cujus meminit Justinus, Rex fuit Bithyniæ, Attalus Pergami, quod Justinum non latuit: & verò ut animis atque consilijs, ita rebus quoque gestis fuere omnino diversi.

Quicquid tandem sit de istis nominibus, Attalus, authore Livio, primus omnium Asiæ Principum fuit, qui ausus Gallis stipendia recusare, bello eos circa Pergamenum superavit, proindéque dignus est visus, cui Asiæ diadema cum regio nomine imponeretur, quam dignitatem ad sui sanguinis posteros transmisit. Post eam pugnam, legit ex Galatis spolia, ex quibus Pergami trophæum statuit, ad perenne monumentum partæ isto bello gloriæ, quo constaret, Gallos tandem vinci potuisse. Addicta est trophæo ad vivum depicta rei gestæ effigies, ab Attalo, Pergamenísque gloriantibus, quòd Gallorum metum crebrásque populationes ab urbibus maritimis procùl amovissent. Quæ res tanti fuit apud gentes Asiaticas, ut plurium artificum manus in effigiandis Attali, & Eumenis adversus Galatas expeditionibus, teste Plinio, occupârit.

Pausan. lib. 1.
Plin. l. 34. c. 8.

Nec verò etiam silentio prætereundum est, Attali stratagema à Polyæno relatum, quo ad erigendos suorum animos usus est. Is animadverso, humanas rationes apud trepidos, soláque Gallici nominis famâ consternatos nihil posse, ad fraudem recurrit, fucatam religionis simulacro. Jubet parari victimas, & à Sudino vate fieri ad aram: tum ipse Dijs libat, & procedit ad extorum inspectionem. Antequam inspiceret, quæ doli stropha fuit, manum depinxit ex gummi, quod minutissimè contriverat, pulveribus, litteris ad eum modum, quo hodie à typographis usurpantur, dispositis. Iis reddebantur duæ voces: REGIS VICTORIA. Cùm evisceraretur hostia, Attalus exta de more attrectans admotâ manu, ijs calentibus depictum oraculum sic expressit, ut nullo negotio legi posset regis victoria. Cùm Chaldæus viscera sic inscripta lustraret, omen capere, inclamare cœleste responsum, ostentare scriptionem, palàm edicere portendi de hoste victoriam. Cùm ab oculatis testibus totis castris prodigium vulgaretur, tanta totius exercitûs extitit alacritas, ut non secus, atque si victoriam manu prehenderent, auditæ sint omnium armatorum voces pugnam illico poscentium. Nec fuere dictis votísque facta minora. Ducti in hostem, tantis animis pugnârunt, ut, cùm Galli irruentium impetum constantiámque non ferrent, cæsi fugatíque memorabilem victoriam Attalo, unáque Asiæ sceptrum reliquerint.

Polyæn. lib. 4. in fine.
ATTALI STRATAGEMA.

XLI. *Est quoque non omittenda Ptolemæi Regis in Gallogræcis cohibendis sævities. Susceperat bellum adversus Magam fratrem uterinum, patre Philippo Macedone quidem, sed ignobili ac plebeio genere progenitum, jámque in eo erat, ut Magam ad Cyrenas regressum persequeretur, cum moram injecit Galatarum insanum quidem, sed audax de Ægypto invadendâ, inque suam potestatem redigendâ consilium. Illorum erant in Ptolemæi copijs non ultra quatuor millia, agmen mercenarium mirè projectum ad quidvis audendum. Qualem Galli de occupando Asiæ imperio cogitationem aliàs injecerant, talem & minuta hæc Galatarum manus suscepit adversus Ptolemæum. Temeritatem incitabat, quòd

Pausan. lib. 1.
PTOLEMÆUS 4000. GALLOS FAME ALIISQUE MALIS ENECAT.

quòd crederent, eum fraterno bello distractum, Gallico non fore parem, si præsertim è Galatis cognatæ suppetiæ advenirent. Quæ malè sarta, pejúsque tecta animi destinatio cùm vafrum Ægyptij ingenium non fugisset, finxit, se eorum operâ in tutandâ Ægypto uti velle, & dare navigia, quibus tantò expeditiùs ad ejusce defendendæ præsidia deportarentur: simul navarchis dedit clàm in mandatis, ut omnes, specioso aliquo obtentu, in desertâ Nili insula deponerent, iisque relictis, atque incogitantibus abnavigarent. Simul jussit, eos omni prorsus annonâ atque commeatu prohiberi. Cùm se miseri circumspexissent, mirari, ex oculis evanuisse navigia: se velis remísque, omnique ad navigandum instrumento destitutos lamentari: detestari Regis fraudem, execrari fortunam, quæ ad Ægypti dominatum adspirantes ineluctabili ergastulo mancipasset; præsentire famem, & ex fame secuturum omnium interitum. Vanæ fuerunt quiritationes: omnibus fuit in Insulâ moriendum: pars fuerunt extincti inediâ, alij, quibus accelerata mors longo famis tormento visa est mitior, mutuis vulneribus fata præoccupavere.

Fatale denique fuit atque exitiabile Gallogræcis, vitam fortunásque locare turbis alienis, & suaviùs nunquam quiescere, quàm rebus inquietis, quasi præter arma & militiæ labores, nihil esset, in quo Martium genus hominum posset reperire quietem. In eo prælio, quo Antiochus Rex Macedonum, Cleomenem Spartanorum Regem, Olympiadis centesimæ trigesimæ nonæ anno secundo, ab Vrbe conditâ quingentesimo trigesimo secundo, post sexenne bellum, ad Selasiam profligavit, mille duntaxat Gallos adfuisse memorat Polybius: ut proinde non videam, cur singularem illis partæ gloriæ laudem Antiochus debuerit in acceptis referre, quippe qui sub signis in acie habuit supra undetriginta millia. Certè nihil præ cæteris insigne eo certamine Gallos præstitisse reperio, sed miror, nonneminem in tantillæ manûs laudibus tot eloquentiæ flores consumpsisse.

MILLE GALLI PUGNANT CUM ANTIOCHO. AN. V. C. D. XXXII.

XLII.

Eodem referas licet qualem qualem castitatis triumphum Cammæ Gallicæ Heroinæ. Erat illa Sinati inter Galatas Reguli nexa conjugio. Ejus venustas Sinorigem rapuit in damnatos amores. Is cùm se potiturum desperasset, nisi Sinato è vivis sublato, nihil minùs quàm rivalis dolos cogitantem ex improviso obtruncat: Tum mariti victor, ausus est sibi polliceri de viduæ constantia victoriam, ratus, orbatam viro, nuptijs posse expugnari. Simulat Camma, se non aversari quamlibet invisas sicarij, crimen apud ipsam professi, preces. Venitur ad pacta, inde ad aram, ubi sponso detestabili Camma, animo prorsus adversante, jungit dextram: tum poculum, quod ipsa paraverat veneno medicatum, Sinorigi prælibat. Ille credens, se mulsum amore temperatum bibere, pestem hausit, nefarium illi spiritum expressuram. Camma, quæ & ipsa extincta est, quousque spirare desijt, miro gestijt gaudio, quòd sævo mariti percussori tam bellè mortem reposuisset. Ex his, quæ Plutarchus recensuit, est, cur fidei conjugalis invicta fortitudo Lucretiæ facto annumeretur, eousque laudabili, donec non hausit suum sanguinem: sed Cammæ geminum, & diris omnibus execrabile veneficium, ad nefaria Medeæ & Thessalicarum mulierum exempla relegandum est. Apage triumphos, qui criminum sunt honestamenta. Non benè philosophatur de castimoniâ, qui eam scelere putat posse triumphari. Tali re mortem ferre fortiter, non sibi aliisve dolo inferre, in laude & virtute ponendum est.

CAMMÆ GALLÆ CASTIMONIA. *Plutarch. de virt. mulier. Idem in Erotico.*

Plus aliquanto commendationis meretur, quod à Gallis bello Byzantino contra Rhodios patratum est. Illi post Delphicam cladem latè imperitantes, Byzantinis exigendo vectigali (quod nomen licèt justum aliquando sit, fuit tamen eritque semper odiosum) erant oppidò graves & importuni. Cùm consuetæ ærarij facultates oneri forent impares, ei sublevando Byzantini portorium ad eam diem insolitum, navibus, quæ in Hellesponto vehebantur, imponunt, hoc ipso permolesti, quòd mercatores vicissim augerent rerum pretia, ne suo damno usitatam aliàs commercij facilitatem præstare cogerentur. Rhodij, qui

Polyb. lib. 4.

NOVUM VECTIGAL IN HELLESPONTO.

XLIII.

eâ tempestate maris dominatu potiebantur, tum civitatum, quæ maria exercebant, quiritationibus, tum proprijs incommodis impulsi, publicâ fide mittunt oratores ad Byzantinos, qui Senatui populóque authores sint, reducendæ in portus pristinæ mercium libertatis. Enimvero nova illa tributorum inventa, esse simulacrum cujusdam servitutis, quam jura gentium non sinant, nisi per dominos imponi, populis bello domitis, alióve mancipij nexu devinctis. Hecatondorus contrà, & Olympiodorus, urbis Byzantinæ Principes, factum tuebantur publicæ necessitatis obtentu, quæ telorum sit omnium validissimum, cui leges, quamlibet ex æquo cunctorum saluti inventæ, non soleant obniti. Eam si Rhodij depulerint, si Gallos Thraciæ incubatores à Byzantinorum injurijs submoverint, si annuas pensitationes abrogârint, si agros exterorum incursionibus oppressos, mœrentésque, priscæ amœnitati restituerint cum antiquâ securitate, de cætero nihil fore, cur in Hellesponto vectigal de liberis civitatibus capiatur. Cùm id generis dissertationibus nihil pro re communi statueretur, Legati alieniore, quàm venerant, animo Rhodum rediverunt. Bello igitur in Byzantinos decreto, cœperunt utrinque circumspici auxilia. Rhodijs haud fuit difficile, Prusiam Bithyniæ Regem sibi conciliare, Byzantinis inveterato odio per se infensum. Byzantini è diverso Attalum Pergamenorum Regem trahunt in belli societatem. Sed ipse ab Achæo, Asiâ cis Taurum montem latè potiente, intra regni paterni fines redactus, rebus non mediocriter accisis, minus opis quàm voluntatis, gerendo bello erat allaturus. Majus erat in Achæo præsidium, ob ingentes opes, quódque nomen regium, quod sibi nuper sumpserat, cuperet præclaris factis illustrare, Regum omnium, qui cis Taurum dominabantur, potentissimus. Sed huic etiam cum Byzantinis intercedebant occultæ irarum causæ, ex ambitu & invidiâ oriundæ. Fuerant videlicet ludibrio habitæ à Byzantinis Achæi statuæ; neglecta, quæ solebat agere, soteriorum sacra: quódque in res, honorémque Attali, Byzantini essent propensiores: sed & Rhodij Achæum magno beneficio sibi obligaverant, quando ejus parenti Andromacho, qui captivus à Ptolemæo Rege tenebatur, libertatem impetrârant, & patrem filio reddiderant. Nihilominus Achæus dissimulatâ in Byzantinos offensione, magnis eos promissis concitat ad gerendum bellum, quod illi ingentibus animis susceperunt. Cùm Attalus belli improspera pertæsus nihil moveret, evocatum è Macedoniâ Tibiten, qui Bithyniæ regnum, quod Prusias occupabat, sui juris esse contendebat, patruum nepoti objiciunt. Et jam Prusias belli occasionem secutus, præter Hieron, locum apprimè quæstuosum, partem Mysiæ Byzantinis eripuerat, cùm inter hæc Achæus patre ex Ægypti captivitate recepto, à Byzantinis palàm deficit ad Rhodios; nec multò pòst (ne hujus defectionis malo suus deesset comes) Tibites fato concedit, atque in medio conatu destituit Byzantinos: quibus & istud accidit incommodi, quòd, cùm Rhodij Hellespontum decem navium classe clausum antea tenuissent, Thraciæ omnem circa Byzantium regionem, Prusias verò oram Asiaticam sic interceperant, ut Byzantinis pedem efferre ex urbe tutum non esset. Undique pressis, & rei periculosæ remedium suspirantibus, velut è cœlo lapsus sese ultro obtulit Cavarus Galatarum Rex contra suæ nationis indolem pacis interpres; ita nulla gens tam ferox est, quin subinde unum aliquem gignat ingenij mitioris. Ille se rei componendæ fore authorem ultro citróque professus, ad Prusiam & Byzantinos commeabat, tantúmque jam fidei obtinuerat, ut Rhodij, compertâ ejus authoritate atque industriâ, veriti, ne pace inter Byzantinos & Prusiam constitutâ, soli bello obruerentur; missis ad Cavarum oratoribus, se quoque ejus conciliationi commendarent. Quare pax eo arbitro convenit eâ lege, ne in posterum Byzantini à navigantibus in Hellesponto portorium exigerent, Prusias ac Byzantini hostilia desinerent; Prusias agros, castella, cæteráque bello ablata Byzantinis, citra onus omne redderet: cogeret Bithynos, agro, quem Byzantinis ademerant, cedere, & pristinis restituere cultoribus. Ea pax præter morem Galatarum, bellum alere gestientium, confecta, Cavaro majori laudi

Causa belli. (margin, beside "contrà, & Olympiodorus")

XLIV. (margin, beside "glecta, quæ solebat agere")

Cavarus Galatarũ Rex pacem conciliat. (margin, beside "psus sese ultro obtulit")

di fuit, quàm si per vim, ferrum bellantibus excussisset, quia belli nullus suavior fructus est, quàm qui sine sanguine provenit.

Dum ista gererentur, ut nulla est à quantillo hoste securitas, quamdiu gestat arma; Attalus, quamlibet intra Pergami angustias ab Achæo retrusus, reparatis paulatim viribus, bellum integrabat. Nactus est spatium sese colligendi ex bello, quod Selgenses moverunt Achæo passim inviso, quòd crescens sine modo nova potentia tot habet hostes, quot osores magnitudinis alienæ. Id bellum dum geritur, Attalus ex fortunæ decremento factus humanior, in Gallos animo cœpit esse æquiore. Amicos si non fecit, finxit tamen necessitas, quos res adversæ contemptos reddiderant: sic res habent humanæ; gratus est, quisquis utilis, ijs, qui suas necessitudines ex usu metiuntur. Attalus solitus aliàs Boicum genus aversari, ejus cœpit auxilia suspirare, tametsi ne fidenter speraret, vetabat nondum oblitterata veteris injuriæ memoria: Timidè enim is & verecundè rogatur, qui aliquando fuit offensus. Vicit tamen verecundiam sperata utilitas. Orati Tectosages arma lubentes induerunt, qui Attali fidem secuti, sub ejus concessere auspicia, è vicinâ Thraciâ, ubi rerum magnam partem potiebantur. Eorum validam fuisse manum, promptum est inde colligere, quòd diverso à reliquis Attali copijs agmine, seorsim castra metabantur. Horum auxilio, Attalus Æolidis & finitimorum urbes, quas Achæus invaserat, pleraśque recuperavit, pronâ civium voluntate, veterem dominum novo, amorem terrori, quo ab incubatore premebantur, præferentium. Paucæ, ut vitarent famam levitatis, & iras Achæi, si fortè victor evaderet, vim expertæ sunt. Attalus Apiæ campum populatus, per montem Pelecampum arduis itineribus progressus, castra ad Megistrum amnem locaverat, cùm deficiente Lunâ, Galli defessi viarum molestijs, sideris hebescentis labores eventûs sinistri præsagium interpretati, negârunt, se ultrà progressuros, religioni ducentes, cœlo lugente & Dijs invitis, movere pedem. Dabant simul causas itineris detrectandi uxores, liberi, totæque familiæ, quæ more gentis plaustris impositæ, viros per montium confragosa ægrè sequebantur, turba imbellis, & nata fruges consumere. Attalus suo ingenio nationem exosus, intempestivæ Gallorum cunctationi irascebatur eò vehementiùs, quòd defugerent alienigenarum imperia, suis duntaxat popularibus morigeri, cæterorum negligentes. Quare cùm in militis obsequentiâ præcipuum belli robur poneret, credebat, homines militaris disciplinæ haud satis observantes, arrogantiâ & sui fiduciâ supra modum pervicaces, non magno sibi fore usui; jámque de ijs è medio tollendis cogitationes animo volvebat, anxius, quid denique caperet consilij. Si legionum cinctos coronâ necaret, verebatur ex immani cæde ignominiam; simul metuebat, ne, si belli fortuna in Achæum inclinaret, universa Gallorum natio vindictæ desiderio arma manúsque Achæo adjungeret, traherétq; alios in belli societatem, ob læsas humanitatis rationes, quòd vulgò palàm esset, Gallos Attali fidem secutos, procúlq; à suis abductos sedibus, trajecisse in Asiam. Quare mitiora præferens, capto ex Lunæ deliquio omine, iráq; dissimulatâ, cùm in præsens ab invitis æqui nihil sibi expectandum videret, pollicitus est, daturum se operam, ut à defensoribus protecti Tectosages tutò ad Hellesponti fretum, quà in Asiam venerant, reverterentur; se quoque, quantum satis foret agri, viritim divisurum, & si perstarent in fide, quoties æqua postularent, ipsis non defuturũ. Præter Gallos tumultuati sunt Ilienses, Lampsaceni, Alexandrenses; quibus dimissis, Attalus impar hosti, cæterum exercitum Pergamum abduxit, palàm expertus, cedendum aliquando esse tempori, & extra civile bellum fluxam esse magis externorum quàm indigenarum fidem & obsequium. Verùm malè vertit Tectosagibus fuisse refractarios: nam regressi ad Propontidem, cùm acceptum agri modum bello prolatarent, vastatâ omni circùm regione, ausi Trojæ obsidium admovere, primùm Alexandrinorum ope fuere depulsi deinde, cùm in Abydenis Arisbam urbem in suam potestatem redegissent, & cæteris ejus provinciæ oppidis imminerent, Prusias bello superatos occidione delevit.

TECTOSAGES ATTALO AUXILIARES.

XLV.

LUNÆ ECLIPSIS.

TECTOSAGES DIMISSI AB ATTALO.

XLVI.

A PRUSIA DELENTUR.

Justitia Divina.

Subit hoc loco, divinam manum admirari, quæ omni prorsus ævo tam fuit severa in improbos, quàm in pios benigna; quippe quæ non modò castigandis sceleribus, sed virtute quoque remunerandâ voluit innotescere mortalibus,ut ne ignorarent, quantæ felicitatis sit, Numen revereri virtutibus; quantæque malignitatis, ejus iram malefactis provocasse; quod tempora, de quibus sermo est, bonis malisque exaggerata loquuntur. Nullum id ævi propè erat jus, nisi in armis, ut perinde esset hominibus ambitione ebrijs, an improbè aliena invaderent, an fortiter sua tuerentur, cùm idem justior, qui potentior haberetur: Divinus tamen oculus, qui omnia penitissimè introspicit, justúmque ab injusto discernit accuratissimè, sic temperabat judicia, ut non is, qui plus posset, foret felicior, sed qui meliùs faceret. Celtis per Europam, Asiam, è Galliâ effusis, partis ingentibus terrarum spatijs frui licuit, quamdiu servavêre fidem, fuere contenti suis finibus, rapinis abstinentes, non iniqui finitimis, inter se concordes: at posteaquam projecti ad omnem scelerum licentiam, cœpere justi rationes nihil pensi habere, próque magnâ peccandi causâ peccandi licentiam ducere; incurrerunt in Dei & gentium odia, & quemadmodum tigrides, leones, sævúmque omne belluarum genus ad caveam vel excidium, communi gentis humanæ conspiratione destinantur, aut naturâ prohibente, haud copiosè sobolescunt, vel se mutuò conficiunt; ita illi finitimorum bellis appetiti, tandémque oppressi, vel subière victorum jugum, vel varijs excisi bellis, fortunam senserunt adversam, vel solum vertere sunt coacti, suam alioqui servaturi stationem, si quam manus cælestis fundaverat,eandem virtus tutata fuisset. Istis ex principijs natæ tot Bojorum Italicorum strages, ac demum migratio; Gallogræcorum calamitas, potentiâ accisâ,tandémque excisâ: ut nihil sit, cur his in rebus novercalia fortunæ odia accusemus, quando odiosam morum corruptelam, velut bonorum omnium novercam,malorúmque causam pensamus.

XLVII. Insignis regnantium mutatio. An. V. C. D.XXXVI.

Istis gradibus ventum esse ad Tolistobojorum in Asiâ ruinam, manifestum facient, quæ de eorum moribus casibúsque protinus exequemur. Fatale fuit,ut Olympiade centesimâ vigesimâ nonâ, & tricesimæ initio, qui annus fuit ab urbe conditâ quingentesimus trigesimus sextus, omnium ferè, orbis tunc cogniti, partium imperia novos dominos acciperent, atque ex tantâ mutatione magni passim motus, bella, & gentium concussiones orirentur: quâ tamen ex malorum congerie, velut ex malâ causâ, bonum grande natum fuit, insigne Romani imperij incrementum. Hæc autem rerum nova facies subitò, & ferè simul inducta est. Philippus Demetrij filius, cùm ephebos nondum excessisset, Macedoniæ fuit impositus: Achæus Asiæ cis Taurum dominabatur: Antiochus Magnus cognomento, post Seleuci parentis fata puer admodum diadema sumpserat: Ariarathes jura dabat Cappadocibus: Ptolemæus Philopator Ægyptum redegerat in suam potestatem: non multò pòst Lycurgus Spartæ regnum adiverat: Annibal (quod in Boijs Italicis memoravimus) à Carthaginiensibus bello contra Romanos imperator fuerat impositus: quot novi rerum domini, tot causæ rerum novandarum. Ab Annibale Romani bello fuere petiti: Achæi & Philippus Ætolos & Lacedæmonios infestabant: Antiochum Romani bello aggressi sunt, quod Tolistoboijs fuit infortunatum. Eos quoque Annibal traxerat in belli societatem eò proniores, quòd tota Bojorum natio Romano nomini erat infensa. Sed quam ipsi fortunam sustentandam susceperunt, ejusdem ruinâ involverunt suam; cùm celsæ ædificiorum moles corruunt, quæ circùm sunt humiliores, vel proterunt, vel,quod primum est, suo casu graviter collidunt. Antiochus pariter moturus in Asiam, Tolistobojos rerum gestarum gloriâ, animi corporúmque magnitudine totâ Asiâ nominatissimos, stipendijs sibi devinxit nimiopere mercenarios &.incogitantes, nullum prorsus auctoramentum posse belli incommodis æquari. Prima expeditio successit nullo operæ pretio. Secuta hiberna, otio, luxu, fœdis amoribus, spectaculis, militares animos virtu-

Tolistoboii ab Antiocho conducti.

témque

témque corrupêre. Antigonus ab ignaviâ, quæ luxuriæ soboles est, priùs quàm ab hoste superatus, animi magnitudinem exuit, regem paulò pòst exuendus.

XLIIX.

ANTIOCHUS PROFLIGATUS.

Liv. lib. 47.

Nam M. Acilius Glabrio Consul Romanus anno primo Olympiadis centesimæ quadragesimæ septimæ ad Thermopylas cum assecutus, cùm neque loci insuperabilis munimento, nec ullis sociorum armis satis protegeretur, fusum fugatúmq; in eas redegit angustias, ut vix quidquam, præter effœminatam animam, novam nuptam, quam vetulus recèns duxerat, quingentos equites fugæ asseclas, supremo discrimini subduxerit. Bellum nihilominus instauravit, ut vinceretur iterum, secúmque in perniciem trahere Tolistobojos, totámque Gallogræcorum nationem. Habebat ex his in exercitu quatuor millia, præcipuum exercitûs universi robur. Secutus est Luc. Cornelius Scipio Cons. qui nondum à Romanis tentatum Asiæ trajectum primus omnium aperuit. Additus P. Scipio Africanus legatus, Annibalis victor & Carthaginiensium, cui demandata est provincia cutáque Antiochi debellandi. Hic primam cladem accepit ab Æmilio Regillo prætore, pugnâ navali, Rhodijs adjuvantibus, ad Myonnesum promontorium, quod Tejo & Samo interjacet. Dehinc Phocæa, cùm nihil esset, quod ab Antiocho posset sperare, Æmilio se dedidit, quam miles furens, quamlibet obsistente prætore, diripuit. Lysimachia, in cujus expugnatione magnus alioqui labor Romanis futurus esse credebatur, à præsidio deserta, ultro Consuli dedit manus. Non longè pòst exercitus Eumene Pergami Rege, Romanorum amico, omnia ad transmissionem accurante, per Hellespontum, nemine, qui obstaret, occurrente, in Asiam velut pacatam est deportatus: quæ res futura fuisset magni certaminis, si quam tuendi littoris Asiatici curam Antiochus suscepisset. Subinde ab utroque Scipione auditus est Legatus Antiochi, qui sperabatur eò futurus impetrabilior, quòd Antiochus Africani filium bello captum haberet in sua potestate, sponderetque, se, si pax fieret, sine pretio redditurum, immo additurum ingens auri pondus, regníque Asiæ (si Scipio cuperet) societatem. Magna hæc videbantur ad pacem impetrandam, útque Romani Europæ finibus, & parte aliquâ Asiæ contenti, fortunæ suæ modum ponerent, cessarentque alienam urgere; sed parva hæc visa Romanis, orbis imperium affectantibus. Ergo jubent Antiochum totâ Joniâ, Æolide, Asiâ, quæ cis Taurum est, decedere, omnem belli, cujus dedisset causam, sumptum repræsentare: sineret jugum frenósque imponi Asiæ, quos ingressu concesso ipse admisisset. Ex regiâ munificentiâ maximum Scipioni fore beneficium, si dono filium recipiat, eum privatam istam humanitatem, vicissim gratiâ privatâ remuneraturum: de publico nihil eum donare posse, aut sibi accipere: id duntaxat licere dare consilij, quòd Legatus regi referret, bello ut absisteret, nec recusaret ullam pacis conditionem. Tales Regi consternato, quasi victus esset, leges imperiosè dicebantur, quòd in ipso statim transigendi limine nimia pollicendo, metum professus, ad plura longéque majora exigenda immensam Romanæ ambitionis sitim accendisset.

ROMANORUM IN ASIA PROGRESSUS.

ANTIOCHI LEGATIO, ET PROMISSA.

XLIX.

PERGAMI OBSIDIO.

Appian. in Siriac.

GALLI OSCITANTES.

CÆDUNTUR A DIAPHANE.

Ergo Antiochus, pace in præsens desperatâ, omnes ad bellum curas convertit. Ut Eumenem à Romano bello ad domestica pericula averteret, Gallogræcos unà cum Seleuco filio in agrum Pergamenum immisit, jussitque omnem latè regionem populationibus evastare. Eumenes, comperto Pergami discrimine, confestim Attalo fratri, qui in urbe curabat, auxilio occurrit. Res stetit inter velitares conflictus & excursiones, quòd contra Tolistobojos rem supremæ aleæ committere, consultum Eumeni neutiquam videretur. Tantus in urbe terror erat Gallici nominis, nemo ut esset, qui vellet prodire in apertum, vel ex mœnibus Gallorum stationes telis infestare. Tetenderant illi in convalle, tecti utcunque montis supercilio, sed penè nudi à vigilijs; tanta eos ob hostis cessationem confidentia, contemptúsque periculi incesserat. Quam illis oscitantiam gnaviter excussit Diaphanes gente Achæus, qui recens, pedites mille, centum admodum equites oppidanis suppetias festinaverat. Ille ex mœnibus conspicatus Gallorum negligentiam, ratúsque paucos bello alacres, otiosæ multitudini nego-

negotij abunde posse facessere, facinus ausus est, quod argutulus quispiam crederet citra temeritatem tentari non potuisse. Cum tantilla suorum manu progressus in campum, non quasi pugnaturus, sed hosti daturus spectaculum, & vicissim ab hoste accepturus, nullâ hostilitatis specie, pacatè suos in acie habuit. Cives per muros diffusi eventum expectabant. Galatæ stantem paucorum cuneum risu exceperunt per contemptum, segnes alioquin & otiosi. Diaphanes lætus se non timeri, dato repente clasico, sublatóque clamore, invectus in incuriosos, primo impetu sternit obvios, dissipat ad signa coëuntes, per tota castra quaquaversum fulminis instar perturbationem metúmque circumfert, sicque confundit omnia, ut, cùm nulla trepidis turbatísque salutis spes, nisi in fuga superaret, arrogans ista Gallorum turba cum insigni suâ ignominiâ, gnavo militi victoriam concederet.

L.

Postridie Diaphanes rursus eodem, quo pridie, loco, suorum aciem explicuit: habuit vicissim Seleucus Gallos in armis in serum usque diei nullâ vi tentatâ. Sed cùm aciem ad castra reduceret, Diaphanes abeuntium terga sic pressit, ut nemine auso manum conserere, tum primùm frontem obverterint, cùm pro castris stantes fugiendi finem fecêre. Die perendino Seleucus, ne tertium dedecus acciperet, refixis signis, solvit obsidionem, sed se Galatásque inertiæ non absolvit.

Obsidio Pergami solvitur. An. V. C. CCCLXIII.

Inter hæc Antiochus, audito, Africanum morbo correptum castris secessisse Etæam, ejus filium honorificâ stipatum legatione, ad eum misit munus sanè jucundissimum animo, & recreando corpori salutare. Ille suavissimè filium complexus; Renuntiate, inquit Legatis, meis verbis Antiocho, me ipsi quidem debere omnia, quæ mei juris sunt, quando & meum filium debeo, & agere, quas summas possum pro tanto beneficio, gratias; sed non posse in præsens, quantas debeo, referre; id duntaxat suadeo, ne ipse pugnæ copiam faciat, donec me audierit ad castra redivisse. Antiochus tanti viri motus authoritate, quasi non hostis, sed amicus utilia suasisset, copias è castris Thyatirensibus, amnem Phrygium transgressus, ad Magnesiam traductas firmis operibus munivit. Corn. Scipio consul abeuntem propere secutus circa amnem quatuor ab ipso millia passuum consedit. In eum mille ferè equites, maximam partem Gallogræci, fluvio superato invecti, primo statim impetu turbavere cohortes incompositas: sed cùm è propinquis castris alij super alios Romani, laborantibus auxilio advolarent, Galli, crescente in momenta hostium numero, cùm vim ultrà non ferrent, tranato flumine in adversam se ripam receperunt. Pauci, qui à conferta refugientium turba ingressu fluvij prohibebantur, ab instantibus Romanis fuere interfecti. Justo prælio ne confligeretur, amnis interpositus inhibuit per biduum: die tertio Romani exercitum transmisêre. Dum insudarent haud procùl à Rege castris muniendis, vallum molientibus supervenerunt equitum & peditum expeditorum tria millia è castris Antiochi. Totidem ferè Romanorum erant in statione ad munientium tutelam. Pugnatum aliquandiu Marte dubio: sed Regij numero impares retulere pedem, centum in loco amissis, totidem ferme captis. Exinde per quatriduum acies utrinque pro vallis steterunt: quinto die Romani signa propiùs moverunt: Antiochus velut detrectans pugnam suos ante castra continuit: Pugna demum die sexto commissa. Habuit Consul Scipio in acie viginti octo millia; bis mille pars Thraces, pars Macedones, relicti sunt ad castrorum præsidium: Post triarios sedecim elephanti Africi in subsidio fuere locati. Antiochus, si Livio credimus, eduxit supra octoginta millia, si Appiano, septuaginta: Florus in augendo numero nimius, scribit trecenta peditum millia, equites falcatósque currus totidem. E Tolistoboijs, Trocmis & Tectosagibus Livius connumerat quinquies mille quingentos. Elephanti omnes Indi, Africanis longè meliores, suis quique turribus, rectoribus quaternis, pugnatoribus instructi. Livius in describendis aciei utriusque ordinibus prolixus est & accuratus. Ante lævum cornu stabant falcatæ quadrigæ, & cameli cum singulis sessoribus, quibus gladij tenues ac prælongi, ad hostem feriendum ex tergis came-

Antiochus Scipioni filium liberum remittit,

Castra mutat.

Tolistoboii castra Scipionis incursant. Reiiciuntur.

LI.

Antiochus memorabili prælio superatus.

Tolistoboii auxiliares Antiochi.

camelorum. Antequam confligeretur, cœlum visum est contra Antiochum conspirare. Nebula exortum solem, altiúsque postea provectum obducens, regijs lumen sic eripuit, ut nonnisi proximos cernerent; cúmque latè diffusa esset acies, nemo è medio cornua, quidve in ijs gereretur, oculis poterat assequi. Ea caligo Romanis in acie modicâ longè minùs officiebat: & hoc accessit incommodi, quòd nebula in humorem soluta, regiorum arcus, fundas, amenta jaculorum molliebat, Romanorum verò, quorum gravis ferè erat armatura, gladios aut pila nihil hebetabat. Sed illud quoque Antiocho importunum, quòd, Eumenis consilio, immissi à Consule jaculatores, prorsus reddidere inutiles falcatas quadrigas longis à temone cuspidibus, & ab extremis jugis & rotarum axibus magnis utrinque falcibus armatas, ipsóque aspectu horribiles, quibus statuerat Antiochus disijcere hostilem aciem. Vix etenim Cretenses sagittarij atque funditores non conferti, sed laxis hinc inde ordinibus cœperant in equos telorum procellas ingerere, & tollere inconditos clamores, cùm momento efferata jumenta vulneribus ac terrore concitari, rectores excutere, effreni cursu medio inter utramque aciem intervallo rapi, quadrigas per avia, devia, quocumque ferebat impetus, furórque, abripere; quódque erat nocentius, subsidiarios pavore consternatos secum in fugam conijcere. Cùm igitur acies nuda pateret usque LII. ad cataphractos, justâ pugnâ cœpere manus conseri. Cataphracti ne primam quidem Romani equitatûs impressionem sustinuerunt: lævo inde cornu inclinante, media acies cœpit trepidare, mox solvere ordines, à tergo disijci subsidia, quæ in vestigio restiterant, ab hoste sterni, ac demum in castra fugere. In dextro cornu Romana acies ab Antiocho impulsa vertebat terga: verùm M. Æmilius militum tribunus fugientes quà probris, quà minis telísque, ad pugnam reduxit, Regem effusè insectantem repressit, vertitque in fugam. Atque is fuit prælij exitus, ut Romani victoriâ, castris Antiochi, spolijs ingentibus potiti, plerásque Asiæ civitates, quæ certatim fecere deditionem, in fidem acceperint. Antiocho debellato, Asia Romano imperio accessit, & qui antea Antiochus Magnus audiebat, suâ magnitudine fuit spoliatus. Occubuerunt eâ die de ejus exercitu quinquaginta peditum, equitum quatuor millia: mille quadringenti capti, & quindecim elephanti cum rectoribus. E Romanis cæsi trecenti pedites, quatuor & viginti equites: de Eumenis auxiliaribus quinque suprà viginti. Gesta hæc urbis anno trecentesimo sexagesimo tertio.

Asia Romano imperio adiecta.

Annus sequens Romæ M. Fulvium Nobiliorem, & Cn. Manlium Vulsonem consules dedit. Vulsoni Asia redacta in formam provinciæ obtigit, infelici rursus Tolistobojorum omine, qui, quòd procul à mari sedes haberent, confidebant se quoque procul à Romanorum armis futuros. Atqui Manlius cum exercitu profectus in provinciam ipsis bellum intulit, non ut aliàs conductitijs, & alienis auspicijs ad Regum signa delectis, próque sociorum fortuna bellaturis, sed periclitaturis de domesticis aris atque focis. Dubitat Florus, fueritne inferendi belli causa data, an quæsita à Consule ad captandum de gente debellatâ triumphum. Certè cùm Vulsoni Romam reduci datus esset Senatus, petenti pro rebus in Asiâ gestis triumphum, Legati, qui bello interfuerant, plerique sunt refragati, & quidem ante alios Luc. Furius Purpurio, & Luc. Æmilius questi sunt, quòd ille de industriâ, quasi bellum bellique causas vestigaret, exercitum ad Gallogræcos circumegisset, nullo populi Romani jussu, vel Patrum authoritate, & eos, ne indicto quidem per fecialem bello, contra jus fásque involvisset: atque eapropter id non publicæ expeditionis, sed privati latrocinij loco esse habendum, quòd esset susceptum non contra populi Romani hostes, sed quos Manlius sibi privatim inimicos sumpsisset, posteaquam per varios viarum anfractus, Pisidiæ, Lycaoniæ, & Phrygiæ recessus omnes atque angulos rimatus erat, ut à Tyrannis castellanísque obvijs, devijs, consul mercenarius stipem aliquam emungeret. Accusârunt etiam hominis imprudentiam, quòd locis iniquis, alieno tempore, nullo jure gentium, adversus quietos innoxiósque temere pugnasset. Reddit Livius belli ratio-

An. V. C. CCCLXIV.

Bellũ contra Tolistoboios. *Luc. Flor. l. 2. c. 11.* *Liv. lib. 38.*

Manlius accusatur in Senatu.

rationem, quòd Gallogræci populi Romani socios armis sæpenumero vexassent, nec per Manlij Legatos appellati illatas injurias sarsissent. Eandem causam refert Polybius. Quicquid demum fuerit, nulli ex Antiochi socijs fuere, quàm Gallogræci, habiti inclementiùs.

Polyb. Legat. 33. & 35.

TRES GALLOGRÆCORUM REGULI.

LIII. Manlius in ejusce belli consortium adduxit Eumenis Regis fratres geminos Attalum & Athenæum, qui studio tantò promptiore auxilia junxerunt, quò magis eorum intererat, Gallogræcorum potentiam, finitimis semper metuendam, si non everti penitus, at saltem infringi, ut discerent in posterum metuere, qui hactenus assueverant formidari. Tribus Gallogræciæ gentibus præerant Ortiagon, idem, qui Orgiagon, Combolomarus, & Gaulotus, diviso imperio. Ortiagontis summa erat potestas apud Tolistobojos, summáque apud Gallogræcos omnes dignatio, quem morum amœnitas, haud vulgaris rei militaris peritia, fortunatus armorum usus & munificentia comprimis commendabant. Ille in clarioris fortunæ spem erectus primus fuit, quem invidia magnarum virtutum æmula Romanorum armis objecit. Trocmi & Tectosages exciti communi periculo, & sanguinis fœderúmque vinculis, unà cum Tolistoboijs arma induerunt, sat gnari, aut vincendum omnibus, aut jugum accipiendum. Manlius, antequam bellum aggrederetur, exitu dubium, &, si malè verteret, Romæ causâ & eventu futurum odiosum, quódque quasi cupidè susceptum, nulláque Senatûs populive Romani approbatione patratum, temeritatis argueretur; non ignarus, plerosque Romani exercitûs Legatos, ipsúmque militem ab isto bello esse animo alieniore, duo sibi esse facienda putavit; alterum, ut fiduciâ & honoris stimulis acueret legionum animos; alterum, ut captaret aliquam justitiæ speciem, & pacis cum Gallis tentatæ existimationem. Hoc conatus est per Epognatum, unum de Gallogræcorum dynastis, qui constanter Eumenis amicitiam coluerat, negaverátque, se Antiocho laturum contra Romanos auxilia.

LIV. Is Manlij nomine Tolistoboijs pacem addixit, si animum inducerent, exemplo cæterarum Asiæ gentium, imperata facere, & pop. Romani amicitiam amplecti: Simul pro se author fuit, nullam ut pacis conditionem tolerabili moderatione ferendam detrectarent. Verùm genti assuetæ dare imperia, non accipere, id genus tractandi visum est abjectius, quàm ut inveteratæ Tolistobojorum magnanimitati esset ferendum. Quamobrem Epognati Legatio in nihilum recidit. Æquè parùm attulit emolumenti conatus Compulsi viri inter Tectosages illustris, apud Manlium infimis precibus orantis, ne suæ genti bellum inferret; pollicentis insuper, se ad populares iturum, &, quæcunque ex æquo possent ab ijs expectari, persuasurum. Sed neque lubuit Tectosagibus à Tolistobojorum consilijs & societate divelli. Manlius haud tristis, quòd nihil pacatum Legati retulissent, statuit armis experiri, ratus, se populo Romano haud ægrè probaturum, gentem hactenus indomitam, & Romanæ magnitudini semper infensam bello dedisse causam, hoc ipso quòd pacis consilia respuisset. Reliquum erat, ut, quod factum consul animo erat complexus, hoc quoque exercitui persuaderet. Quare advocatâ concione, orationem habuit magno studio compositam, ad persuadendum, Gallogræcos citra injuriam, citráque periculum bello posse lacessi. Etenim Romanæ rei fore non modò inglorium, sed etiam noxium, si in Asiæ visceribus tolerentur populi, perpetuum urbis odium professi, quorum factionibus cæteræ gentes continuò ad excutiendum jugum provocentur. Nihil esse, cur invicta legionum virtus cunctetur Martem experiri cum hominibus, quibus de priscâ Gallorum fortitudine nihil sit reliquum, præter famam, procera corpora, promissas rutilásque comas, vasta scuta, prælongos gladios, cantus ululatúsque dissonos ante pugnam, ridiculum armorum strepitum. Hæc Romanis, qui Gallicis tumultibus & Boijs debellandis longo ducentorum annorum usu essent assueti, pro inani ludibrio jam olim esse habita, atque etiamnum habenda. Gallogræcos Boijs Italicis longè dissimiles, degenerasse à majorum virtute ad mollitiem Asiaticam, nec nomen tantùm mutasse, sed etiam animos, cœlo languido, flaccidâ imbelliâ: ijs contigisse, quod solet plantis tralatitijs, quæ soli,

PACEM RECUSANT.

MANLIUS EXERCITUM ANIMAT.

FAMAM GALLOGRÆCORUM DEPRIMIT.

soli, ad quod transferuntur, peregrinam indolem adsciscunt. Patuisse nuper, Gallogræcos, cùm in acie starent pro Antiocho, firmarent utrumque cornu, pugnarent, & virtuti Romanæ cederent, jam ampliùs non esse Gallos, sed degeneres Gallorum nepotes, quibus præter avorum titulos, & magni olim nominis umbram nihil superesset. Fore itaque cum Bojorum simulachris potiùs, quàm cum veris Boijs certamen, idque nihilo secius Romano nomini gloriosum, quòd, cùm Gallogræci etiamnum apud Asiaticas gentes antiquæ ferociæ famam retinerent, tantundem decoris Romanis aquilis esset accessurum, quantum accideret, si veterem illam Gallorum barbariem debellarent. Audita hæc pronis auribus à legionarijs, & promiscuâ turmarum multitudine, tametsi ductores plerique à Consule dissentirent.

Cæterùm suprà quàm dici possit, Gallogræcos debilitavere malè cohærentia consilia, distractæ vires, neglectus armorum, missilium præsertim apparatus, malè protecta corpora, longis quidem umbonibus, sed pro vasta corporum amplitudine longè, quàm necesse foret, angustioribus. Nec deerant, qui aliàs vestiti nudabantur ad pugnam. Gladius illis solus propè in usu, ad ciendam pugnam cominus, nulla vel tenuis admodum telorum ad hostem eminus petendum copia. Potissima illis fiducia in editis Olympi montis jugis, ad quæ è vicis campestribus, desertis agris tectisque, cum totis familijs bifariam divisi, omnes commigrârant. Tolistoboij comportatâ annonâ, loci fastigium fossis circùm ductis, occupârunt, velut ducturi bellum, & obsidionem in longum tracturi, arbitrantes, se temporis diuturnitate, rerum inopiâ, aëre gelido, tædio laboris, cæterisque incommodis, per solam cunctationem, hostem fracturos. Saxa, quorum eo loci ingens copia, erant loco missilium: rupium asperitas, & jugi supercilium, quod rebantur insuperabile, magnam addebat fiduciam multitudini, ad vim excipiendam animosæ. Manlius, qui hæc animo prospexerat, jussit magnam hastarum velitarium copiam, pilorum, glandium, minutiorum lapidum, qui fundis jacerentur, comportari, esséque in promptu ad montis expugnationem. Cùm ponte subitario amnem Sangarium, qui ortus ex monte Adoreo Phrygiam perfluit, esset transgressus; præter ripam eunti, Galli Berecynthiæ sacrificuli cultu solemni, & carminè ad assentationem composito, more fanatico, triumphos & Galatiæ Principatum à Deûm Matre vaticinantes; Pessinunte occurrerunt. Omen accepit Manlius, seséque castris eo loci positis usque in diem posterum continuit. Postridie ad Gordium oppidum, quod, teste Plinio, olim fuerat regionis caput, quódque Sangarius pari spatio à mari Pontico & Cilicio dissitum interfuit, progressus est. Inde cives relictâ annonæ, rerúmque aliarum vi, profugerant. Castra ex eo loco Consul movit ad Olympum, cúmque exercitus quinque passuum millibus exadversum constitisset, postridie, quàm illuc venerat, Manlius cum quadringentis equitibus, & Rege Attalo, qui suppetias adduxerat, profectus est ad explorandum montis genium, & castra Tolistobojorum. Loca circùm lustrantem gemina hostium phalanx, ad Cuballum Gallogræciæ castellum, factâ è castris eruptione, fortiter excepit, fuditque. Cùm tumultus in Romana castra delatus percrebuisset, Consulis periculo excitus repente omnibus portis equitatus, Gallos nonnullis interfectis repressit. E Romanis cæsi haud pauci, plures debilitati vulneribus, cum integris ægrè discrimen evaserunt. Consul hoc edoctus experimento, totis copijs ad montem contendit. Cùm se Tolistoboij intra castrorum loricam continerent, certi detrectare prælij aleam; Manlius, nullo prohibente, Olympum, quàm latè se ejus porrigunt radices, circumvectus, deprehendit, non nisi tribus itineribus posse oppugnari; uno, quod collis molliter acclivis aperiebat ad meridiem, duobus alijs, ab æstivo solis occasu, & ortu hiberno, haud parùm arduis & impeditis, Borealem eminentiam rupes arrectæ in altum, inaccessis claudebant parietibus. Hæc ubi compererat, ad imum montis castra metatus, militem jussit curare corpora, & insequentis lucis imperia præstolari. Cùm primo sole sacris operatus Marti litasset, diviso

[Margin notes: LV. GALLICI APPARATUS VITIA. — *Appian. in Syriac.* — MANLII APPARATUS. — OMEN VICTORIÆ. — LVI. *Suidas verbo Gallus.* *Plin. lib. 5. c. ult.* *Curt. lib. 5.* — MANLIUS REPELLITUR A GALLIS. — MANLIUS MOVET IN TOLISTOBOIOS.]

trifariam exercitu, duxit in hostem. Lucio Manlio fratri dedit in mandatis, ut montem subiret ad hibernum solem: Cajum Helvium jussit obliquo itinere radicem montis paulatim circumvehi, & ubi ad æstivum solis occasum venisset, eniti in altum. Utrumque monuit, attenderent, quâ parte laboraret oppugnatio, opémque ferrent laborantibus. Si quæ loca prærupta subeuntibus obsisterent, ne temere ijs superandis, aut ulli viæ iniquitati militem committerent. Ipse potissimam legionum partem, accito secum Attalo, per meridianos colles, quà erat ascensus cæteris æquior, hostem est aggressus. Equitatum unà cum elephantis, quorum in ea montium asperitate nullus erat usus, in planitie reliquit. Tolistoboij nihil admodum diffidentes, duobus lateribus, quorum aditus minùs erant pervij, quatuor, si multum, armatorum millia imposuerunt, ut, quà mons vergit ad meridiem, accessus explicatiores validiùs cæteris copijs tuerentur. Tumulo, qui viæ imminebat, virorum fortium justam manum jusserant insidere, & montis verticem, in castri modum, opere munierant, fidentes, quantamlibet invadentium multitudinem se ex ea munitione ascensu prohibituros.

LVII. Verùm incautos fefellit ipsis inexpertum pugnandi genus, solitos, quoties erat confligendum, virum viro, pedem pedi conferre, nec priùs pugnâ absistere, quàm hostis cederet, vel ipsi ab hoste cæderentur. Unde cùm nullus ipsis foret hastæ eminus jaciendæ, vel missilium usus, Romanis tutum erat certamen è longinquo. Quare Manlius sic instruxit aciem, ut, qui valebant jaculis, primi ante signa modico intervallo legionibus anteirent, & immissis in hostem telis, initium pugnæ facerent. In his velites tecti parmâ tripedali, hastam dextrâ vibrantes, & cùm propiùs venitur ad manus, tralatis in lævam hastis, pugnantes gladio Hispaniensi. Cum his prælium ciebant Cretenses sagittarij, quos adduxerat Attalus: jungebantur funditores, & Thraces acres arcu. Legiones succedebant suspenso gradu, non ut conserturæ manus, sed eminus pugnaturæ, scutis armatæ, quibus missilia evitarent. Sub initium prælium ex intervallo conserebatur æquo Marte, cùm pro Tolistoboijs loci natura certaret, pro Romanis telorum nimbus & copia missilium, quâ solâ Tolistoboij superabantur, saxis duntaxat, qualia, nullo delectu aut paratu, parva, grandia, temere sors offerebat, non arte, sed impetu cœco vim arcentes, & subinde procùl inferentes. Pòst, ubi certamen processerat, ad ictum aperti, hastis, sagittis, omni spiculorum & glandium genere undique petiti, tandémque consilij inopes, cùm ferarum instar, quæ ex occulto figuntur, alij humi strati, alij ruentes in hostem, trucidabantur. Jam pervenerat dimicatio ad paucos, velitibus, cæteræque levis armaturæ multitudinis longè impares, quando legionibus signa simul inferentibus, ultima desperatio superatos avertit in castra, ubi imbellis fœminarum & puerorum ætas augebat formidinem. Eo conflictu Manlius tumulo, nexísque collibus occupatis, levem armaturam, & legiones, quæ supervenerant, jussit paulisper respirare, ostensis humi sparsis Tolistobojorum cadaveribus. Tum appositâ ad rem præsentem oratione hortatus est, invitantem fortunam sequerentur, castra invaderent, ijsque captis gloriosam coronidem certamini imponerent. Legiones sublatis aquilis, gressu militari sensim in edita montis assurrexere.

Tolistoboios vincit duplici certamine.

LVIII. Tolistoboij pro castris aciem instruxerant, aleam denuo, quamcumque fors daret, experturi. Hîc coorta rursus pugna, sed qualem paulò antè senserant adversam. Etenim Romani, certi, nihil tentare cominus, eodem, quo priùs ordine, levis armaturæ signa præmiserunt, quæ hostem à missilibus imparatum procul lacesserent. Ab his pugnæ initium & densa telorum procella, quæ cùm in confertos Gallorum ordines sæviret, tantò majorem edebat stragem, quantò plures, magisque conglobatos haud vanâ destinatione petebat. Quam vim non diu sustinuere Tolistoboij, qui telis obruti se receperunt intra vallum, firmatis ad portas stationibus. Romani è vestigio instantes, ingentem telorum vim effundebant in castra, multósque sauciabant: vulnera prodebat puerorum juxtà & mulierum ejulatus. Simul immissi legionum antesignani, pilis urgebant portarum excubias, quæ suis ejectæ stationibus, & in-

& intra loricam retrusæ, hosti denique patentes castrorum aditus concesserunt. Hinc confusa Gallorum fuga per avia, invia, per montis præruptos anfractus, per rupium præcipitia, profundas vallium voragines, per silvas & vepreta, tanto pavore, ut ne mortem quidem, casúsque ipsâ morte formidabiliores, præ instantium ferro horrerent. Stragem exaggeravit agmen L. Manlij, qui castris jam expugnatis adveniens, unà cum victore Consule tergis hærebat fugientium. Quos fuga ad montis ima ferro subduxerat, à Romano equitatu plerique cæsi, aut capti. Præ multitudine, numerum occisorum iniri non potuisse, author est Appianus. *Appian. in Syriac.* Valerius Antias in calculum retulit decem millia. Claudius gemino prælio scribit occubuisse quadraginta millia. Livius de occisis nihil statuens, nisi ex alienâ sententiâ, asserit, captivorum multitudinem quadraginta omnino millia explevisse, atque in his quidem fuisse omnis generis, ætatísque turbam, quam Tolistoboij demigrantium magis, quàm ad bellum euntium modo, secum traxerant. Cæsorum arma in cumulum congesta Manlius cremavit: captivorum ingentem numerum, quos credebat flagellandæ tantùm annonæ futuros idoneos, accepto à finitimis barbaris pretio, servituti addixit. *Liv lib. 38. Valer. Max. lib. 6.*

Inter captivos servata Ortiagontis Reguli conjunx Chiomara (sic eam nominat Plutarchus) facinus edidit, animi magnitudine, & vindicatæ pudicitiæ laude, inter illustria memoratum. Ut erat specie supra vulgarem venustâ, Centurio, qui ejus custodiendæ curam susceperat, amore vesanus, primùm verborum lenocinijs invictum captivæ tentavit animum: deinde, ubi blanditiæ non successerant, invitæ atque abhorrenti stuprum, per vim homo nefarius intulit: demum ut flagitij indignitate furentem placaret, promisit, se in vicem illatæ injuriæ eam libertati & marito redditurum, modò ille auro, quod reginâ dignum esset, captivam redimeret, résque posset, nemine ex Centurionis familiaribus conscio, confici. Laudat conditionem generosa mulier, & talentum Atticum libens corpori redimendo paciscitur. Centurio vicissim potestatem facit, mittendi ad Ortiagontem unum è Reginæ servis, qui cum ipsa venerat in hostium manus. Locus pecuniæ numerandæ dictus prope flumen, ubi Chiomara, duóque, nec plures è famulitio, noctis silentio pactum Centurioni aurum repræsentarent. Servus serâ nocte emissus è custodiâ, negotium apud Regem conficit, reditque ad constitutum locum posteræ noctis conticinio. Isthic adfuere captiva & addictus comitatus. Dum nummis pensitandis Centurio totus attenderet, fœmina gentis suæ vernaculâ ad suos; Stringite (inquit) ferrum, & scelestum hominem tollite. Parent illico servi, capútque Centurionis à cervice demessum tradunt dominæ, quod illa veste convolutum, detulit ad maritum. Hunc priusquam amplecteretur, Centurionis caput projicit ad ejus pedes. Miranti, cujus esset, quæve cædis causa, rem, ut gesta erat, ordine recenset: violatam scilicet per vim castimoniam, sumptámque de adultero vindictam, confessa, viro satisfecit, & per omnem vitam egregij facinoris laudem, fidei matronalis sanctitate est tutata, quam Græcæ juxtà ac Latinæ litteræ celebrarunt. Polybius scripsit, se cum eâ Sardibus esse collocutum, & insignem sapientiam animique excelsitatem demiratum. *Flor. lib. 2. Plutarch. de clar. mulier.* CHIOMARÆ REGINÆ FACINUS. LIX.

Minus sibi gloriæ pepererunt Tolistoboij, qui interceptæ libertatis dolore (quod jam memoravi) vitam projecerunt, rati, partem esse fortitudinis, sese per vim invisæ luci subducere, eóque demigrare, ubi nihil posset fortuna; quasi fierent immortales & beati, qui præcipiti furore in mortis præmaturæ fauces involarent, futuri æternùm infelices. *Flor. l. 2. c. 11.*

Devictis, fugatísque ex Olympo Tolistobojorum reliquijs, nondum erat debellatum. Etenim Trocmi & Tectosages eidem innexi bello supererant, quorum ope, jacens Tolistobojorum fortuna posset erigi. Quare Cn. Manlius ad persequendas belli reliquias, Ancyram castra promovit. Cùm isthic haberet stativa, venerunt à Tectosagibus & Trocmis oratores, qui gentis suæ verbis peterent, ne Consul priùs ab Ancyra moveret, quàm cum Regibus Gallogræcis de pa- *Polyb. Legat. 38. Liv. lib. 38.* GALLI SPECIE PACIS FACIENDÆ MANLIO IMPONUNT.

LX. ce fuisset collocutus: eum experturum, ad pacem propensos, & quibus quævis honestæ leges bello forent antiquiores. Annuit Manlius; locóque colloquendi in diem posterum inter Ancyram & Gallorum stativa constituto, ad horam dictam quingentis equitibus stipatus adfuit. Cùm Gallorum neminem reperisset, in castra regressus, obvios habuit Tectosagum legatos, orantes, suis Regibus fraudi esse ne vellet, quòd, uti convenerat, non adfuissent: quò enim minùs venirent, vetitos fuisse religione, responsísque aruspicum, qui nefastam ipsis ejusce diei negotiationem renuntiassent: venturos nihilominus gentis primores cum mandatis, quibuscum pacis negotium possit agi. Assensus est Manlius, séque sequestrem Attalum esse missurum respondit. Ergo ventum ad colloquium. Attalum comitati sunt equites trecenti, totidem præstò fuere Gallis. Multa quidem utrinq; de pace disceptata, sed nihil certi constitutum, quòd citra Consulis, Regúmque vota atque præsentiam, nihil posse confici autumarent. Ergo communi utrinque voluntate convênit, uti eodem loci Manlius juxtà ac Reges congrederentur. Seria non erat Tectosagibus de pace cogitatio; sed eò spectabant potissimùm, ut temporis facerent aliquod compendium, rémque extraherent, donec suas fortunas unà cum uxoribus ac liberis trans Halyn fluvium deportassent; quódque inprimis optabant, Consulem insidijs irretirent. Quam ad rem equites mille projectæ audaciæ ex omni numero delegerunt, qui, si res ferret, incautum opprimerent: et haud dubiè oppressissent, nisi adversus fraudem, pro gentium jure fortuna stetisset. Res gesta est in hunc modum. Romani pabulatores lignatorésque è castris magno numero, cum sexcentorum armato præsidio prodierant, ex ea parte, quâ ferebantur pacis conciliatores adfuturi: spes quoque erat, istam hominum turbam eò fore tutiorem, quòd præter attributos defensores, in propinquo habituri essent Consulem, & ordinariam ipsius stationem, qui ferrent suppetias, si qua fortè vis à Gallis ingrueret. Consul ratus, pro

VIM INFERUNT. eo, atque affirmabat Attalus, Reges adfuturos, se dedit in iter. Vix quinque passuum millia processerat, cùm repentè conspicit Gallos equites, cursu concitato hostilia signa inferentes. Quamobrem turmam prætoriam, quam secum adduxerat, jubet expedire tela, arrectísque ad pugnam animis excipere Gallos incursantes. Conflictûs initium anceps visum est, Romanis egregiè se tuentibus: verùm prægravante hostium multitudine paulatim retulere pedem, ordinibus nonnihil confusis. Demum cùm Galli terga cæderent, sterneréntque obsistentes, in

LXI. fugam omnes sunt effusi. Tum fugientibus instare Galatæ, itáque palantes premere, ut paucis evadendi spes superaret. Adfuit in tempore pabulatorum statio, sexcenti equites, qui dissipatos ad repetendam pugnam collegerunt. Exciti fuerant suorum clamoribus, ut laborantibus accurrerent. Ex agris simul advolârunt pabulatores tanto numero, ut Galli undique circumventi, ne facilem quidem

CÆDUNTUR. sibi, tutámque fugam expedirent. Urgebantur enim hinc à recenti defensorum equitatu, qui fortiter unà cum prætorianis manus conserebat; inde à confertâ multitudine omni telorum genere petebantur. Datum paucis effugere, reliquis negata salus, & captivitas, ab indignantibus, quòd improbè fidem violassent.

Porrò Manlius, ob acceptam ignominiam, irâ tumens, & cupiditate sumendæ ultionis, postridie totis castris movit in hostem. Cùm ab eo non procùl consedisset, biduum dedit exploratoribus, qui loca insidijs opportuna, & vicinas municiones inspicerent. Sequenti luce, solenni more dedit operam cædendis victimis, & exercitum quadrifariam partitus, duo agmina per vicini montis fauces eduxit, duo reliqua à lateribus adversus Gallogræcorum incursiones jussit paratos incedere. Hostis, quicquid copiarum habuit, digessit in ordinem. Trocmi & Tectosages tenuere mediam aciem: Ariarathes Cappadociæ, & Morzes Paphlagoniæ (sic eum Strabo nuncupat) qui ambo quatuor armatorum millia suppetias

Strab. lib. 12. adduxerant, lævum aciei, Galli equites dextrum cornu regebant. Totus exercitus fuit pugnatorum millia quinquaginta. Consul memor, quem vincendi mo-

modum in Olympo monte prosperum tenuisset, eodem sibi utendum esse credidit. Quare aciei frontem velitibus, cæteróque levis armaturæ milite prætexuit, instruxítque omni telorum genere atque copiâ. Ubi venerant acies in mutuum conspectum, pugna commissa est eâdem, quâ nuper arte atque eventu. Manlius victoriâ hostiúmque castris potitus est. Cæsi eo die Gallogræci non plus octo hominum millia, cæteri trans Halyn se receperunt. Postridie Consul captivos & spolia lustrans, tantam gazæ vim reperit, quantam sperare poterat à gente finitimorum prædis opulentâ.

Quæ ex totâ natione supererant reliquiæ, habito in commune senatu, cùm erigendæ in præsens fortunæ nulla spes ratióve appareret, censuêre, Legatos de pace mittendos esse ad Manlium. Eos ipse venire jussit Ephesum, ubi, ad vitanda Tauri montis gelida, statuerat hibernare. Illuc convenêre Græci oratores, & permulti alij vicinarum gentium coronas afferentes Consuli, eò maximè, quòd Gallorum metu liberati, se deinceps suaviore tranquillitate gavisuros sperarent. Adfuere simul Legati Gallogræcorum, pacis conditiones à Manlio accepturi. Verùm negotium distulit in adventum Eumenis Regis, qui in Romanorum fide perstiterat. Is congressus cũ Gallis, quos antè hostes habuerat, recepit in amicitiã. Manlius eos jussit cum Eumene pacem colere: eorúmque Regulis ad Hellespontum vocatis leges dixit, quæ demum Romæ à Patribus probatæ sunt: ut suo videlicet deinceps jure uterentur, arma ne proferrent extra patriam, suis agris essent contenti, in alienos ne grassarentur, tributum Romanis penderent; quod postremum certum est ex sacrâ Machabæorum historiâ, quæ, Galatiam devictam esse memorat, & missam sub tributum, eámque victoriam inter causas cæteras excitasse Judæos, ut potentiæ Romanæ amplitudinem permagni facientes, amicitiam cum Senatu populóque sibi duxerint esse sanciendam.

Polyb. Legat. 35.

LXII.

PACEM IMPETRANT.

1. Machab. c. 8. v. 2.

Rebus ad hunc modum utcunque compositis, respirabant Gallogræci, quando, ut res habent mortalium, quæ ævum non ferunt, cœpit anno urbis conditæ quingentesimo octogesimo seri nova causa bellorum, quæ parùm abfuit, quin Gallogræcos cum Boijs Europæis collideret. Perseus Rex Macedonum bellum, quod vivo patre Philippo fuerat meditatus, eo defuncto, gerere cupiens, non modò sibi Græciæ civitates, sed externas quoque gentes, legationibus amplísque pollicitationibus conciliare nitebatur. Accedebat secunda fama, & majestas Macedonici nominis, quæ populos Romanæ rei infensos, ad res novandas stimulabant. Et Asiæ quidem studia in diversa distrahebantur. Pars in Romanos erant effusi, non tam propter imperantium æquitatem, quàm quòd sperarent, se, si bonam illis navassent operam, Senatûs indulgentiâ consecuturos, ut cum vicariâ saltem potestate, quæ speciem esset habitura libertatis, & non nullius dominatûs, domi rerum potirentur. Pars in Perseum erant proniores; quos videlicet æs alienum, & desperatio emergendi, donec res forent tranquillæ, ad arma provocabat, & societatem hominis, qui popularitatis ostentatione videri volebat bene consulturus sociorum magnitudini. Erant alij, qui bellum & Persei consilia suspectantes, ne asserendæ libertatis obtentu amicos perinde, atque hostes jugo premeret, ubi majorum potentiam esset consecutus, malebant æquatâ utrinque fortunâ præsenti conditioni, sic acquiescere, haberéque consilia in suspenso, ut foret integrum, partium alterutri sua studia venditare, quoties esset ex ipsorum commodis, atque dignitate. Vix erant ulli, qui pensi haberent famam Persei inquinatissimam, eò quòd non hominis virtutem, sed fortunam respectarent. Ferebatur etenim Perseus uxorem suâ manu trucidasse, patrem induxisse, ut Demetrium fratrem necaret, ne, quâ erat apud Romanos gratiâ, & existimatione, ad regni fastigium proveheretur. Dicebatur etiam Apellem parricidij ministrum interfecisse, ne scelus vulgaret; multis præterea domesticis externísque cædibus ac veneficijs temerasse manus. Nec ab ejus moribus aberat avaritia, fraúsque avaritiæ assecla, quâ ad infamiam usque sordésque laborabat, suetus plurima polliceri, vix pauca præstare, quo nihil in principe turpius, nihil tetrius ad majora adspiranti.

AN. V. C. D.LXXX.

PERSEUS BELLUM PARAT IN ROMANOS.

LXIII.

PERSEI MORES INQUINATI.

Bellum

Bellum denique post tentatam pacem suscepit in Romanos, à quo non abfuerunt Gallogræci, quos, duce Cassignato, Romanorum signa sequutos, scripsit Livius. Addixisse etiam nonnullos suas copias Perseo, ipse idem author est, in suâ ad milites oratione, quando gloriatur, se habere in exercitu non modò Macedonas, Thraces, aliósque viros fortissimos, sed etiam Gallos gentium ferocissimos, quos promptum est credere, fuisse manum mercenariam, quæ neque Romani nominis odium, neque gentis suæ ingenium adhuc posuerat. Eam vix dubitem fuisse ex Boijs, quos Thracibus confines, non fuit difficile, venire in belli societatem. Quamquam Livius, cujus authoritate nitimur, non omnino rem explanat: cùm enim Gallorum nomine, sæpe totam non modò Bojorum, sed etiam Tolistobojorum, Trocmorum, & Tectosagum nationem confundat, nihil ex eo citra dubitationem hac de re potest statui; tametsi magna sit conjectura, illos, quos Perseus gentium ferocissimos commendat, fuisse Bojos Europæos, qui ad eam diem indomiti, invictique integram Gallicæ fortitudinis gloriam retinebant. Primùm à Cassignato Gallo, qui Eumeni Romanorum socio aderat, adversus Perseum, certamen est commissum. In eo duxit geminas alas equitum, magnam partem gentis Gallicæ, ad quas accesserant pauci Mysi levis armaturæ. Cum his Perseus cómisit duas turmas Macedonum, & totidem cohortes Cretensium. Pugnârunt ab ipsius castris quingentorum non amplius passuum intervallo, Marte dubio. Cassignatus cum triginta è suis occubuit.

Liv. lib. 42.

BOII EUROPÆI IN BELLO MACEDONICO.

LXIV.

PUGNA VELITARIS.

Cùm Perseus Romanos ad justum prælium per dies aliquot elicere frustra tentasset, séque illi in castris continerent; ducto omni, quo maximè valebat, equitatu, & jaculatorum velitúmque agmine, cùm à tergo, quingentorum circiter passuum intercapedine dissitas à Romanis legiones in acie statuisset, orta est in horum castris trepidatio, & tumultus. Concurrebat miles ad sua quisque tentoria, tribuni & centuriones ad prætorium, donec animis utcunque compositis, P. Licinius Consul intra vallum cohortes digessit in ordinem, equitatúmque omnem velitésque pro castris eduxit. Ante mediam aciem ducentos equites Gallos, in quorum virtute multum ad victoriam emolumenti ponebat, stare jussit. Orta dimicatio à funditoribus, & jaculatoribus. Dextrum Romanorum cornu, in quo omnis equitatus Italicus, momento temporis fuit aversum. Perseus in medium invectus agmen, Græcos primo impetu loco movit, quos fluctuantes, integris tamen ordinibus, Eumenes, quíque missi è subsidiarijs, erexere, ut obversâ fronte regios, qui sequendo sparsi, minúsque conglobati instabant, ab inferendâ vi cohiberent. Hîc Perseus inter spem metúmque ambiguus, tametsi victoriam de equitatu Romano propè manu teneret, videretúrque certò obtenturus, si suos paulùm animasset, ab Evandro homine Cretensi, quo ministro ad scelera patranda utebatur (tam nihil probi ab improbis est expectandum) impulsus est, ut ne ultrà hostem premeret, conijceretque rei summam in supremum discrimen, sed partâ jam gloriâ contentus, eo die quiesceret. Id si faceret, à Consule honestas pacis conditiones habiturum, vel à famâ multos belli socios, qui victoris fortunam & signa sequerentur. Enimvero rebus secundis modum ponere, prudentiæ partes esse præcipuas. Pervicit homo improbus, ut Perseus juberet cani receptui, & legiones in castra reduci. E Romanis ceciderunt ducenti equites, capti totidem, è peditatu occubuere duo millia. E Macedonicis occisi viginti equites non plures, pedites quadraginta. Ingens fuit in Persei castris lætitia, Thracum præsertim, quasi rem fortiter sapientérque gessissent: apud Romanos mœror & metus, ne confestim hostis castra oppugnaret.

PRÆLIUM ADVERSUM ROMANOS.

LXV. Timorem fassus est Consul, quando noctis silentio castra movit trans Peneum amnem, ut per otium miles perculsus animos colligeret. Deleri poterat, si Perseus fortunæ non defuisset. Ex ejus errore pacis mentio subsecuta. Cùm enim Romanam felicitatem, quæ in rebus adeò creperis sibi constitisset, non putaret esse spernendam, ultro legatos misit ad Consulem, pacem petentes æquâ lege, & oblato, quantum videretur, vectigalis & agri modo. Verùm Romani haud insue-

ROMANI PACEM RECUSANT.

insueti, in adversis lætam frontem superbè induere, ut acceptam ignominiam diluerent, negârunt, se daturos pacem, nisi Perseus sui, rerúmque suarum arbitrium Senatui populóque Romano permitteret, ne excepto quidem regno Macedoniæ. Quo ille responso offensus, animum retulit ad bellum, omni quâ posset ope gerendum. Id quia nihil aut parùm ad nostrum institutum attinet, eò quòd altum sit apud Scriptores, qui ejus progressum recensent, de Boijs & Gallogræcis silentium, missum facimus.

Non possumus tamen silentio præterire, quod Livius sub belli finem narrat de auxiliaribus copijs, quæ Clondico duce, per Illyrium infusæ, ab Istri confinio in Mædicam usque, Perseo laturæ opem progressæ sunt. Eas fuisse è Boijs, & ex eâ quidem gente, quæ in Tauriscos ex Italia migraverat, vel ex Dardanis, res ipsa persuadet, temporis ac locorum ratio, & validæ irarum in Romanos causæ, eò maximè, quòd Livius, quem sequimur, ab hac interpretatione non abscedit. Fuere sub Clondici signis decem equitum millia, par peditum numerus, cum magnâ vi tum equorum, tum secundariorum equitum, qui in prolapsorum locum succederent, usu, & vetere, quod suprà recensuimus, instituto Bojorum. Auctoramentum pacti erant, eques præsentariæ pecuniæ denos aureos, pedes quinos, Dux mille. Venientibus Perseus obviam profectus est è castris, quæ tum habebat ad Enipeum, cum dimidiâ copiarum parte: simul jussit annonam expediri, vini, frumenti, & pecoris per urbes, vicósque, quà faciendum Boijs iter. Ratus homo avarus, se promiscuam gregariorum multitudinem pollicitis, sine re aut ære, tracturum ad sua castra, dona demerendis Principibus phaleras, equos, sagula, & auri modicum, quod in singulos divideret, secum adducebat. Jam in Thraciâ consederant Galli, pactum stipendium opperientes, haud longè à Desudabâ, cùm Perseus ad Almanam urbem castra metatus est, in ripa fluminis Axij, qui à Boijs septuaginta passuum millibus aberat. Ad eos misit Perseus Antigonum, unum è primoribus, qui urgeret Gallorum manipularium ad Bilazora Pœomæ, Principum verò ad Regem prope Axium præstolantem, diversis itineribus, profectionem. Hæc cùm Antigonus regis nomine retulisset, & mira jactaret de rerum omnium affluentiâ, quæ venturos expectaret, déque regiâ in ductores liberalitate; homines crudi ingenij, & falli istiusmodi lenocinijs nescij, se quidem de eâ magnificentiâ coràm cognituros respondent; Atqui scire velle, ubinam sit aurum, quod Rex erat pactus, in pedites equitésque viritim tribuendum. Ad hæc cùm legatus obmutesceret, Clondicus; Vade (inquit) Regíque tuo renuntia, militem ne vestigium quidem ultrà moturum, nisi priùs promissum aurum simúlque obsides acceperit. Hæc ubi rescita Perseo, advocato suorum senatu, multa de Gallorum feritate conquestus, déque incommodis, si tantum ferocissimæ gentis in suos fines reciperet, cujus societas nihil minus periculi atque curarum, quàm aperta Romanorum hostilitas esset creatura, sibi videri dixit, equitum quinque millia sat esse. Non erat obscurum ituris in vota, Regem non auxiliarium multitudinem, sed stipendij magnitudinem refugere, sed nemo unus fuit, qui homini sordido suadere auderet, quæ in rem essent, sed, qui primus ad exitium Principibus lapsus est, singuli, ut ne displicerent, erranti, currentíque ad interitum, simulando stimulos addiderunt. Ergo remittitur ad Bojos Antigonus, qui referret, Regem quinque non ampliùs equitum millibus indigere, cæteris integrum esse, domum reverti. Id cum fremitu accepere Boij, indignantes, patrijs laribus dolo excitos, cum ludibrio remitti. Clondico tamen sua constitit animi moderatio: Quinque (inquit) hominum millia è toto numero Rex seligit; sed cedo, quid nummorum habes, quod vel his numeretur? Cùm ne id quidem esset in expedito, sed ambages à Legato necterentur, jussus est, protinus inde facessere, citra tamen injuriam, quam Clondicus prohibuit, ne in legato jus gentium violaretur. Quare universa Gallorum multitudo retro ad Istrum conversa, Thraciam Perseo subjectam, quâ parte abeuntibus occurrit, pervagata, ex indigenarum fortunis sibi legit opima stipendia. Seriùs errorem agnovit Perseus, quando tem-

Liv. lib. 44.

CLONDICI GALLI AUXILIARES COPIÆ.

LXVI.

PERSEI AVARITIA.

LXVII.

CLONDICUS THRACIAM POPULATUR

tempestivis auxilijs destitutis, res suas ivit perditum, quas æquabili pecuniæ impendio servare potuisset. Quamobrem, quæ fuerunt hominis sordes, & ignavia, Macedoniæ regnum olim inclytum, secum traxit ad ultima fata, quando exercitu amisso, regnóque extortis, postquam bellum triennio aluerat, L. Æmilio Paulo victas manus dedit captivus, insigni sortis humanæ documento, quod ita flexit Æmilium, ut calamitoso Regi illachrymatus, rerum humanarum inconstantiam ex tam præcipiti mutatione pro concione, suis, præsertim junioribus, posuerit ante oculos, monueritque, ne secundis rebus, quicquam in ullum superbè, aut violenter consulerent, vel fiderent fortunæ præsenti, quando semper incertum esset, quid serus vesper veheret: addidit, eum, qui talia apud animum suum meditaretur & ageret, fore virum, quem nec prospera immodicè efferrent, nec adversa deprimerent. Quæ Livius de fluxâ Eumenis erga Romanos fide, de subsidio mille Gallorum equitum negato Romano Consuli, iisque partim cæsis, partim captis ante Chienses portas, déque Gallogræcorum rebellione, paucis comprehendit; sunt ejusmodi, ut, si ea ad Tolistobojos, vel obtorto collo, rapere lubeat, in re admodum incertâ, neque satis à veteribus explicatâ, ariolandum sit potiùs, quàm quicquam certâ ratione asserendum.

Persei ruina. *Liv. lib. 44.*

Cæterùm iu Gallorum Asiaticorum sanguine, quamdiu à priscis moribus non degeneravit, hæsisse semper vestigia antiquæ fortitudinis, arguit responsum insolens Solvettij Gallorum ducis, quo P. Licinium tam rigidè contemptimque excepit, ut miraculo fuerit, Romanam majestatem hominis tumorem ferre potuisse; & nihilominus Senatûs populique Romani moderationem eo facto tam non fuisse offensam, ut, cùm Prusias Bithyniæ Rex agrum à Galatis de Antiocho captum reposceret, Patres responderint, Senatum per legatos cogniturum, an ager ille populi Romani beneficio Gallis esset attributus, nec commissurum, ut Prusiæ postulata, Gallorum jus, Romanámve liberalitatem, quam perpetuam esse oporteret, videretur neglexisse.

Solvettii Galli insolens responsum. *Moderatio Senatus Romani.*

LXIIX. *Bellum Eumenis in Gallos.*

Bellum, quod Eumeni cum Gallis intercessit, perfunctoriè missum est in chartas veterum: proinde quo successu aut exitu gestum sit, non nisi conjecturâ licet assequi: tamen verisimile est, fuisse Gallis bene fortunatum, quandoquidem eo finito, sua ipsis libertas, usus instituti veteris atque moris, authoritate Senatûs populique Romani in multos postea annos constitit. Haud multò enucleatiùs bellum contra Ariarathem Regem Cappadocum, quem superiùs arma sociasse Tectosagibus, & Trocmis adversus Manlium, diximus, descriptum est. Quamobrem in obscuro est, utrùm Gallis abrumpendæ amicitiæ causa fuerit damnum Galatarum agris illatum. Etenim Ariarathes, invento satis imprudenti, obstructo Melæ fluminis, quà in Euphratem angustiùs labebatur, ostio, proximam planitiem inundaverat, effeceràtque lacum, in quo colles aliquot extantes, Cycladum Insularum Ægei maris amœnitatem referentes, jucundum ipsi secessum præberent. Verùm, cùm ruptis claustris, subita aquarum vis elapsa, Euphratem extra alveum erumpentem sic tumefecisset, ut exundans magnam Cappadociæ partem eversis passim ædificijs, & submersis mortalium quàm plurimis, obrueret, agro quoque Galatarum, qui Phrygiam habitabant, superfusus est. Quæ damna ut vindicarent Galatæ, credibile est, eos contra Ariarathem suscepisse bellum, quod Romæ Senatus authoritate sopitum est. Patres enim factâ detrimentorum æstimatione, Ariarathem triginta talentorum millia (trecenta talenta haud paulò tolerabiliorem summam legunt alij) jusserunt pendere, seu mulctæ nomine, sive compensationis.

Bellum Gallorum in Ariarathem.

Quod scribit Plinius de Centareto Galata (Æliano Centoarates nuncupatur) Antiochi victore, tametsi nullam adferat temporis aut caussæ, quæ bellum excitaverit, rationem, ostendit tamen aliquod belli vestigium. Illum, refert ex Philarcho, occisi Antiochi equum conscendisse ovantem, cúmque eo veheretur, jumentum furens, & sessoris insueti juxtà ac invisi impatiens, effreni cursu abijsse præceps in abrupta, atque simul cum Centareto elisum, domini necem vindicasse.

Plin. l. 8. c. 42. Ælian. lib. de animal. c. 44. *Centareti Galatæ Victoria et casus.*

cassé. Mitior, & Asiatico genio propior est opum maximarum profusio, quâ Ariamnes Galata toti genti per plures cœnationes totâ passim provinciâ digestas, quotidianum epulum per annum integrum lautè præbuit, ne exclusis quidem viatoribus, si quos fortuna ad ista convivia detulisset. ARIAMNIS EPULUM ANNUUM.

Ab istis epulis relabor ad bella, quibus Gallogræcos implicitos fuisse, comperio. Ea referam uno narrationis contextu, ut licèt, quæ Boicæ nostræ sunt magis propria, tantisper seponenda sint, nihil tamen officiat rerum atque temporum ordini, qui tantò erit integrior, & suâ facilitate clarior, quò minùs erit necesse, domesticis intermissis, velut ex abrupto rursus in Asiam, cum nonnullo forsan lectoris fastidio, referre stylum. Enitar verò brevitate dictionis efficere, ne queri quis possit, se justo diutiùs extra suum orbem in longa peregrinatione fuisse detentum. Sed quoniam pleraque Gallogræcorum facta, Regum Asiaticorum consilijs sunt intexta, facere non possum, quin ea petam ex illis fontibus, ex quibus derivantur, simúlque insinuem res gestas sociorum. LXIX.

Inter hos primo loco sese offert bellum Mithridaticum, grave admodum, atque diuturnum, quod anno ab urbe conditâ sexcentesimo sexagesimo quinto, L. Cornelio Sullâ, & Q. Pompejo Rufo Consulibus in Bithyniâ à Mithridate Ponti Rege conflatum, ad annum V. C. sexcentesimum nonagesimum secundum exarsit, quo tempore Pompejus, quòd illud prosperè confecisset, Magni nomen consecutus, bidui triumphum egit. Idipsum bellum (quod plerisque alijs adnatum est) non Asiam modò, sed magnam etiam Europæ partem accendit. Nam, quod tradit Plinius, Pompejus, fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum vicies semel centenis octoginta tribus millibus, depressis aut captis navibus octingentis sexaginta sex, oppidis, castellis mille quingentis triginta octo in fidem acceptis; terris à Mæoti lacu ad rubrum mare subactis, cùm oram maritimam à prædonibus expurgasset, & maris imperium populo Romano restituisset: de Asiâ, Ponto, Armeniâ, Paphlagoniâ, Cappadociâ, Syriâ, Scythis, Judæis, Albanis, Iberis, Cretâ, Bastarnis, & super hæc de Regibus Mithridate ejúsque liberis, Tigrane, & Tigranis filio, triumphum duxit: ac proinde Cicero professus est, Pompejum tot habuisse triumphos, quot sunt oræ partésque orbis terrarum.

AN. V. C. DC. LXV. *Fast. Capitol. Cassiod. Oros. Appian. Velleius. Plutar.* BELLUM MITHRIDATICUM. *Plin. lib. 7.* *Cic. pro Corn.*

Gallogræcos fuisse in Mithridatis exercitu, author est Appianus, cùm eos Thracibus, Scythis, Ponticis, Cappadocibus, Bithynis, Phrygibúsque accenset. Justinus ex Trogo Mithridatem ad suos perorantem, suásque vires magnificè prædicantem inducens, præcipuum robur exercitûs in Gallogræcis eum posuisse, confirmat. Sed neque omnes fuisse Mithridati amicos, hinc promptum est colligere, quòd, cùm L. Cassius, & Manius Aquilius, Romanæ militiæ Legati, Nicomedem Bithyniæ, Ariobarzanem Cappadociæ regnis, unde erant à Mithridate ejecti, reddiderunt, id fecere ope copiarum, quas è Gallogræciâ & Phrygiâ contraxerant. Utrorum signa belli initio Dejotarus Tolistobojorum tetrarcha secutus sit, historia silens voluit nos nescire: nec satis evidenti argumento est, constans ipsius in Romanos fides, quódque renunciatâ Mithridati amicitiâ, ante vigesimum quartum hujus belli annum, sit secutus auspicia fortunæ Romanæ. Nam eum à bello interim abstinuisse, & medias partes esse secutum ostendit, quòd anno demum V. C. sexcentesimo sexagesimo septimo, fuerit quidem suspectus Mithridati, sed nondum hostis: apparet tamen etiam, eum Romanorum Ducum molitiones non potuisse probare, quippe qui Senatûs populique injussu, præter jus fásque, arma, quæ inconsultò induerant, gestarent improsperè, non tam pro Nicomedis & Ariobarzanis Regum amicorum fortunis & justitia, quàm pro insatiabili gloriæ cupiditate, & profundâ libidine dominandi. Etenim mox ubi suis sedibus Reges fuerant restituti, Manius & Cassius, promissis auxilijs, utrique authores fuerant, ut Mithridatis regiones incursando (quod inquietorum est) belli materiam non tam tractarent, quàm facerent. Et mali consilij malus processus quidem, sed prior fuit exitus, quo Nicomedes ausus Mithridati bel-

GALLOGRÆCI MITHRIDATEM SECUTI. *Iustin. lib. 38.* LXX. DEIOTARUS ROMANIS ADDITUS. AN. V. C. DC. LXVII.

bellum inferre, commisso ad flumen Amnium cruento admodum prælio superatus, pulsus est in Paphlagoniam, ac demum Ponti claustris, universisque ad extremum Bithyniæ provincijs exutus est: Manius verò Aquilius, cùm sub signis haberet quadraginta quatuor armatorum millia, ad Pachium vicum, decem millibus in loco amissis, devictus, primùm aufugit Pergamum, deinde Rhodum se recepit, non sine Galatarum, qui Romanis merebant, clade. Porrò Dejotarus, qui primis duobus belli annis ab armis abstinuerat, ubi se vidit, ad necem quæri, ne suam salutem diutiùs iniqui Regis crudelitati obijceret, rebus necessarijs, cùm domestica præsidia non sufficerent, ad Romana sibi confugiendum putavit, per honestam à Mithridate defectionem, quam non animi libido, sed supremum discrimen, & violata per summum nefas jura humanitatis expresserant.

A MITHRIDATE DEFICIT.

LXXI. CLADES ROMANORUM.

Q. Oppius eodem, quo Manius, superatus est adversæ fortunæ terrore. Is enim à Laodicensibus, apud quos unà cum mercenario milite, in quo fuere Galatæ, receptum securitatémque quærebat, Mithridati fuit deditus, & cum ignominiâ passim à Rege ostentatus captivi habitu. Idem Manium vinctum circumducebat asino insidentem, cogebátque, sui dedecoris esse præconem, ubi aderat spectatorum frequentia, clamitando, adesse Romanum Manium Aquilium. Id ostentum tenuit, quousque Mithridates Pergami auro liquato in os infuso eum necavit, exprobrans morienti largitionum corruptelas, ad Romani nominis infamiam. Eo factum, ut vulgatâ tot cladium famâ, cùm Romæ bellum adversus Mithridatem, Senatusconsulto decretum, L. Cornelio Syllæ demandaretur, nec ob civiles contentiones, par sumptibus esset ærarium, jussa fuerit confici pecunia ex universis donarijs, quæ Numa Pompilius Dijs sacraverat. Sed his omnibus longè fuit funestius, quando Mithridates furijs agitatus, civitatum omnibus magistratibus, scriptis secretò litteris, sub atroci suppliciorum denuntiatione imperavit, ut uno eodémque die, quicquid in Asia degebat hospitum Romani Italicique nominis, unà cum uxoribus, liberis, ingenuis, domesticis, nullo ætatis discrimine, (fuere autem ad octoginta millia) jugularent, abijcerentque insepultos, nec patrocinaretur cuiquam ullius asyli, ne quidem Ephesi Dianæ, aut Æsculapij reverentia: occisorum deinde facultates redigerentur pars in fiscum regium, pars in percussorum mercedem & proditorum, si qui Romanos latentes in lucem protraxissent. Quâ barbarie mirum, quantum in se accenderit Romanorum odium. Hominis prodigiosè crudelis spiritus efferabat longus armorum usus (nam antequam in Romanos ferrum strinxit, diuturna bella gesserat) ingens potentia, tum ex opibus domesticis, tum ab externis auxilijs Regum Armeniæ, Scytharum ab usque Ponto & palude Mæotide, usque ad Thracium Bosphorum. Habebat in promptu classes quadringentarum, & quod superabat, navium. In exercitu numerabat equitum quinquaginta, peditum ducenta quinquaginta millia, tantúmque armorum & bellici instrumenti, quantum sufficeret innumeræ multitudini, quam habebat sub signis collectam ex viginti duabus gentibus.

DUCTORUM IGNOMINIA.

CRUDELITAS MITHRIDATIS.

Iustin. l. 38. Appian. in Mithrid.

MITHRIDATIS POTENTIA.

LXXII. SÆVITIES IN PRINCIPES GALLOGRÆCOS.

Quò magis Romanos distraheret, inijt cum Gallis amicitiam: insuper allexit Sertorium Reipub. Romanæ hostem, qui Hispaniæ incubabat, ad jungendum fœdus: maria piratis implevit ab usque Ciliciâ ad fretum Gaditanum, quò minùs mireris, ausum esse Romanorum contra se iras provocare. Nec verò fuit in amicos, quàm in hostes æquior. Nam ex merâ suspicionum intemperie sævijt in principes Gallogræcos. Vix sine metu est, qui multos odit, séque novit omnibus esse odiosum. Inde illi timor & sævities, quæ tum maximè fuit accensa, quando mutato fortunæ cursu, Romanos præter solitum cœpit formidare. Etenim L. Sulla, cui Asia sortitione obtigerat, Archelaum, quem Mithridates centum viginti pugnatorum millibus præfecerat, in quibus bono numero Gallogræci, ad Cheroneam in Chalcide tantâ strage profligavit, ut vix decies mille ex eo numero superfuerint. Eo prælio è Romanis (si Appiano fides est) non nisi tre-

Appian. in Mithrid.

CLADES.

tredecim, si Sullæ orationi, non nisi decem fuere desiderati. Et quod magis mirandum, copiæ, quas Sulla produxit in aciem, ne tertiâ quidem parte hostes æquabant. Hominis furiosi terrorem auxit gemina præterea clades illata Dorylao Mithridatis legato, qui signis ad Orchomenum oppidum collatis, primâ pugnâ quindecim virorum millia unà cum Diogene Archelai privigno amisit: quique iterum acie devictus, cæsis omnibus copijs, ægrè vitam fugiendo servavit. Mithridates tergeminâ clade perculsus, novos toto regno delectus habuit: sed cùm metueret, ne essent, qui fortunæ auram respicientes, ad struendas regio capiti insidias verterentur; quoscunque suspectos habebat, jussit convenire, tum ut procùl abessent ab hoste, & occasione defectionis, tum ut, quos præ cæteris timebat, tolleret è medio. Et in his quidem fuere Gallogræci, præsertim Tolistoboij, quibus invisa erat hominis nefarij crudelis ratio dominandi. Ex eâ gente habebat in castris sexaginta regiæ sive stirpis sive indolis tum Principes tum viros fortissimos, quos, ut meticulosa est, & trepida semper diffidentia, hosti credebat justo minùs esse infensos. Eos omnes honoris specie Pergamum accivit. Mox ubi advenerant, nihilo humaniùs, quàm captivos jussit haberi. Animadverterunt miseri, se non in aulæ lucem, sed ad captivæ libertatis angustias esse pertractos. Quid agerent calamitosi, qui se vel ad cultrum, vel, si quid paulò mitiùs Rex belluinus statueret, saltem ad perpetuos compedes cernebant designari? Capita in commune secretò conferentibus placuit, quibuscunque demum ausis paratam injuriam prævenire. Omnium expeditissima sese vindicandi ratio visa est, quàm Toredorix Tosioporum regulus dictavit, ut suâ manu regiæ crudelitati præverteret. Is ipse, qui consilium dederat, creditus aptissimus, qui & exequeretur. Ex conjuratis, qui omnes jussi fuerant gladijs discingi, nullus erat, cui ferri ulla esset copia. Rex in Gymnasio litigatorum causas erat cogniturus. Toredorix ratus hac esse utendum occasione, quo erat animi corporisque robore, audax sibi sumit facinus. Statuit Regem jus pro tribunali dicentem rapere, & è sublimi in subjectam aream præcipitare. Nec erat dubium, quin ei, si prodiret, in publico vim esset allaturus. Verùm saluti fuit Regi, sese eo diè domi tenuisse. Ergo ubi id consilij non processerat, aliud capiunt longè audacius, quale desperatio suggessit. Convênit inter omnes, Regem ferino more discerpere: naturam enimvero non belluis modò, sed homini etiam arma dedisse, dentes, ungues, robustas manus, quibus depellatur vis & inferatur. Fide ad eam cædem datâ & acceptâ, sola deerat loci temporisque opportunitas. Dum res extrahitur, uti rara est inter multos arcani fides, vixque potest fieri, quin ab efferatis aliquæ iratum scintillæ erumpant in sagaces multorum exploratorum oculos; conjuratio ad Regem emanavit. Ille furore amens, conjuratos ad unum omnes neci addicit. Eorum aliquos jubet insidijs circumventos opprimi, alios unâ nocte inter epulas obtruncari, alios publicè per lictorem jugulari, quam illi immanitatem Sylla, cùm de pace coràm ageret, gravissimis verbis exprobravit. Tres socijs fortunatiores elapsi in Galatiam, carnificinam evasere. Toredorigis utpote conjuratorum antesignani funeri, ad majorem supplicij infamiam id dedecoris adjectum est, ut projectum cadaver careret honore sepulchri. Pergamena mulier extincti casum miserata, corpus rapuit, tumulo mandatura. Cùm deprehensa causam diceret, fassa est, se viri, dum viveret, amore captam, id officij demortuo pendere voluisse: Hoc si capitale sit, non ægrè se pro viro egregio, sine quo ægrè vitam traheret, esse morituram. Mollijt Regis animum mulieris oratio, non modò ut eam absolveret, sed funus etiam regio sumptu curaret. E conjuratis adolescentem, cui Bepolitano nomen, forma liberalis, habitùsque venustas servavit. Cùm enim Regem corporis animique decora recogitantem dictati in eum supplicij pœnitudo subijsset, & jam jam lictori juvenis cervicem esset subjecturus, è regio famulitio quispiam ad feralem arenam jussus properare, in tempore accurrens, securi addictum exemit. Mortem nonnihil distulerat cura tortoris, ne vestis, quam adolescens pro natalium splendore gerebat elegantem,

Sigon. in Fast. Capitol.

CONIURATIO IN MITHRIDATEM.

L XXIII.

CONIURATORUM CÆDES.

Appian.

Plutarch. de clar. mulier.

MULIERIS PERGAMENÆ HUMANITAS.

GALLUS ADOLESCENS SUPPLICIO EXIMITUR.

tem, nævi quippiam ex fundendo cruore contraheret; Eam dum ſuis ſervandam uſibus ſtudioſè contemplatur, detrahit, componit; ſupervenit Regis nuntius, qui lictorem juſſit manus ab adoleſcente abſtinere: ſic veſtis elegantia, quæ nonnullos aliquando perdit, ſervavit periturum. Tres illi, qui in Galatiam profugerunt, cùm popularibus Mithridatis perfidiam barbariémque explicaſſent, ex ſuis clientelis contraxere validam manum virorum fortium, Regem diris omnibus devoventium, qui Eumachum Proregem, & quicquid præſidij Mithridates oppidis impoſuerat, totâ provinciâ exegerunt.

L XXIV. Ex eo numero Principum, quos fuga ſervavit, fuiſſe Dejotarum, à vero non abludit. Cùm enim is inter Gallogræciæ tetrarchas plurimùm emineret authoritate & potentiâ, præ cæteris poterat Mithridati eſſe ſuſpectus, ne tranſitione ad hoſtem, vires regias inſigniter minueret, augeret Romanas. Certè ſuccedentibus annis, cùm apertè à Mithridate defeciſſet, Romanos juvit egregiè; quando Eumachum, qui collectis copijs Phrygiam incurſabat, Piſidas, Iſauros, Cilices, & Romanorum amicos vexabat, acie profligatum cohibuit. Idem L. Murenæ, quem Sylla Romam abiens ad captandum triumphum rebus Aſiaticis impoſuerat, ope operáque præſtò fuit. Quo facto eſt promeritus, ut eum Murena, quando velut debellato hoſte triumphum petijt, & impetravit, vehementer Senatui commendârit. Nec dubium eſt, quin conſtanter adfuerit L. Lucullo, Murenæ ſucceſſori, qui magnâ felicitate Gallogræciæ tetrarchas, Mithridatis partibus adhærentes, prælijs equeſtribus ſuperavit in Phrygiâ.

Eumachus devictus a Deiotaro. *Sigon. in Faſt. Cic. in Bruto. de Aruſp. reſp. Philipp. 11. Epitom. Liv. lib. 94.*

Cæterùm noſtri non eſt inſtituti, Mithridatis fortunam & bellorum exitum proſequi; nobis ſufficit dixiſſe, eum demum à Pompeio debellatum, fuiſſe adeò miſerum, ut amiſſis ultimo prælio quadraginta bellatorum millibus nuſquam locorum tutus, ubique pavidus, omnibus mortalibus, Pharnaci etiam filio, à quo bello fuerat petitus, inviſus; cùm mortem, quâ ſe tot malis eriperet, haberet in votis, ne id quidem beneficij ſit conſecutus, ut hauſto veneno vitam poſſet abrumpere. Nam cùm puer tutorum inſidijs & virulentis pharmacis appetitus, ſæpe bibiſſet antidota, corporis habitum iſtiuſmodi remedijs ſubactum ſic vitiaverat, ut ſumendis citra noxam venenis aſſuetus, ſenex ne volens quidem medicatâ peſte mortem ſibi poſſet conſciſcere. Ergo ne hoſtili ferro caderet, Bithoci Galli militis, quem fidum aliàs erat expertus, dextrâ uſus; infelicem ſpiritum per ignobile vulnus abegit.

Mithridatis infelix exitus. *Juſtin. l. 37. Liv. Epitom. lib. 102.*

Deiotarus Romanis amicus.

L XXV. Dejotarum Cicero ob conſtantem in populum Romanum fidem optimum atque fideliſſimum Regem appellat. Aliàs eum aſſerit, ſæpenumero à Senatu regali nomine dignum exiſtimatum, clariſſimorum Imperatorum teſtimonijs ornatum, multis bellis frequenter Romano Imperio tuliſſe auxilia. Juvat in eam rem præſtantiſſimi oratoris verba referre. *Dejotari Regis patris & filij & magnus, & noſtro more inſtructus exercitus: ſumma in filio ſpes, ſumma ingenij indoles, ſummáque virtus. Quid de patre dicam? cujus benevolentia in populum Romanum eſt ipſius æqualis ætati, qui non ſolum ſocius imperatorum noſtrorum fuit in bellis, verùm etiam dux ſuarum copiarum. Quæ de illo viro Sylla, quæ Murena, Servilius, quæ Lucullus, quàm ornatè, quàm honorificè, quàm graviter ſæpe in Senatu prædicarunt? Quid de Cn. Pompeio loquar? qui unum Deiotarum in toto terrarum orbe amicum veréque benevolum, unum fidelem populo Romano judicavit. Fuimus imperatores nuper ego & M. Bibulus propinquis finitimíſque provincijs: ab eodem Rege adjuti ſumus & equitatu & pedeſtribus copijs.* Etenim, ut idem teſtis eſt, ſcribens ad Atticum, triginta cohortes, ſingulas quadringentorum capitum, & bis mille equites adduxit, quibus auxilijs Cicero montem Amanum diripuit, vaſtavit, atque inde ſempiternum hoſtem deturbavit: Parthos repulit, Pindeniſſum cepit, auſúſque eſt, ab exercitu Imperator appellatus, à Senatu ſperare triumphum. Celebrat ejuſdem officia fidémq; utroq; libro de Divinatione, affirmans Dejotaro antiquiorem fuiſſe laudem & gloriam, quàm regnum & ſuas poſſeſſiones, cúmque virtutum potiùs, quàm avium auſpicijs uſum, quando Pompejum ſequebatur, maluiſſe

Cic. ad Attic. lib. 5.

præ-

præſtare fidem, quàm ſpectare fortunam. Ipſum ab Senatu eo nomine ſæpe honorificentiſſimis decretis eſſe Regem appellatum : ab omnibus Imperatoribus Romanis, quibuſcum ab adoleſcentiâ in caſtris fuit, fuiſſe exultum perhonorificè, præſertim à Pompeio, qui eam ſibi in eum beneficentiam voluit eſſe propriam, negavítque in Senatu, alium à ſe quemquam (quippe qui Aſiæ victor eſſet) bello confecto, præmijs in Aſiaticos Principes de Repub. bene meritos conferendis, jure poſſe admoveri. Is ne in Deiotarum verbis quàm factis eſſet liberalior, ei titulo Regio Gadilonéticæ provinciæ partem ad Armeniam uſque porrectam, donavit, & eas regiones, quæ Pharnaciæ & Trapezuntiæ proximæ ſunt, uſque in Colchidem, & minorem Armeniam. Paternæ ejus tetrarchiæ adjecit Toliſtobojos & Trocmos, qui ipſius poſteris, cum regiâ poteſtate atque nomine iſthic locorum imperantibus, diu, conſtanter & cum fide paruerunt. Cùm enim bello civili, quod Cæſar Pompeiúſque geſſerunt, Dejotarus devexâ jam ætate (erat tum ſexagenarius) Pompeio addictior, ejus fuiſſet caſtra ſecutus; eóque in campis Pharſalicis à Cæſare ſuperato, diſceſſiſſet ab armis, mutatâ in deterius fortunâ, Cæſarem Alexandriæ imminentem pecuniâ juvit & equitatu. Pontico quoque bello eidem contra Pharnacem Mithridatis filium tulit ſuppetias. Confecto demum bello, Cæſar memor priſtinæ æmulationis, Dejotarum regni parte exutum, Regis tamen nomine atq; inſignibus non exuit. Tandem bonum ſenem ſuæ fortunæ indormientem, inhumanus caſus rebus omnibus penè evertit. Cæſar ejus hoſpitio uſus fuerat in Galatiâ, regiáque cultus liberalitate ac munificentiâ, credebatur omnem offenſionis præteritæ memoriam ex animo delevíſſe; cùm Caſtor Dejotari ex filiâ nepos, meditato dolo, & regnandi cupiditate, an verò avi crimine, incertum, Dejotarum Cæſari Romæ rerum potienti, inſidiarum detulit, quaſi per diſpoſitos in balneo percuſſores eum ſtatuiſſet occidere, cùm hoſpes Blucij ad eum divertiſſet. Affinxit alias criminationes; quòd videlicet Dejotarus alieno ſemper fuiſſet à Cæſare animo; quòd comparato ad ejus perniciem exercitu, tempori & ejus perdendi occaſioni fuiſſet perpetuò intentus. Nepos improbus, authore patre, homine ſolâ Dejotari affinitate, & nonnullâ litteraturâ nobili, Philippo Dejotari medico, qui donis corruptus cum avi legatis Romam iverat, id negotii dederat, ut homo ſervili genere, dominum (quod mancipijs familiare eſt) iſtorum criminum arceſſeret. Cùm Cæſar vehementer offenſus iras non diſſimularet, Regis Legati defenſionem Ciceroni, veteri Dejotari amico & hoſpiti, commendàrunt. Quam ille pro ſua humanitate ſuſcepit, itáque privatim, audiente Caſtore & Legatis, egit apud Cæſarem, paulò antè quàm in Senatu à Bruto & Caſſio cæderetur, ut, tametſi non obtinuerit, ut Cæſar cum Dejotaro rediret in gratiam, frenârit tamen meditatas iras, donec eo per conjuratos occiſo, Dejotarus ſuo Marte ditiones à Cæſare ablatas, Senatu populóque Romano connivente, recuperavit, Blucij Regiam habuit, Peij reconditos theſauros. Caſtorem generum Caſtoris delatoris parentem (quem Suidas Philoromæum abs Romanorum amore cognominatum prodidit) quod ejus ſuaſu filius avo accuſationem conflaſſet, regio more ultus eſt. Cùm enim arctior ferè ſit regni quàm ſanguinis neceſſitudo, generum unà cum uxore filia interfecit, Gorbeium Caſtoris domicilium à fundamentis evertit, maximámque pagi partem redegit in parietinas. Fuit cæteroqui crudelis in filios, quorum cùm plures haberet, & Dejotarum in ſpem Regni aleret, reliquos necavit, ne uni Dejotaro dubiam vel imminutam hæreditatem relinqueret, quam tamen filius immaturo fato præreptus, non potuit adipiſci. Alteram filiam nuptum dederat Brogitaro, quem ſcelera ut impurum ac nefarium poſtea damnârunt. Is contractâ cum P. Clodio ejuſdem farinæ monſtro amicitiâ, quâ nulla poterat ipſi accidere inhoneſtior, ab eo ſacerdotium Matris Deûm, quæ præcipuâ religione Peſſinunte à Galatis colebatur, coëmerat, ſimúlque eodem authore Regium nomen, & ſupparem Dejotaro dignitatem arripuerat. Verùm Dejotarus generi improbitatem deteſtatus, & ratus indignum, qui ſacra toti genti & Ro-

Plutarch. in Pomp.

POMPEII LIBERALITAS IN DEIOTARUM.

L XXVI.

JUL. CÆSAR INFENSUS DEIOTARO.

DEIOTARUS ACCUSATUS.

DEFENSUS A CICERONE.

L XXVII.

Suid. V. Castor.

ACCUSATORES CASTIGAT.

CRUDELIS IN FILIOS.

Plutarch. de Stoicor. repugnant.

Romanæ religioni veneranda impiè temeraret, nullâ affinitatis habitâ ratione, Pessinunte proscripsit. Quod de ejus in Catonem minorem magnificentia, & hujus abstinentiâ Plutarchus scriptum reliquit, non debet à nobis silentio præteriri. Cato profectus in Asiam, à Dejotaro, qui annis jam gravis liberos ei suos domúmque per occasionem commendare volebat, fuit studiosissimè invitatus, vellet pro sua humanitate secum amicitiæ & hospitij necessitudinem inire. Ad eum divertit Cato, fuitque cultus omni honore, & lautiorum apparatu. Munera insuper offerentem tantùm abest, ut admiserit, ut etiam offensus, noctis unicæ contubernio usus postridie statim discesserit. Cùm unius diei itinere progressus Pessinuntem venisset, Dejotari ministros cum pluribus præstantioribúsque donis habuit obvios, obnixè Regis nomine rogantes, ne ipsius benevolentiam reijciendo, ostenderet, in regiâ gazâ nihil esse repertum, quo tanti viri merita colerentur. Sed nullius potuit precibus adduci, ut quicquam ex donis attingeret. Cùm ea omnino respueret; infimis precibus rogârunt internuntij, pateretur saltem amicos frui regiâ liberalitate. Atqui immotus negavit, se cuiquam facturum ejusce rei potestatem; aut commissurum, ut, quod suâ ipse manu non acciperet, alienâ captasse videretur. Velle enim se, si quid fortunatum habeat, cum amicis communicare; sed nolle irretiri largitionibus, nec ex obliquo quidem, vel sinus corruptelis aperiri. Quæ abstinentia omni auro præstantior digna prorsus est, quæ adamantinis litteris scripta, publicæ rei administris commendetur. Scitum & illud est, quod idem author Dejotarum Crasso ad Parthicum bellum proficiscenti respondisse memorat. Cùm Crassus vidisset Dejotarum grandi jam senectâ, novam urbem condere, subridens; O Rex, ait, horâ duodecimâ ædificare incipis: cui ille salsè reponens; Ne tu quidem, magne Imperator, quantum video, matutinus contra Parthos proficisceris: excesserat enim Crassus annum sexagesimum, & vultu plus senij, quàm pro ætatis ratione præferebat. Certè belli finis Crasso exitialis, non vana prædixisse ostendit.

Plutarch. in Caton. minor.

CATONIS ABSTINENTIA.

Plutarch. in Crasso. Appian. in Parthic.

Erat Dejotaro Stratonice uxor justa, quæ, cùm sterilitate laboraret, marito persuasit, ut ex Electrâ ancillâ, ne Regno deesset hæres, prolem excitaret. Quos suscepit maritus ex ea liberos, uxor non secus atque suos, insigni curâ educavit. Dejotaro patre, ejúsque filio cognomine, quem parens sibi successorem legerat, fato functis; Castor, incertum, an ille avi apud Cæsarem insectator, Galatiæ regnum adijt, quod non nisi quatriennio tenuit nullâ re gestâ memorabilis. In hujus locum provectus est Amyntas olim Dejotari amanuensis, & subinde copiarum præfectus, M. Antonij (uti admodum credibile faciunt, quæ mox referemus) beneficio. Julio Cæsare interfecto, cùm Italia bello civili, Octavio, Antonio, & Lepido Triumviris arderet; Dejotarus Bruto, quem sibi apud Cæsarem patrocinatum noverat, auxilia submisit adversus Triumviros. Cùm ætate fessus, & de belli eventu anxius suis copijs nollet adesse, Amyntam cum legati potestate præfecit. Sed posteaquam Philippensi pugnâ victoria Brutum & Cassium ipsámque Reipub. Romanæ fortunam destituit, Amyntas homo versutus auram captans, unde res secundæ aspirabant, ad M. Antonium vela convertit. Dejotarus inter hæc excessit è vivis. Non fuit æquum Triumviros irasci demortuo, qui Bruto, à quo fuerat adjutus, beneficium voluisset reponere; nec poterat Amyntas accusari, qui alienis auspicijs militasset. Verùm homo versatili ingenio & fluxâ fide, cui potior erat rei faciendæ, quàm honesti ratio, mutatâ rursum voluntate, Antonium deseruit, & ad Octavium ante pugnam Actiacam defecit. Denique Dejotari regno potienti, cùm pro ea, quâ laborabat, cupiditate regni proferendi, Galatiæ, Pamphiliæ, & Lycaoniæ fines viderentur angustiores; bello invasit Isauros, Derben expugnavit, Antipatrum loci regulum Ciceroni hospitij jure carum occidit: Isauram urbem Romani populi beneficio adeptus, dirutâ antiquâ Isauriâ, cùm ædificijs ornare, & recentibus operibus munire esset aggressus, regiam, quam id loci moliebatur, non perfecit. Præclara meditantem expeditio contra Omonades suscepta intercepit. Multa eo bello loca cepit antè nemini

DEIOTARI PROLES EX ANCILLA.

L XXIIX.

DEIOTARI SUCCESSORES.

AMYNTAS POSTREMUS GALATIÆ REX.

Strab. l. 12.

OMONADES VINCIT.

mini

mini debellata; atque in his quidem Cremnani, unde movens ad Omonadas, qui se ad eam diem pro invictis ferebant, cùm passim victricia signa circumferret, eorum regulum in suam potestatem redactum interemit. Ejusce gentis domitor videri poterat, nisi reguli interempti conjunx ad ulciscendam mariti necem, fortunæ ad summa grassanti frenos injecisset. Illa Amyntam, in quem arma indomitæ nationis nihil potuerant, dolo cepit, & placandis mariti manibus Orco demisit. Fuit Amyntas, si Græcam fidem & vafritiem excipias, genio tolerabili. Opulentiam bello auxerat (quod vix ulli contigit) & varijs artibus, sed præsertim ex re pecuariâ. Supra trecentos ovium greges in siccâ regione, prope vicum Garsoboram alebat, vetere Regum Galaticorum instituto. Scitu dignum est, quod Strabo mandavit litteris de Tattâ lacu propinquo majori Cappadociæ, quâ parte Amyntæ parebat. Habet iste lacus fontes salis sponte nascentis, qui rebus immersis tantâ facilitate adhæret, ut, qui funalem orbem demittunt, salis coronas educant. Idem avibus insidiosus est: ejus enim humore si tingantur, alæ illis subitò concrescunt, & impedito volatu, nullo negotio, manu capiuntur. Porrò Amyntâ extincto, Galatia sub Augusto Cæsare, in provinciæ formam est redacta, cui Lollius prætor omnium primus fuit impositus, relictis tamen aliquot vestigijs pristinæ Gallogræcorum dignitatis, quæ initium sumpserat ante centum inde annos, ex quo Boij in Asiam transiverant. Et hic finis fuit Gallogræci imperij, quod DEUS, ut pleraque, quæ sub sole sunt, noluit esse diuturnum.

Occiditur.

Tatta lacus salsus.
Strab. lib. 12.

Avibus insidiosus.

Galatia facta provincia.

L XXIX. Bellum servile, quod Luc. Gellio & Cn. Lentulo Coss. in Italiâ extitit, Velserus & Brunnerus ad res Boicas traxerunt, sed conjecturâ (ut verum fatear) satis frigidâ: Nam licèt unus ex Ducibus Chrixus fuerit, non ideo censendus est fuisse Bojus, aut Boico nomini quicquam contulisse. Plutarchus quidem plerosque conjuratorum memorat fuisse Thraces & Galatas; sed neque ea ratio Boijs suffragatur, eò quòd Plutarchus Græco vocabulo Gallos quosvis passim Galatarum nomine compellet. Quamobrem missum illud facimus, satis habentes indicare scriptores Appianum, Plutarchum, Florum illud in loco diffusè satis recensuisse. Hoc duntaxat addimus, Plutarchum haud obscurè significare, servos, quos Galatas appellat, ad Galliam Transalpinam spectasse, quando scribit, Spartacum eorum ducem, recogitantem, non posse à se Romanam potentiam superari, ad Alpes duxisse, ut *ijs superatis in patriam suam Galliam alij, alij in Thraciam discederent.* Quòd si per Galliam, Boicam quis intelligat, nimis procùl à verâ Galliæ notione aberrat; Nam id temporis Boij peculiare gentis suæ nomen patriámque sortiti, communem Gallicæ nationis appellationem perinde atque sedem habitationémque dimiserant.

Bellum Spartacium non spectat ad Boios.
Epitome Livij l. 96.
Appian. lib. 1. de bellis civil.
Plutarch. in Crasso.

Quamlibet coner esse brevis, & supervacaneis abstinere, facere tamen non possum, quin illustre fraterni amoris exemplum à duobus Gallogræciæ Principibus editum referam ex Strabone, ut ostendam non defuisse in eâ gente, qui Castoris & Pollucis amicitiam geminâ inter se charitate referrent. Heracliæ, quam in Cappadociæ finibus Milesij condiderunt, jussu M. Antonij jus dicebat Adiatorix Meclij Galatarum tetrarchæ filius. Urbs ab ortu suo libera, pòst à Tyrannis oppressa, demum recuperatâ libertate, venit in populi Romani ditionem, L XXX. & in partem civitatis & agri Romanam coloniam admisit. Adiatorix Antonij mandato, an propriâ sævitie, Romanos noctu ad unum omnes jugulavit. Contigit ea strages ante bellum Actiacum. Sed pòst ubi Augustus pugnâ Actiacâ Romanæ rei potitus est, Adiatorigem cum uxore ac filijs tergeminis duxit in triumphum. Spectaculum hominibus liberis & nobilissimis luctuosum, excepit aliud longè miserabilius. Augustus memor crudeliter oppressæ coloniæ, Adiatorigem, cum filio Dyteuto natu maximo, ultimo supplicio addixit. Cùm ambo ducerentur, filius minor consilium commentus est, quo fratrem saltem neci eriperet. Jam expediebantur secures in Dyteutum, cùm minor, magnâ vocis animíq; contentione incepit de injuriâ expostulare. Tam confidens oratio ferrum conti-

Strab. lib. 12.
Exemplum fraterni amoris.

nuit. Pòst ubi facta dicendi potestas: *Excusarem*, inquit, *patris crimen, si id possem cum bonâ Cæsaris veniâ; cujus ego sententiam nolim accusare. Tamen hoc etiam atque etiam erat expendendum, si quid pater peccavit, peccasse jussu Antonij Triumviri; cui ipse populóque Romano sacramento dixerat, quémque Asiæ pars maxima, ut magnum numen, utinam benignum faustúmque, respiciebat. Excisa est Romana colonia; Antonius jussit exscindi: quo jure jusserit, non fuit parentis mei indagare, sed credere jussum esse sapienter. Sed neque meum est, Cæsaris judicium in dubium revocare: Quis enim damnet Orbis dominum, penes quem omne est Imperij Romani arbitrium. Neque verò etiam defendo mei fratris innocentiam, apud quem tamen nulla factæ cædis culpa resedit. Atqui meam queror injuriam, & accuso meum fratrem, qui sive amore parentis, ne ab eo divellatur moriens, cui vivens conjunctissimus fuit, sive meæ sortis invidiâ, mihi præripit honorem, quem ordo nascendi, Dijque natalium præsides mihi detulerunt. Sum enimvero major ille natu, quem Cæsar voluit esse socium paterni supplicij: ille me minor est, qui posterior lucem aspexit. Quare videte obsecro, ne, dum illi cum insigni meâ injuriâ adstipulámini, Cæsaris imperium perperam interpretantes, vos injustæ cædis reos faciatis.* Auditus est cum stupore frequentissimæ multitudinis adolescens, moriendi, servandique fratris, quàm alij vivendi, séque ipsos tuendi, avidior. Tum Dyteutus (sic absque mendo constanter nominatur in Græco textu) natu major contra vociferari, testes appellare Deos, mortalésque omnes, se inter Adiatorigis filios primatum natalium à naturâ accepisse: supplex fieri utrique parentum, magnis utique testibus, quibus nulli possint esse locupletiores, ne patiantur, jura sanguinis, ætatisque prærogativam ordine perturbato confundi: Hoc postremum officium filio ne pater deneget, hanc mater præstet gratiam illi, quem primum omnium genuisset. Pergebant filij conquisitis unde unde argumentis contendere tantâ facundiâ, ut non liqueret, utri esset moriendum: dignus erat uterque, qui diutissimè viveret. Cùm nullus esset finis litigandi, judicij arbitrium defertur ad parentes. In his lucta longè major, quàm in filijs: utrumvis damnarent, horrebant in sua viscera omni vitâ rebúsque chariora, esse crudeles; si recusarent arbitrium, neutri filiorum proderant, sed augebant discrimen, ne uterque periret, quando nesciretur, utri esset pereundum. Triste supra omnem modum misero parenti, non modò mortis oppetendæ comitem habere filium, sed immiti etiam sententiâ neci addicere. Quid mater ageret, cui summa votorum erat, servare utrumq; in vivis, próque ipsis & marito occumbere? Prensabant interea filij parentum genua, & veris lacrymis suffragia flagitabant. Libertatem pro minore pronuntiandi minuebat metus, ne major ad Cæsarem provocaret. Pater tamen, ne uxori orbitatis solatia minueret, maluisset adultiorem servari, rerum usu ad gerenda afflictissimæ familiæ negotia magis idoneum: Et junior, qui fratri litem moverat, videbatur esse meritus, ne se frustra in vitâ pro fratre prodigendâ præstitisset liberalem. Exorandus tamen Dyteutus fuit, ne fratri mortem & amoris palmam invideret. Vellet superesse patri, eíque præstare vicariam operam in matre, & fratre natu minimo, quâ valeret prudentiâ, susceptâ domûs gubernatione, adjuvandis. Cùm nihil his edictis moveretur, ad suas lacrymas pater matérque adjecere metum, ne uterque cum fratre minimo, ex conspirato, victoriam medio fratri addicerent: quo denique telo passus est se superari, & animo tametsi repugnante induci, ut patris funus lacrymis mallet honestare, quàm sanguine; à fratre beneficium accipere, quod matri fratríque minori in omnem vitam rependeret. Igitur fratrum medius unà cum patre securi fuit percussus. Id amoris certamen Augustus ubi rescijt, vehementer miratus indoluit, & Dyteuto honoratissimum Cumanorum sacerdotium, quod non nisi regio sanguini dabatur, contulit: Viduam matrem & filiorum ultimum beneficijs & paternâ propè benignitate est prosecutus.



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER IV.

Boij Cimbros à Bojohæmo repellunt. Helvetijs bello Gallico sociantur. Sedes in Æduorum finibus accipiunt. Cæsarem adjuvant: Rhætos hostes patiuntur. A Dacis pelluntur è Tauriscis. E Bojohæmo eijciuntur à Marcomannis. Migrant primùm in Noricum, pòst in Nariscos.

COllecto ex veteris historiæ fragmentis, quantum externi scriptores, parci admodum in describendis aliarum gentium rebus ac fortunâ, hinc inde sparsum mandaverunt posterorum memoriæ, ne repetamus ea, quæ de communi Bojorum nomenclatione in hujus operis limine memoravimus; ordo ratióque nostri instituti stylum revocat ad Bojos, qui vel in Tauriscis ad Istrum flumen, vel in Bojohæmo, & tractu Norico fixêre sedes. Istis locis proclive fuit gentes ab unâ stirpe prognatas inter se coalescere, & sociatis viribus consilijsque adversus vicinos varijs bellis, alternante fortunâ, priscam magnitudinis suæ famam asserere. I. Multum existimationis Herciniæ Boijs suppressit altum litterarum silentium, quo sepultum est, quicquid memoriâ dignum gessêre per tot secula, quæ à primo eorum in istas oras adventu fluxerunt. Credibile non est tam longâ temporis intercapedine, nationem armis assuetam continuò ferrum condidisse, nec à primâ immigratione, usque ad bella, quæ cum Cimbris Dacisque gesserunt, egisse quicquam, quod litterarum luce inclaresceret: sed longè verisimilius est, egregijs factis domi defuisse præcones, qui scriberent, referréntque in sequentium temporum monumenta, sine quibus nulla est certa aut diuturna præteritorum memoria. Græci juxtà ac Romani, & animis, & longo terrarum tractu à Boijs divisi, exterorum gloriam, ipsum adeò nomen, vel ob rerum ignorationem, vel neglectum, ne suis ipsi luminibus obstruerent, nihil pensi habuerunt.

Cæterùm, à Bojohæmo, quem à Boijs nomen traxisse multis persuasum est, appellatio quæ hodiéque manet, manebátque ævo Cornelij Taciti, traducta est ad Bohæmiæ notionem. Justus Lipsius è Codice Bambergensi Boijasmum & Boyasmum legit, colligitque ex Strabone Boviasmum vel Bojasmum Marobodui Regis

Corn. Tacit. de morib. Germ. Lips. ibid.

Strab. lib. 7. Vell. Patercul. lib. 2. Cluver. l. 3. Germanic. Antiq.
BOIOHÆMI ETYMON.

Regis Marcomannorum, qui Bojos è Bojohæmo pepulerunt, regiam interpretatur. Cluverius Bojohæmi nomen præfert, quod etiam Casaubono visum est: quæ lectio etiam reperitur apud Velleium Paterculum, qui disertè scribit, Bojohæmum regionis esse nomen, cui opinioni Strabo adstipulatur. Eam regionem, quæ veluti Germaniæ frons est, quinam ante Bojos habitârint, incertum est: Bojos autem in eam migrasse, Tacito est extra dubium, quando asserit, eas terras, quæ inter Herciniam silvam, Rhenúmque & Mœnum amnes sunt, Helvetios tenuisse quidem, sed quæ sunt ulteriora, in Bojorum manus venisse. Strabo as-

II. sentitur Tacito, affirmans Bojos Hercinium saltum quondam incoluisse: nec dissentit Cæsar, cùm ait, Gallos in fertilissima Germaniæ circum Herciniam silvam migrasse: quos Gallos alios à Boijs non fuisse, eorúmque posteros Cæsaris ævo eas sedes tenuisse, donec Augusto rerum potiente illos Marcomanni avitâ possessione depulerunt, planum est ex adductis aliísque authoribus, quos suo loco referemus. Ptolemæus tacito regionis nomine, incolas Bæmos magnam gentem nuncupat.

CIMBRORŪ MIGRATIO. *Strab. lib. 7.*

Istis locis se Boij longâ temporum & opulentâ rerum accessione firmaverant, quando Cimbri, vel suis pulsi sedibus, vel soli melioris amœnitate pellecti, eos sibi debellandos sumpserunt. Strabo rem à Possidonio mutuatus, paucis verbis exequitur: Cimbros nimirum, quos & Græci vocant Cimerios, fato delatos in Herciniam silvam, à Boijs habitatam regionem invasisse, sed à Boijs dein ejectos, Istrum & Scordiscos, Teuristas, & Tauriscos, deinde Luetios auro quidem locupletes, sed in pace vitam agentes petijsse, tum sibi adjunxisse ex Helvetijs Tigurinos & Tougenos. Hæc ille quidem, sed migrandi causas veteribus Possidonio antiquioribus probatas improbat. Credebant illi, Cimbros ideo patriâ excessisse, quòd aquarum eluvione è natali solo pulsi peninsulam à majoribus cultam deseruissent, eâ de causâ, quòd Oceani incrementa ac decrementa, quæ alioqui natura certo ordine atque tempore definivit, extra ordinem terræ superfusa, gentem coëgerint nativas sedes exilio mutare, & vagos prædísque addictos, Boicam armatâ manu occupare.

Plutarch. in Mario.

Plutarchus tradit, initio fuisse ignoratum, quinam essent, aut unde terrarum, nubium instar è longinquo veherentur; fuisse tamen conjecturam, è Germanis fuisse, qui spectant ad Borealem maris oram. Narrat idem, credidisse aliquos, quòd Cimbri ex eâ parte Germaniæ, quæ vergens ad Septentrionem, & juxta Mæotidem paludem reflexa Scythiam Ponticam contingit, sociatis armis coaluerint, qui quidem non uno omnes agmine neque continenter, sed quotannis sub vernum tempus suis è sedibus prodierint, & progressi ad ulteriora, per multum temporis arma per continentem circumtulerint, atque eam ob rem vocati fuerint Germano-Scythæ. Addit Cimmerios quibusdam Cimbros fuisse dictos, prisco Græcorum ævo litterísque cognitos, eósque, ut sunt initia, haud magno numero, sed paucos, qui è Scythiâ acti in exilium, duce Lygdamide, à Mæo-

III. tide in Asiam irruperint: Aliam præterea id generis hominum fuisse longè majorem turbam, eámque bellicosissimam, quæ ad mare exterius sedes posuerit, regione silvestri & umbrosâ, Solísque radijs propter nemorum densitatem inaccessâ, quæ nemora usque ad Herciniam silvam porrigantur: polum verò Arcticum haud procul ab eo cœli puncto, quod illorum vertici ad perpendiculum imminet, abesse, eóque fieri, ut id locorum totus annus unicum diem, nec plures noctes habeat, ita ut anni medietatem unam lux continua, alteram tenebræ non interruptæ occupent. Quæ res Homero in Necyâ fabulæ materiam suppeditârit. Omnium verosimillimum est, Cimbros inter gentes, quæ in Cimbricâ Chersoneso Peninsulâ, quæ longo tractu in Oceanum panditur, habitârunt, omnium maximè fuisse septentrionales, & eos quidem, tametsi non omnes, patriâ emigrasse: qui solum non mutârunt, videntur habuisse posteros, qui Augusto Cæsari lebetem magnâ apud eos religione celebrem, dono per legatos miserunt ipsius amicitiam ambientes, postulantésque veniam injuriarum, quas olim eorum majo-

majores populo Romano intulerant, quam & à Cæsare impetraverunt. Vasta illis fuere corpora, vultus terribilis, immanis audacia, incredibilis laborum frigorisque tolerantia, tantus periculorum contemptus, ut scutis latè circum pedes exporrectis insistentes per immensæ profunditatis præcipitia se ultrò demitterent; tantum robur, ut arbores radicitus evulsas, scopulorum ingentia fragmenta, terræ tumulosq; more Gigantum, ad frenandos aquarum cursus, fluminibus extra alveos cogendis objicerent. Nec verebantur fœminæ maritorum munia, cùm res ferebat, in prælijs occupare, cæde grassari in viros, qui ordines desererent, nullo prorsus discrimine. Ipsæ è vehiculis hostem jaculis petebant, se ad extremam usque vitæ lineam fortiter tuebantur, & ne in hostium manus venirent, postquam fauces infantibus, cæteræque soboli eliserant, se ipsas jugulabant. CIMBRORUM HABITUS. CIMBRICÆ FOEMINÆ BELLICOSÆ.

IV. CIMBRORUM MULTITUDO.

Fuisse Cimbrorum ad trecenta pugnatorum millia, quem numerum mulierum & prolis turba longè superabat, est in confesso apud scriptores: unde promptum est colligere, quantâ gloriâ Boij Hercinij superârint immanem istam hominum colluviem, quæ magnam Europæ partem victricibus armis vexavit. Quod Bojorum decus tantò fuit illustrius, quòd gentem illam suis finibus ausi sint prohibere, cùm viribus adhuc integris, nullisque fatigata cladibus, primos impetus faceret, ut per Hercinios saltus in Boicæ viscera penetraret: quæ laus solis Boijs, nulli præterea gentium, si Belgicam excipias, contigit. Ut Cimbrorum bella, quæ in Italiâ, Illyrico, Galliâ, & Hispaniâ gesserunt, persequamur, tanti non est minuta ratiocinatio ducta ex aliqua vocum specie, ut nobis non illico persuadeat, ad Bojos esse referendum, si Bojorix quispiam Teutobodus, alijs Teutobochus, Lugius, qui Orosio Lucius est, Cesorix, Claudicus, vel Claudius, qui & Clodius, Bolus Rex, aut similium nominum homines aliquid gessisse scribantur. Certè Bojorix non Bojus, sed Cimbrorum Rex à Plutarcho disertè scribitur: Teutobochus item Dux Cimbrorum dicitur à Sigonio: Alius Teutobochus Rex Teutonum à Floro, & ab Eutropio Teutobodus Dux Cimbrorum appellatur. Speciem habet nescio cujus mendicitatis, tales nominum umbras sine re sectari, ad statuenda genti Boicæ trophæa, quasi non satis habeat domesticæ virtutis, ad erigenda solidæ gloriæ monimenta, in quibus alienæ plumæ ut in corniculâ Æsopicâ exhibent imaginem ridiculæ vanitatis. Qui istiusmodi malè concinnatos peregrinitatis centones desiderabit, eorum affatim apud alios reperiet. Sufficiat compendio dicere, ad Boici nominis commendationem, Cimbros, qui de Romanis triumphârunt, à Boijs, cùm primam irruptionem tentarent, fortiter esse repulsos. Nam in Illyrico Cn. Carbonem Cos. profligârunt; In Galliâ M. Silanum Consulem (contra ac scripsit Eutropius) M. Scaurum Aurelium cum duobus filijs occiderunt; trucidârunt simul octoginta Romanorum sociorúmque millia, & quadraginta millia calonum: Q. Servilium Cæpionem ingenti clade affecerunt: C. Mallium prælio vicerunt: L. Cassium insidijs circumventum unà cum L. Pisone occiderunt, Galliam & Hispaniam per multos annos vexarunt, donec à Celtiberis Hispaniâ ejecti, & à C. Mario IV. Consule haud procùl à Rhodano (Velleius scribit circa Aquas Sextias) geminâ pugnâ intra biduum superati, Teutobocho eorum Rege interfecto, cæsis in loco ducentis armatorum millibus, octoginta millibus captis, cùm vix tria millia effugissent. Denique Cimbrorum reliquiæ in agro Vercellensi à M. Mario Consule, & Q. Catulo proconsule funditus deletæ fuerunt. Florus ait, pugnatum ad Athesim Veronæ fluvium in campo Caudio.

BELLA CIMBRICA AD BOICAM HISTORIAM PLERAQUE NON SPECTANT. *Plutarch. in Mario. Sigon. in Fast. Flor. lib. 3. c. 3. Eutrop. lib. 5. Breviar.* *Tacit. de mor. Germ. Veget. Fasti Capit. Oros. Eutrop. Salust.* AN. V. C. DCXLI. *Luc. Epit. 68.*

V.

Bellum, quod Boij Helvetijs sociati contra Julium Cæsarem gesserunt, locum sibi meritò vendicat in Boicæ annalibus. Antequam in ejus partem venirent, Noreiam (vetustus Carrariensis codex Noriciam vocat, Noricam editio Florentina) oppugnarunt. Id quo successu fecerint, Jul. Cæsar, qui oppugnationis meminit, silentio præterijt, non præteriturus, si oppidi expugnatio ijs ex voto cecidisset. Plinius, qui sub Vespasiano scripsit, Noreiam locat in Norico: Strabo

Cæsar. lib. 1. de bell. Gall. NOREIA OBSESSA A BOIIS.

bo statuit eo loci, unde C. Carbo, collatis adversus Cimbros signis, re infectâ discessit. Atqui id fuisse gestum in Illyrico, cujus pars est Noricum (nam Strabo gentes Illyricas ad Istrum extendit) notum est ex Livij Epitome. Et hæc quidem Noreia est, quam Strabo ibidem ait, esse locum ad purgandum aurum idoneum à naturâ, nec minùs aptum ad ferri fabricas. Idem describit dites aurifodinas, quæ prope Aquileiam reperiuntur in Tauriscis Noricis, quarum aurum Noreiæ fuisse depuratum, vero simile est. Quibus rebus adducor, ut credam, eam Noreiam, vel potiùs Noriciam, quam Cæsar scripsit fuisse oppugnatam à Boijs, diversam esse à Noreiâ Illyricâ, de qua Strabo & Plinius scripserunt. Isti sententiæ favet Raymundus Marlianus vir apprimè eruditus in veterum Galliæ locorum descriptione, quando Noricum, quod Boicæ vicinius est, delineans ait, agrum Noricum esse Gallis trans Rhenum non longè à Danubio, Bavaris proximum ac Suevis, & vallem Noricam appellari, atque in eum agrum Bojos Noricâ oppugnatâ transijsse. Cæsar ordine servato, scribit Bojos in agrum Noricum transivisse, & Noricam oppugnasse, quod de vicino Boijs agro & oppido potiùs accipiendum est, quàm de remotiore, eò præsertim, quòd finitima Boicæ finibus proferendis longè essent opportuniora, quàm remota, eo tempore cum sobolescente multitudine, habitabant Boij angustiùs, & colonias ad propinqua loca cogebantur emittere. Nec verò apparet ratio, cur Boij Tauriscis, ad quos ex Italiâ migraverant, & quorum beneficio jam in agri partem recepti commodis sedibus fruebantur, bellum fecerint: & inhumanum fuisset, Bojos Hercinios cognatæ, vel sociæ saltem gentis fines nullâ provocatos injuriâ incursasse. Promptius est credere, quod Strabo insinuat, lacessitos, in Noricorum hostium agros (quod Cluverius non dissimulat) irrumpentes, Noricum, quod Oenus interfluit, teste Tacito, Noricum sive Noreiam, quæ in Antonini itinerario, & apud Cluverium Neumarc dicitur, oppugnasse.

Strabo. lib. 5. Liv. Epitom. 73. Strabo. lib. 4. fin. NOREIA UBI FUERIT. *Strab. lib. 4. Cluver. in Vindel. Tacit. lib. 3. Hist.* NORICUM HODIE NORTGAW SIVE NORGOVIA.

VI. Nunc, quemadmodum Boij in bellum Helveticum coorti sint, paucis expedio. Helvetij, qui inter Galliæ populos plurimùm poterant, magnâ spe crescendi, ingentia agri Gallici spatia animo complexi, communi gentis consilio, è suis finibus, quos sentiebant populorum amplitudini impares, migrare in novas sedes statuerant, anno urbis conditæ DC. XCIII. L. Afranio & Q. Cæcilio Metello Celeri Coss. Quæ res vulgata Romæ Senatum populúmque, non secus atque fiebat in tumultu Gallico, habebat sollicitos, quod M. Tullius scribit ad Atticum. *Helvetij sunt in armis, excursiones in provincia faciunt: Senatus decrevit, ut Consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum authoritate mitterentur, qui adirent Galliæ civitates, darêntque operam, ne ea se Helvetijs jungerent.* Cùm ea legatio nihil impetrasset, præter biennij otium, quo se illi ad profectionem compararent, tandem Anno V. C. DC. XCV. cùm Rauracos, Tulingos, Latobrigos, qui creduntur fuisse Lausanenses, in fortunæ societatem traxissent, authores quoque Boijs fuere, ut suas copias jungerent. Non fuit difficile persuadere Bojis, quos trahebat veteris patriæ, & quærendæ ab armis gloriæ innata cupiditas. In eorum numero fuere uxores ac liberi unà cum servis, quorum major longè erat, quàm arma ferentium multitudo. Trecenta omnino fuisse Helvetiorum ac sociorum millia, Plutarchus affirmat. Numerus omnium, qui in castrensibus tabulis repertus fuit, addit supra trecenta sexaginta octo millia. Pòst ubi ritu solenni fœdus inter se firmaverant, & Helvetij se sentiebant rebus omnibus ad profectionem abunde esse comparatos, ut suis omnem ad patriam revertendi cogitationem excuterent, oppida omnia numero duodecim, vicos ad quadringentos, quicquid præterea privati fuit ædificij & annonæ domesticæ, flammis subijciunt, id tantùm frumenti reíque cibariæ efferentes, quod in trimestre satis esset; idémque persuadent socijs vicinioribus.

Cæs. lib. 1. princ. BELLUM HELVETICUM. AN. V. C. DC. XCIII. *Cic. lib. 1. ad Attic.* AN. V. C. DC. XCV. *Marlian. de loc. Vet. Gall.* BOII HELVETIORUM PARTIBUS SOCIATI. *Plutarch. in Cæsar.*

VII. Delectâ, communi sententiâ, die profectionis, quæ fuit quinta ante calendas Apriles, copiæ omnes coivere ad flumen Rhodanum. Consilium erat iter capessere per Provinciam populi Romani, quæ Fabij Allobrogici victoriâ primùm parta, pòst Ma-

HELVETIORUM E PATRIA DISCESSUS.

Marij virtute à Cimbrorum irruptione defensa, Narbonensis Gallia dicebatur. Posteaquam Romæ renunciatum est, tantam hominum vim ad Rhodanum consedisse, Julio Cæsari datum negotium, ut quàm celerrimè auxilio properaret. Ipse verò Senatûs decretum accepit animo perlubenti, ut judicium, in quo malè gesti consulatûs agebatur reus, evitaret. Ergo citatis itineribus in Galliam ulteriorem contendit. Genevam extremum Allobrogum oppidum ubi pervenerat, pontem rescidit, ne quà trajectus id loci foret apertus. Eodem venere Helvetiorum legati postulantes, sibi ut liceret, citra omne maleficium per Romanam provinciam proficisci. Cæsar certus eos transitu prohibere, veteris injuriæ memoriâ, quòd pulso Romanorum exercitu olim Luc. Cassium occidissent, responsum distulit ad quartum Idus Apriles, ut faceret temporis compendium militi interea colligendo, quem toti provinciæ imperaverat; útque spatium nancisceretur fossæ atque munitionis ducendæ ad novendecim passuum millia, cujus objectu Helvetios arceret à trajectu. Reversis ad dictam diem legatis, negavit, se more aut exemplo populi Romani cuiquam iter per amicam provinciam permittendi habere facultatem: si vim faciant, se quoque vi occursurum ostendit. Quare Helvetij eâ spe dejecti, quà navigijs, quà ratibus & vadis brevioribus noctu atque interdiu laborant in trajectu moliendo: sed cùm eorum conatus obsistentium ex adverso tela & excitata munimenta redderent irritos, datis acceptísq; obsidibus, à Sequanis impetrant, ut sibi per Æduorum agrum citra noxam ad Santonum fines ire liceret. Verùm cùm Cæsar intelligeret, hoc absque provinciæ damnis fieri non posse; relicto ad Rhodanum Tito Labieno, quàm potest celerrimè ex Italiâ binas legiones, ex hibernis ad Aquileiam ternas educit in Galliam. Venere inter hæc ab Æduis, Ambarris, & Allobrogibus legati quiritantes, agros ab Helvetijs vastari, oppugnari oppida, exterminari cives, liberos trahi in servitutem, nihil sibi denique præter inane solum esse reliqui: vellet proinde Cæsar eam sociorum Romani populi habere rationem, quæ foret è publico commodo rei communis, in cujus incolumitate sociarum gentium defensio salúsque verteretur. Cæsar bono jussos esse animo remisit ad suos, ut referrent, Cæsarem, in tempore, laborantibus adfuturum.

LEGATIO HELVETICA AD CÆSAREM. IIX.

HELVETII A RHODANI TRAIECTU PROHIBITI.

QUERIMONIÆ DE HELVETIIS.

Est fluvius Arar (hodie Saona) qui in Leucorum finibus ex Vogeso monte scaturiens, Lugdunensem Galliam lenissimo, vel ut Silius loquitur, pigerrimo lapsu intermeans, ad Lugdunum urbem Rhodano confunditur. Eum Helvetij lintribus ac nexis in rates trabibus transmittebant, cùm Cæsar fit certior, quartam eorum partem, quæ erat è Tigurinis, flumen nondum transmisisse. Ille invectus ex improviso in agmen, impetu prorsus inopinato tres legiones repentè immittit in impeditos, nec quicquam de conflictu cogitantes, & turbatos partim concidit, partim fugat in silvarum recessus. Id ubi erat assecutus, mirâ celeritate, uno die, quod hostis vix perfecerat intra vigesimum, Ararim jungit ponte extemporaneo, transmittítque copias in adversam ripam. Quâ ex velocitate Helvetij Cæsaris virtutem æstimantes, ad eum misêre legatos, qui de pace agerent, pollicerentúrque se, si ea conveniret, eas regiones adituros atque insessuros, quas Cæsar esset præscripturus. Legationis princeps erat Divico, eò minùs impetrabilis, quòd illo duce L. Cassius cum exercitu Romano fuisset ab Helvetijs oppressus, quódque ad renovandam virtutis Helveticæ memoriam, justo arrogantiùs odiosam cladis istius mentionem intulisset. Cæsar multa questus de vetere istâ injuriâ, quódque recens socij essent violati; respondit, eâ se lege facturum pacem, si Helvetij promissæ fidei darent obsides, & quas fecerant Allobrogibus & Æduis injurias damnáque, sarcirent. Divico cùm eas conditiones suæ gentis existimationi dissentaneas ægrè accepisset, respondit; Helvetios more institutóque majorum, fidei obsides non dare, sed accipere, quippe qui fidem fallere nescirent. Ita, re infectâ, animo quàm venerat acerbiore discessit. Et Cæsar nihilo quàm antè pacatior, ut hostem à prædis arcesseret, & contineret in arcto, equitatum quatuor omnino millium præmisit, jussum hostium postremos insectari

CLADES HELVETIORUM. IX.

HELVETII CÆDUNT ROMANOS EQUITES.

ctari, & referre, quas se in partes verteret. Cùm identidem abeuntium terga lacesserent, ex Helvetijs equites quingenti manus ausi conserere, Romanos tantâ fortitudine exceperunt, ut retroactos, nonnullis interfectis, coëgerint referre pedem. Bonum id omen visum; sed fortunæ blandientis dolus erat, quò nocentiùs ad supremum discrimen traherentur. Ergo Helvetij deinceps cordatiùs nonnunquam pedem figere, Romanos incursare, carpere propiores pugnis minutioribus, è cohortibus novissimos circumveniendo & carpendo, Martem paulatim ad justum certamen accendere. Quæ itineris & velitationum ratio dies circiter quindecim tenuit, in agminibus quinis, ut summùm senis passuum millibus diremptis. Laborabatur inter hæc in castris Cæsaris annonæ angustijs, quòd Ædui, detrectante plebe, promissum dimensum non conveherent, idque quorundam è potentioribus inductione, qui verebantur, ne, si Romani Helvetios superarent, more inveterato, & cupidine ubique locorum dominandi, Æduorum libertatem solicitarent, cujus si jactura esset facienda, tolerabilior esset futura servitus sub Helvetiorum dominatu, qui foret mitior ob avitam sanguinis & morum necessitudinem, & recentes gentis utriusque affinitates: cùm nihil nisi jugum ab urbe dominatrice posset expectari.

ÆDUI ROMANOS HABENT SUSPECTOS.

X

CÆSAR INVADIT HELVETIOS.

Cæsar, ne diutiùs cum inediâ luctaretur, Martem maluit experiri. Quamobrem comperto per exploratores, Helvetios castra habere ad montem, qui octo passuum millia à Romanis aberat, jubet T. Labienum duabus legionibus summum montis jugum occupare; tum ipse præmisso equitatu, properè ad hostium castra contendit. Itaque venitur tandem ad pugnam. Cæsar legiones haud procul à Bibracte in collem duxit, jussóque equitatu distinere hostem, aciem instruxit. Helvetij, cùm impedimentis vehicula circumdedissent, primùm acie confertâ incurrerunt in Cæsaris equitatum, eóque depulso, signa verterunt in proximas Romanorum legiones. Cæsar ex his initijs prospiciens acre plenúmque periculi fore certamen, ne suorum cuiquam alia salutis spes, quàm in virtute superesset, útque æquato universorum discrimine omnem fugæ modum auferret, jussit non modò gregariorum equos, sed ductorum etiam, atque inprimis suum longè à conspectu removeri. Helvetijs pugnæ locus erat iniquior, quòd simul cum hoste, simul cum acclivi collis ascensu esset certandum; sed accendebat vehementer animos, quòd prosperè nuper, & recèns cum Romanis equitibus conflixissent. Ergo ductis in phalangem cohortibus, impavidi prælium ineunt; insessum ab hoste collem aggredientes. Ut venerunt ad teli jactum, velites, qui Romanis erant ante signa, & sagittarij, nimbum missilium in subeuntes excutiunt tantò nocentiorem, quò magis tela jaciebantur in confertos ordines, & figebant corpora levibus scutis haud satis munita. Eo fiebat, ut multi sternerentur, multi telis saucij, dolore simul & iracundiâ stimulante, fugam magis, quàm pugnam respectarent. Fractâ ad eum modum disjectâque Helvetiorum acie, stricto utrinque ferro ventum ad manus, ingenti pertinaciâ, quæ non remisit priùs, quàm Helvetij fatigati vulneribus, sensim retulere pedem, séque receperunt in montem, qui octo passuum millibus aberat. Institêre fortiter Romani, jámque in eo res erat, ut universum Helvetiorum agmen obrueretur, nisi Boij atque Tulingi, pugnatorum quindecim millia, qui claudentes phalangem præsidio erant novissimis, magnâ fortitudine identidem hostem repressissent. Ita cùm Cæsar victoriam manu teneret, dubiam Boij & Tulingorum manus reddiderunt. Tum ubi Helvetios in tutum montis fastigium periculo subduxerunt, flexo ad latus agmine, & fronte repentè obversâ, in Romanos coorti instauravere pugnam. Hic demum cœptum est justo Marte concurri. Dum enim Boij incredibili alacritate se in hostem inferunt, ausi sperare palmam, Helvetij collectis animis ad prælium revertuntur. Cæsar periculi anxius suos trifariam partitus, primam ac secundam aciem Helvetijs, ubi major numerus, tertiam validissimam Boijs, ubi major vis, objicit. Pugnatum est fortunâ ancipiti ab hora diei septima ad vesperam; quo tempore Bojos nemo aversos videre potuit.

PRIOR CONFLICTUS.

XI.

ALTER CONFLICTUS

Tan-

TERTIUS CONFLICTUS.

Tandem cùm nox ingrueret, Helvetij montem repetiverunt, Boij ac Tulingi rediêre ad impedimenta, ubi reparato certamine denuo ad multam noctem eâ dem, quâ antè, fortitudine, concursum est. Boij cùm totis jam castris peterentur, nec pares essent arcendæ multitudini, carris pro vallo objectis, sustinuerunt hostilem impetum, donec telis, quæ è superiore loco jaciebant, & mataris ac tragulis inter carros rotásque subjectis deficientibus, canendum fuit receptui. Attamen Cæsar castris impedimentísque potitus, triduum curandis suorum vulneribus, & occisorum funeribus impendit, ne videri posset incruentam victoriam de hoste fortissimo reportasse. Nacti exinde sunt Helvetij, cæteríque auxiliares spatium se in tutum recipiendi, & itinere noctes diésque per quatriduum continuato, venerunt in fines Lingonum. Qui ex prælio erant reliqui centum triginta millia, non fuerunt impares reparando bello, nisi minaces Cæsaris litteræ, quibus Lingones vetabat frumento, alióve commeatu sublevare defatigatorum inopiam, Helvetios ad pacis consilia flexissent. Cùm enim magnâ rerum omnium penuriâ premerentur; Legatos ad Cæsarem de faciendâ deditione miserunt. Ad eum venêre in itinere supplices, & ipsius advoluti pedibus impetrârunt, ut obsidibus, armis, servis, qui ad illos confugerant, redditis, in suos quique fines remitterentur. Sex hominum millia pagi Verbigeni, qui metu supplicij ex castris Helvetiorum profugerant ad Rhenum, è fuga retractos hostium numero Cæsar habuit. Helvetij, Tulingi, Latobrigi, jussi domos repetere, oppida, vicos, quos incenderant, reparare, agrum colere, ne Germani soli bonitate illecti, vacuas eorum sedes invaderent, & ex ijs populi Romani socios infestarent.

Matar & mater apud Strabonem lib. 4. Diodoro Lancea: media inter longam hastam & minora spicula. Non. Marcellus: Gallia materibus aut lanceis proturbat agmẽ.

BOIIS SEDES CONCESSÆ IN ÆDUIS.

XII.

Boij, qui omnium maximè suam virtutem egregijs factis commendârant, in Æduorum id ultro petentium fines admissi. Cùm præter Gergobinam oppidum justum agri modum accepissent, pari cum indigenis jure atque libertate donati sunt. Gergobinam locat Marlianus prope Avaricum & Noviodunum Biturigum, Bojos quoque in Galliâ degentes vocat Borbonios, unde hodie Regum Franciæ summum decus, uti notat Velserus: nec dissentiunt Robertus Cævallus & Ortelius. Paulinus vetus inter Christianos Poëta, Bojos in extremâ Aquitaniâ ad Garumnam repertos ait, eorúmque vestigia etiamnum extare: pro quo faciunt Scaliger, & Vinetus in Ausonium. Unde conjectura est, Bojos in auxilijs P. Crassi Legati Cæsaris tertio post devictos Helvetios anno fuisse, cùm Aquitaniæ populos Romanæ ditionis faceret, & isthic locorum præsidia ex Boijs constitueret, quorum familiæ postea in gentem excreverint. Hujus generis est opinatio de Bojatibus ex libello Provinciarum, & Scaligero ad Ausonium.

Marlian. in descript. vet. Gall. loc. Velſ Rer. Boi. lib. 2. Rob. Cevall. in Append. Histor. Gall. Ortel. in Thesau. V. Boij. Scalig. ad Auson. lib. 2. c. 7.

GALLORUM DISSIDIA.

Ut ut ista habeant, extra dubium est, Bojos olim usque eò sibi secundam bellicæ virtutis famam peperisse, ut non in Asiâ modò, quod antè demonstravimus, sed in Europâ etiam frequenter eorum auxilijs bella gererentur: quæ fuit causa Æduis, Bojos donandi jure municipij, ut, cùm Gallia laboraret intestinis discordijs, vel externorum armis urgeretur, Bojorum aucti societate, se suáque fortiùs tuerentur. Cùm bona Galliæ pars in populi Romani fidem concessisset, cæteræ gentes, quæ concordiâ florere potuissent pacis bellique artibus; fatalibus inter se odijs collisæ, res suas æmulorum insidijs fecerunt opportunas. Nam pars civitatum stabant ab Æduis, pars à Sequanis & Arvernis; dúmque singulæ factiones sibi nitebantur rerum summam asserere, omnes suis cervicibus jugum accersivêre. Æduorum potior erat authoritas & potentia erectior, cùm Sequani, ne succumberent, pessimo consilio à Germaniæ Rege Ariovisto auxilia petierunt, nihil pensi habentes periculum, quod à potentiore creatur, quando specie juvandi imminet alienis fortunis atque libertati. Id eâ tempestate factu erat promptius, quando Romæ antiqua Reipublicæ vincula solvebantur, & sublato magistratuum populíque temperamento res vergebant ad unius Principatum. Pompejus etenim, Cæsar & Crassus societatem malis cœptam artibus, pejoribus cultam, inter se, mutuæ defensionis nomine, inîverant; sed rei exitus ostendit, id eos egisse potissimùm, ut everso Senatu, optimatibus in varia studia distractis,

ARIOVISTI IN GALLIAM ADVENTUS.

XIII.

Rempublicam opprimerent. Nobilitas diffidebat à Senatoribus, plebs agrarijs largitionibus capiebatur, serebantur dissidia & secessiones, quibus Romana potentia, quæ consensione creverat, dissensione labefactabatur. Dominatum C. Jul. Cæsar, uti avidiùs ambivit, ita pertinaciùs amplexus est. Id quò licentiùs & obtentu speciosiore faceret, opportunam à Gallicis motibus ansam ultro natam oblatámque arripuit.

CÆSAR GALLORUM RES TURBAT.

Ariovistus Æduos prælio ad Amagetobriam superatos Principatu dejecerat, nec ipsos modò, sed Sequanos etiam, quorum rogatu & stipendijs in Galliam venerat, diris exercebat imperijs, utrisque intolerabilis, Sequanis præsertim tametsi victoribus; quorum fortuna tantò erat calamitosior, quòd oppressis nec suas miserias queri, nec ijs depellendis auxilia liceret implorare. Res Æduorum loco paulò meliore habebantur, quòd saltem soli mutandi facultatem retinerent. Hæc Cæsari clàm relata, fecerunt, ut in se reciperet Æduorum juxtà ac Sequanorum vindicias, si ab Ariovisto desciscerent. Inde secuta est internecina Ariovisti clades. Ea fortuna cùm simul ad Bojos Æduorum municipes pertineret, nacti sunt materiam Senatûs populique Romani, ipsius adeo Cæsaris sibi demerendi. Eam dedit, quarto post bellum Helveticum anno, Celtillus Arvernus, qui ob affectatum regnum ab æmulis fuerat interfectus. Ejus filius Vercingetorix adolescens ferventis ingenij summæ inter gentis suæ proceres potentiæ, non modò successit in spes paternas (ratus absente Cæsare, adesse tempus regni usurpandi, cujus spe parens erat dejectus) sed etiam necis ipsius vindicandæ. Gergovienses, ne gliscens animi juvenilis audacia, quæ notabatur paternas molitiones novis conatibus instaurare, in turbas erumperet; eum civitate ejecerunt, detentis tamen nonnullis, qui clanculum ejus partes cupiditatémque fovebant. Cæteri optimatum, imprimis ejus patruus, qui rem usque eò arduam citra Reipublicæ damnum tolerari non posse rebantur, juvenis consilia non probabant. Nihilominus ille ex suis clientelis validam pugnatorum manum contraxit, festinato delectu, specioso nomine erigendæ libertatis, & privatim non paucos Gergoviæ cives pellexit in suam sententiam. Ab his in civitatem receptus, adversarios ejicit, & à suis asseclis rex salutatus, amandat quoquoversum legationes, quibus sibi adjungat Senones, Parisios, Pictones, Cadurcos, Turones, Aulercos, Lemovicos, Andes, & omnes præterea Oceani accolas, móxque, ijs volentibus, imperij insignia capessit, & obsides civitatibus, delectus provincijs, in commune copiosum equitatum imperat, collectúmque brevi tempore exercitum, ne quid noxæ amicis inferat, legum suppliciorúmque severitate coërcet: tum Ruthenos, Nitiobriges & Gabalos per legatum invadit: inde Bituriges Æduorum ignaviâ desertos, ipse cum potissimâ copiarum parte profectus, redigit in suam potestatem. Eæ res Cæsarem ex Italiâ difficillimâ anni tempestate, per altas montis Gebennæ nives, gravissimásque itinerum molestias in Arvernos evocârunt. Hos nihil de ejus adventu, tam alieno tempore cogitantes, celeritate oppressit. Relicto isthic Bruto adolescente cum copijs, in Æduos, ne quid rerum novarum moverent, citatis inde itineribus contendit.

CONTRA ARIOVISTUM ET VERCINGETORIGEM. AN. V. C. DC. XCVII

Gergovia in Arvernis hodie Clermont.

XIV.

VERCINGETORIX ARMA COMPARAT ET SOCIOS.

Cæs. lib. 7.

CÆSARIS EXPEDITIO IN GALLIAM.

GERGOBINA OBSESSA.

XV.

Vercingetorix, ut Bojos Æduorum municipes in suas partes adduceret, Gergobinæ oppido, quod ipsis Cæsar de Helvetijs victor attribuerat, obsidionem admovit, ratus fore, ut si locum deditione acciperet, Ædui cæteráque Gallia per se libertatem suspirantes, externum dominatum excutere niterentur. Cæsar inter hæc pendebat animi, sociósne hactenus fidos destitueret, an legiones ex hibernis, vere nondum aperto, ingentibus incommodis exponeret, propter rei frumentariæ difficultates, quæ superari nequibant, nisi pars militum subvectionum defensioni tribuenda, continentibus cum hoste conflictibus fatigaretur. Visum tamen omnia potiùs perpeti, quàm nascituram ex fidæ gentis desertione infamiam. Misit igitur ad Æduos, qui monerent de supportando commeatu, quique Bojos edocerent de adfuturis auxilijs, concitaréntque ad retinendam fidem, & hostem magnis animis tantisper sustinendum. Cùm movisset castra, de

LIBERATUR A CÆSARE.

viâ

viâ Vellaunodunum cogit ad deditionem, Genabum ad Ligerim, portis crematis, cùm cives adultæ noctis silentio ultra flumen diffugerent, occupat, diripit, incendit: Vercingetorigem à Gergobinæ oppugnatione submovet, Noviodunum in fidem recipit: difficillimâ obsidione Avaricum caput Biturigum expugnat: trecenta Gallorum millia cædit ad Alexiam, quam vi quoque subegit, Vercingetorigem ad suos pedes supplicem, captúmque retinet ad triumphum. Servatæ Gergobinæ fructus fuit, quòd, Æduis malignè omnia facientibus, & respectantibus occasionem à Cæsare deficiendi, Boij cum fide, quantum patiebatur agri facultatúmque tenuitas, eum adjuverunt. Istam illis Cæsar gratiam reddidit, quando omni propè Galliâ, quæ spe libertatis ante captam Alexiam, devictúmque Vercingetorigem arma sumpserat, Boijs, qui sociorum minis potiùs, quàm lubentiâ, copias sociaverant, veniam fecit defectionis per vim extortæ. Quæ deinceps Bojorum inter Æduos fuerit conditio, nihil est, quod memoremus, nisi quòd extincto Æduorum nomine, aliqua etiamnum supererant Bojorum, ijs, quæ dixi, locis, inter Gallos indicia. GALLORUM CLADES. *Plutarch. in Cæsar.* VERCINGETORIX CAPTIVUS.

XVI. Ut porrò ad Bojos-Hercinios, aliósque, qui in Tauriscos ex Italiâ migraverunt, revisamus, memorandæ sunt rerum vices, & fortunæ conversiones, quibus sunt circumacti, antequam sedes veteres cum hodiernis commutarent. Hercinij sæpe cum Rhætis fuere collisi. Hi etenim vetere in universam Bojorum gentem odio, à quâ se amœnissimâ Italiæ possessione olim exutos esse meminerant, Boicam, quod Strabo disertè scripsit, & vicinas gentes, teste Dione, frequenter involantes, ut sera & rara est magnæ injuriæ oblivio, suo more in omnium, quos sibi hostes sumebant, vitam fortunásque dirè grassabantur, non contenti immaniter sævire in armatos, sed assueti crudeliter necare imbellem turbam, matrum viscera, fœtu nondum edito, scrutari, & quicquid erat masculini sexûs, extinguere. Quas urbes vicósque occupabant, cultro subijciebant, nec ulli faciebant gratiam subeundæ saltem servitutis. Bellorum, quæ intercesserunt, initia progressúsque minùs promptum est referre, quàm causas, in summo veterum litterarum silentio, quod ne patitur quidem venire in lucem, quas clades Boij ferocissimæ genti reposuerint. Hoc tamen extra dubium est, Bojos nec à Rhætis fuisse subactos, neque suis pulsos sedibus, sed servatos ad bella, temporáque longè acerbissima. RHÆTORUM CRUDELITAS *Strab. lib. 4.* *Dio. lib. 54.* IN BOIOS ALIASQUE GENTES.

Qui enim in Tauriscis consederant, Dacos sunt nacti hostes exitiabiles. Fuere Daci, si Plinio credimus, ex Getarum natione, cùm eos Romanis isto nomine appellatos asserit, tametsi alijs Sarmatæ, Græcis Sauromatæ dicerentur. Disertiùs Strabo, eos Getarum, qui ad Pontum in orientem vergunt, commune nomen ait retinuisse: Eosdem Gothos vocat Spartianus. Alij, qui versus Germaniam, & ad Istri fontes habitabant, non Daci modò, sed etiam Davi nominabantur, unde apud Athenienses multa fuerunt Davorum & Getarum servilia nomina. Et fuisse quidem solitos herbis faciem pingere, more barbarico, habet Plinius. Justinus eos dicit Getarum sobolem, qui cum Olore Rege adversus Bastarnas improsperè pugnassent, in pœnam ac dedecus ignaviæ, somnum capturi, capita loco pedum jussu Regis ponere cogebantur, & ministeria uxoribus, quæ viris antea fieri solebant, præstare; Neque hæc antè mutata fuisse, quàm ignominiam bello acceptam virtute delevissent. *Plin. l. 4. c. 12.* *Strab. lib. 7.* DACORUM ORIGO, MORES. *Plin. l. 22. c. 1.*

XVII. Eos arma Romana jam inde ab anno V. C. DC. LXIII. exercuisse reperio apud Frontinum, quando ab ijs M. Minucius Rufus premebatur. Gessere quoque bellum in Suevos: obstitere M. Licinio Crasso Consuli, ambierunt Octavij Cæsaris amicitiam, missis ad eum muneribus, haud dubiè eo tempore, cùm (ut Suetonius scribit) Cæsar Octavianus Juliam filiam Regi Cotisoni desponderat, ipséque Augustus Cotisonis filiam sibi in matrimonium destinabat. Verùm cùm ista affinitas non successisset, misso Lentulo, Cotisonem bello petijt, pepulitque ultra Danubium, de quo cecinit Horatius: *Dio. lib. 54.*

Horat. lib. 3. carm. od. 8.

Mitte civiles super urbe curas,
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis.

Sueton. in August.

Atque is ipse est Cotiso, quo Rege ac Duce, quoties Ister glacie concretus grassaturis transitum præbebat, Daci in ulteriore ripa prædas solebant agere. Eos Trajanus sub Rege Decibalo superavit: Daciam fecit provinciam, quam sub Gallieno amissam Aurelianus Cæsar recuperavit.

Strab. lib. 7. BÆREBISTA DACUS.

Ante Cotisonem Dacis præfuit Bærebista, qui Bojos in Tauriscis funditus delevit. Is ipse est, qui gentis suæ fortunam bellorum diuturnitate variisque cladibus fatiscentem eò magnitudinis erexit, ut, cùm Dacos corporum exercitatione, moderatione victûs, militarique disciplinâ excoluisset, regni fines magnâ terrarum accessione amplificaverit, vastârit Thraciam, prædas egerit in Macedoniam usque & Illyricum, non sine insigni Romani imperij perturbatione.

CRITASIRUS BOIORUM REX.

Boijs, qui in Tauriscos migraverant, per id tempus imperabat Rex Critasirus, quem sive fortuna destituit, sive, quod in regnorum conversionibus non est infrequens, virtus & industria defecerunt, victores Dacos, & gentis suæ calamitatem vidisse, Strabo paucissimis verbis ostendit. Sic collapsa est formidabilis illa

BOII E TAURISCIS PULSI.

Bojorum potentia, quæ in Italia Romanos, in Tauriscis finitimos non sine illustri rerum gestarum gloriâ terrore & fortitudinis admiratione per aliquot sæculorum tractum complevit. Ubinam verò reliquiæ substiterint, cùm nemo tradat, haud facile est dicere. Aventinus credit fuisse in Germaniam traductos,

Avent. lib. 1. pag. 70.

XIIX.

permixtósque varijs gentibus, sine nomine, aut propriorum Ducum Regúmve gubernatione, alienæ gloriæ, Gothorum maximè, quorum præcipua fuit magnitudo, arma commodasse. Cui coniecturæ ne assentiar, hoc fuit potissimum, quòd credibile non sit, Bærebistam totam gentem sic attrivisse, aut suâ ditione exegisse, ut eam maluerit servire aliorum commodis, quàm tolerabili aliquâ conditione intra suos fines sic contineri, ut de recuperanda libertate ægrè potuerint cogitare. Non fuisse tamen Bojos in Tauriscis relictos, inde est colligere, quòd post ultimam cladem, quam à Bærebistâ acceperunt, regio, quam habitabant, versa fuerit in solitudinem, & pascua armentorum, retentâ Boici deserti appellatione, quæ passim apud Scriptores reperitur.

ZAMOLXIS ET CENEUS DACORUM ARIOLI.

Quæ de Zamolxi & Ceneo Dacorum vatibus in Deorum numerum relatis à Strabone referuntur, tanquam à nostro instituto aliena consultò prætererimus, hoc solo contenti, fidem, quam istiusmodi ariolis Dacorum Reges & plebes habuerunt, manifestè arguere gentilitiæ vanitatis fatuitatem, quæ miserrimos mortales eousque dementabat, ut, quæ ista mendacissimorum hominum monstra è suo antro renuntiabant, pro veris oraculis, próque rerum agendarum normâ, velut allatas è cœlo leges acciperent, & ne vinetis quidem parcerent, quando illa, Rege ita volente, ad Cenei nutum exciderunt, ut eò faciliùs sobrietatem, sublato vini usu, condiscerent.

Atque ista quidem de Boijs Italico-Tauriscis, déque tristi illorum fortunâ. Sequuntur haud multò lætiora, quæ antiquam Bojorum Herciniorum gloriam sic depresserunt, ut inter suorum cuicuimodi reliquias, fuerit illis diu luctandum, dum ad hodiernam magnitudinem assurgerent. Longum litterarum silentium tametsi non apertè arguit, Bojos, qui in Bojohæmo, Sigoveso duce, sedes fixerunt, omnino fuisse ab armis otiatos, hoc enim parta de Cimbris victoria abunde refutat, & Jul. Cæsar locupletissimus testis est, suo adhuc ævò gentem Gallicam, quæ

Cæs. lib. 6. Comment.

BOII HERCINII

XIX.

APUD HISTORICOS OBSCURI.

circum Herciniam silvam degebat, summam habuisse justitiæ & bellicæ laudis opinionem; facit tamen ista Scriptorum taciturnitas, ut sit proclive credere, parùm eos de proferendis finibus, de acuendâ ad res majores virtute, de jungendis fœderibus, cæterísque firmandæ potentiæ adminiculis laborasse. Eos domi poterat retinere soli Hercinij ubertas, cœlique, quo fruebantur, clementia, aliáque, quibus solet ferocia & bellicosus vigor sensim in segnitiem degenerare. Et credibile est, apud eos rei communis formam imperiúmque Legibus, authoritate majo-

majorum, parendi reverentiâ, populi cum optimatibus conspiratione, non fuisse exquisitè aut cum severitate adstrictam, sed clementiâ & moderato potentiæ usu temperatam, quandoquidem, ne hoc quidem in litteras missum est, an, quóve Rege fuerint debellati, quibus ausis se résque suas propugnaverint. Ad casum eos impulit Maroboduus Rex Marcomannorum, cùm Bojohæmum sexcentis circiter annis tenuissent. Quânam id industriâ sit consecutus, quæve extiterit causa belli inferendi, sic explicant, qui rem longè maximam tradiderunt, ut eam videantur magnam partem voluisse ignorari. Hoc non ignoratur, nihil interesse ambitionis, habeat, an faciat bellorum causas, quæ si sponte non nascuntur, finguntur tamen, quando adsunt spes crescendi ex vicinorum impotentiâ vel oscitantiâ, & vis nescio quæ ponitur in modestiâ & lenitate, quarum apud inquietos sunt inutilia nomina. A MAROBODUO MARCOMANNO DEBELLATI.

Fuit cæteroqui Maroboduo in fortunâ humili excelsus animus, & generis non obscura nobilitas. Aderat viro corporis insigne robur, & mentis ferocia, quæ si industriâ mitesceret, ut fit in generosis equis, fortia quæque promittebat. Erat teste Velleio, *natione, non ratione barbarus*, talique ingenio, quod nihil respiceret abjectum, nihil vulgare spiraret. Romam profectus adhuc juvenis, simul ac devenit in Augusti notitiam, dignus est visus, qui inter non ultimæ admissionis familiares cooptaretur. Magnis exinde affectus beneficijs, altos spiritus combibit, & cœpit in supremo dominandi theatro, meditatione & usu, artes ad summa emergendi, sibi comparare, quibus denique excultus, cùm revertisset in patriam, supremum Germaniæ fastigium animo complexus, eò suos conatus evexit, ut, præter Marcomannos populares, finitimos circùm populos, Lucios, qui Tacito sunt Lugij, vel Lygies, Zosimo Logiones, gentem magnam, Zuinos, Butones, quorum sola supersunt nomina, Mugilones, Sibinos, alijs Gutinos, aut Gotonos & amplissimam Suevorum nationem suæ ditionis fecerit. Eum quidam Suevorum Regem nominant, ut dubium non sit, regnum præpotens, ex tot gentibus, ejus auspicijs coaluisse, idque non fortuitum aut tumultuarium, sed cum certâ ratione constans, certúmque ex sapienti gubernatione, & lubentibus subjectorum obsequijs integráque fide, quæ fundamenta sunt nexúsque bonorum imperiorum. Firmandi regni initium fecit à disciplinâ militari, quam ordinavit ad Romanum modum, ut non per dissolutas catervas, neque cœco impetu res agerentur; sed exercitus in signa ac legiones distributus, assuesceret ductorum imperijs, sive manus cum hoste forent conserendæ, sive standum in subsidijs, sive succurrendum aciei laboranti. Crescente indies potentiâ, non finitimis modò, sed urbi quoque orbis terrarum dominatrici evasit formidandus. Non lacessebat quidem bello Cæsarem, attamen si qua vis appareret, ostendebat, sibi vim ac voluntatem resistendi non deesse. Quos Legatos mittebat in urbem, talibus ibant instructi mandatis, ut interdum, pro re nata, supplicem commendarent, interdum, quasi res illi foret cum paribus, cum aliquâ jactantiâ loquerentur. Gentibus, quæ à Romanis desciscebant, perfugium præbebat, & cùm multa dissimulando tegeret, prodebat tamen, se à re Romana esse alienum. Habebat in continenti militiæ expectatione pugnatorum sexaginta quatuor ut minimum millia, legunt alij apud Velleium millia septuaginta; cúmque à læva & à fronte haberet Germaniam, à dextra Pannoniam, à tergo Noricos, tanquam moturus in omnes, ab omnibus timebatur, cùm neminem ipse timeret. MAROBODUI INDOLES. *Vel. Pater. c. lib. 2.* XX. MAROBODUUS EX GERMANIS NATIONIBUS REGNUM EXCITAT. *Aurel. Victor lib. de Cæsarib.* *Sueton. in Tiber.* SUORUM MORES MILITIAMQUE REFORMAT. ROMANIS EVADIT FORMIDABILIS.

Nec verò securam esse sinebat Italiam, quippe quæ summis duntaxat Alpium jugis ab eo dirempta, à Marobodui finibus ducentis passuum millibus tantùm aberat. Eum quoque Pannoniam Istro trajecto vexasse, author est Sext. Rufus, cùm Marcomannos & Quados de partibus Valeriæ, quæ sunt inter Dravum & Danubium, pulsos esse asserit. Quantis animis in Arimium, quem patiebatur in petendo Germaniæ imperio rivalem, pugnaverit, quantâ arte, expertus Martem adversum, Tiberij auxilia implorârit, & Drusum impetrârit pacis sequestrum, prodidit Tacitus. Hæc ut erant permagna, ejus tamen præcipua fuit gloria, & Marcomannorum (ita Tacitus) virtus, XXI. *Sext. Ruf. in Brev.* *Tacit. lib. 2. Annal.*

Boios pellit e Boiemia. Dio lib. 54. An. V. C. DCC. XXIIX Strab. lib. 7. Lips. in Tacit. l. 6. Annal. quæ expulsis è Bojohæmo Boijs inclaruit. Id contigisse Cæsaris Octavij principatu, argumento est, quòd Maroboduus invadendæ Boicæ consilium ceperit, quando Drusus Augusti jussu unà cum Tiberio in Germaniam profectus est, post cladem M. Lollio per Sicambros, Usipetes & Tencteros illatam, Domitio Ahenobarbo & P. Scipione consulibus. Cùm enim id temporis victrices aquilæ trans Rhenum circumferrentur, Maroboduus, quò remotior esset à Romanis, & ab eorum armis tutior, in Bojohæmo, exactis Boijs, Bubiemum regiam locavit. Pro Bubiemo Lipsius maluit legere Bubiasmum, aut Boyasmum. Druso extincto, successor in Germaniâ datus est Tiberius Nero, C. Martio Censorino & C. Asinio Gallo Consulibus. Ille trans Rhenum duxit, & Germaniæ partem, ut habet Velleius, domuit. Velle. Pater. lib. 2. Ergo cùm ea fuerint tempora Augusto Imperatore, vix est dubium, quin Maroboduus sibi quæsierit receptum in Bojohæmo, ubi minùs arma Romana timeret. Avent. lib. 1. pag. 52. Error Aventini. Unde est, cur Aventinum erroris arguas, quando sine authore comminiscitur, Bojos à Marcomannis Sueviæ populis, Tarquinio Prisco regnante, pulsos è Bojemia, & cum suo Rege Ciconio in Italiam cum promiscuâ aliarum gentium, quas recenset, colluvie abijsse. Paulò propiùs ad rem accedit Beatus Rhenanus, sed aberrat tamen à tempore Marcomannicæ in Herciniam irruptionis, quando eam vult esse factam, antequam Boij Noreiâ frustra oppugnatâ Helvetijs adversus Cæsarem sunt opitulati.

De Boijs bello Marcomannico è Bojohæmo pulsis hæc ferè sunt, quæ cum aliquâ veri similitudine putavimus convenire. Reliquum est, ut locum, in quem fortunæ suæ reliquias comportârunt, quantum licebit in re satis obscurâ atque intricatâ, ex litterarum monumentis eruamus. In ea disquisitione scriptores in varias sententias abiverunt.

XXII. Velserus refutatur.

Jam de Aventino diximus. M. Velserus vir exactæ eruditionis sibi persuasit, Bojos, amisso Bojemiæ dominatu, mansisse nihilominus inter Marcomannos. Ejus potissimæ sunt rationes: quòd Boijs nulla spatia à septentrione & sole occiduo vacua relicta sint à Marcomannis; quódque à meridie Danubio, & à Romanis præsidijs coërcerentur, ab ortu haberent Dacos nuperos Bojorum in Tauriscis subactores. Velsero non ægrè subscriberem, nisi constaret ex Tacito, Bojos non tam cæsos in acie, captósve, quàm Bojohæmo fuisse exactos, & quod consectarium est, vel extra Bojohæmum esse receptos, vel, quod fieri non potuit, nusquam esse pulsos. Tacit. lib. de German. Et apertè Velsero repugnat Tacitus, cùm ait, suâ ætate adhuc mansisse Bojemi nomen, & significasse veteris loci memoriam, quamvis mutatis cultoribus; quo clarius nihil dicere potuit, ad proscribendum è Bojohæmo non solùm Bojorum dominatum, sed etiam habitationem. Antequam Brunneri, nostrámque sententiam proferamus, erit operæ pretium, Nariscorum situm, finésque Norici verbo describere ex Veterum tabulis. Tacit. de German. Nariscorum et Norici fines antiqui. Tacitus Nariscos ponit juxta Hermunduros: *Iuxta Hermunduros* (inquit) *Narisci, ac deinde Marcomanni, & Quadi agunt; eáque Germaniæ velut frons est, quatenus Danubio prætexitur.* Non abludit Ptolemæus, cùm ait: *Supra Sudetos montes Teuriochemæ, sub montibus Varisci* (meliùs ab alijs redditur) *Narisci, dein Gabrita silva, Marcomanni.* His subscribit Ortelius. Sudeti montes initium ducunt à Thuringiâ, súntque Bohæmiæ occidentales. Teuriochemæ sunt Turingi: Gabrita silva, silva Turingica, inter Nariscos & Marcomannos à Bojohæmi & Palatinatûs confinio extenta in Turingiam, ita partim est Turingicus, partim Bojohæmicus saltus, ex cujus jugo Nabus amnis Nariscos interfluit. Ptolem. tab. 5. Eur. op. Jam verò Noricum à Ptolemæo terminos habet ab occasu Ænum fluvium, à Septentrione partem Danubij, quæ est ab Æno usque ad montem Cetium, à meridie partem Pannoniæ, quæ sub dicto monte est, & ejus montem supra Istriam, qui Carvancas appellatur: Tenent Orientaliora, regiones à

XXIII. Septentrione incipientes Sevaces & Alanæ & Ambisontij, magis verò occidentalia Norici & Ambidravi & Amblici, obsoleta hodie nationum incognitarum nomina. Plin. lib. 3. c. 29. Plinius Noricum facit Vindelicis confine. *Iuxta Carnos* (inquit) *quondam Taurisci appellati, nunc Norici: His contermini Rheti, Vindelici.* Ptolemæus Bojo-

Bojodurum hodie Instadium ad Æni Ostium, in finibus Norici locat. Vindelici verò tenebant olim omnem Danubij ripam ab ejus scaturigine, usque ad Æni confluentem.

Brunn. lib. 3. pag. 397.
BRUNNERI OPINIO EXAMINATUR.
Tacit. lib. 2. Annal.

His de Nariscis & Norico positis, juvat excutere Andreæ Brunneri opinionem. Is sibi visus est Boijs invenisse receptum extra Bojohæmum, in Nariscis, ubi hodiéque degunt Boij Transdanubiani, eúmque obtinuisse, nihil reclamantibus Marcomannis. Atqui creditu difficile est, Marcomannos lubentes volentes, Boijs fecisse locum, quos utpote origine Gallos, veteri verbo præstabat habere amicos, quàm vicinos, quíque, si insidiarentur occasioni, cum hostibus Marobodui, cujus nomen regium apud populares, ut ait Tacitus, erat odiosum, jungendo fœdera, accersendis auxilijs, facilè possent bellum reparare ad avorum sedes repetendas. Quòd si nihilominus idoneo aliquo teste ostenderet, Marcomannos tantâ fuisse in Bojos humanitate, ut finitimos habere vellent, nihil esset, cur ejus dicto refragaremur; sed cùm sine teste in re ambiguâ ferat sententiam, fides esse debet penes solum authorem. Quod ipse adfert ex Jornande, Suevorum fines Boijs ab Oriente terminari, id duntaxat efficit, ut credamus, quinque plus minus sæculis, postquam è Bojohæmo pulsi fuerant, Bojos fuisse Suevis confines: ubi verò interea temporis delituerint, non ostendit.

Cluver. lib. de Vindelic.
Strab. lib. 4. & 7.
EXPLICATUR LOCUS DIFFICILIS STRABONIS.
XXIV.
Strab. lib. 4. Plin. lib. 3. c. 24.
Cluver. Vindel. c. 5. pag. 26.
Strabo lib. 4.

Cluverius Bojos à Marcomannis pulsos in Vindelicis egisse, conatur evincere ex Strabone, & non ineptè quidem, nisi in Strabonem, quod Casaubonus notavit, mendum irrepsisset. Eum locum Casaubonus peritè emendavit, quando sic vertit: *Lacum Rhæti exiguâ parte, majore Helvetij & Vindelici attingunt; inde est Bojorum solitudo usque ad Pannonios.* Antiqua versio nòn satis explicatè refert Strabonis mentem; insinuat enim Bojorum deserta à lacu Brigantino ad Pannonios usque pertigisse: quod Straboni non potuit in mentem venisse, eò quòd mediâ illâ intercapedine, quæ est inter lacum Brigantinum & Pannoniam, ipse Vindelicos collocat, in quibus sunt Licatij, Clautenatij, Vennones, qui ad Bojorum deserta nunquam spectarunt. Plinius intermedios claré describit. *Rhætis* (inquit) *junguntur Norici. Oppida eorum Virunum, Celeia, Tearnia, Aguntum, Viana, Æmonia, Claudia, Flavium Solense: Noricis junguntur Lacus Peiso, deserta Bojorum. Iam tamen* (deserta videlicet Bojorum) *coloniâ D. Claudij*, Sabariâ & *oppido Scarabantiâ Iuliâ habitantur.* Lacus autem Peiso Cluverio est ille, qui hodie in Austriæ & Hungariæ confinio, vulgò Hungaris Ferteu, Germanis Neusidler, à Neusidel, quod ipsi adsitum est, nuncupatur. Ergo locus iste Strabonis Cluverio non suffragatur, eò maximè, quòd idem Strabo Bojos Vindelicis & Helvetijs facit confines his verbis, postquam de Salassis, déque urbe Augustâ egit: *Vniversa deinceps montana pars in Orientem & Austrum vergens à Rhætis Vindelicisque tenetur, Boijs Helvetijsque confinibus, nam eorum campis imminent.* Unde apertè conficitur, Boios, quorum Strabo isthic meminit, non esse illos, qui in Tauriscis Boiorum deserta aliquando occuparunt, sed de Herciniis. Neque enim fieri poterat, ut Taurisci à Dacis funditus deleti, vel saltem amisso Boicæ gentis nomine atque Principatu, uti superiùs ostensum, Vindelicis essent finitimi, cùm Strabo ista scriberet: scribebat autem sexto Tiberij Cæsaris anno, Junio Syllano & C. Norbano consulibus, cùm anni non plus triginta tres à devictis in Boiohæmo Boiis effluxissent, ipséque exactam finium gentisque notitiam haberet.

UBINAM BOII HERCINII A MARCOMANNIS PULSI SEDES ACCEPERINT.
XXV.

In hac opinionum conflictione, inducor, ut credam, Boios suis ex Hercinia sedibus proscriptos, sedes locasse partim in Nariscis, partim in tractu Vindeliciæ propinquo, idque diversis temporibus, non Marcomannorum beneficio, sed concessione Romanorum. Neque enim est credibile, Marcomannos in viciniâ tolerasse gentem, quam maximis iniuriis, quarum est longissima memoria, recèns affecissent. At verò Romani iam tum, cùm Boij novas sedes quærere cogebantur, Danubii confinia armis munitionibúsque occupabant tantâ potentiâ, ut nihil esset, cur sibi à Boijs, qui rebus extremè afflictis fessi nondum respirârant, quicquam metuerent, sed esset potiùs, cur homines bellicosissimos sibi facerent obnoxios

noxios promptósque ad auxilia contra Germaniam, quam sibi sumpserant debellandam. Et hoc quidem non abludit ab Augusti Cæsaris in exteros benignitate: quippe qui regna, quibus belli jure potiebatur, pleraque reddebat ijs, quibus ademerat, vel contribuebat alienigenis, *nec aliter universos, quàm membra partésque imperij cura habebat.* Et verò Romani hac moderatione utebantur, ut, quamvis immensâ cupiditate magnitudinis augendæ flagrarent, eam tamen non exercerent populorum internecione, sed obsequijs, sat gnari, non crescere potentiam gentium excidijs, sed incolumitate & studio servandi. Hinc illud, quod Dio notavit, ut oppressis adversus potentiores succurrerent, rebus infirmis præstarent opem, ijsque cùm opus erat, ad deprimendam fortunæ alienæ, si nimiùm assurgeret, fidentiam, uterentur: cúmque hos evexerant ad aliquam claritudinem, quæ oculos invidiæ perstringeret, eos pariter redigerent in ordinem, hoc unicè spectantes, ut rerum summam penes se retinerent, penes alios æquabilem aliquam speciem non oppressæ omnino libertatis, quam etiam regijs titulis, cæteráque beneficentiâ, quæ mira est fidei atque benevolentiæ conciliatrix, sibi devincirent.

Sueton. in Augusto c. 48. AUGUSTI IN EXTEROS REGES BENIGNITAS. *Dio lib. 45.* MODERATIO ROMANI DOMINATUS.

BOII IN NORICUM RECEPTI. XXVI.

Bojos porrò, ipsis lubentibus, fuisse in Norico jam ab Augusti tempore, ostendit locus Strabonis, quem antè retulimus: & Jornandes, qui aliquot pòst sæculis Gothorum res gestas descripsit, eos memorat in Norico quadringentis & septuaginta tribus annis post devictas à Romanis Norici provincias, constitisse. Idem narrans Theodomiri, Leonis, & Glycerij facta, Sueviæ fines describens ita loquitur: *Danubium congelatum Theodomirus Gothorum Rex cernens, pedestrem ducit exercitum, emensóque Danubio Suevis à tergo apparuit. Nam regio illa Suevorum ab Oriente Bajoarios habet, ab Occidente Francos, à meridie Burgundiones, à Septentrione Turingos.* His accedit Paulus Diaconus ad annum Christi quingentesimum sexagesimum sextum: *Mala*, inquit, *intra Italiam tantùm usque ad fines gentium Alamanorum & Bojariorum solis Romanis acciderunt.* Alemannorum & Bojariorum fines Eginhardus in vita Caroli Magni sic terminat: *Lechus fluvius Bojarios ab Alemannis dividit.* Idem lib. 3. cap. 30. hos vetustæ Bojariæ limites assignat. *Noricorum* (inquit) *provincia, quam Bojariorum populus inhabitabat, habet ab Oriente Pannoniam, ab Occidente Suaviam, à meridie Italiam, ab Aquilonis verò parte Danubij fluenta.* Constat igitur, Bojos ex Hercinia ejectos, post bellum Marcomannicum sedes cis Danubium habuisse in Norico, quæ prior pars est nostræ assertionis. Cùm autem initæ possessionis initium non omnino constet, eam ad finem belli Marcomannici non immeritò referimus.

Paul. Diac. lib. 1. c. 4. rerum Longob.

Partem alteram assertionis, quæ illos facit tractûs Transdanubiani, hodie Nortgojæ incolas, sed seriùs, suadet Jornandes. De tempore, quo isthuc immigrârunt, si vero propinquiora sectari liceat, admodum est credibile, id contigisse Imperatore M. Ælio Antonino Philosopho, circa annum urbis conditæ nongentesimum vigesimum septimum, annum Christi centesimum septuagesimum septimum, post debellatos Marcomannos. Eo bello Bojos pro Marcomannis non stetisse, conficitur ex Julio Capitolino, ubi populos, qui contra Diocletianum arma sumpserant, exactè enumerans, Bojos omittit. *Gentes omnes* (inquit) *ab Illyrici limite usque in Galliam conspiraverant, Marcomanni, Narisci, Hermunduri, Quadi, Suevi, Sarmatæ, Latringes, & Buri: Hi alijque cum Victovalis, Sosibes, Suobotes, Roxolani, Bastarnæ, Alani Peucini, Costoboci.* Eutropius, qui Valente Imperatore Romanam historiam redegit in Epitomen, Marcomannis adjungit Quados, Vandalos, Sarmatas, Suevos, atque omnem barbariem. Addit Orosius, qui claruit extremo propè Honorij Imp. ævo, omnem penè Germaniam, nec tamen Bojorum meminit. Ut autem in communi tot gentium motu, Boij quieti fuerint & neutrarum partium, est prorsus à bellicosæ gentis ingenio, & politicâ ratione alienum. Neque enim à Marcomannis veteribus hostibus fuissent tuti, neque ijs per Romanos licuisset esse otiosis. Nam præterquam quòd adversus ingentem barbarorum multitudinem validis & numero & virtute copijs initio indigebant,

BOII QUO TEMPORE COEPERINT INTER NARISCOS HABITARE. *Jul. Capitol. in vita Anton. Philos.*

Oros. lib. 7.

An-

Antoninus (quod obſervavit Oroſius poſt Julium Capitolinum) Romano exercitu peſtilitate magnam partem in hibernis acciſo, coactus fuit, cùm Carnuti degeret, per triennium habere novos delectus, non ex hominibus modò ingenuis, ſed etiam ex ſervis, gladiatoribus, Dalmatiæ & Dardaniæ latronibus, ipsíſque Germanis, quos contra ſuæ nationis partiarios conduxit. Quare non eſt credibile, eum Boijs populi Romani ſocijs, & Marcomannorum juratis hoſtibus in tantâ belli viciniâ, rebus uſque eò neceſſarijs, vacationem indulſiſſe. Et certè Bojorum plurimùm intererat Romanos ſibi conciliare, ut eorum potentiâ protecti, paulatim vires reſumerent ad ſpes priſtinæ conditionis inſtaurandas, ſumendámque de Marcomannis ultionem. Movet etiam iſtud argumentum, quòd, poſteaquam Antoninus in ipſo Danubij tranſitu Marcomannos juxtà & ſocios, partim fulminibus (ut habet Oroſius) è cœlo ad Chriſtianorum preces, perterritos, partim immani multorum millium ſtrage debellatos acceperat in ditionem, eorum plurimos traduxit in Italiam: Et niſi velimus, eum vacuas deportatorum, & occiſorum (inter quos haud dubiè è Nariſcis non pauci) ſedes mox ab alijs populi Romani hoſtibus occupandas, contrà ac ſuadebat belli reique Romanæ ratio, reliquiſſe; ſtatuendum eſt, eum amicæ Bojorum genti, quæ ſolo Danubio à Nariſcis ſejungebatur, feciſſe, præ debellatis hoſtibus poteſtatem, in ea loca colonias deducendi, unde exules ejecerat, ut Romanis legionibus, quæ tutandis Danubij limitibus erant impoſitæ, quoties res poſceret, poſſent opem adferre. Quòd ſi, ut Capitolinus habet, Antoninus, partâ de Germanis victoriâ, quibuſdam provincialibus prædas reſtituerit; facilis eſt conjectura, eum in amicos, quàm in hoſtes fuiſſe liberaliorem; & quorum ope victoriam reportaverat, hos potiùs, quàm ullos alios, in præmium bene navatæ operæ, donaſſe agris, quos ingens hominum ſtrages nuper edita, & plurimorum in alias terras traductio, cultoribus nudaverant. Ut verò Bojos præferret, ſuadere potuit eorum virtus, & cauſa demerendi animos gentis fortiſſimæ, quæ cùm anguſtiùs in Norico cis Danubium habitaret, nullo Romani imperij incommodo, poterat deſertas à Nariſcis terras trans Danubium occupare. Unde colligo, eâ tempeſtate cœpiſſe illas incolere regiones, quæ ad Nabum ſunt, quáſque hodie ſuperior Palatinatus, aliíque tractus Boicæ Transdanubianæ complectuntur. Cui opinioni nihil obſtat Tacitus, quando in ijs regionibus locat Nariſcos: Ut enim demus Tiberij Imperatoris ævo, Nariſcos iſtas provincias tenuiſſe, non tamen inde ſequitur, Antonini Philoſophi ætate, qui uno, & quod ſuperat, ſæculo, poſt Tiberium imperavit, Nariſcos Boijs locum non ceſſiſſe. Atque hæc quidem, quantum licuit aſſequi, de obſcurâ iſtâ quæſtione.

Oroſ. lib. 7.

XXVII.

Julius Capitol.

Tacit. lib. de Germ.



BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS I.
LIBER V.

Antoninus Pius Imp. non fuit Bojus. Galatæ quando facti Christiani. Bojorum superstitiones. Maricus Bojus divinitatem affectat. Adelgerus fabulosus. Vnde orta Rom. Imperij inclinatio? Boij reflorescunt. Motus Germanici. Hunnorum & Alanorum irruptio. Creinhildis Boja Attilæ conjunx. Bellum Aladarici Hunni adversus Chabam fratrem. Veteris Boicæ limites. D. Laurentius primus Laureacensium institutor. Duo SS. Lucij. D. Maximilianus Episcopus & Martyr. S. Florianus Martyr. S. Afra & sociæ. S. Quirinus Episcopus & Martyr Laureacensis. S. Cassianus Episcopus Sabionensis & Martyr. S. Rhomedius Confessor. S. Valentinus Episcopus. S. Lucanus Sabionensis Episcopus. S. Severinus Norici Apostolus.

CHRISTI NATALIS.



Uæ scribemus deinceps, omissis urbis Romanæ fastis, per longè pulchriores felicioresque annorum numeros recensebimus, quos ducemus à JESU Christi unigeniti filij DEI in terris è Matre Virgine exortu, quando ipse cœli terræque regnator æternus, immortalis, se in nostram mortalitatem demisit, & afflictam generis nostri conditionem clementissimè miseratus, nomen super omnia nomina sanctum inter homines professus est, ut nos immortalitate & cœlestium consortio transscriberet. Id beneficium inenarrabile mortalibus contulit, Anno Cæsaris Octaviani, ab inito consulatu, quadragesimo primo exeunte, Cn. Cornelio Lentulo Getulico, & M. Valerio Messalino Consulibus. Qui numerant ab Octaviani XIII. & M. Plautij Sylvani consulatu, non id faciunt, ut diem annúmque Christi nascentis præcisè designent, sed ut numerum incipiant abs novo & integro anno Julianæ correctionis, qui incidit in secundam partem

I.

anni

anni tertij, Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ, cùm totum ferè terrarum orbem pacatum, ad excipiendum sempiternæ pacis authorem divina bonitas componeret.

Otium ab armis, post depulsos nuper è Bojohæmo Bojos, præstabat sopita potiùs, quàm debellata Germania. Nam Drusus Augusti privignus, Rhenum Imperij Romani tunc limitem, transgressus est, cúmque Usipetes, Tencteros, & Cattos devicisset, Marcomannos penè ad internecionem profligasset, Suevos, Cheruscos, & Sicambros superasset, tótque auctus victorijs Germaniam compescuisset, & arcendis barbarorum irruptionibus, non modò littus Gallicum firmis præsidijs, sed Albim etiam & Visurgim quinquaginta ampliùs castellis, multiplici statione, quæ regionum interiora frenarent, munivisset; credebatur Germania sensim positura ferociam, & solito tutiora quietioráque stativa Romanis concessura. Verùm Tiberius Drusi successor quietem turbavit bello, quod in triennium, quindecim Romanas legiones exercuit, rémque Germanicam vehementer afflixit, quando Victor, quadringenta captivorum millia è Suevis, & Sicambris transportavit in Galliam, & agrum Rheno proximum. Ex istis duarum gentium colonijs Isidorus observavit coaluisse Burgundiones, qui mutato veteri nomine sic appellati, postea in magnam gentem evaserunt: quanquam eorum posteri, senescente imperio, se pro Romanâ sobole gesserint, jam inde à priscis temporibus; quod non dissimulat Ammianus. Quamobrem fieri non potuit, quin Germania tantâ hominum multitudine insigniter imminuta, mitesceret, brevi tamen resumptura pristinos spiritus & amorem veteris magnitudinis. In communi gentium tranquillitate Boij otij dulcedine deliniti sese continuerunt intra fortunæ suæ metas, cúmque nihil tentarent armis, à quibus est vis inclarescendi præcipua, nullum tantisper dederunt argumentum, quod in litteras referretur. Quam enim Romanis locaverunt operam, silentio à Scriptoribus est suppressa, quia totam facti gloriam Imperatoribus adscripserunt, penes quos erat rerum bellorúmque summa, quæ eorum ductu auspiciísque gerebantur. Quæ Marcomanni egerunt, nullâ sui parte (contrà ac Velserus opinatus est) ad Bojos à Marcomannis cœlo animísque divisos sunt transferenda. Multò minùs communicanda cum Boijs, quæ de Nariscis & Quadis, déque Germaniæ in Romanum nomen conspiratione in fastos relata sunt, quale est bellum Marcomannicum, sub Marco Aurelio Antonino, in quo proinde describendo Bruñerus extra lineam calamum fatigavit, perinde incertus in jungendâ Bojorum cum Marcomannis societate, atque in assignandis Nariscorum agris; quasi Boij sine Nariscis vivere, & Marcomanni sine Boijs bellare nequivissent.

Oros. lib. 6. c. 21.

Sueton. in August.

Tacit. 2. Annal.

Eutrop. lib. 7.

BURGUNDIONUM ORTUS.

Isidor. Orig. lib. 4.

Ammianus Marcellin. lib. 27.

II.

Si vera esset Brunneri, quam ipse non malè vocat verbo Gelliano insubidam, hoc est, præcipitem nec expensam satis, divinatio, de Tito Aurelio Fulvio Bojonio (qui & Antoninus Pius Imperator Adriano suffectus) quod ex vocum aliquâ similitudine Boijs sit asserendus; multò foret credibilius, Bojos Antonino, utpote cognato sanguini, quàm Marcomannis hostibus infensissimis, & aviti Principatûs raptoribus, arma sociasse. Sed ne hoc tam levi suspicione Boijs tribuamus, in causâ est, quòd nemo veterum uspiam prodidit, undenam Antonino Bojonij nomen sit adnatum. Velseri nimis ingeniosa meditatio est, eam Bojonij nomenclationem à Boico sanguine provenisse: non satis convenit historicæ accurationi tam liberaliter obvia quæque, si paulula species vocis alicujus aurem feriat, rapere illico in Boicum genus ac titulos, quicquid vel è longinquo præfert Boicæ appellationis imaginem. Aliam habent conjecturam haud multò solidiorem, qui Antoninum Bojum faciunt, ductam à solo ipsius natali. Titus (inquiunt) Aurelius Fulvius Bojonius Antoninus, genus paternum traxit è Galliâ Narbonensi, domo Nemausensis. Avum habuit Titum Aurelium Fulvium bis Consulem; Patrem Aurelium Fulvium, qui & ipse Consul. Super hæc Fulvius Bojus Dux Rhætici limitis celebratur apud Vopiscum. Sed quid hæc ad rem? An quisquis Gallus est Narbonensis, idem Bojus est? Aut cui nomen Bojonius,

ANTONINUS PIUS IMP. AD BOIOS NON PERTINET.

III.

Iul. Capitol. in Antonin. Pio.

Flav. Vopisc. in Aurelian.

eidem & genus Boicum? Et fuerit in Rhætia Fulvius aliquis Bojus Valeriani Cæsaris ævo; hoc est centesimo, & quod superat, anno, postquam Antoninus Bojonius in vivis esse desierat; quo ratiocinandi modo colligemus, Antoninum fuisse Bojum? si iste Fulvius fuit ex Bojoniorum stirpe, eum non Bojum, sed Bojonium nuncupare, quod ipsi fuisset honorificentissimum, oportebat. Et quis unquam asseruit ex sero aliquo Bojo, Bojonium prodivisse ordine nascendi retrogrado? Sed unde ergo Antonino obtigit Bojonij nomen? Volunt aliqui ab aviâ maternâ Boviniâ Procillâ, cùm hæres ab illâ scriptus esset, & eâ causâ, paulùm mutasse nomen, quod Bovinius & Bojonius idem sonent & valeant, cum hoc tamen discrimine; quòd Bojonius originem nominis, quod à bobus est minùs honestum; magis tegat, quàm Bovinius, quo bos clarè significatur. Quàm lepidè ista, quámque inaniter! ut in re tantâ, támque dubiâ, persuadeatur prudentibus, ex nescio quo dictionis sono, quo nihil ad suadendum infirmius, Antoninum fuisse Bojum, résque ab ipso gestas in Bojorum annales debere conferri? Ejusdem generis est, quod Velserus ad gentem Boicam rapit Boranos natione Scythas, Istrios, Macedones: quod certè durum nimis est ac peregrinum; cùm à Borâ monte, qui Illyrico confinis est, Borani sint appellati. Æquè elumbe est argumentum de Buris apud Julium Capitolinum, quasi Buri sint Bajeri vel Bojeri, contrà ac scripsit Tacitus, qui Bojos addicit genti Gallicæ ex cultu & sermone, Buros verò Suevos præ se tulisse, & à Marcomannorum tergo habuisse sedes affirmat.

Rader. M. S. — *Velf. lib. 2. pag. 126.* — BURI, BORANI, &c. NON FUERUNT BOII.

GALATIS CHRISTUS INNOTESCIT.

Ut hæc missa faciamus, venimus ad hoc, quod rebus Boicis longè propius est, atque honorificentius, beneficium cœlo allatum Galatis, in Gallogræciâ, inter quos Tolistoboij claruerunt, quando inter omnium primos, salutis æternæ
IV. nuntium unà cum Evangelij luce acceperunt. Eos Apostolorum Princeps Petrus per litteras convenit, Paulus gentium Doctor vivâ voce & per Epistolam docuit. D. Crescens, non autem Clemens (ut legitur apud Velserum) à Paulo missus, eosdem instituit: nisi fortè verius sit, quod notavit Genebrardus, cui malim quàm recentioribus assentiri, quando ex Epiphanio, Clemente, Eusebio & Hieronymo ostendit, Crescentem in Galliam, quæ Græcis est Galatia, fuisse missum, & à Petro Galliæ Episcopum ordinatum, rexisse Viennensem Ecclesiam, ut constat ex Eusebio lib. 3. Hist. cap. 4. Et Romano Martyrologio 27. Junij, Cornelio à Lapide in cap. 4. 2. Timoth. v. 10. cui consentit Theodoretus. Et Cornelius quidem, per magnas ambages Crescentem ex Gallogræciâ ducit in Galliam, ut utrobique divinum præconem egisse ostendat. Porrò cùm Gallogræci in cœlo solóque peregrino, in aliam velut stirpem transierunt, nobis non est consilium, eorum res, nostratibus, quas præcipuè prosequimur, deinceps permiscere. Cæterùm nostrates Boij in agnoscendo & colendo vero Numine, fuerunt Gallogræcis longè tardiores.

Petr. 1. v. 1. 2. Petr. c. 3. v. 1. Act. 18. v. 23. 1. Cor. 16. v. 1. 2. Timot. 4. v. 10. Genebrard. ad ann. Christi 81. Epiphan. hæres. 51. Clem. lib. 7. Apostolic. Constit. c. 46. Euseb. lib. 7. c. 3. Hieron. in Catalog.

VETUS BOIORUM SUPERSTITIO. DRUIDUM SUPERSTITIO.

Nam ad usque virorum Sanctorum, qui Evangelium Norico intulêre, prædicationem, Boij fictorum deorum religionibus addicti, veri Dei profundâ ignoratione laborarunt. Etenim primâ è Gallijs migratione, unà secum ritus Gallicos, & Druidum superstitiones invexerunt: deinde, ut errorum sementis perinde fœcunda est atque noxia, præterquam quòd cum Gallis habent Deos communes, vix dubium est, quin varias hinc inde à finitimis inanitates hauserint, eâ præsertim ætate, quâ Tiberius Claudius Imperator ex Druso Nerone fratre Tiberij, & Antoniâ minore Lugduni natus, Liviæ Augustæ nepos, Druidum ineptias, quæ antea civibus Romanis erant interdictæ, ex ipsâ Galliâ penitus proscripsit. Quamquam ex istâ immanissimorum sacrificulorum barbarie aliqui superfuerunt, qui, spretis Claudij edictis, bello civili Vitelliano, ausi sunt occinere Romani
V. imperij excidium, quando Aurelianus Imperator Druidas mulieres consuluit, sciscitans utrùm ad suos posteros propagandum censerent Romani imperij Principatum, tulítque responsum, nullius nomen in Repub. fore clarius, quàm Claudij nepotum. Ejusdem farinæ fuit oraculum Druidæ fœminæ, quæ vaticinata est Diocletiano, apri cædem omen ipsi futurum capessendi Principatûs, quod vatici-

Sueton. in Claudio, c. 25. — *Vopisc. in Numeriano.*

ticinium ut impleret, Aprum prætorio præfectum Numeriani Cæsaris generi sui interfectorem, suâ ipse manu in confertâ concione necavit. Habuere præterea Boij ex Gallorum instituto Mercurium, quem præ cæteris coluerunt velut artium ominum inventorum, viarum ducem atque itinerum, quæstus & mercâturæ numen sospitale. Post hunc venerabantur Apollinem morborum depulsorem: Minervam, operum atque artificiorum magistram: Jovem cœli dominum; Martem bellatorum. A Germanis acceperunt Vulcanum, Lunam, Herculem, Isidem, Hertham, id est, terram matrem, quam credebant intervenire rebus hominum; eóq; in ejus gratiam castum habebant nemus, inque eo dicatum vehiculum contectum veste, quod nefas erat à quoquam contingi, nisi à sacerdote, qui in penetrali Deam adesse sentiens, vectam bubus fœminis multâ cum veneratione prosequebatur. Hæc erant nefanda religionum portenta, quibus misera gens sibi patiebatur illudi. Nec ex ijs defuit, qui sibi divinitatis nomen affectaret. *Cæs. lib. 6.* BOIORUM DII.

Post bellum Helveticum, inter Bojorum reliquias fuit Maricus, qui istam combiberat insaniam, ut exercitum contra Romanos scribere, bellum pugnámque indicere sit ausus. Etenim cùm ductores maximarum copiarum, Otho, Vitellius, & Vespasianus post Galbæ cædem, de orbis imperio digladiarentur, iste Semideus non Principum sanguine, sed plebejo oriundus, animum regium induit, ídque mentito numinum instinctu & simulatione divinitatis. Obtentus arma sumendi idem fuit, qui familiaris est ambitioni, instaurandæ videlicet publicæ libertatis. Jámque non modò se Galliæ assertorem, sed etiam Deum ferebat, & conflato octo millium exercitu, proximos Æduorum pagos magnarum rerum pollicitis trahebat in partes; cùm Æduorum civitas, contractâ ad bellum urbanâ juventute, junctísque Vitellij auxilijs; disjectâ fanaticorum multitudine, novum illum Deum prælio victum, captúmque feris objecit. Cùm ab ijs non laniaretur, sed magicis artibus se defenderet, vulgus stolidum credebat nullâ vi posse violari, donec spectante Vitellio jugulatus, Deus existimari desijt. Quo ex tempore cum suo isto numine Boij, qui in Ædius erant residui, quasi extincti, nullam nominis sui rerúmve deinceps gestarum memoriam reliquerunt. MARICUS BOIUS DIVINITATIS AFFECTATOR. *Tacit. hist. lib. 2.*

VI.

Boij Norici, quicquid tandem sub Romanis aqulis gloriæ militaris per longam annorum seriem collegerint, nullam tamen ejusce famam ad posteros transmiserunt. Enimvero quæ domestici rerum Boicarum commentarij referunt, cùm à probatis scriptoribus deserantur, hærent in salo, seséque mutuâ nostratium in ijs explicandis dissensione, altiùs immergunt, quàm ut lucem aspiciant fidémve apud cordatos mereantur. In eum censum venit Ingeramus cognomento Herminius, Boij, ut vult Aventinus, filius, conditor (si Superis placet) Herminiæ oppidi inter Nabi, Danubij, & Rhegi confluentes, quæ postea in alteram ripam translata, dicta sit Reginoburgum. Ejusdem classis est hujusce nepos Adalogerio, Alterspachij, sive Adalogeropagi fundator, Gedeonis Judæorum prætoris ævo, rerum in Boicâ potiens, & patrijs carminibus apprimè celebratus. DOMESTICORUM ANNALIUM FABULÆ. COMMENTITIUS INGERAMUS ADALGERIO *Andr. presb. pag. 4.*

Andreas Ratisbonensis presbyter, contra Aventinum, tradit Adalgerum Boamundo & Ingramo successisse, sub Julij & Augusti imperium Vitus Prior Eberspergensis, Adelgerum & Theodonem Augusti ætate Augustæ Vindelicorum Duces facit, qui Romanos, junctis ad urbem Suevorum copijs, ad internecionem sic deleverint, ut ne unus quidem superesset, qui Augusto Cæsari cladis acceptæ nuntium referret: sed instaurato dein bello missum ab Augusto Tiberium Germanos & Bojos in acie vicisse, sexto ante Christi natalem anno. Theodonem postea superiorem & inferiorem Boicam solùm obtinuisse, eò quòd Adelgerus in pugnâ sine prole cecidisset. Sed ut demus, Tiberium vicisse Germanos, imus tamen inficias, eam cladem ad Theodonem aut Adalgerum, Bojósve pertinuisse, eò quòd Velleius Paterculus, qui omnia ad gratiam Imperatorum Romanorum vero inflatiùs dixit, scripsítque, talium ductorum & Boicæ gentis nomina prorsus silet, quod non fuisset facturus, si eorum accessione laudes victoris & triumphum honestare potuisset. ADELGERUS THEODO FABULOSI.

Arenpeck. lib. 1. c. 20. E diverſo Arenpeckius neſcio quem Adelgerum trecentis & ampliùs poſt Chriſtum natum annis, Severo Cæſare, Romanis rebellantem inducit, prælian-
ERROR ARENPECKII. témque cum Severo dudum mortuo, ejúſque copias profligantem in campis Brixentibus: Idem enim Severum anno Chriſti trecenteſimo octavo interfectum
VII. ſcribit, cùm tamen ex Caſſiodoro conſtet, & ex Dione, eum animi mœrore, anno Chriſti ducenteſimo tertio decimo, ob filiorum diſſidia, fuiſſe confectum. Attexit, Bojos mox à Conſtantino ſuperatos, & à Juliano coactos imperata facere.
Chron. Tegernſeenſe. Alij patriâ linguâ ſcripti Annales narrant, Adelgerum patriâ Romanum, non autem gente Bojum Boicæ infeſtum fuiſſe. Iſthæc commenta pleraque nullius juſti ſcriptoris authoritate probata, ex quodam fabulatore Garibaldo cùm prodierint, æternâ ſilentij lege meritò ſepelienda ſunt: lubuit videlicet vano homini, fictos heroës ſuæ genti aſſertos commentitijs narratiunculis ingenioſè veſtire.
ADELGERI FABULÆ. Quâ ex officinâ prodijt etiam fabula de Adelgero, in quo fingendo & pingendo tum Garibaldus, tum alij certatim ſuam artem videntur oſtentare voluiſſe. Hunc ajunt ſub Severo Galerij Maximini nepote, victis à Diocletiano Marcomannis, Romana caſtra eſſe ſecutum, Terioli genti Rhæticæ cum tribuni poteſtate præfuiſſe, & gravium criminum apud Severum fuiſſe arceſſitum, accitúmque: Et eum quidem, cùm ſuo capiti metueret, ægrè induxiſſe animum, ut vadimonium obiret; in jus tamen ambulaſſe, veteris amici conſilio. Cùm objecta crimina non liquerent, ſéque ipſe inficiando tueretur, Severum nihilo ſeciùs, factâ licèt majoris ſupplicij gratiâ, contumeliâ notatum dimiſiſſe eâ lege, ut veſtes genuum tenus, & acciſam comam geſtaret: Quâ ignominiâ oppidò commotum, quòd omnis Boica promiſsâ cæſarie gauderet, ferunt eum tamen, amici cohortatione iram in poteſtate habuiſſe, & die poſtero attonſum, & ſeminudum unà cum commilitonibus, qui pariter ejus exemplo eundem cultum aſſumpſerant, prodijſſe in publicum. Quam habitûs inſolentiam cùm Severus in Adelgeri comitibus miraretur,
VIII. tur, cauſam percontanti, ajunt reſpondiſſe, Bojorum eſſe morem, ut pari omnes fortunâ utantur, ſive ſit ſecunda, ſive adverſa: quódque uni fiat beneficij aut injuriæ, id omnes ſibi ſigillatim factum ducere. Adelgerum dein domum reducem lege perpetuâ ſanxiſſe, ut iſta veſtium & comæ brevitas toti deinceps genti Bojorum eſſet familiaris. Pergunt narrare, ſapientem illum Adelgeri monitorem obſidis loco apud Severum manſiſſe in heri ſui fide conſtantem: Cùm ab Imperatore Adelgerus denuo citaretur, & hæreret anxius, an ſuam ſalutem rurſus Severi judicio committeret, amicum illum apologo reſpondiſſe: Cervum aliquando horti cujuſpiam amœnitate captum, ad carpenda olera deſcendiſſe, & tandem veniſſe in manus olitoris, qui eum caudâ auriculiſque multarit. Sed cùm cervus ſuæ deformitatis oblitus ad genium rediviſſet, morte ſuam edacitatem luiſſe: Vulpeculam inſuper demortuo cor abſtuliſſe. Cùm cervus exenteraretur, miratum olitorem, cor inter exta nullum reperiri, à matrefamilias fuiſſe monitum; cervum enimvero, ſi cor habuiſſet, non fuiſſe rediturum ad tam periculoſas epulas, poſteaquam priore vice fuiſſet tam malè exceptus: Eo reſponſo denique fuiſſe edoctum Adelgerum, quonam ſpectaret fabula, nec potuiſſe adduci, ut rurſus veniret in Severi conſpectum. Cæſarem quidem illi moviſſe bellum, ſed armis fuiſſe repreſſum. Ut bellè ſcriptores iſti fabulam pertexant, ductores nominant Geraldum, Rudolphum, & Virentum, quorum virtute Adelgerus Brennium Suevum, Oſinuchum Bojohæmorum Regem, & Hunnos ſuperârit: Addunt Boicum nomen iſtis victorijs ad magnam claritudinem emerſiſſe, & hoſtibus terrori, amicis præſidio fuiſſe, donec ſublato è vivis Adelgero, Boica fortuna retro relapſa Conſtantino primùm, pòſt Juliano Imperatoribus faſces ſubmiſit. Hæc ſi bonorum authorum, priſcorum monumentorum fide niterentur, pulchrum eſſet ac jucundum inſerere noſtris annalibus; Verùm ſatius eſt, quod res ipſa jubet, fateri, Boijs idem contigiſſe, quod multis alijs nationibus, ut per longa temporum intervalla latuerint. Ut enim amnes aliqui, poſteaquam læti amplas regiones rigârunt, ſubitò abſorbentur in imos terrarum hiatus, & demum in auras emer-

emergunt, ubi per meatus occultos longam viam sunt emensi, quales sunt Lycus in Asiâ, Erasinus in Argolicâ, Tigris in Mesopotamiâ, Timavus in campo Aquileiensi; sic postquàm clarissima Bojorum fama Italiam, Asiam, Galliam, Illyricum diutissimè fuerat pervagata, sublata mox ex oculis, nullum sui vestigium reliquit, donec momento velut rediviva è tenebris erepsit. *Plin. lib. 2. c. 103.*

IX.

Causa imminutæ Rom. Imperii amplitudinis.

Id quemadmodum evenerit, juvabit pauló altiùs repetere. Stabat supremo rerum omnium Dominatori immota sententia, è fragmentis Romani imperij regna excitare, Principatus erigere, aliásque rerum publicarum formas. Ejusce consilij causæ erant justissimæ. Mores urbis corrupti labefecerant virtutum, quibus assurrexerat, tótque sæculis steterat, fundamenta. Leges Romanæ jacebant, corruerat justitia regnorum custos, & in sordidam avaritiam desierat: cætera vitiorum colluvies immane quantum excreverat. Nata inde populorum odia, judiciorum contemptus, conspirationes, rebellionum incentiva, gentium nondum domitarum confidentia ad audendum, invadendásque provincias, quas solutâ passim concordiâ cernebant malè cohærentes patere ad irruptionem. Negligebatur usus lustrandi provincias, qualem Cæsares olim, atque inprimis Adrianus, adhibebant. Solebat iste curâ incredibili orbem Romanum obire, lustrare populi Romani socios, instaurare colonias, urbes juvare aquæductibus, frumento, pecuniâ, honoribus excolere: singulas sub signis habere centuriatas ad specimen augustalium legionum; unde fiebat, ut eum nummi veteres *Restitutorem & locupletatorem orbis terrarum* appellarent. Si qui per provincias, inopiæ causas probabant (quo nomine Caussarij dicebantur) eos munificè sublevabat, detractis fisci oneribus, & ampliatâ liberalitate, quâ ex tributorum supervacaneis reliquijs, soluti ære alieno, & rei domesticæ angustijs, mirificè Romani nominis amori obstringebantur. Romam veniens ingenti populi gaudio, syngraphos pecuniæ fisco debitæ publicè combussit, exemplo M. Aurelij, qui provincijs universam remisit, tabulis in foro concrematis. Consueverat (quod de eo Julius Capitolinus scripsit) si quæ erant fisco lites cum privatis, lætari, si fiscus vinceretur, quòd crederet, ratò fisci causam videri malam nisi sub bono Principe.

Adriani Cæsaris proba gubernatio. Spartian. in Adrian. Aurel Victor. Dio. Xiphilin.

Imperii Rom. mutata facies.

Longè alia evasit imperij Romani facies sub pravis Principibus, præsertim sub Commodo, qui ferè dabat provincijs rectores, quos noverat vel scelerum conjunctione fidos, vel sectatores suæ improbitatis, vel tales, è quorum rapinis velut è spongiâ, lucri partem ad suos usus exprimeret. Unde existebat immanis Judicum provincialium rapacitas, qui publici tributi nomen vertebant in proprios quæstus: quæ res concitabat frequentes Sociorum populi Romani tumultus, intolerabilem servitutem quiritantium, quia *cogebantur fieri barbari, eò quòd non permittebantur esse Romani.* Quamobrem crescebant indies publica in Romanos odia, vel simulata benevolentia, quæ apertâ hostilitate non erat pilo melior: Hinc ruina muri imperiorum inexpugnabilis, quem fundat amor erga Principem, rectorem virtus sustentat, extollit illustris opinio virtutum. *Salvian. Massil.*

X.

Judices ab Augusto dati.

Ab Augusto Germanis coërcendis ad Danubium, qui limes Romanos à barbaris dirimebat, per Mœsiam, Pannoniam, Noricum, & Vindeliciam dati fuerunt juri dicundo Legati, Procuratores, qui censebantur inter municipales magistratus. Accedebant Duumviri defensores, è civium nobilioribus, quibus domi res lauta, amplæque ex bonis artibus & hæreditate possessiones. Horum munus erat, plebem tueri adversus injurias, compescere seditiosos, onera publica temperare, si res poscebat, Præsidis provinciæ vices obire. Constantinus Imperator quaternos prætorio Præfectos, binos Orienti, totidem Occidenti dederat, è quibus unus undetriginta provincias, Britanniam & Hispaniam cum Ripensi Germaniâ, cui annexa Boica, iuris dicundi ditione tenebat. Eorum amplissima erat potestas, post Cæsarem, in omnes inferioris ordinis magistratus, ut ab eorum sententiâ ne ad Principem quidem daretur provocatio, unde Ausonius de Probo ex istâ Magistratuum classe sic cecinit:

Guid. Pancirol. de Magistrat. Municip. ad notit. Imperij c. 9. l. defensores ita 8. C. de defensor. Authent. Episcoporum eod.

Constantini Vicarii.

Qui solus exceptis tribus,
Heros Heroum primus est.

Quan-

Quando apud eorum tribunal dicebantur causæ, ad augendam Prætorij majestatem, bini cerei collucebant, in quorum medio Imperatoris imago, & erectus liber mandatorum Cæsaris ad Magistratus. Prætori concedebatur usus aurei carpenti, in quo sella sublimis aurea; quâ vehebatur à quatuor equis candidis, stipatus illustri satellitio. Ita revixerat tantisper species augustalis justitiæ & authoritatis; Verùm cùm annis succedentibus custodes Justitiæ ipsi custodibus indigerent, reditum est in antiquam silvam, quam Sidonius Apollinaris veris coloribus depinxit.

Sidon. in Paneg. Majoran. Aug.

Quicquid erat miseri diversis partibus orbis,
Vastari solenne fuit. Quæ vita placeret
Cùm rector moderandus erat? Contempta tot annos
Nobilitas jacuit, pretium Respublica forti
Rettulit invidiam.

Et quod idem Sidonius testatur, natio fœneratorum tam inciviliter Romanas vires administrabat, ut eas videretur velle à fundamentis eruere. Quare mirum non est, quòd, cùm nobilium virorum magnanimitati non tam deessent facta, quàm præmia, tandem languescente virtute, pectora alioqui fortissima versa ad ignaviam, barbaris ad ictum patuerunt.

BARBARORUM IRRUPTIONES.

Hieron. Ep. 30. Claudian. in Ruff. Hieron. Ep. 5. ad Heliod.

Quod inter hoc fuit pessimum, Occidens in factiones divisus, execrabili bello collidebatur: Oriens nudatus auxilijs, barbaro aperiebatur. Juvat audire D. Hieronymum: *Ecce* (inquit) *discurrere nuntij ab ultimâ Mæotide inter glacialem Tanaim & Massagetarum immanes populos, ubi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent, erupisse Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc illuc volitantia, cædis pariter ac terroris cuncta complerent. Superante Hunnorum audaciâ, Antiochia compressa, & urbes reliquæ, quas Halys, Cydnus, Orontes, Euphratésque præterfluunt.* Auxit Hunnicum terrorem haud mitior Gothorum in Græciam irruptio, de quâ Claudianus:

Geticis Europa catervis
Ludibrio prædæque datur, frondentis ad usque
Dalmatiæ fines: omnis, quæ mobile Ponti
Æquor, & Hadriacas tellus interjacet undas,
Squalet inops, pecudum nullis habitata colonis.

XI.

Viginti, eóque ampliùs, annis, inter Constantinopolim & Julias alpes, quotidie Romanus sanguis fundebatur: Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Achaiam, Epirum, Dalmatiam, cunctásque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastabant, trahebant, rapiebant: Ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago: *Romanus orbis ruebat, & tamen humana cervix non flectebatur, sed cum plagis crescebant scelera, ut putares pœnam criminum, matrem esse vitiorum.* Corinthijs, Atheniensibus, Lacedæmonijs, Arcadibus, cunctæque Græciæ barbari imperabant. Hæc erat rerum facies, antè quàm Gothi consilium invadendæ Italiæ explicuissent, quibus expeditis, acciderunt longè tetriora. Ignotæ præterea non sunt Herulorum, Rugorum, aliæque tempestates. Denique Romano jugo se quoque subduxere Galli, lacerata fuit Italia, avulsa Africa, Hispania Vandalis & Alanis prodita à Romanis, quibus Pyrenæi jugi excubiæ erant demandatæ, eodem anno, quo capta est Roma ab Alarico. Mox facta est sui juris Germania, orbísque ab uno Principatu divulsus plura regna dominatúsque produxit.

Salvian. lib. 6. de Gubernat. Dei.

Oros. lib. 7. c. 4. & 39. Sozom.

BOII REFLORESCUNT.

In istis Imperij Romani quassationibus usu venit Boijs, quod solet in validis terræ agitationibus, quando, discedente terrâ, fontes subinde prosiliunt, & montium supercilia denudantur. Bellicosa natio non immemor priscæ magnitudinis, caput cœpit è fortunæ ruderibus extollere, nacta ex orbis concussionibus spatium evadendi in altum, ut deinceps non alienæ potentiæ serviret ut antè, sed suæ dignitatis inciperet esse restauratrix & architecta. Id factum præcipuè Christi nati anno circiter trecentesimo septuagesimo sexto, sub Valente & Gratia-

tiano, quando Boij paulatim Rhætiam, Noricum tam Ripense quàm Mediterraneum, in quibus Tirolis, Austria, tractus Salisburgensis; Nariscorum item fines, quà nunc in Bavariâ sunt, suæ ditionis fecerunt, Romanis submotis, neglectísque fœderibus, quæ tamdiu coluerant, quousque moderatio dominatorum fidésque exegit. Rem tamen non dedêre confectam sine ferro & gravi contentione. Omitto, quæ sunt antiquiora, quæ superiùs attigi, & apud Brunnerum prolixè reperiuntur: sufficit recensere, quæ nostræ ætati sunt paulò propiora.

XII. An.Christ. CCCLXI. *Ammian. Marcell. l. 21. Mamertin. in Paneg.* Motus Germanici. An.Christ. CCC. LXIIX.

Posteaquam Cæsar Constantius rediens ab expeditione Persicâ, pactis cum Sapore rege inducijs, in itinere vivere desijt, Julianus occupato imperio, & Christi religione palàm abjuratâ, Florentio & Tauro Consulibus, Alemannos, quod ipse pro concione ad exercitum jactavit, fregit, & eorum irruptiones populandique licentiam cohibuit: quod sine Bojorum motu vix potuit contigisse. Paulò à Boijs remotiùs, Flavius Valens Jovinus sub Valentiniano equitum Magister Germanos, quorum pars Leucorum & Mediomatricum fines inierat, pars promoverat ultra Catalaunos; tribus locis adortus, primos Tullum inter & Divodurum cecîdit apud Scarponam ad internecionem: alios astu circumventos & ad Mosellam securos egit in fugam: postremos deniq; prope Catalaunos, justâ pugnâ, quam in noctem extraxit, victos profligatósque superavit Ann. C. CCCLXIIX. Quo tempore Rando Alemannus natione, latronum manu vallatus, Moguntiaci frequentem Christianæ celebritatis conventum, dum sacris solennibus vacarent sacerdotes, mariti, uxores, liberi; oppressit, & à patriæ complexu avulsos in durissimam traxit servitutem. Eam cladem ultus est Valentinianus, haud longè à saltu Hercinio, ad Lupodunum prope Nicri fontes, ubi hodie pagus Lobodunensis, cæsis cruento prælio Alemannis. In postremis signorum Jovianorum subsidijs adfuit Gratianus Cæsar Valentiniani filius, nondum patiens conflictûs, propter ætatis imbecillitatem. Patris Augusti, filiíque triumphum lusit Ausonius, quem credibile est prælij fuisse spectatorem.

Cæruleos nunc Rhene sinus, hyalóque virentem
Pande peplum, spatiúmque novo metare fluenti,
Fraternis cumulandus aquis, nec præmia in undis
Sola, sed augustæ veniens quòd mœnibus urbis
Spectavit junctos natique patrísque triumphos,
Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum,
Et fontem Latijs ignotum annalibus Istri.

XIII. Saxonicus tumultus compressus. An.Christ. CCC LXXVIII. *Hieron. Ep. 3. Socrat. Sozom. Ruffin. Ammian. lib. 17.* Hunnorum et Alanorum irruptio. Juthungorum bellum.

Biennio pòst (ita habet Orosius) Valentinianus Saxones, periculosam in Romanos fines irruptionem magnâ mole parantes, in Franconiâ repressit. Cùm deinde bello Sarmatico apoplexiâ fuisset extinctus, Gratianus Imperator anno trecentesimo septuagesimo octavo, apud Argentarium, quod malè à quibusdam cum Argentorato confunditur, Germanorum supra triginta millia delevit. Anno demum trecentesimo octogesimo tertio, Maximi Tyranni dolo, suorúmque proditione, Lugduni ab Andragatho occisus est, Valentiniano fratre in imperij turbulentâ possessione relicto. Eâ tempestate populi, quos Maximus obruerat, ut scribit Pacatius in Panegyrico, metu incubatoris miseri, vetabantur agere miseros, immo cogebantur se beatos mentiri: & cùm domi atque secretò solis conjugibus ac liberis crederent secretum dolorem, procedebant in publicum simulato lætitiæ, non autem suæ fortunæ vultu. Subsecuta est Hunnorum & Alanorum in Alemanniam incursio. Illis propositum erat Danubij & Alpium confinia obterere, quod contigit eâ tempestate, quâ malum intestinum Juthungorum tumultu excitatum Rhætias vexare cœperat. Erant Juthungi, ut scribit Ammianus, pars Alemannorum Rhætiæ finitima, quibus reprimendis Valentinianus Barbatij operâ feliciter usus est: sed cùm soli bonitate illecti rursus Rhætiam involassent, Imperator in eos conduxit Hunnorum & Alanorum copias auxiliares, infelici consilio, quale ferebant calamitosa tempora. Hunni eo bello perfuncti retro per Alemanniam ierunt trans Danubium. Secundùm hæc, Valentinia-

tinianus à Maximo, Rhætiæ & vicinarum provinciarum possessione exutus est, quam tum demum recepit, quando Maximo in Pannoniâ debellato, & Aquileiæ in vinculis interfecto, Theodosius imperium, raro modestiæ exemplo, Valentiniano reddidit.

Prosp. Chron. Marcell. Theodosio, anno trecentesimo nonagesimo quinto, fatis functo, Arcadius Orientis, Honorius Occidentis imperium capessivere, cùm à Barbaris rursus bellum Occidenti immineret, non infausto exitu; quòd infelicem multorum mortalium sortem ex inferorum inveteratâ tyrannide, DEUS mutavit in veram filiorum suorum libertatem. Porrò Honorius haud nescius quanta tempestas à ferocissimis populis Germaniæ impenderet, Stiliconem hominem Vandalum misit, qui hosti ferrum excuteret armis, vel icto fœdere aliorsum averteret, quam rem Claudianus sic refert:

AN. CHRIST. CCCXCV.

STILICO VANDALUS.

XIV.

Aspera nubiferas quà Rhatia porrigit Alpes,
Pergit, & hostiles (tanta est fiducia) ripas,
Incomitatus adit. Totum properare per amnem
Attonitos reges humili cervice videres.
Ante ducem nostrum flavam sparsere Sicambri
Cæsariem, pavidóque orantes murmure Franci
Procubuere solo: juratur Honorius absens,
Implorátque tuum supplex Alemannia nomen.
Bastarnæ venêre truces, venit accola silvæ
Bructerus Hercinia, latísque paludibus exit
Cimbrus, & ingentes Albim liquêre Cherusci.
Accipit ille preces varias, tardéque rogatus
Annuit, & magno pacem pro munere donat.

Quid Stilico in Rhætiarum transitu cum Boijs egerit, quídve vicissim illi, pro ratione rerum atque temporis; ut multa alia, in obscuro est. Id constat, Stiliconem inito cum barbaris fœdere, eorum irruptionem esse remoratum ad breve tempus. Jam tum enim Imperij potentia gentibus externis erat contemptui, cùm, crescentibus indies malis, mascula Romanorum virtus, quæ tot olim nationes sub jugum miserat, in utramque aurem suæ calamitati indormiret. Etenim Ruffinus Aquitanus è loco humili ad magnos honores evectus à Theodosio, ambitu stimulante, rerum fastigio imminens, Hunnos in Asiam, in Europam Gothos, obtentu fœderis sub Alarico cognomento Baltâ infuderat. Illum Stilico, cui Theodosius Serenam fratris filiam uxorem dederat, velut affectati imperij compertum, sustulit. Eutropius contrà Evnuchorum Magister, qui capitales inimicitias cum Stilicone gerebat, eò rem adduxit, ut Ostrogothi, quibus consuetam pensitationem, dolo & in odium Stiliconis subtrahendam curaverat, arma in Cæsarem induerint, & Romanos in Asiâ prælio superârint. Cùm simul Occidentis imperium intestinis odijs turbaretur, & Stilico Vandalis, utpote suis popularibus, & Gothis clàm addictus, eorum progressus & arma foveret, nata est occasio Alarico utendi tam bellâ occasione. Quamobrem anno quadringentesimo, cùm sex ferè annis Græciam & Peloponesum esset populatus, arma vertit in Pannoniam; dein anno sequenti in alpes Noricas, & saltum Tridentinum, pulso Honorij præsidio. Qua in irruptione Boij communi finitimorum fortunâ sunt involuti. Stilico inter hæc, dum Gothi properant in Hetruriam, & Honorium Hastæ obsident, in Rhætiâ reparavit exercitum. Hunni è diverso Daciâ & Sarmatiâ in potestatem redactâ, Pannoniam ingressi, clade viginti millium, quos Romani in acie ceciderunt, fuerunt affecti. Quam ignominiam haud multò pòst deleverunt duce Attilâ, & Budam, quam olim vocabant Sicambriam, regni Hunnici sedem fecerunt. Stilico rebus in Rhætiâ compositis, citatis itineribus anno quadringentesimo secundo trajecit in Hetruriam cum valido exercitu; ubi collatis cum Alarico signis, ad Pollentiam insignem victoriam reportavit, & Italiam gravi hoste depulso pacavit quidem; sed cùm Alaricum missum faceret, victo-

RUFFINI FRAUDES.

OSTROGOTHORUM VICTORIA.

AN. CHRIST. CCCC.

XV.

HUNNI HUNGARIAM OCCUPANT.

AN. CHRIST. CCCCII.

Claudian. Prudent. Orosius.

ctoriæ fructum non tulit. Sub hæc anno quadringentesimo septimo Radagaisus Scytha cum ducentis armatorum millibus Italiæ infusus, victus est apud Florentiam à Romanis, vel, ut Zosimus, Prosper, & Paulinus volunt, à Stilicone, cui annus proximus fatalis fuit: nam volente Honorio, suasu Olympij, quasi utriusque Solis diadema prensasset, fuit interfectus. Eum Zosimus asserit nullius affinem culpæ fuisse necatum, æmulorum invidiâ, cui magnæ virtutes semper sunt exosæ.

An. Christ. CCCCVII. Oros. Zosim. Iornand. Radagaisus devictus. Zosim. lib. 5.

Alaricus varium Martem expertus, collectis tamen viribus ex Epiro regressus in Noricum, ab Honorio, ex Romani Senatûs sententiâ, magnam auri vim per metum expressit, nec tamen abijt è Norico, sed ab Honorio pacem petijt & obsides, vicissimque promisit. Non obtinuit tamen, eò quòd Augusto, qui nesciebat servire tempori, pax coacta minis indecora videretur, & putaret esse infra majestatem, obsides dare barbaro. Eo factum, ut Alaricus repulsæ dolore graviter offensus, perruptis Alpium Noricarum faucibus in Italiam reversus, Romam ad extrema humanæ patientiæ exempla redactam, æréque immani redemptam invaderet. Exinde recessit in Hetruriam, rursúmque ab Honorio pacem exambijt eâ lege, ut Noricum, nulla præterea provincia, sibi concederetur: quod cùm non impetrasset, cum irato exercitu ad alteram Romæ obsidionem regressus, omnia ferro, sanguine, flammâ, cæterísque humanæ calamitatis exemplis crudelissimè miscuit, ac demum, cùm trajectum in Siciliam pararet, trajecit in regnum Proserpinæ, Norico, quod sibi suísque expetierat, æternùm proscriptus.

Alaricus Romam invadit semel. Zosim. lib. 5. Invadit iterum. Moritur.

XVI.

Subinde venêre anni Hunnorum incursionibus calamitosi. Posteaquam enim per duodetriginta annos Pannonias tenuerant, anno Christi quadringentesimo vigesimo octavo, Attilæ regium nomen detulerunt, cùm antè rei summam communi imperio gubernassent. Ille quò latiùs liberiúsque imperaret sine consorte, Bledam fratrem parricidio sustulit. Quare auctus fortissimarum gentium præsidijs, quas Macedoniâ, Moesiâ, & Achaiâ devastatâ, sibi subjunxerat, ab ultimo Septentrione omne nomen barbaricum traxit ad imperij exitium. Habuit sub signis quingenta pugnatorum millia, professus se cælestis iræ piaculum, pavorem mundi, flagellum Dei, natum factum ad orbis terrarum perniciem. Erat ipse, quod ex Prisco Honorij legato, eodémque historico describunt, elato supercilio, oculis huc illuc arroganter evagantibus, superbo incessu, & tali corporis motu, qui spiritus fortunæ magnitudine inflatos proderet; belli ut quàm maximè appetens, sed qui Martialem ignem, quo pollebat, consilio temperaret. Præbebat se supplicibus exorabilem, in omnes, quos semel recepisset in fidem, clementem. Erat staturâ infra mediocrem, lato pectore, grandiore capite, minutis oculis, barbâ rarâ, naso simus, colore fusco. Cum eo belli prædarúmque societatem iniverunt Gepidarum nominatissimi, Ardaricus & Valamir Gothorum Reges: Marcomanni, Suevi, Quadi, Heruli, Turcilingi, Bructeri, Rugi, Saxones, Franci, aliæque complures nationes, quas Sidonius recenset:

Hunnorum sub Attila incursiones. Prosp. Chron. Volaterran. Bonfin. lib. 1. An. Christ. CCCC XXIIX. Iornand. de reb. Get. Paul. Diac. lib. 15. Sidon. in Panegyr. Aviti.

Pugnacem Rugum comitante Gelono,
Gepida trux sequitur, Scotum Burgundio cogit,
Hunnum Bellonotus, Neurus, Basterna, Toringus,
Bructerus: ulvosâ quem Nicarus abluit undâ,
Prorumpit Francus, cedit citò secta bipenni
Hercinia in lintres, & Rhenum texuit alvo.

Attila tam formidandis viribus dolos putavit esse jungendos. Ne Theodoricum Gothorum Regem adversarium pateretur, eum per legatos hortatus est, Romanos ut sociatis armis in Galliâ invaderet; ita fore, ut spolia orbísque terrarum imperium æquâ sorte dividerent. Contrà pari fraude Valentiniano Cæsari renuntiat, in eum se nihil hostile moliturum: sibi enim esse certum, Gothos totâ belli mole premere, iísque depulsis Galliam juxtà ac Hispaniam reddere priscæ libertati. Verùm neutri dolos persuasit. Etenim Valentinianus percusso

per Aëtium patricium cum Theodorico fœdere validum legit exercitum, nihil hosti, nisi tentatâ Martis aleâ, concessurus.

An. Christ. CCCCLI. XVII. Attila per Danubii confinia contendit in Galliam. Sidon. lib. 8. Ep. 15. Profligatur.

Quamobrem Attila, anno quadringentesimo quinquagesimo primo erumpens è Pannoniâ, Galliam invasurus, instar fulminis obvia quæque sternens, per Istri confinia contendit, nihil uspiam nactus, quod properanti moram injiceret. Ex itinere Romana propugnacula, quibus Danubij fines (quod Procopius scripsit) & Norici Vindelicorúmque limites prætexebantur, evertit. Urbem Augustanam (si domesticis annalibus fides est) flammâ ferróque vastavit. Quæ in Galliâ atque Italiâ vario Marte egit, & passus est, velut peregrina extráque instituti nostri rationem, verbo satis est attingere. De viâ Burgundionum Regem in acie vicit & peremit. Aurelianum urbem irrito conatu obsedit: cum Aëtio, cui se Theodoricus Gothorum (Mariana & alij vocant Theodoredum) & Merovæus Francorum Reges sociaverunt, manus conseruit in campis Catalaunicis ad Matronam, alij scribunt ad Catalacum in Arverniâ, alij in Catalanis campis prope Tolosam, ubi profligatus, haud dubiam victoriam Romanis concessit.

An. Christ. CCCCLII.

Jornandes author est, eo prælio occubuisse centum sexaginta duo millia, atque insuper nonaginta alia millia Gepidarum & Francorum, qui nocte, quæ pugnam præcessit, cœco Marte inter se congressi, mutuis se vulneribus confecerunt. Theodoricus Rex, dum suos ad pugnam animat, excussus equo, atque inter confertos pugnatorum ordines protritus, perijt. Attila, accisis licèt immensum quantum viribus, reversus in Pannoniam, supplementa festinatis delectibus contraxit, & anno sequenti, trajecto per hiemem Danubio, per Alpes Julias duxit in Italiam, & quicquid terrarum alpibus & Apennino interjacet, populationibus, cædibus, incendijs, captivitate, miscuit. Jam erat in procinctu, ut ad Urbis excidium properaret, cùm divinâ Sancti Pontificis Leonis eloquentiâ deterritus, concessâ pace, movit ex Italiâ, Pannoniam repetiturus.

Aetii et Boetii cædes.

Valentinianus Imperator pernicioso, si ullum unquam extitit, consilio, Aëtium Attilæ terrorem cum amico Boëtio in palatio trucidavit, & insanabile Romano imperio vulnus inflixit. Ita vir natus saluti publicæ, documento fuit, Duces præclaros obtrectatorum malevolentiæ expositos, Principum nimiâ credulitate evadere pèr fortunæ ludibrium ad formidanda humanæ infelicitatis exempla. Cædem luit, qui jussit Imperator, ab Aëtij vindicibus occisus: unde miseriæ subsecutæ sunt, quæ rem Romanam ad casum inclinârunt, cui prohibendo vix ulla succedentium Principum industria par fuit. Attila humani sanguinis sitiens, ubi Vindeliciam attigit, mortis brevi adfuturæ vaticinium accepit à fanaticâ muliere, quæ Lycum amnem traijcienti inclamavit voce terribili: *Retro Attila*! Mors paulò pòst secuta, vocem est interpretata. Cùm enim uxorum gregi novam nuptam induceret, ipsâ nuptiarum nocte, ferocem animam unà cum sanguine evomuit, ne siccâ morte periret, qui tantum cruoris humani fuderat.

Creinhildis Boia. XIIX. *Olahus, c. 17. de Attila. Annal. Vngar.*

Inter reliquas conjuges habuit Creinhildem, quam principi Bojorum stirpi Hungariæ Annales asserunt, quorum fidem secutus in eam sententiam concedo, scriptores, qui illam è Germanis ortam volunt; Germaniæ nomen justo latiùs acceptum, cum Boico, propter Nationum confinia miscuisse. Eam Attilæ Hunnorum Regi priscâ numerosi conjugij licentiâ maritatam fuisse Historiæ referunt, illi videlicet Attilæ, cujus gesta paucis attiginius. Eum ex Creinhilde Aladaricum indolis egregiæ juvenem sustulisse volunt, & eum quidem ipsum, qui Chabæ fratri natu majori ausus est movere bellum, eúmque de regni fastigio deijcere. Chabam Jornandes Ellacum nuncupavit. Hunc Attila ad sceptrum destinasse credebatur, suóque præjudicio Hunnos induxisse, ut eum cæteris filijs prælatum vellent. Eorum consilijs intercesserunt tum Boij, tum Germani: hi quidem odio Attilæ, quódque à Chabâ paternæ crudelitatis hærede nihil æquum expectarent; illi, quod in gratiam materni sanguinis, spe rerum mitiorum, quas Aladarici genius humanior pollicebatur, pro Creinhilde niterentur. Quare utrique, authore Detrico, quem Velserus ex Jornande Ardaricum Gepidam nomi-

Bonfin. Decad. 1. lib. 6.

nominat, in sociale bellum coorti, junioris partes suceperunt. Cætera Attilæ soboles octo supra quinquaginta capitum, spes suas ex eventu metiebatur. Attilanæ reliquiæ, quæ vexandis Alemanniæ, Galliæ, Italiæ populis cruentam operam navaverant, in factiones divisæ, majorum fratrum ambitioni, veriùs ultioni divinæ serviebant, quæ ad plectenda Attilæ scelera, filiorum dissidio armísque utebatur. Ventum denique ad pugnam in campo Sucambriæ, sive Budensi, ubi tam pertinaci furore concurrerunt acies, ut vix unquam aliàs odio & diritate majore certatum esse legatur. Tenuit strages mutua ad dies quindecim, quâ tantum humani sanguinis haustum est, quantum satis fuit, non ad imbuendum duntaxat campum, sed Danubium etiam cruentandum. Eum memorant à Sugambria Germanica, à quâ Sugambros Strabo nominat, ad Pontentiam usque multorum millliarium tractu undas sanguine rubentes vexisse. Cùm neutra partium ex acie discederet, Aladaricus editis magni Ducis exemplis occubuit. Ejus casu fluctuabat acies, & victoria ad Chabam inclinabat, cùm Detricus trepidos erexit, collectos ad pugnam reduxit, & Hunnos tandem conjecit in fugam. Hungari Chabam vitâ incolumi evasisse scribunt, Jornandes asserit cecidisse. Ejusce prælij fructus præcipuus ad eas gentes pertinuit, quas Attila sub jugum miserat. Illæ enim fractis Hunnorum viribus, suo Marte ad pristinam libertatem rediverunt. Cæteræ nationes tantò audentiùs antiqua jura vindicarunt, quod labefactatâ Romani imperij majestate nactæ sunt tempus rebus quæque suis favens & opportunum: Boijs quoque in præmium fortitudinis, quam apprimè eâ pugnâ probaverant, nata est occasio dominatûs in majus erigendi.

CRUDELE BELLUM IN HUNGARIA.

Strab. lib. 4.

XIX.

XX. Cæterùm omnem admirationem superat, quòd divina providentia passa sit Romanam potentiam, quam ad eam sublimitatem erexerat, ut nullâ humanâ vi concuti posse videretur, à tam barbaris gentibus usque eò malè haberi. Quis earum genius moresque fuerint, non erit injucundum ex Sidonio cognoscere. *Hi sunt* (inquit) *qui novis opibus ebrij, & ut minima cognoscas, per utendi intemperantiam produnt imperitiam possidendi. Nam libenter incedunt armati ad epulas, albati ad exequias, pullati ad nuptias, castorinati ad Litanias. Nullum ijs genus hominum, ordinum, temporum cordi est. In foro Scythæ, in cubiculo viperæ, in convivio scurræ, in exactionibus harpyiæ, in collocutionibus statuæ, in quæstionibus bestiæ, in tractatibus cochleæ, in contractibus trapezitæ, ad intelligendum saxei, ad judicandum ignei, ad succendendum flammei, ad inimicitias pardi, ad facetias ursi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum Minotauri. Spes firmas in rerum motibus habent, dubia tempora certiùs amant, & ignaviâ pariter conscientiâque trepidantes, cùm sint in prætorijs leones, in castris lepores, amant fœdera, ne discutiantur, bella, ne pugnent.*

Sidon. lib. 5. Ep. 7. ad. Taumastium.

MORES BARBARICI.

Atque ista quidem de Romanæ potentiæ inclinatione & varijs mutationibus: modò videndum est, quibus initijs regnum Christi, lapis ille propheticus *abscissus de monte sine manibus, regnum, quod in æternum non dissipabitur*, cœperit in Boicâ stabiliri. Id quò faciamus ordine clariori, retro legenda sunt tempora, donec ad lineam, unde digredimur, redeamus. Id priùs quam aggrediamur, describemus Boicæ limites haud paulò ampliores, quàm sint hodierni. Agilolfingis Boicæ Principibus rerum potientibus, omnis eorum ditio Anassi flumine à Solis ortu finiebatur: ab occasu dirimebatur abs Suevis & Alemannis Lyco profluente: ab Austro pertinebat ad agrum usque Tridentinum & alpes Italiæ: ab Aquilone, sylvam Herciniam ad Lyci & Oeni ostia pro limite erat sortita. Tota, quacunque patebat, dividebatur in quatuor tetrarchias, Austriæ, Stiriæ, Italiæ, Chambensem; quarum singulis prætores Marchionum nomine præficiebantur, qui omnes tuendis finibus addicti à supremo Boicæ Principe pro arbitratu mittebantur & revocabantur. Paulus Diaconus veterem Bojorum regionem omnem, Sueviâ, Italiâ, Pannoniâ, & Danubio definivit. Eam insigniter accidit Fridericus Ahenobarbus anno M.C.L I. quando Henrico suo patruo Austriam in Principum Comitijs Ratisbonæ attribuit, unà cum aliquot toparchijs Boicis, quibus adjun-

Dan. 2. 34. & 44.

VETERES BOICÆ LIMITES

XXI.

A FRIDERICO ÆNOBARBO ACCISI.

Matth. Raderus Bavar. Sanct. part. 2.

Andr. Presb. adjunxit insignia, & Principis Boicæ appellationem, cùm is antè Franciæ Orientalis limiti cum Præfecti potestate & Marchionis titulo præesset. Andreas Presbyter Ratisbonensis tabulas Cæsareas recitat, quibus ista Friderici donatio continetur. Hæc eò diximus, ne cuipiam mirum sit, si intra primævos Boicæ terminos, hominum sanctitate illustrium res gestas colligamus.

D. LAURENTIUS LAUREACI PRIMUS INSTITUTOR.

In his duxit familiam B. Laurentius, non ille natione Hispanus, qui sub Valeriano Cæsare anno CCLXI. in craticula vitam pro Christo gloriosè posuit, sed alius, qui vel D. Petri Apostolorum Principis, vel D. Marci, vel Hermagoræ Aquileiensis Episcopi jussu, Laureaci in Norico, prima jecit nostræ religionis semina. Huic proinde doctori suo in accepti beneficij memoriam, ædes sacra, quæ hodiéque visitur, post mortem fuit excitata.

Tertull. in Apologet. c. 5.

Est quoque verosimile, Boijs cœleste lumen affulsisse in castris M. Aurelij Antonini Philosophi Imperatoris, quando anno Christi CLXXVI. legio fulminatrix Christo addicta, suis precibus (quod prodidit Tertullianus) de cœlo sitienti exercitui aquas victoriámque impetravit.

DUO LUCII. *Bruschius l. 1. de Patav. Rader. Bavar. Sanct. Euseb. lib. 5. c. 20. Beda de gestis Anglor. l. 1. c. 4. Baron. 3. Decemb. & 26. Maij in Martyrol. Breviar. Curien. Andr. Presb.* XXII.

Scribunt præterea, duos fuisse Divos Lucios, qui cœlestis disciplinæ lucem Boicæ intulerunt. Eorum alter nonnullis creditur fuisse Lucius filius Simonis Cyrenæi, qui Christo sub crucis onere fatiscenti succurrit; illum ferunt ex D. Pauli scholâ ad gentium institutionem prodijsse. Luciorum alter ex certâ bonæ notæ scriptorum fide, fuit Lucius Britanniæ Rex, natus Coillo Rege, avo Mario, vel, ut alij vocant, Manio, proavo Arvirago. Ille permotus secundâ famâ rerum, quas de Christo & Christianorum institutis audierat; per legatos, cum Eleutherio Romanæ sedis Antistite Anno CLXXXIII. egit, ut sanctioris religionis magistros ad se mitteret, impetravítque Fugatium & Donatianum, quem alij dicunt Damianum, à quibus ritè edoctus sacra Christiana suscepit, tantúmque è cœlo hausit divini spiritûs, & ardoris Christi vestigijs inhærendi, ut calcato rerum humanarum studio, abdicatisque regni titulis, patrio solo valefaciens, divino ductu, Noricum, Vindeliciam, & Rhætiam adiverit, multísque adversis constanti virtute toleratis, regem se in terris fuisse oblitus, toto pectore cœlo imminens, avidúsque plurimos secum eò deducendi, optimus interpres, fidei nostræ rudimenta explicârit. Augustæ Vindelicorum Campestrium civem nobilem cum familiâ alijsque compluribus ad Christum adduxit, atque eam ob rem ab impijs Idolorum cultoribus, verberibus dirè vexatus, saxis appetitus, denique in puteum præcipitatus, extractúsque piorum ope, mortem evasit, ut Deo plures adjungeret. Quamobrem Reginoburgum profectus, cives dedocuit errores, quod & præstitit Juvaviæ, hodie Salisburgi, & passim in Norico, donec Curiæ apud Alpinos Rhætos eadem sanctè ac sedulò faciens, beato fine conquievit 3. Non. Decembris. Eodem loci cœnobium est, quod ejus nomini inscriptum, anniversarium ipsius cultum solenni religione celebrat.

Euseb. lib. 6. c. 32. D. MAXIMILIANUS PONT. LAUREACENS.

Longo annorum intervallo, in ejus curas successit D. Maximilianus Pontifex Laureacensis. Fuit Laureacum oppidum Romanâ statione nobile, caput Norici Riparij, cùm res Romana maneret, sedes deinde Pontificia, donec ab Hunnis eversa, Batavam, quod hodie est Patavium, migravit. Ad eam magnis ornandam virtutibus, Maximilianum Deus ab ipsâ infantiâ destinavit. Habuit Celeiæ Pannoniæ oppido, claros & copiosâ fortunâ natales, & primum veræ pietatis doctorem Oranium Presbyterum. Opes, quas peramplas acceperat, maturè contribuit in miserorum auxilium. In Decij persecutione, quæ septima dicitur ab Eusebio, eáque brevis, sed gravissima; orbatus utroque parente, servitia manumisit, & quò liberior Deo serviret, plerasque possessiones, ipsámque patriam deseruit, séque Romam recepit. Illic hæsit usque ad Xysti II. Pontificatum. Decius Imperator jam ante octo annos in pugnâ contra Gothos, salute desperatâ, in paludis voraginem se cum equo præcipitans, infeliciter perierat. Quare Bruñero non possum assentiri, quando eum vult *Decio in Christianum nomen grassante, Romam ad Xystum II. Pontificem Maximum profugum venisse.* Jam

tum

tum enim Decij immanitas unà cum vita desierat, erátque à Valeriano Cæsare antiquata piorum proscriptio, quando Xystus Romanæ sedi cœpit præesse, uti videre est apud Eusebium. Maximilianus igitur in Xysti consuetudinem admissus, *Euseb. lib. 7. c. 9.* Pannoniæ laborantis non immemor, ab optimo Pontifice obtinuit, ut ad rem Christianam Decij terroribus nuper vehementer exagitatam, istis in partibus confirmandam, animum adijceret. Quam ad procurationem optimum factu visum est, Maximilianum in patriam cum amplissimâ potestate remittere. Eam provinciam quamlibet difficilem vir Deo plenus, lubens suscepit, certus capitis sui periculo superstitiones, inanémque Deorum cultum expugnare. Nec verò aliter fecit, quàm statuit. Nam re cum Quirino Aquileiæ Antistite communicatâ, Laureacum profectus, per annos propè viginti propagandæ Christianæ religioni sese totum magno studio & populi utilitate impendit. Cùm toto isto tempore omnia præstantissimi Præsulis munia implêsset, curam ad excolendum natale XXIII. solum convertit. Celeiam ergo reversus, dum, quod præstantis Christi præconis erat, gnaviter exequitur; Ecce tibi Ejulasius Præses, impio edicto jubet omnes ad testandam nefandorum numinum venerationem, Marti operari. Fuêre è Christianis, quos suppliciorum metus ad scelesta sacra inclinabat: quod cùm Maximilianus ferret indignissimè, non dubitavit improbo Præsidis decreto intercedere. Quare Ejulasium in foro aggressus, gravissimâ oratione dehortatur, monétque ne honorem uni sempiternóque Deo debitum, turpissimo Dæmoni transcribat. Quâ dicendi fiduciâ Præses vehementer irritatus, cùm neque dissertationibus, quibus se superari sentiebat, neque minis quicquam proficeret, fortissimum Præsulem duci jussit, & impio gladio feriri. Eam sententiam, ipsámque mortem Maximilianus non aliter accepit, quàm certum æternæ felicitatis ingressum, 4. Idus Octobris, qui dies sanctissimæ ipsius memoriæ festus hodiéque habetur. Ejus sacrum pignus postea D. Rupertus Laureacum transtulit; ubi religiosè fuit asservatum, donec Henricus II. Imperator, ex eo loco Bataviam Bojorum voluit deportari. Ejus pro fide certamen contigit circa annum Christi CCLXXXIIX. *An. Christ. CCLXXXIIX.* *Passavium.* cùm Diocletianus superato rursus Danubio Marcomannis & Quadis infestus, *Eutrop. Mamertin. in Panegyr.* imperij fines proferret.

Nono pòst anno, crudelissimè sævitum est Laureaci in Christianos, per Aquilinum virum Consularem Norici Ripensis præfectum, idque imperante Diocletiano. *An. Christ. CCXCVII.* Primi quæstionibus fuere subjecti quadraginta, pari cum Sebastenis militibus numero, qui glorioso Martyrio fuerunt defuncti: Laureacenses nostri totidem illaturi cœlo laureas, varijs fuere tentati cruciatibus. Ejusce rei fama mox *Baron. A. C. 297.* excivit Florianum ad spem pulcherrimi triumphi. Erat ille militum Tribunus in stativis Cæciæ oppidi. Inde Laureacum advolans velut ad gloriosam arenam, *Proprium Bataven.* se ultro professus est Christianum, & lictoribus obtulit vinciendum. *Quid enim* *Non. Maij.* *verò* (ajebat) *minùs, quam mei commilitones commerui? Si crimen est Christo sacramentum dixisse, non sum illis innocentior; sin virtus est, cur mihi negetur præmium?* S. FLORIANI MARTYRIUM *una omnes sub Christi signis stipendia meruimus, liceat simul pro Christo certare. Non decet Tribunum pugnam defugere, cùm milites descendunt in arenam. Nec illis, nec mihi, qui unà sub cruce militamus, crux est erubescenda, in quâ noster Imperator triumphavit. Erit nostra sors tantò gloriosior, quantò propior honoribus Regis immortalis:* XXIV. *cum eo juvabit ferre ludibria, verbera, vulnera, denique ipsam mortem.* Talia palàm magno ardore dicentem, ministri barbaræ crudelitatis traxere ad Aquilinum. Cùm thus Dijs adolere jussus, immotus in Christi fide perstaret, damnatus est ad fustuarium, ad diram scapularum excarnificationem, ad ignitas ungulas. Hæc, cùm animum verè fortem nihil percellerent, in profluentem Anassum præcipitatus est, saxo ad collum alligato. Lictor, qui Martyrem dejecit in flumen, ilico videndi usum amisit. Corpus ductu mirabili in prominens saxum enatavit, ubi tamdiu ab alite defensum hæsit, quoad Valeriana pia matrona cœlitus admonita, inde elatum, tumulo mandavit. Eum in modum miles Christi fortissimus, per ignem & aquam, ad suavissimum Regis sui complexum evolavit, à quo id beneficij

mis litterarum elementis, sed vel maximè Numinis cognitione sanctisque monitis imbutam; docere impios dæmoniorum ritus detestari. Cùm sapientissimus senex inter pueros non sine discipulorum profectu repuerasceret, venit in apertum doctrinæ ipsius ratio atque institutum, ringentibus Dei hostibus, quòd tenellis pectoribus divinum amorem & impietatis odium imprimeret, bonum, quod ipsis in omnem vitam esset adhæsurum. Quamobrem ex jucundissimo isto Lycæo ab hostibus protractus, & impietatis in Deos accusatus, nihil veritus est, quod res erat profiteri; omnino se puerorum animos sic erudijsse, ut nossent, impium esse, falsorum numinum veneratione, & anilibus deliramentis contaminari. Qui hæc ad Juliani ætatem circa annum Christi CCCLXI. referunt, credunt Cassianum capitis esse damnatum, eò quòd contra nefariam legem, quâ scelestus Imperator Christianos vetuerat docere artes liberales, sacrum ludum aperuisset. Quicquid tandem sit de tempore Martyrij, constat supplicium immane ac præter morem, Christiani nominis odio, fuisse decretum, quod fuit eò durius, quò lentius, & ab innocentiore manu. Traditus nimirum debili petulantiæ puerorum, quos erudierat, eorum cultellis stylisque librarijs tamdiu patuit ad innumeros cruciatus, donec inter vulnera non tam suos dolores, quàm charissimorum pignorum interitum sentiens, anima Deo plena ad meliorem vitam triumphans abijt Idibus Augusti.

Hactenus de ijs, qui in Boicâ maximè celebres, inter gladios, ignes, aliáque exquisitæ sævitiæ tormenta inclaruerunt in publico virtutis theatro. Sequitur alius vincendi modus, incruentus quidem & in umbrâ, sed Deo & Angelis perinde jucundus & aspectabilis. Hunc inijt D. Rhomedius, vel Remedius, non sanguine magis, quàm sanctitate nobilis. Primam lucem aspexit in Oenanâ Valle, in castro Tauriensi inter Oenipontem & Halam, quæ nobile est salinis oppidum. Præter id dominij, habuit in suâ ditione sumontorium, quam Altam Speculam dicunt, eo ferè jure ac dignitate, quo censentur nostri ævi illustres Comitatus. Cùm inter æquales posset esse insigniter clarus & opulentus, latere maluit, & divitiarum contemptu Deo teste nobilitari. Quantumlibet hominum oculos fugeret, facere tamen non potuit, quin eorum animos ad se raperet, abjectis opibus, quàm adamatis longè præclarior. Romam cum gemino peregrinationis comite profectus, Martyrum exuvias præsens est veneratus: pòst usus D. Vigilij Tridentinorum Antistitis familiari consuetudine, eam cum ipso morum similitudinem contraxit, ut geminus Vigilius videretur: unde coaluit arctissima amicitiæ conjunctio culta per omnem vitam. Fuit autem Vigilius D. Ambrosij æqualis, quod testatur Epistola, quam mellifluus Doctor ad ipsum dedit. Cùm solitudinis desiderio Rhomedius teneretur, ex præclarâ Vigilij scholâ migravit in Anauniensium montium secessum, soli Deo omnem factorum suorum gloriam litaturus, ne mortalium aspectus vel approbatio quicquam ex eâ laudis decerperet. Honores hominum fugientem feræ; res adeò inanimes honorârunt. Ursus vicem equi, quem Rhomedio sustulerat, in deferendis sarcinis aliisque obsequijs implevit. Dæmon ejus metu atque imperio hospitem, quem malignè insederat, deserere fuit coactus. Ne mortuo præcones deessent, æra campana sponte sonantia ad sacras funeris exequias populos conciverunt. Id circa annum Christi CCCLXXX. contigit, postquam non eremum duntaxat, sed vicina etiam sanctissimis exemplis illustrârat.

S. RHOMEDIUS.

Pyrrhus Pinc. de vitis Episc. Trident.

Ambros. l. 3. Ep. 24.

XXVII.

S. VALENTINUS.

AN. CHRIST. CCCC.

Sæculi sequentis initio, sidus clarissimum ab extremis Oceani finibus exortum Norico opportunè illuxit, D. Valentinus. Triplici malo, Batava castra, quod hodie Passavium est, eorúmque confinia laborabant. Visigothi Alarici & Radagaisi auspicijs Pannonias involaverant, jámque imminebant Boicæ: Batavij regnabat falsorum Numinum adoratio: accesserat pestis Ariana omnium malorum nocentissima, quæ ipsam adeò Filij Dei divinitatem ausa lacessere, arcem doctrinæ Christianæ cum ingenti piorum perturbatione arietavit, eóque apertâ vi, & fraudibus perrupit, ut, quod deploravit D. Hieronymus, terrarum

orbis se miratus sit esse Arianum. Ut Deo placato, barbarorum sævitiæ occurreretur, opus erat morum castigatione, quæ nec sponte provenit, nec adolescit sine perito animorum magistro. Ad extirpandos errores, requirebatur eximia Doctoris sapientia. Ad hæc Valentinus datus adspirante cœlo: sed non citra ingentes labores. Quis enim medicinam faciat malo pertinaci, nisi ægri voluntas cum medico conspiret? Incurrebat Valentini facundia in prædura ferocium hominum ingenia, quos assuetudo vitiorum inveterata corruperat. Quamobrem semel iterúmque ad petenda auxilia Romam adijt. Inde cum amplissimâ Episcopi potestate reversus, strenuè pro commissa animarum salute desudavit. Sed cùm apud obstinatos pro voto res non procederet, sed multa indigna patiendo, multa assiduè laborando toleraret, nec tamen fructus operæ responderet, denique perfidiâ Arianorum, viri sancti conatus non ferentium, urbe pulsus, Rhætiam sibi sumpsit excolendam, in quâ progressus fecit minimè pœnitendos. Exinde migravit ad alpes Majas, haud longè à Meraniâ urbe Tiroleos, ubi populum moribus alioquin asperum ita mansuefecit, ut plurimi ad Christi sacra libentes transirent. Demum multis pro Deo perfunctus laboribus, collecto ingenti animarum lucro, mortis proximè imminentis è cœlo admonitus, beato fine quievit, in vita & morte clarus miraculis. Sanctæ ejus exuviæ in Majensi castro conditæ, post aliquot sæcula Patavium, unde exulârat, velut in propriam sedem fuêre reductæ. Eum proinde Patavienses meritò numerant inter suos Pontifices atque tutelares.

Eugippius in vitâ S. Severini. Breviar. Battav. Sur. prid. Non. Aug. 7. Id. Ianu. Rader. in Bavar. S.

XXIIX. D. Lucanus Sabionensis Episcopus. An. Christ. CCCC XXIV.

Huic geminum propè sanctimoniæ exemplum præbuit D. Lucanus Episcopus Sabionensis, idque tantò illustrius, quantò majorem passus est adversariorum invidiam. Vixit S. Lucanus sub annum Christi CCCCXXIV. cùm Theodosius Junior imperium, Cælestinus Pontifex Maximus Romanam Ecclesiam regeret. Apud hunc Lucanus ab æmulis nescio quâ ductis religione delatus est, quòd factâ legis Ecclesiasticæ veniâ, in summâ cibariorum penuriâ, per quadraginta dierum jejunia lactis usum, & obsoniorum, quæ ex lacte fiunt, justo (ut ipsi argutabantur) clementiùs indulsisset, quasi novercali severitate in tantâ miserorum inopiâ fuisset utendum. Jussus nihilominus est ad causam dicendam Romam ambulare. Quâ erat in summum Orbis Christiani Parentem observantiâ & obsequendi studio, cum unico comite se dedit in viam. Divertens Spoletum, fusâ ad Deum oratione, cauponis uxorem aquâ intercute laborantem curavit. Cùm Romæ se Cælestino sisteret, pallium aquis madidum tralucenti Solis radio siccandum appendit: quod alijs quoque sanctis miraculo contigit, pallium, perinde atque si firmo hastili sustineretur, sublime pependit. Id Summus Pontifex summâ cum admiratione spectans; Agedum, inquit, accipe à Sole, qui tibi suffragatus sententiam. Quare ejus innocentiam admiratus, magnis cultum beneficijs ad suam sedem remisit. Domum redux tametsi suam causam judicio Pontificio probaret viris non omnino improbis, non probavit tamen improbitati. Nam malevolorum calumnijs támque pertinacibus odijs fuit exagitatus, ut coactus stationem deserere, in vallem Argordiam, quæ est in Belunensi ditione, sese abdiderit, ubi Avatiæ religiosæ matronæ liberalitate inter assiduas rerum cœlestium commentationes vitam egit, & pientissimè absolvit. Defuncti corpus cùm Belunenses sibi tentassent vendicare, nullâ vi loco movere potuerunt, quoad sacrum caput Argordianis velut accepti beneficij pignus concesserunt. Quod fuit reliquum, Beluni in æde principe depositum, in magnâ deinceps fuit veneratione.

XXIX. S. Severinus Norici Apostolus.

Lucano non fuit impar D. Severinus Noricorum Apostolus. Venit extincto Attilâ in Pannonias, indéque in Noricum. Unde illi genus fuerit aut patria, ne Eugippius quidem Abbas, qui res ab ipso gestas magnâ curâ conscripsit, edere in lucem potuit, quippe quæ Severinus ita latere voluit, ut nullam à solo natali, à cœlo omnem laudem aucuparetur. Primenium Sacerdotem Italum sciscitantem, quâ domo natus esset, Severinus modesto risu correxit: Fortasse (inquit) me

fugi-

fugitivum putas, & times tuæ zonulæ, si ex eâ meæ libertatis pretium petatur? Christiano homini cœlum est patria: non est felix, qui gloriam reponit in suis incunabulis, & se pro magno habet, si domum amplam primo vagitu salutârit. Eugippius hoc scripsit duntaxat, cum de partibus Orientis advenisse. Primam operam locavit Asturis oppido, Pannonijs & Ripensi Norico confini, eâ factorum innocentiâ, nemini ut esset dubium, tantas virtutes, quæ Apostolorum mores referebant, è cœlo ducere originem. Cùm divinitus resciviſſet, Asturiensibus grave ab hostibus discrimen impendere, pro concione, cœleste monitum populo aperuit, auctórque fuit, ut justam Numinis iram, morum castigatione, inediâ, precibus, effusâ in egentes liberalitate, & quibuscunque possent religionibus impensè placarent. Sed quod fuit obstinatæ vecordiæ, nemo salutaria suadenti fidem habuit, nemo noxis ingemuit. Quare reversus ad diversorium impendentis exitij horam mœstus prædixit, móxque ad castra Comagena discedens, civibus similem calamitatem denuntiavit, parùm gratus magnorum malorum vates. Jam tum Comagena ab hoste tenebantur, eóque minùs cives, qui fœdus cum ipso percusserant, de futuro excidio erant soliciti. Verùm clade Asturiensium per Severini hospitem, qui solus se barbarorum sævitiæ subduxerat, cognitâ, vaticinanti paruêre, ad pœnitudinem & votivas conciliandi numinis rationes conversi: ea morum mutatio cœlo accepta formidabilem terræ motum excitavit, quo perculsi barbari, præcipiti se fugâ ex urbe proripuerunt, intérque se Andabatarum more commissi, sanguinem mutuâ cæde miscuerunt. Eos fuisse ex Attilæ reliquijs, credibile est, qui Rege extincto, suis auspicijs, latronum modo in prædas & cædes effusi, nondum à pristinâ feritate desciverant.

Asturienses frustra periculi admonet.

Comagenos servat.

XXX.

Severinus, qui opportunè Comagenos juverat, Castris Fabianis, quæ hodie Vienna est, summâ annonæ difficultate laborantibus succurrit. Ad Fabianenses viri sancti fama manaverat, cùm ultimâ fame premerentur. Rati Severinum, qui tam feliciter vicinis esset opitulatus, sibi quoque in tantâ rerum angustiâ benignè esse facturum, supplices rogârunt, vellet esse pereuntis civitatis, si minùs liberator, at saltem inspector, & qui Comagenos hoste depulso servasset, solaretur supremâ inopiâ morientes. Non fuêre frustra Viennensium preces. Ad eos venit Severinus jussu Numinis, quo monente didicerat, Proculam matronam, ultra modum rei faciendæ deditam, grandem annonam servare horreis abditam, lucri majoris expectatione. Severinus facturus pellendæ famis initium, quod ratio poscebat, humana media, quæ divina liberalitas suggerebat, divinis putavit esse præmittenda. Quare avaram mulierem publicè gravi oratione obiurgavit, quòd illustribus orta majoribus, sordidas artes tractaret, & intempestivâ annonæ flagellatione non modò fœdaret nobilem sanguinem, sed cives quoque suos inhumaniter haberet. Cui tandem bono futuræ essent opes, quas tam avarè reconderet, quando eas divina manus esset justissimè subductura? Quid si corruptas fruges etiam invita cogatur in flumen abijcere, & erga pisces fieri humana, quæ se hominibus immitem præberet? Quòd si pergeret miseros, qui Dei essent filij ac familiares, immanitate perimere, ne crederet se illorum neci diu superfuturam. Si grande lucrum aucuparetur, Deo fœneraretur; cui promptum esset, non modò eam in immensum ditare, sed egentes quoque liberaliter sine alienâ ope pascere: cogitaret, se perdituram, quicquid Deo subtraheret. Procula divini monitoris facundiâ oppidò territa, largâ manu annonam in pauperes effudit. Inter hæc è Rhætiâ, præter omnem spem, onerariæ secundo flumine frumentum advexerunt, quæ cùm Danubio glacie concreto ad ripam constitissent, Severini ad Deum oratione regelatæ, magnam annonæ vim ad profligandam famem urbi adduxerunt. Aliàs è Laureacensibus aliquos, cùm decimas egentibus promissas repræsentassent, fame exemit: aliorum fruges rubigo perdidit, quòd pollicitis defuissent. Tiburniensium symbolam jam collectam, sed cunctatione dilatam Gothi diripuerunt. Fuit aliquando, cùm è Viennæ conspectu, hostis barbarus hominum pecudúmque greges abigeret: cives ad Severinum velut ad sacram anchoram

Viennam aliosque fame liberat.

Proculæ avaritiam castigat.

Prædas et captivos de Barbaris recuperat.

choram confugerunt, rogantes opem. Mamertinus id temporis præsidij præfe-
XXXI. ctus in urbe curabat. Hunc accersitum Severinus interrogat, satin' habeat militum, quorum operâ se hosti prædam excussurum confidat? Negavit, se tam exiguâ manu tantam rem posse præstare: non dubitaturum tamen ire in hostem, si Severinus jubeat, & suis precibus vota secundet. Secundabo, inquit Divus, & vinces hostem: sed tu, quos capies barbaros, vitâ donabis, & ad me deduces; I porrò, & Deo fretus hostem aggredere. Quâ cohortatione miles animatus, prædones ad Jaguntiam altero ab urbe lapide assecutus, alios conjecit in fugam, alios vinctos unà cum prædâ traxit ad Severinum, quos ipse benignè habitos, cibóque recreatos, ad suos remisit, seriò interminatus, fore ut, si prædatum redirent, ipsis non impune cederet, Deo vindice, quem iratum essent experturi. Civibus simul promisit, nihil passuros ab hostibus, si à re divinâ se non sinerent avocari. Paulò pòst, urbis inquietem pertæsus, primùm ad Vineas, nunc Siferingam pagum, divertit, deinde Purgum. Utrobique in humili casâ vitam egit meditatione divinorum non minus suavem, quàm inediâ, & insigni corporis maceratione asperam, nihil veritus, per rigidissimas hiemes, glaciem, nivésque nudis vestigijs premere, séque domi excruciandum frigori committere.

Vitam agit solitariam.

XXXII. Quibus factis cùm claram sanctitatis existimationem, quamvis invitus, collegisset, complures barbari, visendi causâ ad eum confluxerunt. In his fuit Odoacer Herulus juvenis procerus, sed nullâ dum famâ notus. Illi Severinus bene precatus, regium nomen & rei Romanæ cladem est vaticinatus. Flacciteum Rugorum Regem, Arianâ licèt lue contaminatum, cùm à Gothis arctè premeretur, adjuvit: Alio tempore cædi eripuit, cùm ejus capiti insidiæ essent tribus locis à latronibus dispositæ: periculum tempestivè detexit, monuítque, ne se certæ neci objiceret. Flacciteo filius erat Feleteus miti Princeps ingenio, qui patris studium æmulatus, Severinum non secus atque fidum Regni sui patronum omnibus officijs præcipuâque veneratione sibi demerebatur. Sed hujus uxor Gisa Ario pertinacissimè addicta, immanis in Christianos ferociæ mulier, maritum identidem, subjectis calumniarum facibus in pios conabatur efferare, ausa etiam Catholico ritu ablutos, sacrilego Arianorum fonte denuo lustrare, Christianos accolas dirè premere, nonnunquam etiam rapere in servitutem, Rege licèt invito & seriò dehortante. Intercessit Severinus, missis ad Feleteum & uxorem, qui captivis libertatem exorarent. Abnuit barbara mulier, legatósque convitio exceptos remisit, jussos sancto viro renuntiare, se intra suum tugurium contineret, rem suam curaret, alienam ne attingeret. Ad ea Severinus non vanus augur; Mox faciet (inquit) coacta, quod rogata noluit. Vaticinium affirmavit eventus. Habebat Gisa barbaros aurifices, quos faciundo mundo regio conduxerat. Cùm eorum manibus non fideret, verita ne quid auri sublegerent, usque adeo pressit arctâ custodiâ, ut laboris vitæque tædio omnem effugiendi modum circumspicerent. Factum subinde est custodum negligentiâ, ut Fridericus parvo natu Regis filius, eâdem luce, quâ mater, Severini postulata rejecerat, in aurariam officinam

Odoacri regnum prædicit. Flacciteũ adiuvat.

Colitur a Feleteo. Gisæ impietas

Castigatur.

XXXIII. irreperet. Fabri vindicandæ libertatis tempus adesse rati, admoto ad pueri pectus ferro, matri per internuntios intrepidè denuntiant, se filium mox confossuros, nec parsuros ulli mortalium, qui venire auderet ad vim inferendam; has nimirum fore vindicias ereptæ per fraudem libertatis: sibi nobilius lethi genus futurum, si cum regio, sanguinem captivum confuderint, nec inulti moriantur. Ad hæc tota regia percelli, exaudiri ejulatus, Regina lacerare comam, & consilij inops jamjámque exanimati filioli nuntium opperiri. Pòst ubi omnia rimata fuerat, unicum reperit in ope Severini remedium. Ergo absentem in vota vocat, deprecatur injurias, pacem veniámque supplex rogat, nec dubitat se à sancto, non secus atque si præsenti supplicaret, exaudiri. Ne verò inanes sine re voces mitteret, captivos omnes vinculis exemptos jubet quàm celerrimè per veredarios duci ad Severinum, regiam culpam detestari, & implorare auxilium. Denique ad filij salutem conversa, jurat (ita Aurifices poposcerant) se eos incolumes ergastulo solutu-

lutu-

futuram, si filium illæsum redderent. Pacati illi, post receptam libertatem, puerum dimittunt, quem mater docta sapere, Rege comitante, Severino sospitatori stitit, pollicita deinceps in ejus arbitrio futurum, quicquid demum à se postularet.

Erat Severinus, quoties Deum consulebat, futurorum non secus atque præsentium conscius. Mauro æditio præsagierat, futurum, ut, si Fabianis efferret pedem, veniret in barbarorum manus. Præsagium non fefellit eventus. Maurus oblitus sui monitoris atque discriminis, mœnibus egressus, captus abductúsque est, nec priùs redditus, quàm hostes Severino reposcenti illum aliósque donârunt. SEVERINUS FUTURA PRÆDICIT.

Inclarescebat indies magis magísque celebre sancti nomen, & rerum, quas à Deo impetrabat, admiratio: quo fiebat, ut non aliter, quàm propitium aliquod sidus abs Norico respiceretur. Superiores Norici regiones non minùs quàm inferiores habebantur à barbaris infestæ. Cùm Fabianorum periculo utcunque prospexisset, à finitimis ad prohibendas hostium incursiones invitatus, clementer assensit. Id verò illi solenne erat, ut bellum implacabilius cum gentilium superstitionibus, aliísque mortalium sceleribus, quàm cum quovis alio inimico gereret, nec pateretur superesse ulla sacrilegorum rituum vestigia. Quocunque inferebat pedem, religionem accendebat, & sicubi pietas languebat, ad pristinum spiritum normámque Christianam revocabat. Excurrerat vocatus ad Cucullenses. Isthic deprehendit civium aliquos nondum ex integro gentilitatem ejurasse, sed sacris quibusdam opertaneis, clam cæteris, operari. Eos ut suaviter ab erroribus abduceret, indixit tridui jejunium; jussit præterea singulas familias cereos singulos ad ædem sacram conferre, & affigere parieti. Tum persolutâ, pro more, psalmorum comprecatione, Sacerdotem sacram hostiam facturum hortatur, ut Deo supplex fiat, impetrétque aliquod indicium, quo, qui è plebe se sacrilegio contaminaverant, ab innocentibus possent discerni. Mirum dictu, illorum cerei, qui à furtivis sacris abstinuerant, concepto cœlitus igne sponte omnes arserunt, reliquis extinctis cassísque omni lumine. Deprehensi crimen confessi & execrati sunt, meliora in posterum spondentes. IDOLOLATRIAM PROFLIGAT. XXXIV.

Locustarum examina vicinum Cucullis agrum fœdè vastabant, nec inanis metus miseros agrestes incesserat, ne totius anni spem depascerent. Severinus, ut pestis nocentissimæ medicinam faceret, imperavit publicam comprecationem, & commune jejunium. Paruerunt omnes, uno excepto, cui in agro rei non multum erat, & in animo vix quicquam in Deum fiduciæ. Ille cæteris comprecantibus ad defendendam sementem egressus, cum locustis digladians inanem perdidit operam. Quamvis enim eas ante noctem utcunque dispulerat, tamen obortis tenebris reversæ, totum agrum eroserunt, reliquorum segetes reliquêre intactas: Ut satis appareret, Severini precibus atque consilio, secundùm Deum id beneficij debere adscribi. LOCUSTAS PELLIT.

Jubæ, quod oppidum aliqui deletum, alij Juvaviam interpretantur, cùm ædis sacræ ministri in excutiendis scintillis ad lucernas, de more, pro vespertinâ oratione accendendas laborarent, Severinus cereum, quem gestabat, ardenti prece incendit. Eodem loci vitam extinctæ fœminæ restituit. XXXV. MORTUAM AD VITAM REVOCAT.

Quintanis castris, nunc ut placet Cluverio, Kintzenus vicus est infra Osterhovium: haud procul à Danubio, stabat ædicula extra pomœrium, quam pali humi depacti sustinebant. Eam fluvius exundans non sinebat pavimento sterni. Id cùm ex inquilinis rescisset Severinus, Danubio imperavit, ne cementum, quod fieri jusserat, deinceps ablueret: simul opposuit crucis signum velut aggerem, vetuítque eum limitem excedere. Ex eo tempore, teste Eugippio, tametsi fluvius alveum longè transgrederetur, & plana circùm infunderet, neutiquam tamen eousque intumescebat, ut, quam crucem Severinus fixerat, allueret, sed sacellum innoxius prætervehcheretur. DANUBIUM COERCET.

Sylvinus presbyter Quintanis vitâ excesserat. Jacenti in feretro persolutæ

erant vigiliæ piaculares, nec aliud supererat, quàm ut post justa funebria, postero die, cadaver sepulchro mandaretur. Severinus digresso ex æde sacrâ populo, præsente unico Sacerdote & Diacono, in hæc verba demortuum appellat: *Sancte presbyter Sylvine, in nomine Domini nostri IESV Christi loquere cum tuis fratribus.* Aperuit defunctus oculos. Ad quem rursum Severinus; *Vis* (inquit) *rogemus Dominum, ut te adhuc servis suis in hac vitâ condonare dignetur? Per Dominum* (ait Sylvinus) *te conjuro, ne diutius hic tenear, & frauder quiete perpetuâ, in quâ me jam esse cernebam.* Videlicet post degustatas cœli delitias, terra beatæ animæ desipiebat. Nec plura locutus, mox requievit exanimis.

Ista dum Severinus in Norico gereret, Imperium gravissimis calamitatibus urgebatur. Ut remotiora, velut à nostro instituto aliena prætercam, quæ sub Macrino, Maximo, Leone, Majorano, Severo, Anthemio, Zenone Augustis contigerunt, usque dum Orestes militiæ præfectus, Zenone redacto in ordinem, filium Momyllum Augustum oppidò puerum (Augustulum contemptu nominatum) Ravennæ, orbe Romano nequicquam ingemiscente, Imperatorem appellavit; erit operæ pretium, pauca de Odoacre, quem Procopius natione Italum Orestis in Italiâ aliquando armigerum scripsit, cuique D. Severinus Regnum prædixit, pauca ad rem nostram spectantia recensere. *Marcellin. Cassiodor.*

ODOACER ITALIÆ REGNUM INVADIT.

Odoacer Arianus Herulorum, Turcilingorum, & Scyrorum copijs instructus, à Deo datus ultor, Oreste interfecto, Italiam invasit, pulsoque in exilium Momyllo imperium eripuit, ut Romana Majestas, quæ in Augusto Cæsare creverat, in Augustulo minueretur. Odoacer Italiam tenuit contentus regio nomine, omissâque Augustuli purpurâ, annis ferè quatuordecim. Quinto regni die, quod 15. cal. Septemb. invaserat, Orestem Placentiæ è medio sustulit, & oppressâ inposterum in Italiâ consulari dignitate, imminutâ Senatûs authoritate, rerum summam ad se traxit, donec anno CCCCLXXXIX. à Theodorico Ostrogothorum Rege, semel ad Aquileiam, iterum ad Veronam acie superatus, & anno CCCCXC. tertiò devictus, tolerato pòst Ravennæ triennali obsidio, regno vitâque à Theodorico fuit exutus anno CCCCXCIII. *Iornand. Onuph. Cassiod. Chron.*

XXXVI.

JUVAVIÆ EXCIDIUM.

Antequam ad istam calamitatem veniret, in Norico Arianæ sævitiæ complura exempla edidit. In his fuit illud tristissimum, quod Eugippius memorat. D. Severinus, Deo monente, præsenserat, Juvaviæ gravia mala impendere, quæ ut averteret, ex Bataviensi Cœnobio, quod sibi suisque fratribus excitaverat, Moderatum misit, qui cives de propinquante excidio faceret certiores. Verùm nuncius in cassum fuit, civitate in suam perniciem obstinatâ. Nemo enim unus fuit, qui desertâ tantisper urbe, vitam servare vellet. Severinus infelicem perire volentium vicem dolens, alterum imminentis proximâ nocte interitûs prænuntium Quintasium ablegat, rogat, obtestatur, hosti mox adfuturo se eripiant; sed neque iste nuntius æquis auribus acceptus est. Hostis intempestâ nocte adfuit, & occupatâ civitate, horrendum in modum sævijt, nec manus abs ordine sacro, cujus maximè sanguinem sitiebat, Ariana crudelitas abstinuit: S. Maximo presbytero, quem Severinus inprimis salvum voluisset, cùm fugam seriùs expedivisset, laqueo gulam fregerunt Heruli. Ejus Symmystæ quinquaginta quinque ut minimùm, de rupibus acti præcipites, contrucidatique ad cœlum evolârunt, martyribus suppares, ob illatæ oppetitæque pro Deo mortis causam. Hodie visuntur spelæa, è quibus protracti fuerunt ad supplicium. Denique urbe fœdè vastatâ, cives, quibus ferrum pepercerat, in servitutem fuerunt abducti. Inter hæc subijt tamen Odoacris animum Severini vatis sui recordatio, ut memor præsagij, cùm in Italiâ rerum potiretur, eum per litteras conveniret, faceretq; potestatem petendi, quicquid beneficij videretur; Respondit ille, sibi fore gratum, si Ambrosio cuidam, quem Rex exilio damnaverat, patriam redderet.

MARTYRES JUVAVIENSES.

ODOACER SEVERINI MEMOR.

XXXVII.

GIBULDUS A SEVERINO MONETUR.

Simile quid petijt à Gibuldo Alemannorum Rege. Hic cùm Noricum ipsúmque Batavensem agrum populationibus incursaret, Severino significavit, cupere se venire in ejus congressum. Severinus venienti occurrit extra oppidum

dum, & tantâ facundiâ de Principis officio, de moderandis cum ratione affectibus dominandi, de scelestorum supplicijs, & summâ Numinis in Reges potestate, disseruit, ut Gibuldus totis artubus contremiscens immissum à divinâ viri ratiocinatione terrorem nequiret dissimulare, sed polliceretur, nihil petenti se negaturum. Petivit Severinus captivorum libertatem, obtinuítque, ut plurimi per Amantium & Lucillum eam ad rem missos vinculis & servitute eximerentur.

Secundùm hæc excitatæ sunt à Chunimundo Suevorum Rege novæ tempestates, quas cùm Severinus divinitus prænovisset, omnem adhibuit operam, ut cœlo placato, ne ultra modum in miseros desævirent. Agebat id temporis Bojoduri. Oppidani mercaturæ addicti hoc expetebant avidè, ut Severinus ipsis à Favâ Rugorum Rege impetraret mercium ultro citróque mutandarum facultatem. Quæ postulata cùm vir sanctus audisset, mœrens intempestivam solicitudinem; Amici (inquit) hæc cura non est istius temporis; sed hoc satagendum, ut vitam primùm, deinde fortunarum partem saltem aliquam in tuto collocetis. Supervacaneum est, hosti brevi adfuturo opes in prædam mercari: pòst paululò, quisquis sapiet, actum præclarè secum putabit, si inops nudúsque cruentas latronum manus evadat. Vos potiùs id agite, ut sitis maturè ad fugam expediti, quæ sola vobis superest ratio retinendæ salutis. Ea denunciatio bene vertit obsequentibus. Qui cum risu prædictionem exceperunt, ad unum omnes ferro occubuerunt. In eorum numero fuit presbyter vitæ licentioris, quem justo plus genio indulgentem non minùs urebant Severini exempla, quàm monita, & ea propter sedulò imminebat occasioni monitorem amovendi, quem abeuntem in profugientium turbâ conspicatus, cum cachinno inclamavit: *Perge quæso sancte, perge velociter, ut te discedente parumper à jejunijs feriemur.* Ad has oris impudentis voces Severinus ingemiscens, triste edidit oraculum: Rideret verò plenis buccis, & à jejunijs homo bacchanalis quiesceret, haud longè abesse horam, quâ seris lachrymis insanum gaudium, & sanguine, quem ad ipsas aras fusurus esset, edacitatem expiaret. Vera Severinum dixisse, res ipsa ostendit. Vix se ad castra Faviana receperat, cùm Suevi per vim Batava occupârunt, & in promiscua plebejorum strage nacti sacerdotem illum, in ipsis templi penetralibus nequicquam vitæ veniam cum lachrymis orantem mactârunt.

Severinus Boioduрensibus cladem vaticinatur.

Procacis in Severinum Sacerdotis punitio.

XXX. VIII

Quintanorum de Alemannis victoria.

Fuit aliâ vice, cùm Quintani defessi crebris Alemannorum irruptionibus, solum vertere, & quod erat reliquum rei domesticæ, ipsúmque domicilium Batavium transferre in commune decreverant. Sed cùm neque isthic tuta ipsis foret statio, Severinus hortatus est, cum bono Deo, signis explicatis prodirent in campum, & unius pugnæ aleam Numinis fiduciâ auderent experiri. Paruêre monenti, & acie instructâ rem contra hostem egêre tam fortiter, ut domum cum triumpho redeuntes festivæ lætitiæ nullum finem facerent. Nimiopere exultantibus frigidam aspersit Severinus: Parciùs ista, boni cives, parciùs; nondum dierum omnium Sol occubuit: exiguo triumpho magnis malis prælusimus: brevi erit, quando terga nobis erunt vertenda hosti, nisi perire maluerimus. Qui dicenti fidem habuerunt, tempestivè Laureacum magno suo bono discesserunt: alij nupero successu elati, fortunæ se credere maluerunt ingenti malo. Nam quæ erat istorum temporum acerbitas, post non multos dies, à Thuringis oppressi; vitâ vel libertate spoliati, fecêre fidem, divina monita impune non negligi.

Severinus adest iter agentibus.

Innumera sunt beneficia, quæ Severinus in ægros, extorres, egentes, profugos, omnis generis calamitosos contulit. Illud est singulare, quod evenit Maximino, Cœnobij Oeconomo. Is ex pia Noricorum largitione amplam stipem vestium rerúmque aliarum ad captivorum aliorúmque miserias sublevandas collegerat. Partitus inter comites sarcinas, asperrimâ hieme domum repetebat, cùm vis ingens nivium & noctis horror in alpibus iter agentes intercepit. Tutum non erat per tenebras & ignota viarum, quas altæ nives obruerant, progredi, & erat incommodum sub dio noctem agere. Ultimum fuit perfugium in excavatis

tis vetustate arboribus adversus rigidissimam tempestatem, donec dies viam monstraret. Eò loci dum propè obrigescerent, tantus omnes turbo & nivium acervus obduxit, ut crederent (quod istis regionibus non est insolitum) se viventes videntésque ineluctabiles tumulos invenisse. Dum hærent, horréntque præsentem mortis imaginem, nec emergendi consilium expediunt, Severinus specie aspectabili se eorum uni præbuit visendum, hortans iter capesserent; fore enim ut ope divinâ ex istis sepulchris eluctentur. Moliuntur ergo nivem & quærunt exitum, dúmque sunt in opere, dictu mirabile! Ursus è spelæo prosiliens, & velut ad sequendum invitaret, se officiosum viæ ducem per alpium aspreta, notósque feris calles præstitit, ad ducénta passuum millia, quousque Maximinum cum comitibus eduxit in tutum. Ne dubitarent, cujus ope essent servati, Severinus totius rei conscius ubi ad ejus januam constiterant; Avete, ait, boni viatores, quos fera periculo extricavit, & humaniter duxit in viam.

URSUS VIÆ DUX.

XXXIX.

SEVERINUS LAUREACENSES PERICULI ADMONET.

Haud procul à supremâ vitæ metâ aberat, quando Feletheus Rugorum Rex contracto ex popularibus exercitu, quasi ulturus Alemannorum & Thuringorum injurias (id enim bello nomen fecerat) Laureacensium libertati imminebat, specioso vindicis titulo. Id consilij Deus Severinum non celavit. Monuit vir sanctus internuntio Valente Monacho Constantium id temporis Laureacensem Episcopum, etiam atque etiam caverent cives, ne Feletheum, fraudes amicitiæ obtentu tegentem, in urbem reciperent, nisi perditam vellent suam libertatem. Quid ageret Constantius, civibus ad vim prohibendam imparatis? Severinus visus est, qui pro milite & pro armis foret. Quare eum rogant obtestantúrque cives, ne in tanto discrimine miseros velit deserere. Ille periclitantium commiseratione ad Feletheum profectus, tam scitè eum delinivit, ut mutato consilio, citra Laureacensium damnum, signa domum referret. Sed Severino non fuit satis istam expeditionem frustrâsse, nisi caveret in futurum, ne Rex, pro barbarâ levitate, rediret ad genium, Gisæ ferocissimæ uxoris instinctu. Utrumque igitur convenit, & Regem gravi oratione, velut suprema daturus monita, compellans; *Non est* (inquit) *cur tuam sæpius expertus animi lenitatem, verear te ad clementiam, quæ propria Regum virtus est, provocare. Fungar vice speculi, si te tibi repræsentem benignum, tractabilem, & mortalium saluti, non autem exitio, ab immortali Deo destinatum. Reges vitæ necísque gentibus sunt quidem (ita sentiunt) arbitri, putántque in suâ esse manu, quam quisque sortem habeat, ut nulla felix sit reipublicæ pars, nisi ijs volentibus atque propitijs. Sed, ô Rex, tametsi tuum est ferrum, & tua sunt arma bellatorum, tamen tuum quoque est ea mansuetudine recondere, nec unquam stringere, nisi invitum. Noli, obsecro, tibi persuadere, id demum esse regium, si campi humano cruore erubescant, si nationes exscindantur, si transportentur populi, si ruant urbes, si premantur servitute, si terrore ostentetur potentia. Summa Regi debet esse etiam vilissimi sanguinis parsimonia: crudele & inhumanum est, armari contra innocentes, aut vel unicum occidere, nisi quem meliùs sit mori, quàm vivere. Decet te, ô Rex, universorum tibi amorem demereri, & amari clementiâ, quam non modò nocentes implorent, sed etiam colant innocentes. Sed & timenda tibi sunt populorum odia: nunquam enim, ne à tuis quidem sat tutus futurus es, si te sævities fecerit inamabilem. Sed quid humana memoro? Illum illum time, qui cùm sit Regum omnium imperator, jus exercet in eos mortis & salutis absolutissimum, sine omni obice, quovis momento, nullo ætatis, locorum, aut causarum discrimine: Num te latet, ô Rex, quam habeat ille potestatem animam & corpus perdendi in gehennam? Hic sanè timendus est: Seriùs ocyus ad severissimum Regis istius tribunal causam dices sine patrono, teipso teste, cælo conscio, ubi nihil prorsus potest quævis mortalium potentia. Illic venient in calculum singulæ humani sanguinis stillæ, quas fuderis: Illic reipublicæ bene maléque gestæ rationem poscêris. Mi Rex, si me clementer audis, hoc apud te statue, ut, quæ peccasti, constanter castiges, tuíque judicis, qui Christus Dei Patris unigenitus, uniúsque cum ipso Divinitatis & virtutis, filius est, potentiam, sapientiam, justitiam, agnoscas, colas, & amando, pænitendóque tibi concilies.*

REGEM FELETHEUM ET GISAM UXOREM AD MELIORA HORTATUR.

XL.

Hæc ubi dixerat, oratione ad Reginam conversâ, cùm manu Regis pectus pre-

premeret: *En*, inquit, *Gisa pectus, quo clauditur anima, quâ nulla tibi debet esse charior. Dic verò, gemmisne illam, auro, caterisque terrarum opibus ducis esse præhabendam?* Reposuit illa: *Ego verò illam terris omnibus, omni opulentiæ, omnibus honoribus, meæ adeò vitæ præfero.* *Quid igitur*, infit Severinus, *usque eò tibi charam animam perdis tam miserè, quando tuis eam consilijs efferas, & efferatam armas in innocentes, reddisque Deo hominibúsq; odiosam? An nescis vitam humanam ex beneficijs consistere, maleficijs everti? An credis quemquam apud homines esse felicem, quo conspecto, quasi bellua quædam è cubili exierit, diffugiant? Hominum benevolentia, quâ nihil sub sole melius, mutuo amore in auxilium commune fœdúsque stringitur, dissolvitur odijs, nocendi cupidine, & vertitur in belluinam discordiam, quâ nihil natura, quam decet esse pacatissimam, potest excogitari nocentius. Hoc age, Regina, ut ad tuum maritum, domestici, externi, propinqui, remoti, indigenæ, alienigenæ, velut ad beneficum sidus certatim advolent, parati se objicere mucronibus, atque ei sua corpora substernere, si per humanam stragem, iter illi ad salutem struendum sit. Sed & hoc vide, ne Dei in te iram excitas, ejúsque manum in te juxtà & in maritum convertas. Nec tu, nec quisquam alius, ejus justitiam effugiet. Tot telis vos boni configunt, quot votis è cœlo contra vos opem accersunt. Rarò siccâ morte obijt, qui injustè fudit alienum sanguinem. Mirum, si decurrit media vitæ spatia, qui vitam innocenti crudeliter abrumpit.* Movit quidem Severinus Regis ac Reginæ animos: sed quæ malignitas est hominibus longo vitiorum usu perditis, redijt uterque ad mala pristina, sed grandi utriusque malo. Nam Odoacer Italiæ Rex bellum Rugis intulit, Feletheum acie devictum duxit in triumpho, unáque Gisam, in Italiâ, inter fortunæ ludibria, vitam exacturos. Monuit quoque Severinus Fridericum Felethei germanum, avaras manus egentium rebus abstineret; caveret inprimis, ne Monasterium, quod Severinus ex asse hæredem scripserat, rapinis attingeret. Visus est Fridericus imperata esse facturus: verùm monitore rebus humanis exempto, revixit in barbaro libido rapiendi: promissa fefellit, & malè perijt à fratris sui filio interfectus.

Cassiod. in Chron.
Paul. Diac. lib. 1. c. 19. de gest. Longobard.
FUNESTUS FELETHEI ET GISÆ REGINÆ EXITUS.

Severini mors incidit in sextum Idus Januarias Anno CCCCLXXX. quem diem sibi ultimum biennio antè fore prædixerat. D. Lucillus Bataviensis Sacerdos grandi jam ævo, nunciaverat, se die postero anniversarium D. Valentino Bataviensi Episcopo celebraturum. Ad hæc Severinus: *Si B. Valentinus hæc tibi celebranda solennia delegavit, ego quoque vigiliarum mearum studia observanda migraturus è corpore derelinquo.* Quod oraculum cùm Lucillus obstupesceret, eò quòd sibi depontano seni crederet priùs, quàm Severino esse moriendum: *Hoc erit*, inquit vir divino Spiritu afflatus, *Hoc erit sancte presbyter, quod audisti, nec enim Domini constitutum humana voluntas præteriet.* Tum lateris dolore correptus, Nonis Januarij, postquam discipulis suprema mandata, pacis osculum, sacrámque Synaxim porrexerat, post exantlatos pro Deo labores quamplurimos, meritorum dives, ex vitæ mortalis ærumnis ad immortalem quietem concessit. Corpus ligneo sarcophago condiderunt, quòd non ambigerent Cœnobitæ, brevi aliò deferendum, pro eo atque ipse prædixerat. Nam cùm Onulphus, quo duce Odoacer Rugos debellavit, Romanarum partium homines, qui in Rugorum confinio perpetuis barbarorum incursionibus expositi degebant, transportaret in Italiam, sexto, postquam Severinus obierat, anno, Lucillus (cujus jam memini) sacra D. Severini Lipsana unà cum asceterij Socijs, putavit in tuto esse collocanda. Priùs quàm se darent in iter, subijt desiderium corporis inspiciendi. Aperto conditorio, repererunt corpus integrum & citra tabis omne vestigium: ne pili quidem è malis, mento, aut capite, defluxerant; Simul spirabat suavissimas odorum delitias, cùm tamen absque pigmentis fuisset depositum. Ergo honorificè humo levatum, detulêre primùm in montem Feletem; deinde Gelasij I. Pontificis voluntate in Lucullano sedem accepit, Mausolæo & populi veneratione nobilem.

XLI. SEVERINI OBITUS.
CORPUS INCORRUPTUM.

Educavit Severinus, eduxítque ad virtutis fastigium viros id ævi celeberrimos, partim castris Favianis in cœnobio, quod isthic condiderat, partim Bojoduri, ubi minus asceterium excitavit. De Lucillo & Constantio aliqua diximus: hunc

D. SEVERINI DISCIPULI.

Laureacensem Episcopum, Eugippius sanctum, Ennodius Ticinensis, istâ ætate florentissimum, nominant. In Severini scholâ prima religionis fundamenta posuit B. Antonius, natus Valeriæ ad Danubium, patre Secundino viro nobilissimo. Patrem cùm octennis amisisset, haud longè pòst D. Severini institutioni fuit commissus. De eo vir sanctus ipso statim initio vaticinatus est complura, quasi jam oculis ea cerneret, quibus præclara Antonij sanctitas egregiè respondit. Constantius Episcopus ejusdem patruus in Severini curas successit, & Antonium velut unum aliquem de multis habuit, nihilo quàm in alios indulgentior, ratus, cognato sanguini se optimè consulere, si remoto consanguinitatis affectu ad exactam virtutis normam illum soli Deo formaret. Et verò illi profuit in tam accuratis manibus adolevisse, & hausisse illam spiritûs magnitudinem, quæ infelicissimis Reipublicæ temporibus apprimè illi fuit opportuna. Grande enim fuit bono juveni certamen cum patriæ charitate, quando Franci, Heruli, Saxones in Pannonias Noricúmque infusi, eum unà cum sodalibus egerunt in exilium, durâ quidem sorte, sed conditione mitiore, quàm si immanes gentis suæ clades spectare debuisset, cùm feroces isti bellatores, (quod D. Severinus prædixerat) non modò omnia ferro flammísque vastarent, sed etiam falsis suis numinibus humanas victimas per summam crudelitatem immolarent, in illos præcipuè sævi, quos vitæ religiosæ comperiebant esse studiosos, rati, se demum fore pios, si pietatem extinxissent. Constantius inter ruentis patriæ casus cœlo terram mutavit. Antonius adhuc adolescens secessit in præcelsum Vallis Tellinæ jugum, ab omni humanâ consuetudine sejunctum, ubi, cùm se totum Deo aliquamdiu impendisset, divertit in Lirinensem insulam, virorum sanctimoniâ nobilem, atque illic, inter instituti sui socios, ultimum vitæ biennium exegit. Hactenus de rerum divinarum in Norico inter Bojos incrementis: consilium est ad res Boicas, sive quæ rempublicam, sivè quæ florescentem religionem spectârunt, promiscuè stylum referre.

Ennod. de vita Anton.





BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS I.
LIBER VI.

Theodonis I. Bojorum Principis genus, Soboles. Theodelinda Boica bis nupta Regibus Longobardorum. Thassilo Rex Boicæ, cui succedit Garibaldus. Reginotrudis Theodonis uxor. D. Rupertus Boicæ Apostolus. Theodebertus Dux. Hugibertus ejus successor. Bulgari in Boica necati jussu Regis Dagoberti Franci. Leges Boicæ. Plectrudis Pipino Heristallo maritata Theodo IV. Hugiberti successor. S. Vitalis clarus miraculis. S. Emerammus Martyr.



I. SCRIPTORUM DIVERSA OPINIO DE THEODONE.

QUibus curæ fuit Boicam fortunam aliquot sæculorum oblivione sepultam in lucem revocare, in Theodonis eruendâ origine & redivivâ sub ipso Bojorum gloriâ, oppidò desudârunt. Quia verò, ut fit ab ijs, qui ad indagandas auri venas, subinde ductis aliò atque aliò cuniculis, terræ viscera rimantur; Scriptores in quærendo Theodone sic in diversa abierunt, ut, quæ fuit fastorum apud Bojos inopia, haud facile sit statuere, quinam ad verum propiùs accesserint. Brunnerus, posteaquam cum Velsero, de aliorum sententijs multa doctè disseruit, tamen & ipse cogitur conjecturis potiùs, quàm certâ fide historiæ, suam fulcire, & quod fit in causis obscuris, redire ad verbum; Non liquet: quamvis hoc cum laude sit assecutus, ut alios à molesto labore refutandi aliena liberârit. Missis igitur Arenpeckij, Aventini, aliorúmque commentis, quæ ille eruditè diluit, nihil ultra vero similia de Theodonis initijs possumus polliceri.

UNDE THEODONIS NOMEN?

De ejus nomine supervacaneum est multa philosophari, sive illud sumamus à Dioto aut Dieto, quam ajunt esse dictionem Celticam, communem titulum priscis heroibus, natum cum Celticæ gentis conditore, uti vult Cæsar, sive à Teutone, quem legimus apud Tacitum, vel Theutate Deo terrâ genito, apud Lucanum:

Cæs. lib. 6. de bell. Gall.
Tacit. de mor. Germanor.
Lucan. lib. 1.

immitis placatur sanguine diro
Theutates.

quem ipsum Mercurium interpretantur ex Platone in Phædro & Philebo, ubi Mercurium aliquando Theut dictum esse scripsit; sive ex Lipsio Theodonem derivemus à Thiede & Thiadon, quibus nominibus gentes nationésque priscis dictas asseruit, post Ostfridum Monachum, apud quem lego, *Fridemo thiote*, quasi hodiernâ vernaculâ dicas *frembde Leuth*, gentes exteras. Diotonem, Dietonem & Theodonem promiscuè usurpat Arnolfus Comes.

Lips. Polyor-cet. lib 1. Arnolf. Com. to. 2. Antiq. lect. pag. 36. & pag. 104.

GENUS THEODONIS.

In Theodonis stirpe vestigandâ, operosiùs quàm in nomine laboratur. Velserus quamvis diligens antiquitatis scrutator, nullis eam vestigijs deprehendit, nisi quòd ex Dagoberti Francorum Regis legibus, quas Boijs jam antè dictatas emendavit, doceat, Theodonem ad Agilolfingos, Agilolfi clarissimi viri nepotes pertinuisse, ex quibus postea Bojorum Principum posteri delecti ex legum præscripto fuerint. Dagoberti verba Brunnerus sic exscripsit: *Agilolfingi verò usque ad Ducem in quadruplum componuntur, quia summi Principes inter nos sunt. Dux verò, qui præest in populo, ille semper de genere Agilolfingorum fuit, & esse debet, quia sic Reges antecessores nostri concesserunt eis: qui de genere illorum fidelis erat & prudens, ipsum constituebant Ducem ad regendum populum illum.* Hæc tametsi Dagobertus, uno, & quod longè superat, sæculo, post Theodonis in Bojos imperium dictavit, ostendunt tamen, quâ ex stirpe Bojorum Duces antè legerentur: cùm autem nullo teste constet, in Theodone descitum esse à gentis instituto, quod semper fuisse Dagobertus asserit; nihil vero propius est, quàm ut Theodonem ex Agilolfingorum stirpe natum esse credamus. Etenim cum legendorum Ducum morem non modò Dagoberto Rege viguisse ex ejus verbis manifestum est, sed prioribus etiam temporibus; quam annorum diuturnitatem, si, ut verba legis præferunt, retro ad superiora sæcula revocemus, jus istud præcipuum ac proprium Principum Agilolfingorum non ad Francorum duntaxat tempora, sed Gothorum etiam, Hunnorum, & Romanorum imperium porrigetur. Ita non est cur asseramus, Agilolfingorum dignitatem manasse à Francis. Longè antiquiorem ejus originem ostendunt verba Dagoberti, qui eam refert ad suos antecessores, qui non modò Franci, sed etiam Francis vetustiores esse potuerunt.

AGILOLFINGORUM DIGNITAS.

II.

QUO EX LOCO THEODO VENERIT IN VINDELICIAM.

De Theodonis in Vindeliciam adventu, déque tempore profectionis, tametsi consentiens est domesticorum Annalium opinio, nata fortassis ex unius scriptoris audaciâ, quam confirmârit incuriosa sequacium credulitas; cùm sine anniore teste sit, meritò potest revocari in dubium, quantum debeatur fidei hominibus, qui multis post rem gestam sæculis nati, nihil certi adferunt, quo ostendant locum, unde Theodo profectus sit, quíque perinde in hoc capite errare potuerunt, atque errârunt (quemadmodum præclarè demonstrat Velserus) in recensendis auxilijs, & successu istius profectionis. Nolim tamen à cæterorum consensu discedere, modò ne fingant, Bojos in Vindeliciæ finibus & Norico, contrà ac superiùs visum est ex Strabone & alijs, ante Theodonis adventum non fuisse. Id si non inficientur, nihil vetat credere, Theodonem è Nariscis profectum venisse in cæteræ Boicæ Principatum, jure Agilolfingorum, & gentis universæ suffragatione, electionem probante Ostrogothorum Rege Theodorico, qui rerum in Italiâ, Rhætia, & Norico eâ tempestate potiebatur.

Cassiod. de Rhet. lib. 1. Ep. 1. & lib. 7. Ep. 4. de Noric. lib. 3. Ep. 50.

BOICA GOTHORUM CLIENTELA.

Nam ut sub Theodone Bojos occupasse per vim Vindelicos, colonias deduxisse in Noricum negemus, persuadet Theodorici potentia, quem Regum omnium suæ dignitatis retinentissimum, florentibus ut maximè Gothorum rebus, non est credibile eousque sui fuisse oblitum, ut amplissimas provincias à suo Regno passus sit hostili manu divelli, tantò ignaviùs, quò turpius est parta amittere, quàm nunquam acquisivisse. Id dedecus Theodorico affingi non finit continuus victoriarum cursus, & potentia non Boijs modò, sed etiam validioribus nationibus formidabilis. Certè Ennodium insignis vanitatis arguere necesse habent, qui charitate in patriam nimis profusi, triumphos ex vano comminiscuntur Theodoni, quos duxerit velut inspectante & spreto Theodorico, qui, ut bonus iste orator in Panegyrico, quem Regi dixit scripsitque, solebat dicere, ***minui imperium, quod non cresce-***

III.

Ennod. in Paneg. Theodor.

cresceret. Si bella, inquit, *Regis mei numerem, tot invenio, quot triumphos: congressui tuo nullus hostium, nisi qui tuis laudibus adderetur, occurrit: militavit trophæis, qui restitit voluntati: Nam semper aut pietati tuæ peperit subjectus gloriam, aut qui præsumpsit, tela virtuti. Qui te in acie conspexit, superatus est; qui in pace, nihil timuit.* Pannonias, devictis Gepidis sive Bulgaris, subegit, Visigothorum fortunam ruentem sustentavit, submisso in Galliam & Hispaniam auxilio, Francis nequicquam frendentibus. Cohibuit Orientis Imperatores, ne Italiam bello repeterent: Vandalos repressit in Africâ: Alemannos (quod Cassiodorus non siluit) superavit, indéque Alemannici titulum est assecutus; cultus fuit Germanicarum gentium prensationibus, muneribus, ab extremis usque Oceani finibus. Ut verò Boij, qui solo Lyco flumine passim vadoso ab Alemañis dividebantur, qui à Germanis proximè aberant, potioris quàm illi fortunæ fuerint, majorúmve virium, sine teste non potest citra temeritatem affirmari. Ergo id unum superest, ut dicamus, Theodonem Theodorici voluntate & benevolentiâ, ex prisco Boicæ gentis usu, clientelarem Principatum accepisse, ne vi & ingratijs tentaret, quod sponte & lubentiâ illi Rex erat permissurus. Demus itaque, Theodone Duce, Bojos in Gothorum fidem receptos, beneficiariâ libertate sic fuisse gavisos, ut tamen leges Gothicas, quas Theodoricus Rex edicti nomine vulgavit, sequerentur, donec Franci, occupatâ Alemanniâ viciniśque Provincijs, alias dictaverunt.

Procop. lib. 1. Goth. Cassiod. in Fastis. Cassiod lib. 5. Ep. 2. Ennod. in Paneg.

IV.

LEGES BOICÆ.

Plutarch. lib. de virt. mul. Tacit. de Mor. Germ.

GERMANORUM CONSULTATIONES.

Quia verò præcipua Reipublicæ fundamenta in judicijs & lege subsistunt, non erit extra rem, de Bojorum institutis nonnulla attexere. Longè ante Theodoricum & Theodonem fuêre ex Celtarum & Germanorum more, publicæ judiciorum rationes, quæ seriùs in scriptarum legum notam transierunt. Nam Celtæ quidem, quod Plutarchus meminit, mulieres, eò quòd dextrè aliquando implacabilem virorum discordiam, causis cognitis, & æquabili sententiâ composuissent, solebant in consultationes admittere. Hoc ipsum, teste Tacito, faciebant Germani, quòd crederent, efficaciùs obligari civitatem, si inter obsides puellæ quoque numerarentur: Quin etiam fœminis inesse sanctum quiddam & providum arbitrabantur, nec earum consilia aspernabantur, aut responsa negligebant. De rebus minoribus Principes consulebant, de majoribus omnes, & quidem apud Principes, ex quibus, prout cujusque ætas, nobilitas, decus militare erat aut facundia, unus in publico cœtu audiebatur, authoritate magis suadendi, quàm jubendi potestate. Si ejus sententia displicebat, à multitudine fremitu reijciebatur: Sin placebat, framearum concussione (nam armati considebant) laudabatur. Primæ judiciorum congressiones fiebant inter pocula, quòd putarent candidiùs calentes animi sensus, mero incitante, aperiri. Quod tunc placuerat, postridie revocabatur ad libellam, & demum ratum fixúmque erat, quod serij sobrijque statuissent. Tum verò nullas habebant scriptarum legum tabulas, ut viri pariter ac fœminæ omnes litterarum omnino rudes essent. Moribus igitur & recepto à majoribus usu atque memoriâ, pœnas, præmia, jura, quantum per ævi ruditatem licebat, decernebant.

LEGES THEODORICI REGIS VISIGOTHORUM.

Successerunt Theodorici Visigothi leges, longè quàm antiquitatis placita explicatiores, quibus non dubium est Bojos, Theodorici amicitiam studiúmque professos, gessisse morem, nec permissos suo arbitrio vivere, dum occupato per Francos dominatu, Theodoricus Francorum Rex Boicam alio jure, quod Bojorum genti attemperavit, uti voluit, antiquato Theodorici Gothi decreto. Eò ventum his gradibus & rerum conversione. Clodovæus I. Childerico Francorum Rege defuncto, pulsis è Galliâ Romanis anno Christi CCCCLXXXIV. ad sceptrum vocatus, quod ante quingentos & viginti novem ampliùs annos Julius Cæsar arripuerat; anno demum CCCCLXXXIIX. Siagrium, qui Suessionensem Comitatum Romani imperij nomine eousque tenuerat, bello victum unà cum Romanorum in Galliâ dominatu prorsus extinxit. Biennio post Clotildam Principem Burgundici sanguinis, quæ illi suscipiendæ Christianæ religionis dux & author fuit, nuptam accepit. Tum anno CCCCXCIX. in Alemannos, quod

CLODOVÆI FACTA.

Gregor. Turon. Ado. Aernand.

V.

Sicambris Francorum socijs bellum intulissent, coortus, edito legis Christianæ profitendæ voto, cùm acies Francorum summopere laboraret, occiso Alemannorum Rege, memorabilem victoriam reportavit, eóque pavoris adegit gentem universam, ut illi quoque, qui in Gothorum fidem concesserant, Theodorico Rege deprecatore, ad servandas expirantis fortunæ reliquias, uterentur. Quocirca Gothus victoriam Clodovæo gratulatus, Alemannis impunitatem vitámque exoravit. Clodovæus voti damnatus, Christo se adjunxit, doctore D. Remigio, quem de piorum civilitate & mansuetudine verba facientem audivit, cùm inter cætera diceret: *Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendisti, incende quod adorâsti.* Hisce initijs Gothorum in Germania imperium nutare cœpit, Francorum erigi, tametsi Theodoricus Italiæ Rex, Romæ magno plausu acceptus, vetera Urbis miracula (uti ait Cassiodorus) magnificentiâ interea temporis superârit, Bulgaros in Pannoniâ devicerit, Sirmium invaserit, Hispaniâ Gesalaricum regni incubatorem exegerit, tandémque rebus præclarè gestis anno DXXVI. Athalarico puero sub matris Amalasuenthæ ingentis spiritûs fœminæ tutelâ, florentissimum regnum reliquerit. Clodovæus eâ parte regni Burgundici, quæ cis Ararim est, potitus, cùm Alaricum Visigothorum Regem in campo Vocladensi pertinaci pugnâ cecidisset, & deletis aliquot Regulis, regni sui fines ad extremas ferè Gallias protulisset, potentiam magnis auctam accessionibus, inter filios partitus, fato concessit. Parisios obtinuit Childebertus natu maximus: Clotharius Suessiones; Clodomirus Aurelianum: Theodoricus Nothus Mediomatrices cum provincijs cis & ultra Rhenum subactis, ad quas pertinuerunt Alemanni. Et is quidem Theodoricus fuit, qui devictis Burgundionibus, Turingos invasit adjutore fratre Clothario. Theodorico accessit Franconia, sive vetus Francia, unde Paulus Æmilius affirmat, Francorum imperium ad Bavarorum usque confinia fuisse protensum.

CLODOVÆUS BAPTIZATUS.

Sigon. ad an. 506.

CLODOVÆI REGNUM IN QUATUOR PARTES DIVISUM.

Procop. an. 529. Gregor. Turon.

VI.

Quibus ex rebus promptum est colligere, Bojos tot vicinarum gentium cladibus monitos; cùm, demortuo Theodorico Italiæ Rege, in Gothis nihil aut parùm esset subsidij, sese accommodâsse tempori, & prudenti consilio in Francorum fidem clientelámque concessisse, ne pari cum vicinis Alemannis fortunâ, victricia illorum arma cogerentur experiri, & ab iratis immitiores leges, quàm benignitate moderatas ab amicis accipere. Neque enim præstantibus in republicâ gubernandâ viris, laudata est in unâ sententiâ perpetua permansio: sed ut navigando obsequi tempestati artis est, etiamsi portum tenere nequeas: cùm verò id possis mutatâ velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis, potiùs, quàm eo mutato, quò velis, tandem pervenire. Ita cùm non esset credibile, Francos rebus ex voto fluentibus quieturos, quamdiu spes esset ultrà dominandi, nihil ambigam, Bojos leges à Theodorico accepisse, & eo quidem tempore, quando is viris sapientiâ, magno rerum usu, juris peritiâ & ætate præstantibus id dedit negotij, ut in unum contraherent rectam gerendæ Reipublicæ rationem, quæ pro modo singularum nationum Alemannos, Bojos ac Francos in officio contineret: Illud verò inprimis attenderent, ne quid scriberent, quod à divinâ lege, quæ omnis recti fons est & æterna regula, ullo pacto dissentiret: sed omnia, quæ dictarent, essent ejusmodi, quæ priscarum consuetudinum barbariem humanâ modestiâ, sacra verò impia fœdósque ritus purâ religionis sanctitate mutarent. Tale jus ab ipsis scriptum Theodoricus Boijs edidit, paucis antè annis, quàm Justinianus Romanas leges orbi publicaret. Legum Boicarum extat in manuscripto, & Parisiensi editione hoc procœmium. *Prologus legis Bajoariorum.* In editione Heroldi: *Prologus legis Salicæ.* Sequuntur hæc: *Theodoricus Rex Francorum jussit scribere legem Francorum, Alemannorum, & Bojariorum.* Theodoricum autem Clodovæi filium signari, potest colligi ex sequentibus. Jam verò *quicquid Theodoricus propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, postea Childebertus Rex inchoavit, sed Clotharius perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex gloriosissimus, per viros illustres Chladio, Chadoindo, Magno & Agilulfo renovavit.* Atque ista quidem de subjectione, quam Boij sub Gothis & Francis subierunt.

Cicer. lib. 1. ad famil. ep. 9.

LEGES THEODORICI REGIS FRANCORUM.

Cæte-

Cæterùm in magno veterum litterarum ſilentio nihil eſt, cur Theodoni ſine cauſâ multos affingamus triumphos, ex meris Arenpeckij & Aventini commentationibus, & bellis prorſus incompertis, quaſi res admirabiles unicâ cohorte, quam vocant millenariam, cœperit, & acceptis tum Regulorum gentis ſuæ, tum magnæ Germaniæ auxilijs geſſerit: ſufficiat dixiſſe, cum genti ſuæ, probantibus Regibus, præfuiſſe, & bene geſto Principatu fatis conceſſiſſe anno Chriſti DLIIX. poſt Theodorici Gothi ante annos duodecim, Theodorici verò Franci ſeptem annos è vivis exceſſum. THEODONIS OBITUS.

Theodoni duos fuiſſe filios perſuaſum habet Velſerus, Utilonem ac Theodonem: & Utilonem quidem Boicâ potitum: Theodonem verò natu minorem cognomine Vacarum, id eſt, intrepidum, bellicis factis ad fortunæ excelſa aſpirantem, in Italiam eſſe profectum. Brunnerus Arenpeckium ſecutus, ſolum Utilonem admittit Theodonis patris ſucceſſorem, expuncto Vacaro & Theodibaldo, quem nonnulli in Theodonum familiam ſine tabulis adoptant. Alioqui probabile eſt, Utiloni Theodonem aliquem, ſed diverſum à Vacaro (quem aliqui Varnum & Burnum dicunt) fratrem fuiſſe, qualis unus apud Agathiam legitur, vir magni nominis in exercitu Narſetis Ducis Juſtiniani Imperatoris: vel ſi Theodonem Utiloni germanum fratrem negemus, fateri oportebit, duos ordine Theodones Boijs præfuiſſe: eò quòd ille, quem paulò pòſt faſtigio admotum videbimus, à pleriſque domeſticis Scriptoribus Theodo tertius appelletur. Quòd ſi verò Theodo Vacarus à principe Bojorum ſtirpe reſcindatur, haud dubiè Theodibaldus ejus apud Agathiam filius, ad Boicum ſtemma non pertinebit. Cæterùm Utilo naturæ debitum exolvit anno Chriſti DLXV. qui annus Juſtiniano quoque Imperatori fatalis fuit. Præceſſerat ante quinquennium peſtilitas inguinaria, plurimorum hominum funeribus mœſtiſſima. Ea lues in Oriente accenſa, trans maria per ingentia terrarum ſpatia delata in Italiam, tot luctibus florentiſſimas regiones implevit, ut mortales, velut exuti omni humanitatis ſenſu, ſe mutuò averſati, ſolum exilio vertentes, ad puriorem auram diffugerent, cum tantâ conſternatione, ut parentes liberis, liberi parentibus ultima pietatis officia negarent, cùm nemo eſſet, qui projecta paſſim virorum ac mulierum cadavera legeret, conderetque ſepulchris, deficiente libitinâ. Vis enim mali tam erat ineluctabilis, ut, quem peſtilentiſſimus halitus ſemel afflâſſet, enaſcente ad inſtar nucis glandulâ, & furioſo febris ardore, die tertio conficeretur. Quæ mortis diritas paſſa non eſt ſe alpium clauſtris coërceri, ſed Bojariam, Alemanniam, & extimas Auſtraſiorum oras pervagata, infinitam hominum multitudinem abſumpſit, tantâ ubique ſolitudine, ut, cùm arvis coloni deeſſent, pecora incuſtodita pererrarent, & tellus ubique ſuos requireret habitatores.

Velſer. pag. 160.

VII. THEODONIS FILII.

Agath. lib. 1.

UTILONIS SUCCESSORIS MORS.

Paul. Diac. hiſt. Longob. lib. 2. c. 4.

INGENS PESTILITAS.

In Italiam tot penè exhauſtam funeribus anno DLXIIX. ſucceſſit Longobardorum irruptio, & principium novi Dominatûs, cujus mentio à nobis non eſt prætereunda, ne cogamur non pauca de rebus Boicis, quæ Longobardicis connexa ſunt, præterire. Longobardi, ferox populus, poſteaquam Pannoniam ab anno DXXVII. (quo primùm, Dionyſio Exiguo Abbate Romano, natione Scythâ authore, anni cœpti ſunt à Chriſto numerari) eáſque provincias, quæ hodie Auſtriæ nuncupantur, armis occupatas ad annum uſque DLXIIX. tenuerat, cum Alboini Regis auſpicijs Italiæ ſunt infuſi. Jam antè Gothis in Italiâ debellandis operam locaverant, hoc ipſo ſuſpecti, ne pactâ cum Narſete amicitiâ, redeundi, & regni invadendi conſilium ſuſcepiſſent. Quamquam non defuerunt Italici cœli ſolique illecebræ, quæ eos ad ſemel deguſtatas delitias invitarent. Venerunt in partem ejuſce expeditionis Saxones, Gepidæ, Bulgari, Sarmatæ, Pannones, Suevi, Norici gens Boica, ingens hominum multitudo, unde terror magnus Italiæ, quem auxit recordatio rerum à Longobardis geſtarum ſub Narſete, & crudelitatis, quam non modò direptionibus, incendijs & cædibus, ſed etiam fœdâ libidine cæteriſque flagitijs in amicos perinde atque in hoſtes exercuerant. Alboini adventum viſa ſunt præſagire ſpectra terrifica, quæ ad Septentrionem

LONGOBARDICI REGNI IN ITALIA INITIUM.

Paul. Diacon. de reb. geſt. Longob.

VIII.

Procop. de bell. Goth. l. 3.

S. Greg. hom. 1. in Evang. Paul. Diac. lib. 1. c. 5.

nem in aëre apparuerunt specie bellatorum, infestis signis in acie congredientium. S. Redempto Ferentinati visus Eutychius Martyr, auditúsque tertiò hæc verba repetere: *Finis venit universæ carnis*: tempus videlicet malorum Italiæ impendentium, & ruentis in Oriente Imperij.

HUNNORUM BELLA IN BOIOS.

Qui è Boicâ se Alboino junxerunt, ejus assensu, cùm Italiam occupasset, sedes acceperunt inter Longobardos, bene navatæ operæ præmium, & constantis in posterum fidei auctoramentum. Boijs Noricis, qui Pannoniæ erant confines, ex Longobardorum in Italiam migratione hoc provenit incommodi, quòd Hunni in migrantium possessiones precariò admissi sunt, eâ lege, ut, si quis casus Longobardos in Pannoniam cogeret reverti, Hunni, qui & Avares, redeuntibus provincias ultro restituerent. Verùm cùm neque acceptis regionibus dominandi libidinem continerent, neque finitimis parcerent, continuas propè cùm Boijs inimicitias & bella gesserunt. Alboinus Mediolano, regnóque Italico potitus, Rosimundæ Gepidarum regis filiæ insidijs interfectus, Clephoni vacuum solium reliquit. Huic successêre triginta Duces anno DLXXVI. Longobardis ita volentibus, ne unius arbitrio rerum summa deinceps permitteretur. Regno ad eum modum diviso, Italia tot sensit Tyrannos, quot Duces, qui cùm rem gessissent improsperè per decennium, quòd eorum magistratui fuerat decretum, Longobardi Reipublicæ priorem formam revocandam esse censuerunt.

Sigon. de bell. Ital. lib. 1.

IX.

AUTHARIS REX LONGOBARDORUM.

Deliberantibus in publicis regni comitijs de rege eligendo, Autharis Clephonis filius, virtutis opinione & sanguinis prærogativâ clarissimus visus est omnium aptissimus, cui regni fasces committerentur. Is, ad augendam imperij majestatem, Reges voluit Flavios in posterum appellari, Romanorum Imperatorum exemplo: unde ipse primus Flavij Autharis nomen accepit: atque is ipse est, qui ob contractam cum Boico sanguine affinitatem, non debuit in Boicis annalibus præteriri.

GARIBALDUS DUX BOIORUM.

Per id temporis, Garibaldus Dux Boicæ imperabat. Ejus patrem nemo veterum prodidit; Aventinus ariolandi confidentiâ, Theodoperti filium nuncupavit. An verò idem sit cum eo, quem Paulus Diaconus Garibaldum Boicæ Regem, maritum Vuldotradæ, à quâ Clotharius Francorum Rex diverterat, incertum est: illud certius, fuisse ex gente Agilolfingorum. Ille quamvis Francis clientelari nexu foret obnoxius, tamen ut suos fines adversus crescentem indies Longobardorum potentiam firmaret, filiam despondit Evino, uni de triginta Longobardorum Ducibus, qui Tridento erat præfectus. Franci, quò minùs istam affinitatem injussu suo contractam in præsens ulciscerentur, prohibebantur abs Labano, Amone & Rhodano Longobardis è triginta Ducum numero, qui trajectis alpibus, Guntramno Aurelianensium Regi bellum faciebant. Verùm posteaquam prælio superati in Italiam rediverant, Crannichis Guntramni Regis legatus militaris alpes transgressus, Tridento expugnato, Evinum Garibaldi Boij generum totâ ditione ejectum, retrusit in Italiam, unde cum Longobardorum suppetijs reversus, pugnâ Salurnis commissâ, & Crannichide interempto, Tridentum recuperavit.

THEODELINDÆ CUM AUTHARI LONGOBARDORUM REGE MATRIMONIUM.

X.

Joan. Marian. lib. 6. c. 1.

Garibaldus ob eam victoriam Longobardis addictior, affinitatem junxit cum Rege Authari. Habebat præter Evini conjugem filiam alteram Theodelindam, principem virginem, in quam cœlum omnia corporis animique decora videbatur contulisse. Autharis à Longobardis rex salutatus, spe pacis à Francis obtinendæ Clodosindam Sigeberti Mediomatricum Regis filiam ambiverat, & à Childeberto virginis germano ejus potiundæ promissum acceperat: verùm ut vacillant sæpe futuri matrimonij sponsiones, Clodosinda Reccaredo Gothorum Regi, qui Badâ Reginâ defunctâ Hispaniæ regnum obtinebat, in manus convenit, eò maximè, quòd Reccaredus nuper Hermenigildi fratris exemplo, desertâ Leovigildi patris Arianâ perfidiâ, ex Leandri Episcopi Hispalensis institutione, Christiana sacra suscepisset, Authari nondum vanâ deorum religione expedito. Ad hoc consilij non parùm momenti attulit Gothica potentia, quæ longâ annorum pro-

prosperitate roborata effecit, ut is sponsus placeret magis, qui sperabatur fore utilior. Autharis repulsam passus, multáque de violatis Franci promissis conquestus, sua vota ad Regis Garibaldi affinitatem convertit, & quam ad nuptias expetebat Theodelindam, non ægrè impetravit. Eâ re per legatos confectâ, Autharim visendæ sponsæ juvenilis ardor incessit, ne alienis potiùs oculis quàm suis, quæ de sponsæ formâ, præclarisque virtutibus acceperat, usurpâsse videretur. Ergo per speciem regiæ legationis, sene quodam è familiaribus fidissimo, paucisque alijs, qui aliquam pompam facerent, comitantibus, ipse alienum habitum mentitus se Veronâ in Bojariam contulit. Ut fuerunt admissi ad Garibaldi colloquium, senex, qui primas fictæ legationis partes agebat, regis sui nomine, quæ se in mandatis ajebat accepisse, peroravit. Autharis in scenâ personatus, addidit ad ea, quæ senex dixerat, se à Rege Authari, quæ pars altera, causáque sui adventûs & legationis esset, jussum, cum bonâ Garibaldi veniâ, Theodelindam salutare, ut, inspectâ coràm ejus formâ, sponso cum fide referret, quæ oculis accepisset. Ea civilitas Garibaldo placuit. Licebit utique tibi (inquit) os habitúmque sponsæ visere, & Authari referre. Ergo adducitur Theodelinda, eâ morum & vultûs elegantiâ, ut Autharis tacitè virginem admiratus, cuicunque fortunæ & dignitati parem judicaret. Tum conversus ad Garibaldum: satisfactum quidem est Regis, domini mei desiderio; sed ignosce obsecro meæ confidentiæ, si alterum quoque beneficium regis mei verbis à te rogito, ut dicar probè functus meâ legatione. Et illud quidem est, ut à te impetrem eam gratiam, quâ Theodelindam jubeas, quippe quæ Regni, nostrûmque omnium propediem imperium aditura est, sui in Regem amoris, & propensi in gentem nostram affectûs tesseram, hospitalem videlicet pateram, in Autharis salutem mihi benignè prælibare. Et hoc per me licet, inquit Garibaldus: Tu verò filia poculum tempera, & hospitibus propina more patrio. Fecit illa, quod erat jussa à parente, & prælibatum craterem seni, potiori legationis mimo, porrexit, tum deinde Authari. Is cùm virgini pateram redderet, manum ipsius digito pressit, nemine advertente, & crescente fidentiâ palmam explicatam duxit per frontem cæterámque faciem erubescentis, nec obscurè hospitis libertati irascentis. Quâ de re cùm apud nutricem indignabunda querelas deponeret, diceretque, petulantem hospitis audaciam ad sponsi injuriam pertinere, quæ certè non deberet dissimulari; ne credi aliquando posset, Theodelindam famæ, pudicitiæque hactenus illibatæ, os, frontémque delibatam suâ culpâ ad sponsum attulisse; nutrix acerbè quiritantem solata monuit, à querimonijs in præsens sibi temperaret, sibi haberet potiùs persuasum, neminem præter Regem Autharim id ausum esse, brevi certò comperturam, sponsum ipsissimum esse, qui sibi id licentiæ sumpsisset, quam nullus alius, nisi capitis periculo tentâsset. Et si à morum majestate, & totius oris corporisque compositione verè regiâ liceret ratiocinari, urbanitatem longè excellentissimam, flavam cæsariem, vultûs amœnitatem plenam dignitatis, Regem prodere: quare ne dubitaret sponsum, incognitâ licèt specie, adfuisse. Pacata his dictis Theodelinda, dolorem pressit, quem cùm Autharis ex rubore, & contracto ad iram vultu notâsset, magnopere fuit recreatus; quòd non nesciret, frontem verecundam, animum joci licentioris impatientem, horrorem contactûs alieni, non modò bonos esse custodes, sed etiam judices intaminatæ pudicitiæ. Cùm Garibaldo valefecisset, nobili Bojorum comitatu iter est ingressus. Italiæ finibus imminens, se honorarijs stipatoribus hoc signo prodidit: Equo, quo vehebatur, assurgens, toto nisu securiculam manuariam arbori, ad virium ostensionem impegit, cum dicto; sic solet ferire Rex Autharis. Quibus verbis, Boijs comitibus omnis est abstersa dubitatio, bellum istum legatum, esse ipsum Longobardorum Regem. Contigêre hæc anno Christi DLXXXIX. cùm pestis inguinaria, alterâ vice recrudescens, innumeram hominum multitudinem, ipsúmque Romanum Pontificem Pelagium, cujus precibus se stare urbs arbitrabatur, sustulit 8. Id. Februar. ut habet Sigonius, anno DXC. Eodem Sigonio teste, Autharis abjectâ gentilitate, cum

Aimoin. lib. 3. c. 77. Paul. Diac. lib. 3. c. 14. Sigon.

XI.

An. Christ. DLXXXIX.

cum suis lapsus est in Arij errores, & ferijs Paschalibus Longobardorum liberos jussit vetere quidem Ecclesiæ ritu, sed in fide Arianâ expiari.

An. Christ. DXC.

XII.

Childebertus Franciæ Rex Tridentinos vastat. *Sigon. de regn. Ital.*

Sub id temporis Childebertus ingentes fecit contra Longobardos belli apparatus. Ut Garibaldum Authari subtraheret, Bojos, antequam vim adferret Italiæ, Cedino duce, putavit esse petendos. Primum impetum excepit ager Tridentinus, in eo, contra datam fidem, solo æquata sunt, Maletunum, Sermosanum, Tesana, Apianum, Fagitana, Cimbra, Brixanum, Brentonicum, Balenesene, Mase, duo præterea oppidula in Alsucâ, & unum in Veronæ confinio. Cives omnes abducti in vinculis, triste miserorum spectaculum. Castrum Ferugense, ne, instar cæterorum, ferro & igne exscinderetur, magnis precibus impetrârunt à Francis, Ingenuinus Salvonensis, quem Sabionensem vocat Sigonius, & Agnellus Tridentinus Antistites ordinis sacri reverentiâ. Additum tamen redemptionis pretium, solidus unus in singula capita, ita disertè Paulus Diaconus, & Aimoinus. Fuêre autem capita universim sexcenta. Boicam subactam volunt aliqui, & Garibaldum quidem interemptum: sed alij scribunt, in Italiam ad generum Autharim profugisse. Ne Theodelinda, Autharis sponsa, istâ belli tempestate involveretur, maturè consultum est. Gundoaldus ejus germanus ipsam deduxit ad sponsum. Autharis, cognito ejus adventu, venienti cum honestissimo comitatu prodijt obviam, exceptámque in campo Sardicensi supra Veronam Idib. Maij, regio apparatu sibi despondit. Pompam genialem honestavit Dux Agilulfus, quem & Agonem dixêre, Dux Taurinensis, unus è Longobardis Principibus. Habebat ille in comitatu aruspicem, cujus vaticinijs multum tribuebat. Huic obtigit argumentum ariolandi ipso die nuptiarum. Ortâ enim gravi tempestate, cùm cœlo turbato fulmen regij conopœi tignum adflâsset, ariolus prædixit, isto fulminis ictu portendi, novam Autharis nuptam, Agilulfi thoro olim designari. Quod præsagium ne manaret in vulgus, vel apud Autharim Agilulfo conciliaret invidiam, Agilulfus vati silentium indixit, denuntiatâ capitis pœnâ, si rem proderet. Ego quidem, respondit Magus, capite possum minui, sed quæ portenduntur fata, ne meo quidem interitu possunt prohiberi, quò minùs suæ destinationi, tibíque ad Reginæ nuptias, vim inveniant. Vaticinio respondit eventus anno DXCI. Nam Autharis, postquam sexennium regnaverat, eo ipso tempore, quo de pace cum Childeberto, interprete Guntramno Franciæ Rege, viro insignis sanctitatis, Childeberti patruo, agebat per legatos, immaturâ morte, fatali veneno (uti tradunt) Papiæ nonis Septembribus repentè sublatus, vacuum Agilulfo thorum reliquit.

Paul. Diac. l. 3. c. 15. *Aimoin. lib. 3. c. 83.*

Boica subacta. *Sigon. lib. 1.*

Paul. Diac. l. 3. c. 14. Vaticiniū de Agilulfi nuptiis.

Mors Autharis. An. Christ. DXCI.

XIII.

Nuptiæ Theodelindæ cum Agilulfo.

Etenim Longobardi, accepto de Regis sui nece peracerbo nuntio, coactis properè Ticini Procerum comitijs, legatos miserunt in Galliam pacem petituros, déque Rege creando deliberârunt. Placuit in commune, ut Theodelindæ omne regis eligendi suffragium deferretur, eâ lege, ut, quemcunque illa sibi maritum optaret, idem regno, simul & ejus connubio potiretur. Illa, audito virorum sapientûm judicio, Agilulfum Taurinatium Ducem legit, virum fortem & dignum imperio. Pompæ nuptiali Laumellum oppidum dixit. Eò vocatum Agilulfum cùm ad familiare epulum admisisset, jussit adferri poculum vino temperatum: quod cùm Agilulfo prælibâsset, quod erat reliquum, obtulit ebibendum. Is cùm, accepto cratere, Reginæ dextram honoris causâ basiaret, Regina verecundo suffusa rubore: Id verò nunc (inquit) agitur Agilulfe, non ut suaviere manum, sed, nisi per te stat, os Reginæ, Maritus, Rexque futurus osculeris; mox erecta ad osculum, de nuptijs, si eas ipse quidem probaret, déque adeundo regni fastigio suam ipsi mentem aperuit. Secutæ sunt privatæ conjugij cæremoniæ ineunte Novembri, gratulante Longobardorum, qui tum pauci aderant, Procerum coronâ, & salutante Regem Agilulfum. Sequenti deinde Majo, in publico Principum cœtu, Agilulfus donatus est Mediolani regni insignibus, in quibus corona aurea ferreo annulo, Theodelindæ jussu, interiùs circumducta: quam ex eo tempore in usu fuisse memorant, quoties peracta fuit Italiæ Regum inauguratio, coronæ ferreæ nomine retento.

Corona ferrea Mediolani.

Id

Id per Theodelindam agebat adorandum divinæ mentis consilium, ut ejus ductu Longobardorum natio, repudiatis Arij erroribus, sinceram Catholicæ fidei puritatem, quâ nihil poterat dari è cœlo optabilius, amaret, & amatam unà cum Rege amplecteretur. Quod, quia ab Authari nullâ potuit industriâ impetrare, ab Agilulfo demum obtinuit, quà prece, quà sacrâ mysteriorum explanatione, effecta magistra pietatis, Dúxque ad beatam æternitatem. Agilulfus sacris undis ablutus Petri nomen accepit: an verò Theodelinda domi paternæ religionem combiberit, an meliori institutione in Italia, quàm in Norico sit usa, in ambiguo est, vero tamen similius est, è patria attulisse bonam indolem & initia pietatis, & ejus absolutionem hausisse in Italiâ. Sed illud est majus omni admiratione, quòd, cùm id ævi virorum sapientissimorum copia non deesset, Deus uno eodémque sæculo, tres potentissimas totius Europæ nationes, nomini Christiano quamlibet infensissimas, ad mansuetudinem Christi adjunxerit per totidem fœminas; Francos in Galliâ per Crotildem Burgundam, Gothos in Hispaniâ per Ingundem Francam, Longobardos in Italiâ per Theodelindam Bavaram, quibus gens Boica accessit per Francam Reginotrudem. Agilulfus & uxoris suasu, & ductus vitæ superioris pœnitudine, sacras opes, & Ecclesias bellis vehementer afflictas cœpit instaurare, novisque cumulare possessionibus, Antistites, quos temporum acerbitas valde depresserat, pristinis honoribus reddere. Gregorius Pontifex verè Magnus, actis Theodelindæ per litteras gratijs, id egit, ut Regi Agilulfo author esset, pacis cum Romanis cæteráque Italiâ, quam Longobardi totam nondum subegerant, ineundæ: cùm datis ad Italiæ Episcopos mandatis, eos jussit Longobardorum filios, nuper in hæresi Arianâ perperam ablutos, fidei Catholicæ conciliare. Agilulfus nihil habuit antiquius, quàm ut pacem Italiæ redderet: quam ad rem Agnellum Tridenti Episcopum mitit in Franciam, qui captivos, ex agro Tridentino nuper abductos, redimeret: Evinum Tridentinorum Ducem ei dedit comitem, cum mandatis, ut pacem agi cœptam, daret confectam. Episcopus benignè acceptus, complures mortales in libertatem asseruit, Brunechilde Reginâ, Childeberti Regis matre, quæ suo ære multos vinculis exemit, adjuvante. Evinus ad certum annorum numerum inducias impetravit, quæ renovatæ sæpius arma Francorum continuerunt, ne in Longobardos stringerentur.

Conversio Longobardorum ad fidem. XIV.

Pax Italiæ.

Interea Childebertus ulturus patris, ac patrui necem, Fredegundis Chilperici conjugis fraude patratam, numeroso duorum regnorum, Austrasiæ & Burgundiæ, exercitu vallatus, dum fidentiùs, quàm cautiùs in Suessiones ducit, à Fredegunde, & Clothario adhuc lactente, circumventus, victúsque, amissis triginta pugnatorum millibus, ex acie discessit. Subinde integratis copijs, movit in Varinos, quos Aimoinus Varuos nuncupat, populos Germaniæ trans Rhenum, qui rebelles arma induerunt, gentémque propè universam internecione delevit. Mox erectus tantâ victoriâ, Garibaldo Bojorum Regi sive occiso, sive, quod alijs placet, in Italiam profugo, & rebus perditis, haud diu superstiti, Thassilonem regio insignem titulo suffecit. Id decus aliquantisper Thassiloni mansisse, ex Paulo colligitur: sed ut mollia sunt rerum initia, progressus verò proferendorum imperiorum duriores; Francus Bojorum animos, specie beneficij debnitos, eò trahebat, ut sibi clientelari nexu devinciret. Certè Thassilonis operâ in rem suam usus est, quando cum hostibus, quos infestos gravésque credebat in Austrasiæ fines irrupturos, opposuit felici consilio. Nam Thassilo (quod Paulus prodidit) partâ insigni victoriâ, magnis onustum spolijs exercitum reduxit in Boicam. Conflatæ erant barbarorum copiæ ex Zechis, natione Sarmaticâ, quæ aliquando Bojohæmum tenuit, & ex Carantanis, qui ex oris Dalmatiæ progressi, Norici partem ad sinum Hadriaticum vergentem insidentes, Boicam premebant, & Childebertum habebant solicitum, ne, quod istis gentibus solenne erat, in ditiones, quæ Austrasiæ regno accesserant, utpote irruptionibus ob vicinitatem opportunas, pedem inferrent. Eos, qui à Thassilone devicti sunt, Paulus Diaconus Slavos appellat, quos trans Istrum ortos, in Illyricum, aliásque Romani Imperij provincias, Justiniani Impera-

Childebertus acie superatus. XV.

Aimon. l. 3. c. 83.

Thassilo Rex Boicæ

Paul. Diac. lib. 4. c. 2.

Arenpeck. fol. 40. fac. 2.

Slavos profligat.

pera-

Procop. lib. 1. de bell. Goth. p. 288. & lib. 3. p. 362. Jornand. de reb. Getic. p. 599. & 610. Greg. M. lib. 8. Ep. 36.

Boii 2000. cæsi.

An. Christ. DXCVI.

Evini Ducis Tridentini obitus.

Gordon. ad an. 600. Ægid. Bucher. Sigebert. in Chron.

XVI.

Rader. Bavar. S.

Longobardorum votum.

Vaticiniū de Regno Longobardorum.

Dos templi D. Joannis Modoetiæ.

XVII.

Adalvaldi infantis inauguratio.

An. Christ. DCXV.

Theodelindæ fama defenditur.

peratoris ævo, irrupisse, Procopius & Jornandes meminernnt. Illos per Istriam progressos, eodem illo tempore, quo à Thassilone cæsi sunt, Italiæ perniciem esse minatos, D. Gregorius Magnus ostendit. Quinto pòst anno, bis mille Boii, qui ad coërcendas Slavorum incursiones iverant, Cacani Regis superventu, occidione deleti, datam à Thassilone cladem nonnullo barbarorum solatio luerunt.

Anno, quem diximus quintum nonagesimum supra quingentesimum, Evinus Garibaldi Bojorum Regis gener Dux Tridentinus è vivis excessit. Eum anno proximo, si Baronium audimus, secutus est Childebertus Francorum Rex, quem tamen unà cum uxore Faleubâ, eodem die, non sine veneni suspicione, anno DC. vitam clausisse nonnulli scripserunt. Atque is quidem ipsus est, qui Theodorici Gothi leges conatus est redigere in meliorem formam: quod tamen pro voto non est assecutus, eò quòd magni operis molitioni, quod ipsi vitæ erat reliquum, non suffecit; vel quòd Boijs, magnam partem gentilium superstitione irretitis, exortæ de religione contentiones pulcherrimum conatum interceperunt, & distulerunt facti gloriam ad feliciorem Regis Dagoberti Principatum.

Inter hæc Theodelinda Modoëtiæ, quod tum Moguncíacum dicebatur, Regiam, templúmque moliebatur D. Ioanni Baptistæ, cujus tutelæ universa Longobardorum natio se, concepto voto annuisque donis, eo die, quo ejus natalis mense Junio colitur, obstrinxit. Voti formam refert Raderus in hæc verba: *Vt ipse S. Ioannes pro nobis interpellator sit apud Dominum Deum nostrum IESVM Christum, nos omnes unanimiter pollicemur, illi omni anno, in die Nativitatis suæ, hoc est octavo cal. Iuly, de nostris facultatibus transmissuros honorificè ad oraculum ejus, ut per illius interpellationem habeamus juvamen Domini nostri IESV Christi, tam in bello, quàm in alijs locis omnibus, quocunque ituri sumus.* Voti fructus fuit, ut, quamdiu Longobardos suæ in Deum pietatis non piguit, Divum Joannem sint defensorem experti, futuri contrà ad fortunæ casus expositi, ubi rerum sacrarum procuratione ad homines impios devolutâ, pij esse desierunt, ut agnoscerent, regna florere non posse, nisi florente pietate. Quam in sententiam, relatum est in annales; Constantem Imperatorem bellum Longobardis facturum, Tarentum appulisse, & cùm de eventu esset solicitus, virum sanctitatis famâ, & vaticiniorum celebritate clarum consuluisse: petivisse verò hunc unius noctis spatium ad secretum cum Deo colloquium, & hoc oraculum retulisse: Tunc quidem Longobardos bello fore invictos, ope D. Joannis Baptistæ, cui Regina extera in Regni finibus Basilicam condidisset, qui sanctus perpetuò Numen pro Longobardorum salute solicitaret: aliquando tamen futurum, ut neglecta templi religio genti fieret exitiabilis. Theodelinda Basilicam, magnis ornatam donis, auxit etiam vectigalibus amplissimis: quam liberalitatem, demortuo Agilulfo Rege, firmavit Regijs tabulis in hæc verba: *Offert gloriosissima Theodelinda Regina, unà cum filio Adalvaldo Rege, sancto Ioanni patrono suo, de dono Dei, & de dotibus chartulam suæ donationis, quam in suorum præsentiâ scribere fecit: si quis, quolibet tempore, hanc testem voluntatis suæ corruperit, in judicij extremi die cum Iudâ proditore damnetur.* Tulit illa ex Agilulfi nuptijs filium, cujus istæ tabulæ meminerunt, Adalvaldum, qui cùm alterum ætatis annum esset ingressus, mense Julio, summâ populi voluntate, patre inaugurante, Mediolani Rex fuit creatus anno DCIV. Parens Agilulfus infanti filio annos undecim supervixit, mortuus anno DCXV. cùm annos viginti quinque bellicâ laude, & Christianæ fidei studio regnum Italiæ plurimùm illustrasset.

Idem annus Gundoaldi, Theodelindæ germani, Ducis Astensis funus extulit, cùm sagittâ, incertum à quo missâ, confossus interijsset. Is geminos ex se filios reliquit, Gundopertum, & Aripertum, qui postea Longobardis imperavit. Fredegarius auctor Appendicis ad D. Gregorij Turonensis historiam, Agilulfum & Theodelindam accusat necis Gundoaldo illatæ, eò quòd homo peregrinus visus esset justo populariùs Longobardorum studia sibi conciliare, & regno imminere, cum proinde, velut regni æmulum, ab Agilulfo, consciâ Theodelindâ, fatali telo fuisse confixum. Istam Fredegarij criminationem Theodelindæ probissimi mores,

res, qui à S. Gregorio Pontifice Maximo eximiam laudem tulerunt, abunde refutant; nec credibile est, eam fraternæ cædis consilia ullo modo probâsse, cùm non deessent rationes, mitiore remedio fratris ambitionem castigandi: An Agilulfum sequior aliqua suspicio, quæ nullâ in re, quàm in cupiditate retinendi dominatûs, est flagrantior, ad tale facinus impulerit, non est facile judicare: certè Fredegario sine teste aut tabulis temerè fides habenda non est, qui tametsi aliquot forsan annis Paulo Diacono est antiquior, tamen non levium errorum damnatur à probis autoribus: quales sunt, cùm eodem libro asserit contra communem historiæ sensum, Agilulfum fuisse Autharij filium, & multis quidem annis Longobardorum Regem, antequam venisset ad Theodelindæ thorum. In Theodelindæ vitâ nullus reperitur nævus, præter illum, quem fraus trium Episcoporum ipsi specie pietatis aspersit. Cùm Laurentius Mediolanensis Episcopus rebus humanis exemptus successorem reliquisset Constantium, virum egregiè Catholicum, qui tria Capitula ex actis Chalcedonensis Concilij expuncta ex Ecclesiæ Romanæ sententiâ damnabat, tres extitêre Constantio adversarij Episcopi, qui eum velut Concilij violatorem criminabantur. Ijdem simplicem Theodelindæ credulitatem sic occupârunt, ut ipsa à Constantij communione palàm abhorreret, donec per Gregorij Magni internuntios edocta, fraudulentas trium Episcoporum machinationes detestata est, mirâ fidei Catholicæ constantiâ, quam ad ultimum usque spiritum cum laude tenuit. Istorum capitulorum unum erat de laudibus Theodori Mopsvesteni hæretici: alterum erat, Epistola Ibæ Edesseni Episcopi Nestoriana: tertium continebat scripta Theodoreti Cyri Episcopi contra Cyrillum Alexandrinum pro Nestorio edita.

Paul. Diac. Aimoin. l. 3. c. 80. Regino l. 1. an. 517. Sigeb. an. 592. Sigon. de Regn. Ital. an. 590.

XIIX. THEODELINDA DECIPITUR A TRIBUS EPISCOPIS.

Cæterùm, Adalvaldus Theodelindæ filius lentâ veneni peste sublatus interijt. Aliqui volunt à Longobardis exauctoratum, ob delirium & cædes optimatum: Gordonus Theodelindæ mortem refert ad annum DCXXIV. Ejus filia Gundeperga Arioaldum Ducem Taurinensem à Longobardis regno impositum, maritum accepit. Referebat illa moribus integerrimis maternas Theodelindæ virtutes; ejus pietati ferunt in acceptis templum Ticinense D. Joanni Baptistæ sacrum. Castissimæ Reginæ constantiam, quod magnarum virtutum vectigal est, Deus orbi voluit reddere conspicuam rebus adversis. Cùm eam Adalulfus quidam, summo inter Longobardos loco natus audîsset, laudasse comiter habitum formámque, quæ in eo videbatur digna homine nobili, ratus homo levis, se Reginæ non oculis modò, sed etiam animo placuisse, ausus est illam de stupro appellare: Illa os impudens sputo confusum castigavit. Homo spurcus, amens ignominiæ dolore, & metu, ne proditum à Reginâ facinus foret sibi apud Regem capitale, scelus edidit execrandum. Nactus secreti colloquij cum Arioaldo facultatem, hanc calumniam commentus est in Reginæ caput. Forsan (inquit) ignoras, ô Rex, strui vitæ tuæ insidias, & à tuâ quidem conjuge? Obstupescenti, fabulam sic pertexuit. Ita verò (inquit) res habet, ne dubita. Gundeberga Ratonem, (Tatonem & Rassonem nominant quidam) Ducem Hetruriæ, te spreto, deperit, & fert in oculis: & quòd deterius est, ejus ambit nuptias, quas etiam tuo capite regnóque pacisci non est verita: quam ad rem tibi pestiferum craterem veneno comparavit. Præcipites ferme sunt talibus fraudibus suspiciones, & nimis credula Magnatum ingenia. Cùm nefarius calumniator indicia affingeret, Rex dicenti fidem habuit, jussitque mox inauditam Gundebergam in arcem Amelli conijci, & haberi in vinculis, in quibus per triennium egit ærumnosam vitam. Cùm non audiretur misera, Clotharius Francorum Rex, suscepto innocentis castimoniæ patrocinio, per legatos Arioaldum monet; meminisset, Gundebergæ injuriam ad Franciæ Reges pertinere: indignum esse solâ nefandi accusatoris fraude damnari, & eo quidem judicio, quod ne in vilissimum quidem caput, nedum in regiam conjugem possit exerceri: Quæ deinceps innocentia tuta futura sit, si Reginis, ipsísque Regibus sine patrono, sine teste, indictâ causâ, sit pereundum, si ad hominum perniciem satis causæ sit, à nebulonibus accusari? Cùm Arioal-

GUNDEBERGA THEODELINDÆ FILIA CALUMNIIS APPETITUR.

XIX.

GUNDEBERGA A CLOTHARIO REGE FRANCIÆ LIBERATUR.

Arioaldus jure factum ad cavendas Gundebergæ insidias causaretur, Ansoaldus, unus è Legatis; Si legum, inquit, judiciorúmque præsidia negas innocenti, hoc saltem da Longobardorum moribus, ut ferro causa decidatur: Mars esto judex, litémque duello decernat. Conditio reijci non potuit, Longobardorum usu firmata, ut crimina nobilium singulari certamine purgarentur. Committuntur partes Reginæ defendendæ Ariperto Gundebergæ, ex Gundoaldo fratre, nepoti, qui Pittonem (Carellum vocat Paulus) vicarium in arenam produxit adversus Adalulfum. • Victoria stetit penes innocentiam, prostrato calumniatore, Reginámque absolvit. Arioaldus vinculis exemptam, in priorem gratiæ honorísque locum restituit, eique usque ad annum DCXXXVII. convixit.

Plant. in Captiv. Varro de ling. Lat. lib. 6. Cic. de leg. l. 2. Liv. lib. 6.

XX.

Liv. lib. 1. 1. Reg. c. 17. Greg. Turon. lib. 2. Franc. Hist. Dictys Creten. lib. 3. De bello Trojano. C. Monomachiam. 2. q. 1. C. 1. de Cleric. pug. in duell. c. 2. eodem. C. Mennam. 2. q. 5. 23. q. 8. 22. q. 2. lib. 1. leg. Longobard. tit. de Monomach. l. fin. de conf. mort. lib. 1. de leg. Longob. l. 1. convitijs. l. 1. si quis dixerit. tit. qualit. quis se def. lib. eod. Vide Belissarium lib. de singulari certam. & ex eo Gregor. Tolosan. Syntagm. lib. 48. c. 16. Maximil. Bethun. To. 11. memorial.

Monet nos duelli istius mentio, ut ejuscemodi pugnæ originem, leges, modúmque referamus. Duellum, veteres promiscuè quodvis bellum appellabant. Seriùs ea dictio certamini singulari est attributa velut propria, ad designandam Græcorum Monomachiam equestrem juxtà ac pedestrem, inter duos. Aliquando intercedebat authoritas publica, vel ut bellum, aliæque lites duorum periculo finirentur, vel ut illatum crimen refelleretur, vel si quando munera gladiatoria populo dabantur. Talis fuit dimicatio Curiatiorum & Horatiorum, Goliæ & Davidis, duorum puerorum, quorum alter pro Vandalis, alter pro Suevis de Hispaniæ dominatu certârunt. Ab his non abluserunt Trojana certamina, ab Achille proposita propter devictum Hectorem. Fuerunt etiam privata duella, vel ad ostentandas vires, vel ad sumendam vindictam sponte suscepta: de quibus videri possunt Pontificum Regúmque leges.

Olim Monomachia præcipuè spectabat ad purgationem (ut vocant) vulgarem, quam demum sacræ sanctiones vetuerunt. Id genus duelli viguit apud Germanos, Hispanos, Gallos, & omnium maximè Longobardos, apud quos sic obtinuerat consuetudo, ut, quemadmodum dixit Rotharis Rex, *Lex impia* vetari non posset. Eandem ob causam, ut stulta & immanis ista carnificina, quæ subitariâ prohibitione commodè nequibat abrogari, minùs exorbitaret, leges fuerunt statuendæ, quales sunt inter Longobardicas, Lex finalis de maleficijs, & aliæ; inter Gallicas, Lex Philippi Regis anno MCCCVI. Crimina, quæ ad hoc certamen revocabantur, apud Longobardos erant: si mulier accusabatur maritum veneno sustulisse: si quis alterum cuculi, sive thori per uxorem violati, nomine per contumeliam notasset; si diceret, se ad venditionem prædij per vim adactum: verbo, si rei, quæ in dubium veniebat, veritas aliter non posset probari: ut si quis alteri objiceret crimen læsæ majestatis, parricidij, homicidij cujusvis tempore induciarũ, adulterij, incendij, furti, fraudati depositi. His addebant Germani dotis allatæ repetitionem.

In Galliâ Philippi Regis edictum vetabat duellum, nisi 1. liqueret crimen esse commissum, sed non liqueret, quisnam commisisset. 2. ut crimen esset capitale, ídque clàm, aut proditoriè admissum. 3. ut ex conjecturis, qui provocabatur, de crimine esset suspectus. 4. ut sine præviâ causæ cognitione duellum non concederetur, & non nisi ab eo quidem, qui vitæ & necis haberet potestatem: ideóque privati, qui citra Judicis istiusmodi authoritatem pugnabant, non erant immunes à crimine læsæ majestatis.

Apud Germanos tria fuerunt loca, in quibus Principis arbitrio duellum committebatur: Wirceburgum, Anspachium, & Hala Suevorum. Solis licebat nobilibus ex equestri sanguine. Si victus in arenâ supervivebat, per omnem vitam infamiâ notabatur, barbam non radebat, erátque exors publicorum munerum. Si occumbens necabatur, donabatur honestâ sepulturâ. Victor domum in triumpho reducebatur, & verax habebatur, capáxque publicæ dignitatis.

Forma judicij & certaminis hæc erat apud Gallos. Qui vocatus ad causam dicendam ad diem dictam non aderat, ut contumax ex eo tempore damnabatur, ejúsque effigies, in signum damnationis, publicè in compitis affigebatur. Si vadimonium obibat, poterat, quæ in rem suam, & innocentiæ defensionem erant, modestè adversario objicere, & pignus certaminis, quod ferè chirotheca erat,

recu-

recuſare, præſertim ſi crimen non eſſet de eorum genere, quæ duello purgarentur, vel nullâ eſſet probatum conjecturâ. Quòd ſi vellet certamen addicere, dicebat, provocatorem eſſe mentitum, idque ſe demonſtraturum, auxilio Deiparæ Virginis & S. Georgij, pio duello, quod vel per ſe, vel per vicarium obiret, eóque dicto pignus certaminis accipiebat. Causâ utrinque dictâ, Judex pronunciabat, ſe, re cum conſultoribus diſcuſsâ laturum ſententiam ad certam diem, quâ redire debebant litigantes, utrùm lis duello eſſet decernenda.

Statâ die, dicebatur ſententia, & ſi quidem erat confligendum, conſtituebatur locus, dies & hora conflictûs, nominabatur arbiter certaminis, qui præeſſet, nec poſſet recuſari à provocante, iſque juris militaris apprimè peritus, qualis erat Præſes provinciæ in causâ læſæ majeſtatis, vel dux exercitûs, ſi pugnabant milites. Provocati erat, genus armorum eligere, locum utrique communem, miniméque ſuſpectum. Catadromus palis, vacerris, jugatis longurijs & repagulis ſepiebatur, centum viginti paſſuum longitudine, latitudine paſſuum octoginta. In eo duo tentoria, dextrum provocanti, lævum provocato: Arbitro locus erat medius. Pugnaturis ſuum cuique in menſulâ mantile, œnophorus, & panis. Liberum erat utrique alia ſecum adferre edulia, quantum ſatis eſſet ad unius diei annonam. Ante diem decretorium ſeriò monebantur ab amicis primùm, deinde à viris religioſis, ne temere, adverſante Deo & conſcientiâ, pro falſitatis aſſeveratione deſcenderent in arenam: edebant juramentum calumniæ, peccata ſacerdoti confitebantur, vetabantur uti magiâ, præſtigijs; in medio catadromo provoluti in genua, manus pectinatim implexas mutuò jungebant, rurſúſque jurabant ſe non fallere: cæſaries illis detondebatur in orbem. Tum arma dabant luſtranda, ſéque identidem crucis ſigno muniebant: denique armati ad catadromi extrema recedebant. Pòſt per præconem prohibebantur ſpectatores geſtare arma, habere equos, arenam ingredi (excepto judice, & ſingulorum commilitonibus, ſive patrinis) ſtare erecti, ne certaminis conſpectum interciperent. Ad extremum feciales innixi repagulis, indicto ſilentio, ter exclamabant ad ſpectatores: Sinite bonos pugiles concurrere! deinde ad pugiles: Facite veſtrum officium. Præſes verò, quem vocabant campi mareſchallum, ter altâ voce clamabat: Sinite hos abire! proijciebátque pignus in mediam arenam. Ad extremum pugiles conſerebant manus. Si primo die ante ſolis occaſum neuter vinceretur, poſterâ luce redibant ad certamen. Quòd ſi alter pugnantium culpam fatebatur, vel extra ſeptum, metu aliáve culpâ, procurrebat, pro victo habebatur. Qui adverſarium proſternebat, ſive viveret proſtratus, ſive eſſet mortuus relicto in arenâ corpore, ſe Judici, vel Principi ſiſtebat, quærens, an functus eſſet officio, & abſolvebatur à certamine. Devictus à paludatis præconibus exarmabatur, ruptis armaturæ ligulis, & arma per catadromum ſpargebantur, jacebátque humi, ſive vivus, ſive exanimis, donec Judex ſtatueret, quid eo factum vellet. Ejus bona fiſco addicebantur: Victori ſatisfaciebat. Quòd ſi uterque occumberet, contra provocantem pro reo pronunciabatur, eò quòd actor non probâſſet. Victus, ſi ſuperviveret, victoris arbitrio permittebatur, modò ne turpia imperaret, qualia erant nobilem agros colere, fodere, pecoris cuſtodem agere, tractare ſervilia, haberi ſæviter. Nulli ad duellum admittebantur infames, deſertores exercitûs, caupones, aliquâ vitæ turpitudine notati, inteſtabiles, qui dominum in prælio deſeruiſſent, coloni, villici, capitali crimine damnati, deportati, hæretici. Fas erat in ſuum locum ſubrogare alium, ſi ignobilior provocabat nobiliorem, non contrà: Item ſi provocatus minor erat viginti quinque annis, vel major ſexaginta: ſi mulier accerſebatur adulterij: ſi ſervus abſens furti accuſabatur: victo ſubrogato, ſubrogans victus cenſebatur. Si provocatus membro aliquo ad pugnam habili mancus erat, provocator eodem in pugnâ non debebat uti. Hæc de veteribus duelli legibus.

Arioaldo Gundebergæ reconciliato, & ſine virili ſtirpe mortuo, Longobardi, convocatis creando Regi comitijs, Reginæ viduæ optandi mariti, Regíſque poteſtatem XXI.

Gundebergæ Reginæ secundæ nuptiæ. statem, ut antè Theodelindæ, fecerunt. Optavit illa Rotharim Harodum, eo loco dignissimum, nisi magnas naturæ dotes pestis Ariana, & in uxorem sævities corrupisset. Regina priùs, quàm ipsi nuberet, hanc legem dixit, voluitque jurejurando sanciri. *Regnum*, inquit, *ad te, Rothari, amplissimam dotem adfero. Sed prioris meæ calamitatis memoria à me exigit, ne tecum paciscar nuptias, nisi secura, constantisque in me fidei, quod à te exigo, pignore. Quòd si renuis, & dotem, non me affectas, à meo thoro te jubeo abstinere: sin interpositâ juramenti religione, quam postulo, immotam mihi charitatem, quæ me ab injurijs tutam, intactámque præstet, sanctè polliceris, à te præterea nihil posco.* Rotharis prolixè omnia, & petitis longè majora juratus addixit, nullam conditionem regnandi causâ respuendam ratus: Verùm ubi regni habenas tenuit, fortunæ æstu, & ingenij malignitate abreptus, Gundebergam infelici natam sidere, ut conjugio nunquam felici affligeretur, apertis odijs cœpit aversari, eóque devenit immanitatis, ut bis miseram crudelis maritus, à suo conspectu proscriptam, intra Ticinensis arcis parietes clausam habuerit, ne vel delati regni beneficium exprobraret, vel reposceret. Dura captivitas ferream Gundebergæ patientiam quinquennali mœrore gravissimè exercuit, donec è Franciâ legatus rursus adfuit, qui Rothari nomine Dagoberti Regis pium bellum indixit, nî Reginam mox publico redderet, & pristinæ dignitati. Fredegarius contra temporum rationem Clodovæo legationem adscribit: cujuscunque ea fuerit, Rotharim perculit armata legati oratio, ut conjugem per omnia templa, triumphantis more, circumvectam, regio deinceps cultui, thoróque maritali restituerit, seu bonâ, sive coactâ fide, eóque non optimâ.

Captivitas.

Liberatio.

Quas res memoratu dignas interea Boij gesserint, Annales presserunt alto silentio, usque ad obitum Thassilonis, cujus è vivis migrationem, promptum non est certo tempori adscribere, quamvis Paulus Diaconus obscuris conjecturis locum faciat, ut videatur anno circiter DXCVIII. fatis concessisse. In demortui locum quidam sufficiunt Garibaldum Theodelindæ patrem ab exilio reducem, & denuo fascibus admotum: sed Paulus Diaconus, quem sequimur, Garibaldum disertè vocat filium recèns defuncti Thassilonis, recensétque factum, quod unum memoriæ proditum est, eum videlicet cum Slavis, quos Jornandes & Aimoinus vocant Venedos, bello esse congressum, cùm illi, factâ in Bojariam irruptione, prædas latè agerent, circumferréntque metum. Et tum quidem Garibaldus, collectis confestim copijs, ad Aguntum, (Maguntum habent quædam Pauli exemplaria) ausus conserere manus, adverso Marte conflixit, victus fugatúsque ab hoste. Verùm collecto rursus exercitu, cùm Slavi successu insolentes impotentiùs grassarentur, Garibaldus denuo in pugnam coortus, non acceptam modò ignominiam delevit, sed etiam prædâ excusâ hostem exegit è Boicæ finibus. Eundem è Gilulfi Forojuliani Ducis filiabus unam sibi matrimonio junxisse, Paulus ipsâ brevitate obscurus ostendit, cùm scribit, ex quatuor filiabus, unam Alemannorum Regi, aliam Bajoariorum Principi nupsisse: quibus ex verbis hoc quoque licet suspicari, jam eâ tempestate, mutato Regis nomine, Boicæ Principum dignitatem, inductâ Ducum appellatione à Francis fuisse imminutam. Alterum est, quod ad rem nostram spectat, velut proprium Boicæ affinitatis encomium, quod in ipsum Principum sanguinem, ex virtute conjugis Garibaldi II. derivatum est, præteriri non debet sine honorificâ mentione, quæ ut fiat clarior, Gilulfi fortuna paucis est memoranda.

Thassilonis excessus. *Arenpek lib. 2. c. 3.*

Garibaldus II. Thassilonis successor.

Vincitur a Slavis.

XXII. *Edit. Basileen. an. 1552.*

Et Slavos vincit. *Paul. Diac. l. 4. c. 12.*

An. Christ. DCXV.

Cacani in Foroiulienses irruptio.

Gilulfus cadit in acie.

Cacanus Rex Avarum adolescens, cum innumerâ multitudine è Pannoniâ Venetorum fines ingressus, ex improviso Forojuliensem agrum anno DCXV. invasit. Gilulfus tristi irruptionis nuntio excitus, coegit, quantas per festinationem licuit, Longobardorum copias, reíque summam commisit unius pugnæ discrimini. Verùm virtutem fortuna, paucitati bellatorum frequenter iniqua, destituit. Gilulfus fortissimè dimicans, cùm immensam barbarorum molem non sustineret, à circumfusis obrutus occubuit. Ejus uxor Romilda, cum Longobardis, qui cladem evaserant, se Forojulium recepit. Eodem confluxit ingens turba ma-

matrum & liberorum. Alias munitiones cæteri Longobardorum tenuêre præsidijs. Aderant Romildæ octoni ex Gilulfo liberi, filij quatuor, Taso, Cuto, adolescentes; Rodoaldus & Grimoaldus admodum pueri. Filiarum uni nomen Pappa, alteri Gaëla, tertiæ & quartæ nomina non sunt edita. Avares, posteaquam omnia circùm ferro, rapinis, incendijs pervastaverant, Forojulio admoverunt obsidionem. Dum locum oppugnant, contigit, ut Romilda, Cacanum mœnia circumequitantem è muro lascivius conspicata, insano juvenis amore caperetur, quo cùm insaniret, Cacano renuntiat, nihil opus esse majore vi; si amore mallet, quàm ferro Forojulium, & quicquid Gilulfi fuisset, possidere. Omnia fore ipsi prona & aperta, modò ne viduæ thorum aspernaretur, quæ seipsam ad geniale fœdus, suáque pro dote offerret. Cacanus mulieris impudentiam animo detestatus, accepit tamen, in speciem, oblatam conditionem; sed fidem súsque déque habuit. Nam Forojulio receptus, urbem hostilem in modum diripuit, redegítque ad incitas: tum incendio sævijt in tecta, civésq; omnes in vincula conjectos abduxit, cum promissis, fore, ut in Pannonijs justum agri modum, faciendis colonijs, viritim captivis divideret. Sed quæ fuit barbari perfidia, mares omnes adultiores in campo, quem sacrum vocabant, ne res novas in Pannoniâ molirentur, jussit obtruncari; mulieres verò ac parvulos teneri captivos. Quâ crudelitate perculsi Romildæ filij, conscensis equis, arripuêre fugam: è quibus Grimoaldus puerulus lachrymis à fratre impetravit, ut, quamvis imbecillo, & equitandi insueto, liceret unà fugere. Quare equo impositus, cùm fratres, effusis habenis fugientes, sequeretur, nec posset assequi, Hunnus quispiam tardiùs equitantem è fugâ retraxit, nec habuit tamen inhumaniter, quòd misereretur ætatulæ & formæ, quæ in puero erat pervenusta. Eum prædo, apprehenso jumenti freno, ducebat in castra, cùm puer non ferens captivitatis ignominiam, facinus edidit, quale vix in viro requiras. Stringit gladiolum, Hunno nihil tale notante, & vulnus præeunti inflixit eo nisu, ut cerebro sauciato, equo effusum prosterneret: tum converso, ad fugam repetendam, jumento, suâ lætus victoriâ recurrit ad fratres. Romilda, cujus scelere tot mortales perierant, innuptarum nuptiarum unicæ noctis usuram consecuta est, inter patriæ ruentis busta, & cædes: Barbarus sic miseræ illusit, ne fidem fefellisse videretur, útque redderet execrabilem, tradidit violandam duodecim Avarum libidini: demum velut cœlitibus, hominibúsque detestandam, jussit in medio campo, spectante multitudine, palo infigi, cum dicto, tale monstrum fœminæ, marito ejuscemodi esse jungendum. Supererant quatuor Gilulfi filiæ, matri longè dissimiles, quæ arte laudatissimâ triumphum sunt promeritæ, defensæ à turpissimis hostibus castitatis. Ut Avarum libidinem averterent, mamillis applicuerunt crudas pullorum carnes, quæ in purulentam mephitim resolutæ, tantum fœtoris exhalabant, ut Avares, intolerabili graveolentiâ rejecti, eas cum execratione fugerent, probri loco jactantes, Longobardis mulieribus ne animam quidem bene olere. Ex istis Heroidibus una, quam Gaëlam, nescio quo teste, fuisse, credit Reusnerus, Garibaldo convenit in manus. Hic annos quatuordecim imperavit, habuítque successorem Theodonem anno DCXII. cum quo Deus magnum Boicæ lumen dedit per D. Rupertum, de quo multa Scriptores tradiderunt.

ROMILDÆ VIDUÆ LEVITAS.

XXIII.

FOROIULIŨ VASTATUR A CACANO.

FUGA FILIORUM GILULFI.

GRIMOALDI PUERI FACINUS EGREGIUM.

ROMILDÆ SUPPLICIUM.

Aimoin. lib. 4. c. 5.

FILIARUM GILULFI CASTIMONIA SERVATA.

Reusner. pag. 181.

THEODO GARIBALDI SUCCESSOR.

AN. CHRIST. DCXII.

XXIV.

Tametsi, quod suprà memoravimus, non defuerunt Boijs divinæ legis interpretes, non tamen eò rem adduxerant, ut, quæ supererant impietatis reliquiæ, potiorem gentis partem non retinerent, Procerum præsertim, quorum eò major in errando pertinacia, quò licentia morum, & audacia corruptior. Illis enim altè insederat opinio, quasi ab avitis sacrilegijs, quibus suam fortunam stare credebant, omnis Reipublicæ felicitas necteretur, séque futuros demum domi, militiæque infortunatos, si à nefandis turpissimorum numinum religionibus descíscerent: Theodo noster, ex istis tenebris nondum emerserat, quando singulari Dei beneficio Reginotrudem, regiæ Francorum stirpis Principem, thori sociam, & sanctæ fidei magistram accepit. Eam nonnulli inter Childeberti, Regis Austrasiæ, liberos numerant, alij referunt ad Theodebertum Childeberti filium. Ab incunabulis

REGINOTRUDEM DUCIT.

Ioan. Steindel.

initiata sacris Christianis, divini numinis notitiam, amorémque unà cum lacte combiberat, ut proinde minùs illi foret arduum, aut peregrinum, sensim maritum, aliarum principum fœminarum exemplo, ad pietatis consortium, vel ipsâ probitatis imagine pellicere. Sed & altiùs ejus dicta factáque penetraverunt in Theodonis animum, quando, ut erat ipse ad capessenda fidei rudimenta ob præstantem mansuetudinem, & lumina rationis, ingenij apprimè subacti, eam audivit de sanctissimis rerum divinarum arcanis explicatè disserentem. Auxit addiscendæ veritatis desiderium clarum D. Ruperti nomen, & fama, non excellentis modò doctrinæ, sed etiam prodigiosorum operum, quæ per eum Deus patrabat. Quamobrem Theodoni placuit illum per honestam legationem in Boicam invitare, suggerente Reginotrude, quæ virum sanctum, regio Francorum sanguine prognatum, permoverat, cùm eam latere non posset fama publica ignominiæ, quam Rupertus apud Vangiones nuper acceptam, egregiâ Christianæ fortitudinis constantiâ toleraverat. Etenim creatus isthîc Pontifex, cùm rem Christianam sedulò propagare niteretur, nactus est aliquos iniquæ mentis auditores, gentis maximè Proceres, quos morum corruptela à sancti viri institutione deterrebat. Ducebat in his familiam Beringerus, alijs dictus Bercarius, qui Catholicæ veritatis odio Ruperto erat infensus, affixus verò impietati Arianæ. Ipso instigatore Vangiones Rupertum, ludibrijs, flagrísque immaniter vexatum, urbe ejecerunt, eò licentiùs, quòd Childebertum II. Austrasiæ Regem, qui Rupertum adhuc tutatus fuerat, nuper fato functum, timere desijssent. Exulem, suáque sede per summam injuriam deturbatum, adiêre Legati Theodonis, à quibus sibi facilè passus est persuaderi, utne oblatam amplificandæ Christi gloriæ occasionem negligeret. Binos itaque sacerdotes cum legatis præmisit ad Theodonem, pòst ipse secuturus.

D. Rupertus vocatur in Bojariam.

Arenpeck. Velser. lib. 4. p. 213. Brunn. p. 1. lib. 5.

XXV.

Quonam anno venerit, difficile est inter variantes scriptorum opinationes statuere: videtur tamen eorum sententia vero propior, qui Ruperti in Boicam adventum differunt in annum circiter DCXVI. Nam ab initio Theodonis Principatu, hoc est ab anno DCXII. aliquid temporis intercessisse necessum est, quo Theodo sensim instillatam à Reginotrude Christianæ fidei commendationem, & amorem reciperet, quod quatriennio minus vix esse potuit. Reginoburgi Boicæ Ducum regia erat, quando Theodo Rupertum accivit. Advenientem, non secus atque hominem de cœlo missum, accepit ipse, & popularium nobilissimi. Ubi de cœlestibus arcanis disputantem audierat, hoc egit inprimis, ut, quam erat suscepturus religionem, non suâ duntaxat authoritate, sed publico etiam totius gentis consensu probaret. Persuasit igitur optimatibus, vellent Ruperto, de fide dicenti, dare operam, ratus, haud fore difficilem plebis, quæ flecti exemplo mallet, quàm edictis frangi, accessionem, si à nobilitate præiretur. Gnaviter laboratum est à divinis præconibus, & albescente ad messem segete, dictus est dies sacris expiationibus. Theodo primus omnium se stitit abluendum; secuti sunt Proceres magno numero, & frequentes populorum greges, qui certatim dabant Christo nomina, professi, nullam sibi unquam candidiorem diem illuxisse. Cùm universa propè natio lubens & læta, repudiatis erroribus, se præbuisset expiandam, essentque passim, qui bene cœpta continenti institutione perficerent; Rupertus totius Norici salutem animo complexus, à Theodone petijt, liceret sibi, cum bonâ ipsius veniâ, Danubij accolis, ad quos nondum penetraverat, cœlum monstrare. Theodo, hunc illi animum impensè gratulatus, rebus instructum necessarijs, passus est à se divelli. Rupertus navi conscensâ, secundóque navigans Danubio, paulatim oram omnem, & mediterraneam regionem, oppida, castella, pagos, vicos, ínque ipsâ Pannoniâ haud exiguum mortalium numerum cœlesti disciplinâ excoluit, rapuítque ad Dei amorem eò faciliùs, quòd passim etiamnum extarent, importatæ olim à D. Severino aliísque puræ religionis vestigia. Laureaci ingens fructus extitit, revocatâ ad pristinum splendorem pietate. Cœlestem Ruperti facundiam commendabant integerrimi mores, vitæ eximia sanctitas, depulsæ corporum ægritudines, quæque fecit supra humanarum virium facultatem. Quibus subsidijs

Venit Ratisbonam.

Boios doctrina Christi imbutos baptizat.

Noricos instituit.

XXVI.

ſidijs poſteaquam mortalium quamplurimos Chriſto adjunxerat, ad Theodonem reverſus, indéque in Galliam; ne ipſe, paucíque adjutores, labori, cui ſe ſentiebant impares, ſuccumberent, ſocios undecim (Hundius, & Brunnerus contra Raderum duodecim dicunt) accepit, quorum auxilio, in excolendâ domini vineâ, uteretur. In his præcipui fuère Chunobaldus (alijs Chunialdus) & Giſilarius ſacerdotes, quorum nomina denique relata ſunt in album Cœlitum. Redeuntem quoque ſecuta eſt Erentrudis ſoror, vel, ut alij malunt, neptis, ut ne ſequiori ſexui magnarum virtutum exempla, quæ verbis potiora ſunt, deeſſent. Theodo lætus ſecundis ſucceſſibus, ne quando genti ſuæ inſita religio intercideret, Rupertum adduxit, ut ſedem ſtabilem in Boicâ deligeret, unde ſacra inpoſterum peterentur. Delegit ille Juvaviam, hodie Saliſburgum, Romanorum olim coloniam, ab Odoacre Herulorum Rege ferro flammâque, ante centum viginti ſex circiter annos, exciſam. Quamquam Hundius, ab Aventino in errorem inductus, Vidomaro Oſtrogothorum Regi everſæ Juvaviæ facinus adſcribit. Cùm eò loci, præter parietinas, & antiqua veteris injuriæ veſtigia, vix quicquam ſupereſſet, Rupertus inſtauratâ civitatis formâ, ſacra profanáque ædificia cœpit moliri. Inter prima fuit D. Petri ſacra ædes & Cœnobium, quod religioſæ vitæ ſtudioſis tradidit incolendum. Fama vetus eundem, D. Mariæ in monte ſanctimonialium, Ratiſbonenſis, & Oetingani Deiparæ ſacelli, quorum utrumque vetus eſt appellatum, Cœnobij Weltenburgi D. Georgio dedicati, S. Petri Seekirchenſis, facit conditorem. Virginum Collegio Saliſburgi Erentrudem præfecit. Theodo Eccleſiam Pontificiam, & Sanctimonialium parthenonem in Monte Nonnarum lautis poſſeſſionibus, vectigalibúſque largè dotavit, quibus ipſius poſteri haud pauca adjecerunt. Locum ædi D. Maximiliani, cœleſti indicio oſtenſum memorant Eberardus D. Ruperti diſcipulus, eúmque ſecutus Caniſius. Videlicet montis viſcera auro eruendo ſcrutabantur, Tonazanus quiſpiam è D. Ruperti familiâ, & è Principis ſervitio alius, Ledi nomine. Dum gnaviter incumbunt operi, non ſine ſacro quodam horrore, foſſionis ſubterraneæ tenebras cernunt illuſtrari lumine prodigioſo, quod mirè commendabat odor majorem in modum ſuavis, longè ſuperans familiarem domeſtici ſuffitûs fragrantiam. Oſtentum cùm ſæpius appareret, foſſores deferunt ad Rupertum, qui re per Dominigum, virtutis probatæ ſacerdotem, exploratâ, crucem in loco juſſit erigi, tegíque ædiculâ operis extemporanei. Additum eſt tuguriolum recipiendis æditimis, quod demum Theodo religioſorum contubernio juſſit commutari, operis abſolutionem haud dubiè daturus, niſi eum mors in pulcherrimo conatu occupâſſet. Salinas, à quibus Saliſburgo nomen acceſſunt, Ruperti precibus conceſſas eſſe divinitus, opinio à majoribus accepta eſt, ſed quam priſcorum annalium authoritas deſtituit.

Socios è Gallia adducit.

B. Erentrudis soror D. Ruperti.

Variarum Ecclesiarum origines.

Canis. to. 6. Antiq.

XXVII.

Theodo, antequam expiraret, ſuprema mandata dedit Theodeberto filio plena pietatis: religionem Chriſtianam conſtanter retineret, augeret, & tueretur. Rupertum non ſecus ac parentem veneraretur, & æquis auribus monentem attenderet: Deum ſibi virtutum ſtudio demereretur, ſtatueretque apud ſe, pietatem eſſe tutelam omnis Principatûs potentiſſimam.

Theodo moritur.

Ab hac Theodebertus gubernationem auſpicatus, affectam ædis Maximilianææ ſtructuram duci juſſit ad faſtigium, & futuris religioſi domicilij ſodalibus latifundia, ad tria paſſuum millia quaquaverſum circumducta, liberaliter attribuit. Ledi, & Urſo, Theodeberti germani, addidêre villam Albinam, & binos Nepotes, Vernharium & Dulciſſimum, quos Rupertus in magnam quidem ſpem excoluit, ſed futuros ſuâ culpâ à Magiſtro longè degeneres, & Cœnobio pernicioſos, unde ejus evertendi principium. Supremam eidem devaſtando manum impoſuêre Slavi, tantâ barbarie, ut denique devenerit in antiquam propè ſolitudinem, fuerítque documento, nullum tam ſanctum eſſe locum, vel illuſtrem prodigijs, quin à Deo poſſit deſeri, ſi proſcriptâ virtute, impietas in illum migrârit. Theodeberti liberalitas in Monaſterium Nonnarum Saliſburgenſium longè firmioris diſciplinæ, cum patris munificentiâ certavit. Extant hodiéque tabulæ, vel hoc nomine,

Succedit Theodebertus.

D. Maximiliani Monasterium vastatur.

dignæ memoriâ; quòd Romanorum Cœnobijs mancipatorum meminerint; quâ appellatione homines sanguinis Italici licet intelligas, qui, expulsis è Norico & Vindeliciâ imperij Romani præsidijs atque colonis, sese, suámque libertatem Bojorum potestati permiserunt, ne à glebâ, cui insederant, abigerentur.

ROMANI MANCIPES.

SACELLUM OETINGANUM.

Hæc tametsi ad Ruperti famam, & Principum Bojorum decus apprimè sunt illustria: habet tamen Deiparæ Virginis, quæ castissimâ religione Oetingæ colitur, sacellum, præ cæteris Boicæ templis, à pietate, & divinis, in complures mortales, beneficijs, præcipuam commendationem. Inclaruit illud jam inde à D. Ruperti ætate. Ipsius ædiculæ originem, primáque fundamenta, nulli è vetustis scriptoribus tradiderunt: Ejus tamen insignem vetustatem, non fama duntaxat, sed ipsa etiam ædificij forma, tacentibus licèt libris, loquuntur. In eâ vestigandâ Jacobus Irsing, qui cæteris fuit uti recentior, ita & accuratior, refert Aventini, Hundij, Canisij sententiam, Ottonem videlicet Theodonis fratrem ad Oenipontem, quæ erat olim Norici civitas, imperasse, ac de suo, nomen Oetingæ indidisse, cùm eam varijs bellorum casibus deformatam reparasset, exornasſétque novo palatio: Eundem quoque à D. Ruperto legem Christianam edoctum, undis piacularibus fuisse ablutum. Pro quâ sententiâ describit suspensam tabulam ad portam sacri sacelli versus occasum. Verùm idem author, istum Ottonem unà cum fratre Theobaldo, Pisonij sive Bauzani, lavacro salutari ablutum, ad commenta referri à Velsero & Gevoldo non dissimulat. Tandem cùm nihil repererit certius, in eam concedit opinionem, quæ plerorumque consensione probatur, D. Rupertum sacellum Oetinganum sacris ritibus Deo consecrâsse ad D. Virginis Matris honorem, abolitâ septem planetarum, qui antea eò loci colebantur, religione. Ejus rei vestigium aliquod superest, in obscuro licèt, & simplici sacelli ædificio, quod heptagoni specie ductum, more veteri, modicis intervallis totidem refert cellas, quot planetæ in cœlo numerantur. Istam opinionem credo esse retinendam, donec certius aliquid elucescat. Id verò certum est, istud avitæ pietatis domicilium hucusque singulari Numinis beneficentiâ fuisse illustratum, tum ob miraculorum frequentiam, tum ob singularem sensum pietatis, quâ multæ hominum myriades quotannis eò trahuntur, perfunduntúrque subinde miris solatijs ex præsenti divini spiritûs benignitate; unde locus meritò præstans Boicæ pietatis sedes haberi queat.

XXIIX.

Avent. in Annal. Hund part. 1. Metrop. Canis. lib. 2. de B. Virgin.

D. RUPERTI EXCESSUS.

Secundùm hæc, Rupertus cœlo maturus, accepto cœlitus nuntio de momento beatæ æternitatis adeundæ, cùm rem Christianam in Boicâ plurimùm auxisset, discipulos jussit Vitali, notæ sanctitatis viro, morem gerere; tum ingravescente morbo per quadraginta dierum jejunia, festâ Christi à morte redivivi luce, quæ in 6. cal. April. inciderat, collectis viribus, sacris operatus, supremo se viatico munijt, & suos postremùm affatus, ad virtutum amorem suavissimè incitans, inter complorantium ulnas, & festivos, qui audiebantur, Angelorum cantus, spiritum cœlo transmisit. Justa ejus funebria visi sunt, aspectabiles vestitu candido, cœlestes genij celebrâsse. Dies ejus natalis translatus est in 8. cal. Octobris, quòd eo die sacra ejus Lipsana è D. Petri templo, in ædem principem, recens à D. Virgilio conditam, fuerunt ritu solenni illata, anno DCCLXXX. Obijt autem juxta certiorem calculum anno DCXXIIX. cœlóque receptus, Boicæ Apostolus, & tutor audijt. Proximo, qui ejus excessum secutus est, anno, Erchenfridus Passaviensis Episcopus, ab Honorio Pontifice Max. (uti creditur) Româ pridem transmissus, posteaquam ope Theodeberti Bojorum Ducis, Pataviensem Ecclesiam, superiorum temporum injurijs vehementer afflictam, erexerat, gubernârátque per annos sex supra viginti, felici morte defunctus est. In ejus locum successit Othocarus.

XXIX.

AN. CHRIST. DCXXIX.

Catalog. M.S. Episc. Laureac. c. 7. Brusch. Hund. de iisd.

D. VITALIS RUPERTO SUCCEDIT.

Append. Greg. Turon. c. 23. Fredeg. c. 52. Aimoin. lib. 4. c. 11.

Eodem, quo D. Rupertus, anno, vivere in terris desijt; D. Vitalis, quem suis ille discipulis commendaverat, in defuncti sedem fuit evectus.

RODOALDI BOII INFELIX FORTUNA.

Sub hæc tempora, in Austrasiâ res accidit digna, quæ litteris transmitteretur ad posterorum memoriam, & exemplum, unde suos casus viri clari, quos altiùs fortuna extulit, pertimescant. Rodoaldus gente Bojus, apud Austrasios illustris, irrepserat

repſerat in benevolentiam Dagoberti Principis, qui, vivo etiamnum parente Clo-
thario, præerat Auſtraſiæ. Eum Dagobertus Arnulfi præſulis & Pipini palatio præ-
fecti, conſilijs, hortatúque ad honores ſupra mediocritatem evexerat. Verùm Ro-
doaldus, tumido vir ingenio, rebus inflatus ſecundis, quibus ægrè modum ſtatuit
humana cupiditas, indies altiora ſpirare, inſultare æqualibus, majores aſpernari,
inſidiari dignioribus, ſtolidè multa agere, temere haud pauca peccare, ſua prodi-
gere, inhiare alienis, Boicum ſanguinem immodicè jactare, provocare Francorum
invidiam, ægrè ferentium hominis peregrini mores & magnitudinem, quam ſibi
potiùs, quàm extero credebant deberi, tandémque, ſive malorum criminatio-
nibus, ſive peccandi licentiâ cœpit incurrere in odium Dagoberti. Tempus op-
portunum duntaxat, non cauſa, neque voluntas deerat ſumendi de vecordi homine
ſupplicium, nec tamen Dagoberti iracundia ſic clàm habebatur, quin ex mutatâ
vultûs ſerenitate, ſermone rariori, & verbis ſolito frigidioribus, ſigna, ſi non extin-
ctæ, at ſaltem oppidò mutatæ, & languentis dignationis promicarent. Inde orie- XXX.
batur inſueta aulæ, aulicorúmque in eo colendo negligentia. Afflavêre hæc ani-
mum Rodoaldi ſiniſtrâ ſuſpicione mali impendentis, ſtimulante præſertim conſci-
entiâ, quæ eum non ſinebat niſi dira ominari. Quare territus, capeſſit fugam, eva-
ditque ad Regem Clotharium. Apud hunc multa conqueſtus eſt de æmulorum
iniquitate, qui, merâ ducti invidiâ, crimina de innocente eſſent commenti, nec cau-
ſam habuiſſent aliam calumniarum, quàm quòd eorum malignitatem ureret ho-
minis de Dagoberto benemeriti fortuna, & ſincera fides. Se interim opprimi,
periclitari innocentiam accuſatorum dolis, qui Dagoberti auribus & ſimplicitati
imponerent, & ex fidi hominis ruinâ ſibi gradum ad majora ſomniarent. Vellet
proinde Clotharius authoritate paternâ miſero opitulari apud filium, qui tot occu-
patus fraudulentorum hominum accuſationibus, à ſolo patre reduci poſſit ad men-
tem mitiorem. Fecêre hominis lamenta, ut Clotharius, ſimul ac fuit conveniendi
Dagoberti copia, hortaretur, ne Rodoaldum, inanibus oppreſſum calumnijs, vellet
perditum. Dagobertus, irâ in præſens diſſimulatâ, ne parenti juſto minùs deferre
videretur, ſpem fecit veniæ, ſi quæ Rodoaldus improbè geſſerat, factis melioribus
caſtigaret. Hæc in ſpeciem dicebantur, altiùs enim in pectus deſcenderat vin-
dictæ cupiditas, quàm ut verbis poſſet ilico abſtergi. Credidit tamen Rodoaldus
ſe, pro voto, in priſtinum gratiæ locum eſſe repoſitum. Quare ſuæ jam vitæ, fortu-
næque ſecurus, cum Dagoberto in Auſtraſiam regreditur, incogitans, Regum iras,
etiam cùm mitigatæ videntur, eſſe metuendas. Ut venerat in æmulorum caſſes
præda petita, ne elaberetur, à Dagoberto impetrant, ut, nullâ interpoſitâ morâ, li-
ceat manus illi violentas inferre. Facinus in ſe ſuſcepit Bertarius Scarponenſis,
cujus ferro, ante regij cubiculi fores, fuit obtruncatus. Ita jacuit fortunæ ludi-
brium, quæ, ſi quando magna dedit longis curis, & laboribus, eadem momento ra-
pit, evertitque irata.

Lætiora ſunt, quæ Rex Clotharius è Galliâ per Euſtaſium, Luxovienſis Aſce- *Ionas Scotus*
terij Archimandritam, per id tempus Boicæ tranſmiſit. Fuit Euſtaſius natione *in vita Euſta-*
Burgundus, claris natalibus, virtute clarior. Primum vitæ ſanctioris tirocinium *ſij, vel Beda,*
poſuerat in ſcholâ D. Columbani, eóque magiſtro fecerat tantos progreſſus, ut *juxta Baron.*
Luxovienſibus ſodalibus præficeretur. Etenim Columbanus, qui ante viginti *Paul Diac.*
annos ex Hiberniâ, patrio ſolo (Paulus Diaconus Scotum vocat) delatus in Gal- *l. 4. c. 15.*
liam, inſignem virorum præſtantium coloniam Luxovij, religioſæ vitæ præceptis XXXI.
inſtitutam, educaverat, quando Brunechildis Reginæ inſidijs inde ejectus in exi- EUSTASII
lium abijt. Burgundionibus eâ tempeſtate imperabat Theodoricus Rex, Colum- IN BOICAM
bano familiariſſimus, totâ ferme regni curâ, & adminiſtratione penes Brunechil- ADVENTUS.
dem aviam relictâ. Erat Theodoricus moribus ad infamiam obſcœnis, cui malo
Columbanus ut medicinam faceret, quà minis, quà benignioribus monitis illum
denique permovit, ut, proſcriptis pellicibus, ad legitimum thorum aſpiraret. Avia
metuens, ne, ſi quam uxorem duceret, eadem & nepotis animum, & faſces occu-
paret; ambitionis, cui nihil eſt inviolabile, ſtimulis agitata, Regi ſuadet, perſuadét-
que

que, ut Columbanum, quasi exoticos, & à cæterorum Monachorum institutis dissonos mores in Asceterium induceret, Luxovio proturbaret. Quare vir sanctus coactus est locum Eustasio cedere. Discedens, Regi, insanis rursus concubinarum amoribus per aviæ fraudes irretito, vaticinatus est, fore, ut regia stirps universa brevi radicitus evelleretur. Vaticinio fides constitit intra triennium, quando Theodorico fulminis ictu sublato, Brunechilde ignominiosè extinctâ, interfectis simul senis spurijs Theodorici filijs, justus hæres nullus superesset, Clotharius, quòd Columbanus prædixerat, Regnum invasit.

Aimoin. lib. 4.

Degebat tum vir sanctus in Bobiensi cœnobio, quod ipse in Alpibus Cotijs, quadraginta passuum millia ab urbe Papiensi, Agilulfo Rege, & Theodelindâ adjuvantibus, condiderat. Eò profectus Eustasius, verbis Regis Clotharij, & ascetarum Luxoviensium infimis precibus, prolixè institit, vellet bonus senex ad suos filios in Burgundiam reverti. Verùm ille sentiens se propediem ad cœlum iturum; Aliò, inquit, cursum intendimus, aliò vocat Deus: de revisendo Luxovio, non est quod cogitem: neque tu, si morem gesseris Numini, illuc tam citò es rediturus: Boica tibi priùs adeunda est, atque illic ponenda opera in divinæ legis explicatione. Paruit Eustasius, utilémque operam, vivo adhuc D. Ruperto, in erudiendis Boijs posuit. Sed cùm rebus necessarijs domum revocaretur, ne agrum Domini cultoribus vacuum destitueret, è Luxoviensi Cœnobio manipulum præstantium virorum in bene cœptos labores immisit, qui tam sancto operi impigrè succedaneam manum admoverunt. Eo factum, ut Boica duplici nomine salutis suæ beneficia deberet Gallicis Evangelij præconibus, qui è Ruperti, Eustasiique disciplinâ prodierunt.

FUNESTUS AGRESTINI PSEUDOMONACHI EXITUS.

XXXII. Sed malè vertit Agrestino, qui ex Theodorici Regis libellione, factus nomine potiùs, quàm re verâ Luxovij Monachus, contra Eustasij mentem, citráque divinæ vocationis auspicia, proferendæ in Boicâ religionis magisterium, cùm arrogans, sibíque præfidens invasisset, doceretque verbo non optimè, quod malis moribus improbabat, non oleum modò & operam perdidit, sed etiam ob inanem loquacitatem habitus contemptui, demum linguam venalem Romanæ fidei adversarijs eousque commodavit, donec alieni thori violator, servuli manu impactâ securi funestum finem accepit.

THEODEBERTO DUCI SUCCEDIT HUGIBERTUS.

Theodeberto Duce in Boica rebus humanis exempto, Hugibertus successit, cujus præterea nulla est in Veterum Annalibus memoria; sive ob scriptorum inopiam, sive, quòd nullum dederit scribendi argumentum; quódque facta illustria, quæ vulgò ab armis petuntur, Francorum, Boicæ imperitantium, fortunæ tribuerentur. Certè nihil fuit, cur Boij famam ex Bulgarorum cæde, per Francos id temporis collectam, sibi vellent attribui. Dagoberto annum nonum regnante, is videlicet sexcentesimus quadragesimus fuit, Avares contra Bulgaros in atrocem contentionem exarserunt: Bulgari prælio superati, regnum, patriámque perdiderunt. Lis illis erat de Rege creando: Rege enim, qui utrique genti jura dederat, mortuo, disceptârunt inter se, an successor ex Avaribus, an è Bulgarorum sanguine esset assumendus: cùm inter eos non convenisset, ad arma ventum est, quæ Bulgaris improspera fuerunt. Qui ex illis cladi superfuerunt, duodecim virorum millia, solo natali exacti, novas à Dagoberto sedes rogaverunt, quas inter Francos, hostes olim capitales, incolerent, quam conditionem ultima necessitas invitis exprimebat, ratis, ne isthîc quidem desperandos esse lares, quando præterea nihil esset uspiam, quod sperarent. Dagobertus consilij ambiguus, gentem ferocem ne, suo periculo, in sinum reciperet, néve, si orantes omnino reijceret, rejectorum arma cogeretur experiri; quod proximum fuit, exules jussit tantisper in Bojariâ pedem figere, dum certiora de ineundis colonijs expectarent.

AN. CHRIST. DCXXXX.

BULGARORUM INTERNECIO.

Distributi per contubernia, responsum opperiebantur, cùm Boijs à Dagoberto clàm venêre mandata, ut repentè omnes, quotquot terris receperant Bul-

XXXIII. garos, unà cum conjugibus, atque liberis, unâ eadémque nocte, ex condicto trucidarent. Necem evasit cum octingentis Alticeus, qui miserabiles gentis suæ reliquias,

liquias ad Valduccum Venedorum Ducem traduxit. Dagobertus, post eam Bulgarorum carnificinam, septennio superfuit, quo tempore, credibile est, cum Boicas leges emendâsse Agilulfi operâ, quem Velserus ex Agilolfingorum stirpe ortum suspicatur, ob affinem nominis originem; eòque Boijs gratiorem, quòd eorum mores haberet cognitos, & meliùs, quàm cæteri, quos Dagobertus singularum nationum novandis institutis adhibuit, nôsset jura Boijs attemperare. Ex istis legibus non erit injucundum aliquas cognoscere. In ijs nulla fuit pœna capitalis, nisi si quis Ducem occidisset. *Si quis Ducem suum* (inquit lex) *occiderit, anima ejus pro animâ illius, mortem, quam intulit, recipiat, & res ejus infiscentur in publico in sempiternum.* Si quis occidisset Episcopum, auro mulctabatur, quod vestem ex plumbo, percussoris corpori concinnatam, pondere exæquaret. Bojum, nefas erat bonis, nedum vitâ exuere, nisi compertum conspirationis adversus Ducem, aut patriam. Cæteræ pœnæ erant pecuniariæ, quas si quis non repræsentaret, addicebatur temporariæ servituti, donec æstimatio laboris debitam mulctam præstaret. Duces ex nobilitate, quæ suos majores referret ad Agilolfingos, legebantur, vel à Francorum Regibus, vel populi comitijs. Regis, Ducísq; nomen diu mansit Rectoribus promiscuum. Lege cavebatur, ne Regnum à patre transferretur in filium, quamdiu pater posset exercere judicia, disceptare causas, in exercitu ambulare, equum viriliter conscendere, arma sua gestare: modò ne esset surdus, aut cœcus, & posset Regis jussionem implere. Posteaquam Duces cœperunt esse Regum vicarij, Comites Ducum vices subibant, & qui centenis præficiebantur, centurionum nominibus censebantur. Liberti eodem propè loco erant, quo servi. Quæ statis diebus fiebant coitiones, placita vocabantur. Controversiæ, quæ aliter definiri vix poterant, armis decernebantur: quod Dei judicium, ideóque sacrosanctum habebatur eâ reverentiâ, ut omnem aliam juris contentionem excluderet. Omnibus Ecclesijs asyli jus erat, cum hoc elogio: *Nulla sit culpa tam gravis, ut vita non concedatur propter timorem Dei, & reverentiam Sanctorum, quia Dominus dixit, qui dimiserit, dimittetur ei, qui non dimiserit, nec dimittetur ei.* Pleraque ad eum modum, de rebus, locisque sacris, de Diaconis, Presbyteris, Episcopis, de Sanctimonialibus, quæ Deo virginitatem dicâssent, de Matrimonijs, diebus festis, mortuorum sepulturâ, reverentissimè cavebantur. Quia verò crebræ per provinciam profectiones, religionis nomine, instituebantur, ut calebant pietatis studia, peregrinantium quoque securitati erat prospectum: *Nemo ausit inquietare, vel nocere peregrinum, quia alij propter Deum, alij propter necessitatem discurrunt, tamen una pax est omnibus necessaria.* Si quis servum alienum accusâsset, & innocens tormenta pertulisset, domino simile mancipium tradere cogebatur: Quòd si servus innocens in tormentis mortem oppetijsset, duos ejusdem valoris servos restituebat accusator. De diei Dominicæ observatione lex sic habebat: *Præcipitur, ut in itinere positus cum carra, vel cum nave, pauset die Dominico, usque in secundam feriam, quia Dominus dixit: Nullum opus servile facies in die sancto.* Hæc de nuptijs. *Prohibemus nuptias incestas. Itaque uxorem habere non liceat socrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam sororis: filij fratrum, filij sororum nullâ præsumptione ligentur*, vel, ut habet Lindebrogij correctior editio, *nullâ præsumptione jungantur. Si quis sponsam alicujus rapuerit, vel per suasionem sibi eam duxerit uxorem, ipsam reddat, & componat centum sexaginta solidos. Si quis liberam fœminam suaserit quasi ad conjugem, & in viâ eam dimiserit, cum duodecim solidis componat.* Pauca hæc de multis, quæ legi possunt apud Lindebrogium, & Velserum. **Leges Boicæ.** **XXXIV.**

Cæterùm Hugiberto, quo Duce eæ leges emendatiores prodierunt, filia fuit Plectrudis, quæ Pipino Heristallo nupta, sanctæ, gloriosæ, illustris fœminæ nomen à virtutibus est consecuta. Huic suam originem adscribit primaria D. Stephani Pataviensis Ecclesia, cujus rei monimentum isthic olim legebatur, referens Plectrudis iconem, cum hoc titulo: PLECTRUDIS REGINA A DEXTRIS TUIS IN VESTITU DEAURATO CIRCUMDATA VARIETATE. *Marcellin. in vita S. Wilibrord. Hund. Schrivin. in Catal. Batav.*

An. Christ. DCXLVI. S. Vitalis obitus. XXXV. *Canis. to. 6. pa. 1023.* Eius miracula.

Theodo IV. Hugiberti successor Boijs imperabat an. DCXLVI. quando Vitalis, unus è D. Ruperti socijs, quem moriens sibi sufficiendum designaverat, è mortali vitâ abijt ad immortalem, vir egregiâ sanctitate, vivus, ac mortuus clarus miraculis, posteaquam Salisburgensi Ecclesiæ per annos viginti duos summâ cum laude præfuerat. Tumulum nactus est in D. Petri basilicâ. Ex tumulati corde, ferunt, per lapidem marmoreum, quo sepulchrum tegebatur, prodijsse lilium, quo morum innocentia, & puritas viventis, laude posthumâ commendaretur. Ante mortem, morbos nullâ vi medicâ superabiles, solis ad Deum suspirijs pellebat ex humanis corporibus. Ægris, si quando prodibant obviam, bene precando salutem reddebat. Fuerunt cœci, qui unâ salutantis voce lumen receperunt; claudos, membrisque deformes, verbo erexit, reformavítque. Ad demortui sepulchrum prompta erant remedia ægrotantibus, qui se ejus orationibus, conceptis votis, commendabant. Quibus ex rebus, annuente cœlo, publicam illi venerationem consentiens populi pietas conciliavit, noménque proximi à Ruperto Boicæ tutelaris. Eum demum Leo X. Pontifex Maximus in Sanctorum album publico ritu retulit.

Recensent D. Petri Salisburgensis Annales quinque ordine Abbates, qui post S. Vitalem D. Ruperti sedem tenuerunt, Ansologum, Sanolum, Ezium, Bertricum, alijs Flobargisum, & Amilonem. Ultimi loco Brunnerus statuit Joannem.

Poictiers. S. Emmerami in Boicam adventus.

Felix fuit Theodonis principatus virorum sanctorum magnis virtutibus. In his fuit D. Emmerammus Episcopus, quem ex Aquitaniâ Deus submisit, ab urbe Pictonum, quam Augustoritum olim dicebant. Fuerat à puero moribus optimis, & sacrarum litterarum studio imbutus. Adolescentem amor rerum cœlestium mirificè accendit ad præclaros ausus, quibus domi, forisque divinum honorem amplificaret. Cùm in hoc genere nihil nisi excelsum meditaretur, induxit animum ad proferendum Christi imperium in gentes, eatenus divinæ legis ignorantes. Hoc assiduè meditanti occurrerunt Hunni, quos si Christo adjungeret, putavit se rem Deo gratam, & magnum operæ pretium esse facturum. Ad eos tendenti cœlum manus injecit in Bajoariâ, studio Theodonis, ad quem Reginoburgi divertit. Huic, cùm suæ profectionis rationem redderet, desiderium incessit, hospitis penes se ad Bojorum salutem retinendi. Quamobrem omnem movit lapidem, ut divinitus oblatum gentis nondum satis excultæ magistrum, Boicæ conciliaret. Ex hac certiorem fructum posse colligi, quàm ex Hunnis bello assuetis, quibus nulla eloquentia persuasura sit, ut armis positis, ab avitâ feritate desciscentes mansuetioribus Christianorum institutis assuescant. Bojorum religionem inter fortunata initia assiduam cultorum manum requirere, ne sobolescentibus infelicibus errorum, vitiorúmque herbis, bona pietatis sementis suffocetur. Non defutura adversus sacrilegas gentilis impietatis religiones certamina, sed certiorem fore in Boicâ victoriam. Quæ ratio Emmerammo persuasit, ut mutato duntaxat campo, in quo ejus desudaret industria, quam locaturus erat Hunnis operam, Boijs addiceret, donec ad procurandam Hunnorum salutem se paulò patentius ostium aperiret, vel mors pro Christo, qualem habebat in votis, viam ad cœlum sterneret. Ergo magno animo rem aggressus, in Boicâ triennium posuit, tum deinde iter, voti causâ, Romam adornavit. Illuc cogitantem mors minimè sicca intercepit. Sigibaldus juventâ, & majorum nobilitate clarus, habuerat cum Utâ Theodonis filiâ furtivorum amorum consuetudinem, & jam propè erat, ut intumescens uterus facinus detegeret, crearétque utrique non modò summam infamiam, sed etiam ultimum vitæ discrimen. Fama est, consuluisse eos Emmerammum, velut expediendæ salutis oraculum, rogâsséque, ne deploratos rebus tam afflictis desereret: & eum quidem fecisse potestatem miseris, ut crimen in se velut authorem transferrent. Hoc posterius cùm citra enorme peccatum suadere nequiverit, non ausim de tantâ viri sanctitate & sapientiâ suspicari. Quis enim credat, virum Deo plenum suasisse tam fœdum, perniciosúmque mendacium, ex quo

XXXVI. Egregie laborat in Boica.

pro-

proventurum noverat atrocissimum scelus necis crudelissimæ innocenti sibi inferendæ? Horret animus cogitare, idipsum fecisse divino instinctu, qui ne minimi quidem peccati causa unquam fuit, aut esse potest, tametsi quædam citra communem modum, ordinémve, Deo instigante, sed absque ullo peccati nævo, fieri posse, non diffitemur. Atqui tale, quale Emmerammo tribuitur, consilium, manifestè Deo, & rectæ rationi adversatur. Emmerammus Romanum iter ingressurus, Volflero (Wolflaicum habet Brunnerus) uni ex presbyteris fidissimo, denuntiavit, atroci se supplicio, ob alienam noxam, crudelem in modum esse tollendum; rem quidem haberet in præsens tacitam, sed, ubi foret de nece certior, intrepidè vulgaret, Emmerammum Deo, ac conscientiâ teste, per summam injuriam esse necatum; tamen, numine sic disponente, volentem toleràsse mortem ex Christianâ charitate, & docuisse mori ad imitationem supremi virtutum omnium Magistri: adfutura de cœlo argumenta, quæ innocentiæ patrocinentur. Unde primò promptum est colligere, prænovisse ipsum crudele homicidium, cui Utæ, & Sigibaldi putidissima mendacia causam essent datura, & Lantbertum vitiatæ fratrem inductura ad peccatum longè gravissimum, quod meritò, si Episcopi partes agere voluisset, debuisset pro viribus impedire. Quòd si Sigibaldo, & Utæ prospectum volebat, ne Theodonis ferro caderent, suasisset potiùs fugam, vel amicorum intercessionem. Si ipse Martyrium affectabat, non erat Lantbertus ad illud inferendum mendacio proritandus. Nec verò etiam, cùm ad rem ventum est, proritavit, quando ipsemet criminis invidiam omni studio contendit à se amoliri, ut sicam homini furenti de manu excuteret. Denique neque licuit ipsi mentiri, ut alienæ impunitati consuleret, neque mendacium suadere potuit, ut ipse nocens videretur, & vitam amitteret: deinde, quandoquidem Christi causâ mortem ferre voluit, eam non debuit mendacio sibi accersere: hoc enim si fecisset, Christum non fuisset imitatus. Atqui, inquies, Martyrologium Romanum habet, Emmerammum, Episcopum & Martyrem, ut alios liberaret, Christi causâ mortem sævissimam patienter tulisse: Id verò est, quod facit ad ipsius laudem: tulit patienter mortem, non accersivit fraudulenter: ut liberaret alios, non manifestavit reos. Vulgi, quam refutavi, opinio, Historiæ nævus est ab Aribone, qui rem nimis crudè, non tam ex vero, quàm famæ sensu descripsit, alióśque scriptores induxit in fraudem.

XXXVII.

Aribo. Ep. Frising. de S. Emmeram.

Ergo omissâ communi opinione, longè credibilius est, Emmerammum consultum, suasisse criminosis, Deum ut voluntarijs suppliciis, & sceleris sincerâ pœnitudine sibi propitiarent, cætera committerent clementiæ Theodonis, nisi fugâ crederent suæ saluti esse consulendum. Verùm Uta stupri comperta, ut fit in re formidolosâ, maluit ex muliebri levitate & imprudentiâ, Emmerammum, quem fugâ jam elapsum credere potuit, quàm Sigibaldum, cujus capiti metuebat, accusare. Theodo accepti dedecoris dolore, prope actus in rabiem, ream, tantum scelus professam, in vestigio jugulàsset, nisi Procerum mitiora suadentium preces intercessissent. Irato persuaserunt, ut filiam à suo, patriæque conspectu relegatam, procul juberet deportari, ubi supplicium longis exilij ærumnis persolveret. Rem longè inclementiùs accepit Lantbertus, Utæ frater. Pepercit quidem sorori, patris exemplo, sed iram omnem effudit in Emmerammum. Hic Helfendorfi, in Boicæ finibus, divinas laudes de more, inter sacra divorum pignora, ad lucernas concinebat, cum suo comitatu; quando Lantbertus, equis celeribus illuc advolans, jubet virum innocentem loco sacro abripi. Producto in medium, acerbâ irrisione insultans; Salve, inquit, Episcope, virginis stuprator, gener Principis, affinis scilicet noster, nostræ gentis infamia, religionis propudium. Túne prædo castimoniæ, hoc in nos scelus ausus es, qui Pontificem agere, Virginum pudicitiam tueri, Boicam sanctissimis moribus imbuere debuisti? Emmerammo neganti scelus, & exorso defensionem, cùm ad Romani Pontificis tribunal provocaret, homo vecors iracundiâ scipionem impingit, jubétque rapi ad carnificinam, & lentam quidem, ut se diu mori sentiret. Diritatem supplicij exhorruêre comites, &, ne spectare cogerentur, plerique se è conspectu proripuerunt. Sævitiæ partes implevêre

XXXVIII.

S. EMMERAMMI MARTYRIUM

plevêre carnifices, qui jussu Lantberti sanctum Antistitem scalæ radijs alligârunt, alligato expunxerunt oculos, nares præsecuêre, detruncarunt aures, partésque, quas natura tectas voluit: linguam evulsêre radicitus, absciderunt manus, pedes, & seminecem, suóque sanguine cruentatum deseruêre. Inter tot cruciamenta, nullæ querimoniæ viri patientissimi, nulli gemitus auditi. Agrestes, post Tyranni discessum, sparsa hinc inde membra in cavo albæ spinæ trunco condiderunt. Adfuêre mox, equitum specie, cœlites, qui cùm sacros artus venerabundi sustulissent, videri desierunt, stupentibus agricolis. Jacebat in loco supplicij truncum corpus, nondum exanime. Qui ex Sigibaldi stipatoribus, metu discusso, redierunt, Emmerammum repererunt adhuc spirantem, juxtáque stantes colonos, qui, quibus poterant verbis, jacentem solabantur. Visum omnibus, tollere in carpentum corpus, nondum exanime, ínque sacram ædem devehere, ubi sanctus Antistes invictam animam Deo redderet. Aschaimum ei componendo delegerant, jámque progressi erant ducenti viri, ac mulieres, novem passuum millia, cùm vir divinus, ejulatu mortem adesse significans, ínque viridi cespite depositus, ad cœlum meliore sui parte evolavit. Lux instar sideris visa est animam ad beatorum sedes comitari. Sacer quidam horror, ac veneratio subijt spectantium animos, ut non auderent sancti viri exuvias attrectare, donec resumptis animis, humo levatas, Aschaimum in D. Petri templo tumulandas vexerunt. Cùm indies viri innocentissimi fama ostentis, & secundissimâ populorum approbatione magis, magísque claresceret, utroque loco, ubi videlicet inter tormenta terram sanguine consperserat, & ubi spiritum exhalârat, conditæ sunt sacræ ædes: tum denique visis nocturnis, & cœlesti monitu intellectum est, velle Deum, ut Ratisbonæ in æde D. Georgij, quam solitus erat, dum viveret, frequens precationis causâ adire, conderetur. Pompam funebrem Dux Theodo cohonestavit. Illuc cùm, secundo primùm Isarâ, & adverso deinde Danubio duceretur, ardentes faces, & magna passim divinorum operum miracula funeri triumphum, & incredibilem populis lætitiam adornârunt. Mortem passus est Emmerammus 10. cal. Octob. anno DCLII. Theodo Martyri Cœnobium, quod hodiéque florentissimum est, & D. Petro templum Reginoburgi excitavit. In ejus honorem Arnulphus Imperator muros Ratisbonenses ampliavit. Lantbertus ad Avares profugus miserè perijt. Ejus posteri, per tria sæcula mille exagitati casibus, venêre in partem supplicij, nisi, si qui calentibus votis alienæ crudelitatis culpam sunt deprecati.



BOICÆ



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER VII.

Varia Regni Longobardorum fortuna, & interitus. Rodoaldus Rex impius ob adulterium occisus. Aripertus, Theodelindæ nepos, regnum partitur inter Gundebertum, & Partharitum, filios, quorum ille à Grimoaldo Beneventi Duce interfectus; hic, varijs casibus agitatus, regnum recuperat, & in acie occumbit, denique Desiderius, ultimus Longobardorum Rex, captivus abducitur.

Bojorum Duces ex stirpe Agilolfingorum, à Theodone IV. usque ad Thassilonem, postremum ejusce stirpis, à Carolo Magno retrusum in Laurishaimense Monasterium unà cum filio Theodone.

Viri sanctitate in Boicâ illustres, Bonifacius, Wilibaldus, Wunibaldus, Sebaldus, Wicterpus, Marinus, Anianus, Corbinianus, Sturmio, Virgilius, Hildulphus, Erhardus, Albertus. Fœminæ singularis pietatis, Waltburgis, Cunibergis, Herluca, Adehais.

LOngobardorum regnum in Italiâ, genti Bojorum partim sanguine, partim affinitate connexum, Reges habuit, quosdam natos factósque populorum felicitati, alios ad scelera castiganda, quales divinæ mentis impenetrabili providentiâ pro ratione morum, temporúmque assumuntur. Utriusque conditionis, aliquot jam vidimus, sed nullos meliores, quàm quos Boica pietas Deo fecit acceptos. Rothari defuncto successit Rodoaldus filius, quem è Gundebergâ, Theodelindæ filiâ, sustulerat. Ille regnum, quod pater rebus prosperè gestis non improsperè tenuerat, nec clarum gessit, neque diuturnum. Vix enim dies septem ultra quinquennium imperaverat, cùm vivendi malè, & sine laude regnan-

I. RODOALDUS REX LONGOBARDORUM.

gnandi finem accepit. Ipsi adhæserat, cum labe Arianæ improbitatis, quam à pa-
INTERFICITUR. tre hauserat, odium fidei Catholicæ, & Catholicorum Antistitum, quos, varijs affectos damnis, oppidò vexavit. Ea potissimùm fuit, in summo ab armis otio, improbè regendi materia. Ad eam accessêre obscœni mores, ordinarij comites impietatis. Lascivientis insaniam, cùm nemo esset alius, qui reprimeret, oppressit Longobardus, cujus uxori stuprum intulerat, Deo id permittente, ut constaret, ne Regum quidem lasciviæ deesse vindictam, & regna, quæ fortunæ beneficio possidentur, sine virtute diu non retineri. Illo igitur absque virili sobole sublato, summis Longobardorum studijs, nullâ peregrini sanguinis invidiâ, Aripertus, Gun-
ARIPERTUS SUCCEDIT. doaldo Astensium Duce, Theodelindæ germano, prognatus, solio fuit admotus, quo annos novem potitus est, uno Catholicæ rei studio præclarus, quam ei laudem annales tribuerunt. Condidit Papiæ, extra portam occidentalem, Domini Salvatoris Oratorium, quod varijs nobilitatum ornamentis, idoneo censu locupletavit.
PARTHARITUS ET GUNDEBERTUS HÆREDES. Diem obijt anno DCLX. Sat feliciter rem gessisset, nisi infelici consilio duos filios, Partharitum, & Gundebertum, adolescentes, ex æquo regni hæredes dixisset, non cogitans, regna, cæteráque rerum caducarum, sui communione, minora fieri, nec retinere cum primævâ potentiâ decus pristinum, & amplitudinem. Hic tametsi communis sit gentium omnium sensus, tamen permulti, ab omni retrò memoriâ, victi paternâ indulgentiâ, in plures imperia diviserunt, quos perperam egisse, tristissimi eventus docuerunt. Ambitio regnandi, propinquitatis respectu non frenatur. Error Ariperti patuit, quando gemini fratres, divisi sedibus, animis cœpêre esse discordes. Partharitus Mediolani, Gundebertus Papiæ, Regias seorsim
INTER SE DISCORDES. AN. CHRIST. DCLX. habuere. Subinde succrevit infortunatum dissensionis lolium, quod tantum damni Italiæ attulit, quantum detraxit potentiæ Longobardis. Ortum habuit ex improbâ dominandi libidine, quæ demum erupit in fraterna odia, quibus nulla sunt flagrantiora. Classicum prior cecinit Gundebertus, qui suâ sorte neutiquam contentus, ausus de regno ex asse usurpando consilia capere, qualia susurrones, pestes charitatis, quorum in Regijs nimis quàm fœcunda est soboles, suggesserunt.
Arduum erat fratrem solio deijcere, si res unius Gundeberti viribus tentaretur:
II. accersenda proinde fuerunt externa auxilia. Grimoaldus Beneventi Dux, eâ tempestate magnâ apud Longobardos bellicæ fortitudinis existimatione valebat.
GARIBALDI PRODITIO. Hic Gundeberto visus rei gerendæ, persuadendæ verò Garibaldus Taurinatium Dux opportunus, tametsi uterque esset importunissimus. Etenim Garibaldus ad Beneventanum legatus, duplici scelere infamis, uno, perfidiæ in utrumque fratrum, quos suadendo fraudulenter dissociaverat; altero, prævaricationis, quâ nefarius Legatus Grimoaldo author fuit, ut, utroque fratre everso, regnum invaderet. Enimvero à fortunâ eum invitari, & fore ex usu rei Longobardicæ, si rem publicam occuparet, quæ à juvenibus inscitè gereretur, quippe quibus nec ævi maturitas, nec consilium adesset; cùm Grimoaldus non his modò, sed etiam longâ rerum experientiâ, armis, & Longobardorum studijs esset apprimè instructus. Habebat homo perduellis à Gundeberto in mandatis, ut regiæ sororis nuptias Grimoaldo addiceret, si Partharitum regno exuisset. Verùm antiquior fuit regni, quàm regiæ affinitatis ambitio, cùm sponsa auctarij loco esset accessura victori, si adolescentibus fasces excuteret. Igitur contractis, tum domi, tum ex itinere popularium, amicorúmque copijs, missóque Trasimundo Comite Capuano, qui venienti Spoletanos, Thuscósque conciliaret, conflato jam exercitu Placentiam appulit; unde Garibaldus proditor ad Gundebertum præmissus, retulit, propè esse Grimoaldum tantis valiatum copijs, ut de prospero successu nihil foret dubitandum. Cùm tamen Gundebertus ambigeret, esséme Regiâ recipiendus, & quibus colendus honoribus? respondit homo vafer, omnino debere admitti in aulam virum tantum, tam amicum, & mox futurum affinem. Quòd si de ejus fide dubitaret,
GRIMOALDI CRUDELITAS. loricâ corpus armaret; ita enim fore, ut neque hostem timeret, neque offenderet hospitem. Id ubi persuaserat, extemplo reversus ad Grimoaldum, conversâ proditionis fabulâ, monet, Regem venturum quidem postridie, honoris specie, ad collo-

colloquium, sed mutatâ repentè voluntate, hospiti exitium moliturum: Grimoaldum fraudem deprehensurum, si tangendo, in primo complexu loricam attrectaret. Ita decepto Rege, & hospite, & utroque salutis ambiguo, nihilominus ventum est die postero ad colloquium. Grimoaldus ergo stringens arctiùs Gundebertum, loricatum deprehendit, causatúsque, contra hospitij jura sibi paratas insidias, miserum Regem, quasi ad amici cædem prodijsset, in vestigio obtruncat, nullâ regij satellitij defensione, factíve apud ignavos aulicos invidiâ, quòd se prohibendæ, non patrandæ necis causâ, regem occidisse, excusaret. Supererat Gundeberto infantulus filius Rambertus, alijs Ragumbertus, quem ferro subductum amici clàm educaverunt, non invito Grimoaldo, cui à tantillâ ætate nihil erat metuendum.

Partharitus de miserando fratris casu edoctus, cùm nihilo sibi meliora à Tyranno polliceretur, celeri fugâ Mediolano se ad Cacanum Avarum Regem proripuit, Rhodelindâ uxore unà cum Chuniberto filiolo relictâ, quos Grimoaldus Beneventum relegavit. Non multò pòst Garibaldus proditor justas perfidiæ pœnas dedit. Vilis homuncio, ex Gundeberti famulitio, Taurini degebat, qui interempti domini necem ulturus, ipsis sanctissimi Paschatis solennibus, stans supra sacrum baptisterij fontem, impacto in cervicem ferro, Garibaldum inter medios stipatores occidit, ipséque vicissim à prætorianis confossus est. III. PARTHARITUS FUGIT AD AVARES. GARIBALDUS PRODITOR OCCIDITUR.

Grimoaldus, Longobardorum consensu, regnum, & fratris utriusque Regiam adeptus, Gundeberti sororem matrimonio sibi conjunxit. Reliquum erat, ut ad stabiliendum dominatum, vires omnes, & exterorum auxilia Partharito acciderét. Comperto itaque, eum ab Avaribus hospitio esse receptum, veritus, ne inde res novas moliretur, Cacano Regi denuntiavit, vel, hosti profugo negandum esse tectum, atque suppetias, vel, bellum propediem expectandum. Ne ad arma veniretur, Cacanus jussit miserum exulem solum denuo vertere. Hîc animo fluctuare Rex calamitosus, omnia circumspectare, ubi tutam stationem acciperet: verùm, cùm omnia suspectanti, omnia apparerent intuta, quod ultimum occurrit afflictissimo perfugium; statuit capitalissimi hostis clementiam experiri, ut vel, quod vitæ supererat, in otio consumeret, vel citò hostili manu finiret. Ergo reversus in Italiam, Hunulfum, quem ex familiaribus fidissimum suprema calamitas illi reliquum fecerat, præmisit, qui supplex à Grimoaldo precarios Lares, quocunque loco, & conditione, impetraret in patriâ, quam paulo antè Rex tenuerat, non aspernaturus deinceps humilem fortunam, si quietè vivere liceret. Grimoaldus, sive sensu aliquo humanitatis, quæ in submissos solet esse pronior, sive spe hostem in sua potestate retinendi, omnia prolixè pollicitus, respondit, ventúrum tutò, ac impunè, & cum honore apud se diversaturum. Partharitus accepto commeatu Papiam venit, & memor fortunæ præsentis, ad Grimoaldi pedes abjectus, orationem parabat, cùm jacentem Grimoaldus erexit ad osculum. Ad quem Partharitus: *Rerum*, inquit, *ô Rex, ista sunt humanarum vices, quæ me docuerunt sapere, ne spiritus tollam supra fortuita sed ut, sive fortuna arrideat, sciam non arrisuram diu; sive irascatur, meminerim, nihil eam facere à se alienum. Illi indignarer, nisi viderem, me hodie venisse in clementes Principis manus, quibus non est cur optare velim meliores. Vivere utcunque mihi licuit in solo peregrino, inter homines, tam longè à nostris moribus, quàm ab Italico cœlo sejunctos: jam mihi beatus videor, quòd me redditum videam non tam mihi, quod certè non affecto, quàm tuæ humanitati, quæ me jubet vitæ meæ, tuæque gratiæ esse securum. Est cur habeam* DEO *immortali, tibique gratias immortales, qui me voluistis, non tam meæ fortunæ dulcedinem, quàm modum, statúmque mutare. Lubens, crede mihi, tuos nutus, & imperia respiciam, sequar, & exequar, quamdiu me voles tibi esse subjectissimè obsequentem.* Plura dicere meditanti, orationem interpellavit Grimoaldus, & jurejurando addixit, se, eum in fidem receptum, cum fide, & lenitate habiturum. Tum officiosè dimissum, jussit, extra regiam ad paratum contubernium quietis causâ honorificè deduci, & regijs sumptibus lautè, liberalitérque tractari. Eò digressum secuta est civium Papiensium multitudo, videndi, & salutandi causâ regium sanguinem, cujus vigebat cum memoriâ supe- REDIT IN ITALIAM. IV.

 riorum

riorum temporum humana commiseratio apud officiosos homines, pristinam Parthariti fortunam cum præsenti conditione reputantes. Ista bonorum hominum civilitas, miserandum hospitem in summum capitis discrimen adduxit, cùm non satis expenderent, quàm periculosum esset, ac proclive, talibus officijs, invidiam viro quamlibet innocenti, apud ambitiosissimum hominem concitare. Et fuêre quidem è Grimoaldi domesticis assentatores, qui pessimam in partem civium studia interpretati, mentem alioquin utcunque compositam, suspicionum impleverunt. Quis enimvero crederet, tantum urbis universæ confluxum, amorem, venerationem, aliud portendere, quàm clancularia consilia rerum novandarum? Partharitum, nisi majora, quàm pro supplici hospite moliretur, publicum tot hominum concursum fuisse cohibiturum. Quid si urbanâ seditione armatus regnum repetat? Quis tum regi spondeat victoriam, vel incolumitatem? Quis nesciat, inconstantes insanæ plebis animos, ad spes novas semper aspirare? Propiùs esse nihil, quam ut Grimoaldus vim patiatur, nisi prior intulerit: locum non dari morosis consilijs, in re tam præcipiti. Extingui oportere æmuli conatus in herbâ, qui si radices agant, sint in tristissimam messem evasuri. Tametsi Grimoaldo visi sunt vera suadere & salutaria, quia tamen dies jam in vesperum abierat, Parthariti cædes dilata est in lucem posteram, vel noctem saltem concubiam. Adferuntur interea

PERICULUM EVADIT.

V. cœnaturo dapes, lautia, vina generosa, quibus incautus hospes mentem sopiret, séque redderet recipiendo ferro opportuniorem, quando mero, somnóq; solutum, sicarij essent oppressuri. Ea res suboluit uni, qui olim de Ariperti Regis servitijs fuerat, quíque in ministrantium turbâ ferculum mensæ inferebat. Hic specie salutantis, Parthario clàm in aurem: Habita, inquit, sunt de tuo capite comitia, perijsti, nisi arte elabaris. Partharitus vultu nihil mutato, sed simulatâ hilaritate curas tegens, secretò jubet, pincernam scyphum argenteum aquâ temperare, quam cùm potaret largiter, delusi, qui in singula ferè momenta exploratum mittebantur, Grimoaldo referebant, Partharitum genio gnaviter indulgentem, pro sobrio sanóque nihil agere, gestus omnes, ac dicta hominis esse temulenti: Unde Grimoaldi vox audita est; Bibat hodie insanus helluo, brevi nobis cum sanguine vina refundet. Parthariti diversorium undique sepserant excubitores, ne quà posset effugere, nec prompta erat ratio evadendi. Hunulphus de periculo factus certior, ex tempore hanc stropham comminiscitur. Heus pueri, inquit, in Regis ebrij cubiculo mihi pernoctandum est; lectum mihi, ad ejus latus sternite. Tum mensis sublatis, cum domino cubile ingressus; Comœdia, ait, nobis hodie ludenda est. Partharitum oportet agere personam mancipij; tu verò minister cubicularie, esto Partharitus, neque ullum mortalium in conclave priùs admittito, quàm te finxeris in multam lucem stertuisse; si fores quis pulsaverit, dicito, te crapulam nondum edormivisse. Tum Hunulfus Partharitum sub culcitra, pelle ursinâ, multáque præterea veste, quâ bajulantis caput obduxerat, propè fatiscentem, instar mancipij agit ante se, onerátque non modò convitijs, sed etiam verberibus: pulsatum etiam subinde solo affligit. Rogantibus custodibus quid hoc esset rei; Furcifer, inquiebat, iste præter morem hodie mihi lectum composuit in Parthariti sordibus, ut ebrij crapulam, & ronchos, quos efflat toto pectore, per noctem hauriam. Prô quanta nausea! Ego mehercule ampliùs ferendo non sum helluonis stomachum & insaniam: deinceps, sic me ament Superi, nisi stet per Regem Grimoaldum, ita mihi sedet sententia, mihi uni privatus sub meo Lare vivam: isti fungo non serviam ampliùs. Hâc

VI. arte per medias vigilias elapsus cum personato suo clitellario, Partharitum noctis beneficio, de mœnibus, quâ parte Ticinus amnis allabitur, cum comitibus, quos in via fors obtulerat, fune demittit, rogátque, raptis de pastu jumentis, citatâ fugâ, sibi ut consulant. Asta civitas, veteribus Parthariti amicis haud infrequens, ipsum, cum comitatu, istâ nocte recepit. Inde fugientes venêre Taurinum: sed cùm nullus illis in Italiâ receptus sat securus videretur, transcensis alpibus, ad Francos refugerunt. Cubicularius, oppessulatis foribus, in solem adultum sese in strato tenuit, respondítque Partharitum, poscentibus, quemadmodum jussus erat, se fessum

ex

ex itinere, & hesternâ helluatione, pauxillam adhuc quietem rogare, donec extracto, post multas interpellationes, tempore, Grimoaldus, moras ultra non ferens, jubet effringi fores. Tum ex cubiculario cognitum, de Parthariti fugâ. Vix sibi temperavêre satellites, quin è vestigio hominem, doli ministrum, discerperent, dignum clamantes, qui omnibus cruciamentis interiret. Adduxêre tamen in Grimoaldi conspectum, qui, omnia ex ordine de Parthariti fugâ referentem, non modò absolvit, sed adlegit etiam in suam familiam, multa promittens, si pari se fide, suáque obsequia vellet commodare. Hunulfo, qui ad Archangeli Michaëlis templum confugerat, Grimoaldus vitam, quásque auferre posset opes, condonavit, collaudatúmque à fide & prudentiâ dimisit in Franciam, unà cum cubiculario, cùm constanter asseruisset uterque, malle se cum Partharito vitam ærumnosam, quàm sine ipso, alibi terrarum, delitijs affluentem agere.

Fruebatur Partharitus apud Francos non incommodo exilio, cùm fœdus inter Regem & Longobardos coëgit exulem de tutiori receptu cogitare. Etenim veritus, ne duarum nationum amicitia suo capite sanciretur, ad Saxones, rerum in Britannia potientes, navigare constituit. Et jam velis in altum ferebatur, quando vox è littore audita, veheretúrne eâ navi Partharitus, nautis utique vehi affirmantibus, jussi vectores inhibere cursum, & Partharitum in continentem exponere: Extinctum enim esse triduo antè Grimoaldum, & jam desijsse timeri. Jam agebatur nonus annus, ex quo Grimoaldus regnum Italiæ occupaverat, & moriens ad Garibaldum, admodum puerum, ex Parthariti sorore susceptum, transmiserat. Creditum est fuisse genium, qui Partharito nuntium de Grimoaldi morte attulit, jussitque redire ad portum. Certè Partharitus invitantem secutus, Italiam repetens, ad alpium fauces, obvios habuit Longobardorum proceres, cum palatino famulorum apparatu, magnâque stipatorum multitudine, quorum præsidio defensus, Papiam ingressus, regnum, inter gratulantium plausus, tertio à morte Grimoaldi mense, recepit, Princeps in utrâque fortunâ justi rectique apprimè retinens, in sublevandâ miserorum inopiâ liberalis, in tuendâ religione fortis, & pius. Illi Deus visus est vicem rependere, cùm ipsi non solium modò, sed filium etiam Cunibertum, & Rodelindam uxorem, exilio Beneventano solutos, restituit. Ipse porrò ut suo se liberatori, atque vindici gratum præstaret, nobilem sacrarum virginum parthenonem D. Agathæ nomini dedicavit, eo loco, per quem, Hunulfi consilio, per mœnia necem effugerat. Uxor mariti virtutem secuta, Deiparæ virgini, extra Papienses muros, basilicam, ad perticas nuncupatam, visendo opere, amplisque possessionibus fundavit.

REMIGRAT IN ITALIAM.

VII.

REGNO RESTITUITUR.

Partharitus regnum optatâ pace florens, quietúmque septennio tenuerat, cùm anno octavo, qui Christi sexcentesimus, septuagesimus septimus fuit, Cunibertum in regni societatem admisit. Publicam quietem turbavit Alahis, Dux Tridentinus, Parthariti cliens, turbido, & arroganti vir ingenio. Is primùm Bauzani, castellorúmque vicinorum in Boicâ Comitem, quem id ætatis à tuendis limitibus Gravionem dicebant, sibi sumpsit debellandum. Hunc cùm prælio superâsset, successu elatus, Tridentinum castrum firmis operibus communijt, súsque déque habitis Parthariti Regis imperijs, quem non abs re credebat, cognatæ Bojorum gentis, pro potestate contra violentum pacis turbatorem, partes suscepturum. Partharitus offensus hominis supercilio, mœnibus Tridentinis præsidentem, obsedit. Sed cùm in castris segniter munia militaria obirentur, Alahis eruptione factâ, regium exercitum ipsúmque Regem egit in fugam. Ne bellum ultra glisceret, Cunibertus, pace compositâ, Alahim in Parthariti gratiam reduxit. Verùm cùm Partharitus inquietum hominis ingenium suspectaret, non semel de eo tollendo deliberavit: & sustulisset re ipsâ, nisi Cunibertus propter amicitiam, quam à teneris annis cum Alahi coluerat, ignobile facinus parenti dissuasisset. Datum hoc Cuniberto magnæ laudi: Sed quâ erat in Alahim facilitate, imprudens aliud à parente obtinuit, quod ipsum propè regno evertisset. Petebat Alahis, in pactæ reconciliationis pignus, Ducatûs Brixiani clientelam, jurisdictione beneficiariâ,

AN. CHRIST. DCLXXVII

CUNIBERTUM FILIUM COLLEGAM ASSUMIT.

ALAHIS DUX TRIDENTINUS BELLUM MOVET.

VINCIT PARTHARITUM.

VIII.

Par-

Partharius, quod res erat, metuens, ne istius ditionis accessione hominis ad rebellionem proni vires augerentur, quâ erat ipse sagacitate, & ex diuturno rerum usu providentiâ, modis omnibus obnitebatur importunæ Alahis petitioni: Cunibertus contrà, pro amico sentiebat, agebátque, ne repulsam pateretur: demum parentem flexit, quamvis repugnantem, ut assentiretur, præsagiens, hosti malè reconciliato præberi arma, quibus in suos dominos abuteretur. Eventus præsagium non fefellit. Partharitus fato concessit, post decem & octo annorum imperium; Alahis ejus morte, & filij simplicitate ad audendum liberior, insuper habitâ accepti beneficij memoriâ; arma in Cunibertum induit. Rebellionem fovebant Aldo & Grauso, cives Brixiani, nobilitatis conspiratione, & Longobardorum quorundam auxilijs adjuti. Horum perfidiâ, & Ticinensium invitatu Alahis Papiam, à quâ Cunibertus aberat, occupavit, occupatámque malis artibus, pejoribus oppressit, in amicos perinde atque in hostes, ínque sacrum ordinem, quem cane pejùs & angue oderat, ferox & crudelis. Hinc natum totius nationis in Tyranni sævitiem commune odium, & Cuniberti, ob mores longè pacatiores, desiderium. Tyrannidis excutiendæ orta est occasio ex re, in speciem, exiguâ. Alahi pecuniam numeranti triens unus excidit de mensâ nummariâ: nummum collegit, reddiditque puer, filius Aldonis, rebellionis, in Cunibertum antesignani. Reddenti Alahis, credens se non notari ab innocentulo; Propediem (inquit) mi puer, faciam, ut tuus parens multos, quos habet hujusmodi trientes, in meas manus effundat. Aldo filiolum, cùm ex aulâ domum redisset, percontatur, ecquidnam Rex illo die egisset, quid fuisset locutus? Retulit puer, quæ de suo parente dicentem audierat. Quâ re Aldo vehementer exterritus, Grausonem fratrem convenit, iniitque in communi periculo, Alahis maturè tollendi consilium. In facinoris societatem traxerunt amicos, Tyranni barbariem aversantes. Sanxére subinde occultum fœdus cum Cuniberto, qui in Insulâ, non longè à Comacino lacu, se continebat: dein tempus, modúmque dedendæ urbis constituerunt. Rei exequendæ opportunitatem dedit Alahis ex usu venandi. Fuit, cùm animi causâ, pro more in sylvam egressus, feras persequeretur, securus omnis periculi. Cunibertus à conjuratis vocatus, ad horam dictam Papiæ adfuit, & pronis universæ civitatis studijs receptus, à concursantibus civibus in Regiam restitutus est, amplexans singulos, demulcénsque confusis gaudio lachrymis. Alahis re cognitâ, frendens, furénsque multa minatus, militem legit in Istriâ, apud Vicentinos, Tarvisinos, Forojulienses, & passim in Longobardiâ. Conflato exercitu, bellum facturus Cuniberto, castra in campo, cui Coronatæ nomen, metatus est. Adfuit cum numeroso quoque milite Cunibertus, monuítque adversarium per fecialem, parci posse tot virorum fortium sanguini, si alterutrius morte bellum finiretur: se, si Alahis vellet congredi, ad certamen singulare prodìturum. Ne conditionem detrectaret Alahis, suadebat Tuscus quidam ex amicis: Ille verò tergiversari, cunctari, tandémque causari, Cunibertum non quidem armorum usu, sed tamen vastâ corporis mole superiorem, non debere contemni. Quam ignavi timoris confessionem Tuscus execratus, ad Cunibertum defecit. Cùm inter hæc jam eò promovissent acies, ut, citra conflictum, pedem referre nequirent; Zeno Diaconus Ecclesiæ, D. Joanni Baptistæ à Gundeberto dicatæ, staturâ, corporísque habitu Cuniberto non absimilis, rogat, obsecrátque Cunibertum, patiatur, Diaconum regio cultu, armísque tectum, descendere ad pugnam: si caderet, levem fore jacturam, sin vinceret, victoriæ decus, fructúmque rediturum ad Regem, quem non conveniret, nisi rebus urgentibus, exponi in discrimen. Cuniberto fortiter abnuenti, vix persuasêre amici, uti ne hominis officiosissimi fidem, operámque respueret. Ergo Zeno indutus cultu regio prodit è Cuniberti papilione: pugna committitur acerrima. Alahis invectus in Zenonem, imbellem hominem nullo propè negotio obtruncat, capútque hastili affixum jubet ostentari, victoriam totâ acie conclamari. Verùm ubi, casside detractâ, tonsum Zenonis caput apparuit, Alahis irâ, ac pudore insaniens, vovet, se acceptam ignominiam hominum sacrorum supplicijs

CUNIBERTUS AB ALAHI PAPIA EXUITUR.

RESTITUITUR EXCLUSO ALAHI.

IX.

ALAHIS PRÆLIO VICTUS OCCUMBIT.

ZENONIS DIACONI CERTAMEN.

ciis deleturum. Cunibertus è diverso prodiens in apertum, perculsos nonnihil suorum animos erigit, rursúsque provocat Alahim ad duellum; imperaturum genti, cui cœlum Victoriam donaret. Atqui ille: Cur ego (inquit) hoc tentem, qui Archangelum Michaëlem, cujus in æde Cuniberto meam olim fidem obligavi, video inter hostilia signa volitantem? Igitur prælium recrudescit, geritur res sat diu spe utrinque ancipiti; tandémque Alahis occumbit. Ejus casu consternata acies, Cuniberti vim diutiùs non sustinuit: Unde jam non cædes, sed strages & effusa fuga. Multos, nandi imperitos, aut mersos armorum pondere, flumen sepelivit. Alahi caput detruncatum, concisa membra feris, alitibúsque projecta. Zenoni Diacono funus ductum, conditúmque perhonorificè, in vestibulo D. Joannis. In loco certaminis excitatum Monasterium Divo Georgio Martyri. Pugna commissa est anno DC. XCII. Quæ de Aldone & Grausone liberatis, ne perduellionis supplicio plecterentur, idque ope dæmonis, primùm muscæ specie, deinde hominis unipedis imagine apparentis, à Paulo Diacono aliisque memorantur, cùm sint fabulæ, quàm historiæ propiora, ad suos authores remitto.

X.

An. Christ. DC. XCII.

Litteris digniora sunt, quæ debentur viris sanctis, qui Boicam rebus pro Deo gestis illustrârunt. In his est D. Victerpus, Augustanus Episcopus. Eum quidem nonnulli volunt fuisse Gallum, sed, qui vitam ejus conscripsit, affirmat natum esse in Boicâ, atque in eâ potiorem vitæ partem egisse, etiam cùm Episcopatum Augustanum procuraret. Certè eum B. Virginis, & S. Laurentij sacello, non longè à Lyco flumine, loco solitario, unius horæ itinere ab Eptatico, quem hodie Eppacensem, vel Hepacensem pagum esse autumant, delectatum fuisse, Carolus Stengelius, in ejus vitâ author est. In eodem pago, qui inter fauces Julias & Schongaviam, in topographicis Bojariæ tabulis describitur, eum habuisse fundum memorant, nec eousque fuisse peregrinum, ut nihil in Boicâ possedisse putemus. Et ut nihil possedisset, multum tamen est, quòd solitudinem in Boicâ magnis virtutibus impleverit, ab urbanis turbis remotus, ut eò liberiùs, cœlestium rerum meditatione, mentem soli Deo affixam exerceret. Socios habuit D. Magnoaldum, hodie Magnum, virum maximi nominis, & B. Tozzonem, cui mitram Augustanam reliquit, quem excepit hospitio, cùm ab eo ad basilicæ sacris ritibus expiandæ dedicationem invitaretur. Unde reversus Epachium 14. cal. Maij anno DCLXIII. ad beatorum sedes abijt. Fuerat ab ineunte ætate D. Benedicti sanctissimæ disciplinæ addictus, tantâ morum innocentiâ & eruditione, ut eum Hariolphus, Lingonum Pontifex, dignum judicaverit, qui Elefancensis cœnobij Sodalibus, omni virtutum & doctrinæ elegantiâ informandis, magister primùm, deinde Abbas præesset. His muneribus cum laude perfunctus, evectus est ad Neuburgensem, pòst ad Augustanum Pontificatum. Arianam hæresim utrobique, atque alibi locorum inter primos profligavit. D. Afræ basilicam, ab Hunnis deformatam, antiquo splendori restituit, clausitque Augustanæ urbis mœnibus. Religiosarum familiarum contubernia, partim construxit à fundamentis, partim instauravit, alia cæremonijs solennibus initiavit. Ut verò Dei cultum vivus egregiè promoverat, ita mortuus B. Herlucam virginem, aspectabili visendus specie, ad sui imitationem invitavit, adduxitque, ut in Heppacensem secessum immigrans, ijsdem, quibus ipse, passibus sanctitatis fastigium ascenderet: quod & ipsa præstitit per annos complures, quoad à barbaris ejecta, alias sedes quærere coacta, ad lacum Vermicum, ubi hodie floret cœnobium Bernriedense, in quo ipsa conditorium nacta est, vitam exegit magnis animi sanctioris exemplis. Ejusce loci prima fundamenta posuit cum Adehaide, Mangoldi Comitis nuptâ. Suscepit, more nutricum, pauperum infantum curam, eorum sordibus abluendis, concinnandis vestibus, aliisque id generis officijs, quæ viles ancillæ ægrè suscepissent. Tandem & vidit Adehaidem, ejúsque sorores, postquam è vivis excesserant, multâ circumfusas luce, quam in Adehaide tenuis quædam nubecula nonnihil inumbrabat, eò quòd inquietas vitæ civilis curas minùs vitâsset. Multos ad meliorem frugem

Rader. in Bav. S.

S. Victerpus Episcopus.

D. Magnoaldus. B. Tozzo.

XI.

B. Herluca.

B. Adehais.

gem reduxit: permovit non paucas virgines, ut intactum pudicitiæ florem Christo consecrarent. D. Laurentij familiari consuetudine fruebatur frequenter, atque ab eo ad sacram Eucharistici epuli mensam crebrò ducebatur. Illam quoque D. Victerpus sæpe suo conspectu recreavit.

An. Christ. DCXCVII.

Eâdem tempestate Marinus Antistes, & Anianus Archidiaconus, viri sapientiâ & divinarum rerum studio præstantes, beatâ morte functi sunt juxta Oenum ad Alpium promontorium. Erant ambo nati bono sanguine in Hiberniâ. Posteaquam bonarum litterarum disciplinis animum probè excoluerant, Romam religionis causâ ad venerandos Sanctorum cineres profecti, ab Eugenio Pontifice Maximo D. Martini Martyris successore, potestatem acceperunt divinæ legis per orbem promulgandæ. Marino concessa est Episcopi dignitas, nullis certæ Diœcesis limitibus (quod olim usu receptum erat) definita. Uterque transgressus Alpes, ad earum radicem diversis usi spelæis, vitam egerunt more priscorum Anachoretarum, oleribus, sale, pane, & si lautissimè epulabantur, quod ipsis perrarum erat, lenticulis & caseo: famem, & perfrequentia jejunia tolerabant per ipsos quadraginta annos. Tametsi solitudine mirè afficiebantur, non sunt tamen passi, istis eremi angustijs suam virtutem sic includi, quin se tradendis vitæ Christianæ præceptis, rudibus populis commodarent. In edocendâ Boicâ egregiam operam locaverunt. Dum id genus tenent instituti, Slavi, qui in Bojariam irruperant, spe prædæ, in sanctorum latebras penetrârunt. Marino ad aram facienti, Deus semel iterúmque animos fecerat, hortando, pergeret alacriter, propediem ipsi, juxtà & Aniano, adfore gloriosum laborum finem. Latrones in eâ mortis expectatione de genibus orantem offenderunt; tum illati in ejus antrum, rimari omnes angulos, vestigare recondita; cúmque nihil, quod avaritiæ placeret, esset ad manum, aurum tamen ab extrema viri abstinentissimi paupertate flagitant efflictim. Ille, se olim, abjectis rerum humanarum curis, omnes in Deo opes collocâsse, has se illis, si seriò desiderent, monstraturum. At illi ultima quæque minari, nisi Christum ejuret, urgere ut thesauros effodiat: tandémque poscere, ut secum provinciam obeat, ad prodendas profugorum facultates, quocunque loco laterent. Utrumque cùm se facere posse negaret, rapitur ad fidiculas, ab his ad tormenta exquisita, ac denique ad paratos ignes, in quibus passis in cœlum manibus, vir innocentissimus, multa precans etiam pro suis interfectoribus, invictum spiritum exhalavit. Anianus morbo prohibitus ne adesset Martyri, ubi primùm ejus necem rescivit, gaudio gestiens, sumpto cœlesti viatico, eâdem ipsâ die, quæ fuit 17. cal. Decemb. inter festas, quas sibi accinebat ipse, gratulationes, nullam vim passus, futuri securam animam cœlo transmisit. Divorum ossa ad usque Pipini & Carolomanni ævum mortalibus ignota latuerunt, donec Priamus sacerdos divinitus edoctus ea detexit, & Tollusius Episcopus Aurisium, sic pago nomen, transtulit. Cùm eò loci mirandis operibus clarescerent, haud procul Wasserburgo templum sacerdotiáque eorum venerationi accesserunt, attributis in eam rem Popponis, nobilissimi inter Bojos Dynastæ, fundis, ex hæredum liberalitate. Demum Cono major Palatinus, Uta conjunx cum liberis, Conone minore, & Irmengardâ sorore, cúmq; Elisabethâ Cononis uxore, domo Lotharingicâ, ædem prædijs locupletatam, verterunt in usus Cœnobij, cui à Rota præterfluente est appellatio.

Marginalia: XII. *Molan. in natalib. SS. Belgij.* D. Marinus Episcopus. In flammis necatur. Anianus moritur.

An. Christ. DCXCIX.

XIII. In Italiâ Cunibertus Rex Longobardorum naturæ debitum exolvit anno Christi DCXCIX. cùm à patris obitu magnâ cum laude regno præfuisset per annos duodecim. Liutbertum filium, puerili ætate rebus moderandis imparem reliquit Ansprandi viri sapientis tutelæ commendatum. Per imbecillem Regis ætatem, Rambertus Taurinorum Dux rebus turbandis occasionem nactus est. Is ipse est, quem infantem Grimoaldus Beneventanus, Gundeberti Regis percussor, ante annos quadraginta neci passus est subduci. Adjecit animum ad repetendam interfecti patris hæreditatem, quam spe nunquam dimiserat. Ergo ne sibi deesset, tempestivè validas copias contrahit, producitque in Ansprandum, & Rotharitum Ducem Bergomensem, Liutberti in exercitu Legatos, causatus Longobardorum Re-

Marginalia: Cuniberto Regi Longobardorũ succedit Liutbertus. Rambertus bellum movet.

Regnum, ab avó suo Aripetto Rege bifariam divisum, mediâ ex parte Gundeberto parenti suo fuisse attributum: Eo sublato, jus paternum ad se hæredem pertinuisse, quo, citra injuriam, non potuerit à Partharito patruo, ejúsve filio Cuniberto, nedum à Grimoaldo Tyranno, privari. Ansprandus Liutberti tutor pupillum Longobardorum jure defendebat: Impositam nimirum Partharito, ejúsque filio, atque nepoti, totius gentis consensu, coronam, nullâ habitâ ratione Ramberti, ut regnum, quod Ariperti inconsultâ in filios partitione, in Tyranni manus devenerat, & propè abfuerat ab interitu, in uno capite coalescens, ad pristinam firmitatem, & avitum splendorem reduceretur. Cùm lis disceptatione non finiretur, ad arma fuit veniendum. Collatis signis, Rambertus ad Novariam regium exercitum fusum, profligatúmque superavit. Eodem, quo pugnatum est, anno, cùm nonnisi octo menses intercessissent, fato functus, victoriæ fructum Ariberto filio reliquit. Hic ratus prosequendas esse belli reliquias, dum fortuna, & Liutberti imbellis ætas invitaret, lectis undique supplementis, in agrum Ticinensem irrupit. Isthic Ansprandus rursum ausus Martem experiri, adversum sensit. Acie devictus, in Larij lacus insulam profugiens, Liutbertum Regem, quem imprudente consilio passus erat interesse pugnæ, saucium, captúmque hostium potestati permisit. Aribertus crudeliter usus victoriâ, Liutbertum Regem balneo clausum suffocavit: Sigibrando Ansprandi filio effodit oculos: Theoderadæ uxori, quòd spem reparandi belli ostendisset, ejúsque filiæ Aurunæ, nasum, auréſque amputavit. Ansprandus, compertò parari Insulæ, in quam se receperat, obsidionem, per Alpes Rhæticas evasit in Boicam ad Theodebertum Ducem. Luitprandus ejus liberorum minimus, permissus est ab Ariberto sequi parentem fugitivum, haud dubio nutu divinæ mentis, quæ eum regno destinabat: tam verum est vetus verbum, nullum Tyrannum successorem, aut suorum scelerum vindicem occidisse. Petrus, qui unus erat è Liutberti consanguineis reliquus, Spoletum fuit relegatus: quòd mite hominis ingenium nihil ostenderet aptum rebus novandis. Illi, in D. Sabini Martyris æde, in preces effuso responsum cælitus, bono esset animo, futurum olim, ut patriæ redditus, Ticinensem Ecclesiam Pontifex gubernaret. Oraculo res ipsa fidem asseruit. Nam Episcopi munere sanctissimè functus est, cum illustri castimoniæ, cæterarúmque virtutum commendatione, quam Deus miraculis comprobavit. Tantum Boici sanguinis decus non fuit premendum silentio.

Vincit Liutberti legatos. Moritur. Aribertus bellum prosequitur. Liutbertum capit, occidit. XIV. *Petrus Ticinensis Episcopus.*

Aribertus, quod in dominantibus perrarum est, cùm Regni ingressum crudelitate insigniter fœdâsset, progressum eximiâ prudentiæ, justitiæ, & regiæ moderationis opinione exornavit, ut nihil dubitârint Annales, eum in præstantissimorum Regum album referre. Altero, postquam regnum invaserat, anno, Romano Pontifici luculentas possessiones, atque inprimis Alpium Cottiarum, quas Rotharis D. Petri Patrimonio ademerat, restituit, ejúsque restitutionis tabulas aureis litteris exaratas, testes extare voluit. Legatos exteros ad priscæ simplicitatis imitationem pellibus opertus, vili apparatu, & vulgari frugalitate jubebat excipi, cæterà civilis & blandus, ne illi, Italiæ capti delitijs, domum reduces, suos populares ad florentissimæ regionis invadendas opes accenderent. Noctu solebat alieno indutus cultu civitates obire, ut vulgi sermones de se judicibúsque, quos juri dicundo præficiebat, arbitraretur, & si quid in subjectos peccatum resciret, tempestivè castigaret. In ipso desijt Boicæ stirpis in Longobardos imperium, insigni justitiæ divinæ documento, quæ ut in remunerandâ Theodelindæ, posterorúmque pietate fuit liberalis, ita in castigandis delictis se præstitit accuratam.

Ariberti sapiens imperium.

Id quibus modis fecerit, reliquum est ut exequamur. Theodoni Bojorum Duci, rebus humanis exempto, suffectus est Theodebertus ex Agilolfingorum stirpe. Eum non fuisse Theodonis filium, notavit Arnolfus. Defuncti frater an sanguine remotior fuerit, incertum: saltem eum oportuit esse præstantem fide & prudentiâ, quarum meritis, ex legis præscripto, Boicæ Duces antiquo jure legebantur. Ansprandus apud Bojos, non immite novem annorum exilium expleverat, quando, sive continentibus flagitationibus, sive sortis afflictæ commiseratione, à

Theodoni succedit Theodebertus. *Arnolf. lib. 1. c. de vit. S. Emmeram.* XV.

Sigon. in Aribert.

ANSPRANDUS BOICIS AUXILIIS LONGOBARDORUM REGNUM INVADIT.

ARIBERTI INFELIX EXITUS.

Theodeberto ad Longobardici regni recuperationem suppetias obtinuit. Ijs stipatus, regressus in Italiam mense Martio, in agro Papiensi castra habuit. Aribertus, ut erat rei militaris scientissimus, suas copias intrepidus in aciem eduxit. Nec mora, animis utrinque concitatissimis signa collata sunt, ancipiti victoriâ. Prælium nox diremit, Bojorum legionibus haud parùm imminutis. Aribertus potuisset victor haberi, si se pro victore gessisset. Sed Deo, Liutberti necem vindicanti, aliud visum est. Ille, inerti consilio castris suam salutem non ausus committere velut devictus, se Papiæ mœnibus inclusit, quo receptu, suis pavorem, Boijs audaciam injecit. Id dedecus pejore errore vehementer auxit. Nam suis copijs diffidens, & urbis regiæ munimentis, raptim fugam adornat ad Francos, & semet, quantum gestare potuit, auro prægravat. Unde illi fuga impeditior, & dum flumen tranatu conatur superare, pondere depressus, gurgitibus hauritur. Ejus germanus Gundebertus, fugæ comes, pervasit cum tribus filijs in Franciam, ubi, quod ipsi vitæ superfuit, exul consumpsit. Reginbertus natu maximus, idémque postremus ex Garibaldi Bojorum Regis sanguine, Franciæ Regum indulgentiâ, Aurelianensis urbis præfecturam gessit. Ariberti cadaver posterâ, quâm perierat, luce ex undis protractum, partam Ansprando victoriam asseruit. Gesta hæc anno DCCXII. posteaquam per annos centum & viginti sex, Longobardorum Regnum penes Garibaldi Boij stirpem, vel affines steterat.

AN. CHRIST. DCCXII.

LUITPRANDUS ANSPRANDO SUFFICITUR.

DUCIT GUNTRADAM BOICAM.

Paul. Diac.

Ariberto ingloriè sublato, Ansprandus Boicis auxilijs regno potitus, tres, non amplius, menses supervixit. Idibus Junij vitâ excessit, cum eo præteritarum ærumnarum solatio, quòd spe vitæ longioris conclamatâ, Luitprandum filium, assiduum fortunæ suæ socium, consentientibus Longobardorum suffragijs, vidit regno destinatum, cui, pronâ omnium voluntate, post patris excessum admotus est. Idem Theodeberto Bojorum Duci, cujus beneficio ad eam fortunam emerserat, gratiam relaturus, Guntradam ejus filiam matrimonio sibi conjunxit, unicámque ex ea filiam sustulit. Videri potuit contracta cum Theodeberto affinitas vinculum fore constantis amicitiæ, cùm exorta dissensio pacem bello mutavit. Paulus rem tam paucis insinuat, ut neque de causâ, neque de belli ratione, quicquam exertè describat. Nisi nata sit discordia ex lite finium regundorum, quod vero simile est, ob ditionum propinquitatem; fieri potuit, ut aliqua simultas Luitprandum à Theodone V. Theodeberti successore alienârit, quod facile fuit inter juniores Principes, quos æmulatio, levésque offensæ, cùm in Boicâ simul degerent, potuerunt irritare, ut minor esset amor, & hospitij reverentia, quàm pro diuturnâ consensione foret necesse. Quicquid demum causæ fuerit, res in apertum bellum erupit Theodeberto Duce defuncto. Theodo Grimoaldo, Theodeberti fratre, genitus, Princeps fuit clarâ apud finitimos potentiæ, & bellicæ fortitudinis existimatione, ad quam laudem accessit insigne religionis in Deum studium, quantum in nullo, ex ejus majoribus fuit. Primus è Bojorum Regulis SS. Apostolorum Limina Romæ adijt causâ venerationis, quod credibile est, pace cum Luitprando compositâ, contigisse, cùm Gregorius II. Pontif. Max. Sedi Apostolicæ præesset, quod ab Anastasio notatum est, qui ejus peregrinationem refert ad indictionem decimam quartam, ut non immeritò credi possit, eam in annum septingentesimum decimum sextum incidisse. Quam ad pietatem incitari potuit Angliæ Regum exemplo, quos ab extremis Britannis, ad supremum religionis domicilium, Romani Pontificis reverentia exciverat: quod videre est apud Venerabilem Bedam, qui Ceadualiæ peregrinationem ad annum DCLXXXIIX. Conredi ad DCCIX. memorat. In eo, quod dixi, bello, Luitprandus, quod unicum Paulus memorat, multa Bojorum castella invasit, nihil præterea, quod constet, gessit memorabile. Cæterùm Theodonis probitatem cœlum remunerare visum est tergeminis filijs optimæ indolis, quos, ubi adoleverant, in vicariâ Provinciarum procuratione exercuit, ditione quadrifariam divisâ, cujus ipse Theodo partem unam sibi regendam servavit. Uni nomen fuit Grimoaldus, duobus alijs, Theodebaldus, & Hugibertus.

XVI.

BELLUM INFERT THEODONI V.

THEODONIS RELIGIO.

Paul. Diac. lib. 6. c. 13.

ROMANA PEREGRINATIO.

Bed. hist. Eccles. lib. 5. c. 7.

Aliud

Aliud à Deo Boicæ beneficium obtigit, ipso rerum potiente, quando D. Corbinianum ad eam gentem divinis institutis erudiendam submisit. Jam antè vir sanctus Galliam insigni nominis sui famâ, & magnarum virtutum exemplis impleverat. Natale ipsi solum dedit Melodunum, Senonum civitas. Monasterium ad S.Germani condidit, pérque annos quatuordecim, tantâ sanctimoniæ existimatione incoluit, ut, cùm continente propè confluxu omnium ordinum, ejus opem poscentium, interpellaretur, dolens, se toties à cœlestium rerum meditatione avocari, aliam stationem, ubi lateret ignotus, sibi putaverit esse quærendam. Eam Romæ petijt à Gregorio Pontifice, nec impetravit tamen, quòd ejus opera in procurandâ mortalium salute longè futura esset utilior. Auctus Episcopi dignitate, reversus in Galliam, priorem sanctitatis opinionem, operum divinitus patratorum luce, nolens volens, sic auxit, ut ad defugiendos hominum plausus, Meloduni per septennium delituerit, ubi tametsi omni, quâ potuit, ratione, hominum occursus vitavit, nullâ tamen cautione obtinere potuit, ne rursus ejus fama ex istis latebris promicaret, exciretque quamplurimos ad eum visendum, ingente frequentiâ. Quamobrem Romanum iter ingressus, ne à popularibus retraheretur, mutatâ primæ profectionis ratione, in Boicam, spiritu, quo ducebatur, impellente, contendit. Hîc memor jussorum Gregorij Pont. Max. quibus eum monuerat, ut pro Episcopi munere, verba de rebus divinis ad populum crebrò faceret, magno id cum fructu præstare est aggressus. Theodo ejus videndi, audiendíque desiderio, ad se accersitum, & quæ vulgò de ipso ferebantur, egregiè implentem, quà precibus, quà magnæ frugis expectatione induxit, sibi ut in Boicâ sedem cooptaret. Idem serió egit Grimoaldus Ducis filius, qui Boicæ partem, quæ Italiam proximè respicit, administrabat. Sed cùm ille Romanum iter urgeret, nec invitum deceret retinere, amplis donatum muneribus dimisêre, additis comitibus, qui abeuntem ad Italiæ fines deducerent. Habuêre ijdem in mandatis, ut Venusticæ vallis incolis, aliisque circùm populis injungerent, ut Corbinianum Româ revertentem ad Regiam, quæ Frisingæ tunc habebatur, comitarentur. Ferunt, euntibus, in Breonum regione, inter Alpium aspera nocte intempestâ ursum occurrisse, & dilaniâsse equum Corbiniani clitellarium, jussúmque ab eo, vicarium in ferendis sarcinis, obsequium subijsse. Luitprandus Rex, excitatus viri sanctitate & miraculis, quæ eum ubique comitabantur, eunti Romam, redeuntíque quantum potuit honorem haberi voluit, neque judicavit esse infra regiam majestatem, ad illius genua prostratum, poscere bonam apprecationem, & commendationem apud Deum. Ut venit in urbem, Gregorius Pontifex, solitudinem flagitanti, negavit Episcopo convenire in latebris, vel in umbrâ alicujus asceterij sibi soli vacare, jussítque reverti ad provincias, in quibus meliorem operam excolendâ Domini vineâ collocaret. Quare, ut morem gereret tantæ authoritati, & sanctioribus rationibus, iter relegit in Boicam. Haud procul Meraniâ Tiroleos, Majensis castri præsidiarij, ut erant jussi, retulerunt, Grimoaldum Ducem postulare, ut tantisper eò loci quiesceret, dum Principem de ipsius adventu edocerent. Substitit non invitus, eò maximè, quòd nactus esset otium, D. Valentini Episcopi Bataviensis Lipsana, isthic condita, religiosè venerandi: simul capiebatur aviâ solitudine ad Timonis & Finalis confluentes. Dum corporis vires, animúmque reficit, venêre à Grimoaldo nuntij, rogantes, se ut lubens pateretur honoris causâ deduci ad Principem, qui avidè eum expectaret. Assensus est, non tamen sine pugnâ. Et erat, cur Grimoaldi congressum aversaretur. Theodebaldus Grimoaldi frater è vivis nuper abierat, Pilitrude Francici sanguinis viduâ relictâ. Hanc Grimoaldus incestis nuptijs duxerat. Crimen execratus Corbinianus, per internuncios Principi interminatus est gravem D. Pauli comminationem, neque adulteros, neque fornicatores regnum Dei possessuros: & se quidem in ejus conspectum non venturum, nisi priùs admissum cum Pilitrude crimen expiaret. Ea denunciatio graviter quidem Grimoaldum, sed Pilitrudem longè graviùs affecit, ut parùm abfuerit, quin Herodiadis sævitiem, ultimæ crudelitatis exemplo, renovaret. Non

S. Corbiniani adventus in Boicam.

XVII.

Romam proficiscitur.

Redit in Boiariam. *Masch.*

XIIX.

Grimoaldi et Pilitrudis nuptias accusat.

desijt tamen Corbinianus, per certos homines agere partes Joannis, Christi præcursoris, cum egregiâ libertate. Tenuit contentio dies omnino quadraginta, donec flexis ad pœnitentiam reis, ambo malè nupti conjuges, ad Episcopi pedes strati, peccatum detestantes, in gratiam sunt recepti, eâ lege, ut DEUM seriâ pœnitudine, jejunijs, orationibus, & piâ in egentes liberalitate sibi propitiarent. Utcunque compositos Corbinianus satis clementes expertus est. Grimoaldus ejus suasu, D. Virginis basilicæ Frisingensi agrum Caminensem, non longè à castro Majensi, donavit. In Caminâ Divorum Valentini & Zenonis honori templum construxit Corbinianus, adjecitque latifundia, auro, quod olim à Pipino Heristallo dono acceperat, coëmpta. Pilitrudis tametsi vulnus occultum, quod in horas exacerbabatur, arte muliebri tegeret, nondum tamen obsoleverat cupido vindicandi acceptam ignominiam, cujus ipsi identidem recurrebat importuna memoria. Accessit Corbiniani factum, quod hodierni mores nimiæ severitatis accusarent, nisi priscæ simplicitatis austeritas, & fervens animarum zelus, sanctum virum absolverent. Cùm essent mensæ assessuri, Corbinianus epulis bene precatus est consuetâ oratione. Ut accubuerant, advertit, Grimoaldum panis frustum de mensa cani projicere. Quamobrem indignans sellâ exilijt, & eversâ mensâ, fusisque humi patinis, sese è loco proripuit, indignos clamitans hominis DEO sacrati consortio, & usu ciborum, quos ritu solenni expiaverat, qui canes, nullo profanorum, & sanctorum eduliorum discrimine, dignos pane, sacris precibus initiato, judicarent. Grimoaldum ea dicendi, agendique licentia nonnihil movit, sed Pilitrudi, quæ occasioni vindictæ insidiabatur, omnem simulationem excussit. Quare mirum quantum excandescens: *Vide*, (inquiebat) *Princeps, quem tu hominem foveas, qui non modò tuum thorum, sed etiam mensas audet execrari inauditâ maledicendi libertate. Quid criminis est, cani bolum objecisse? sed quid non criminis, regias epulas, quibus ipse benedixerat, omnes abjecisse, te præsente, inspectante aulâ, & ad tuæ majestatis ludibrium exhorrente? Novas videlicet sacrilegiorum leges, novus (si superis placet) Lycurgus alijs figit, sibi refigit. Si frustulum profanâsti, mensam ille totam profanavit: qui te damnat, se interim vult videri sanctum & innocentem.* Sic illa, quàm poterat invidiosissimè, factum interpretabatur. Grimoaldus nihilominus iram in potestate habuit, nec quicquam motus Pilitrudis expostulatione, misit è vestigio, qui Corbinianum abeuntem clementer attinerent, ipséque mox cum proceribus secutus, omni delinitum humanitate, in Regiam reduxit. Corbiniani pietatem visi cœlites comprobâsse. Stabat jam tum in colle S. Stephani, è regione Frisingæ, sacra ædes, quam ille precandi causâ frequens solebat adire. Cùm aliquando nequiret consuetâ pietate defungi, socios jussit eò loci ad matutinam comprecationem se conferre. Clivum subeuntibus apparuêre lumina per templi fenestras, ipsúmque tectum, mirifico splendore, promicantia: auditus suavissimus concentus geniorum, DEO laudes dicentium: ædem ingressos excepit odor fragrantissimus, qui per triduum omnes Arabiæ suffitus superavit. Adscriptum hoc Corbiniani sanctitati, cujus vicem supplerent cœlites, ostenderéntque, divinum ardorem, & desiderium eliminandæ improbitatis non esse sub modio recondendum, sed exponendum oculis, super excelsum Episcopalis sapientiæ candelabrum. Corbinianus, animadverso, locum istum DEO esse cordi, domum modicam templo adjunxit, cúmque aquæ penuriâ mons laboraret, uberem fontem à DEO exoravit, qui eo demortuo exaruit, rursúmque scaturijt post annos quinquaginta (Aribo quadraginta numerat) quando ejus reliquiæ Frisingam fuerunt adductæ. Secundùm hæc, Pilitrudis aliam turbarum causam arripuit. Tendebat Corbinianus ad Deiparæ Virginis templum, quod Frisingæ erat dignitate præcipuum, ut de more vespertinas preces persolveret. Eunti venit obviam mulier rusticana, veneficij dudum suspecta, quam comitabantur viri aliquot, sarcinis bene onusti. Interrogata à Corbiniano unde veniret, quorsum tanta rerum moles? Venio (inquit) ex Regiâ: unde sunt ea munera, quæ Principis liberalitate aufero, eò quòd filiolum, maleficio ad extrema properantem, meis artibus (præstigias notabat) ad sanitatem revocavi. Corbinianus

PILITRUDIS IN CORBINIANUM IRÆ.

XIX.

X X.

nianus rarò aliàs ſic eſt indignatus. Ilicò enim in ſtrigis os involans fœdè multatæ dona ademit, juſsítque ad urbis portam dividi in egentes. Pilitrudis Lamiæ quiritationibus propè verſa in rabiem; furere, ultionem parare, Corbinianum ad necem deſignare, indignari Grimoaldo, exprobrare abjectum ingenium, quòd toties læſus, manus ab inimico Antiſtite abſtineat. Sed cùm mirificam Ducis manſuetudinem non poſſet efferare; Nino, miniſtrorum ad patranda ſcelera expeditiſſimo, negotium dat, Corbinianum mox è medio tollendi. Jam ferrum paratum erat, quod in ſancti viri viſcera conderetur, niſi mutato per eam noctem contubernio, fugâ elapſus, primâ luce, Majas evaſiſſet. Ex eo loco, per certum hominem, propinquantem Numinis vindictam Grimoaldo denuntiavit: Ipſum Ducem pœnas morte daturum, Pilitrudem miſerè perituram: Infantem, magico carmine luſtratum, brevi expiraturum. Vaticinio res ipſa reſpondit. Carolus Martellus Francorum Princeps, trajecto Danubio, movit in Bojariam, ubi defunctus bello difficili pacem inijt, quæ anno inſequente Bojorum rebellione eſt abrupta: rebelles victi, innumeriſque affecti incommodis. Pilitrudis, cum Sunichilde nepte, inter ſpolia, venit in victoris manus, & denique omni dignitate, facultatibúsque univerſis exuta, velut piaculare oſtentum in aſello circumducta, & per varios errores deportata in Italiam, improbam animam, poſt incredibiles ærumnas, exhalavit. Liberi, quos Grimoaldo pepererat, paternâ hæreditate exciderunt. Grimoaldus à ſicarijs fuit trucidatus. Ninus famulus nefarius, dum alvum levat, lanceâ confoſſus eſt. Grimoaldi mortem Annales referunt in annum DCCXXIIX.

EADEM CORBINIANUM AD NECEM DESIGNAT.

BOII REBELLES A CAROLO MARTELLO DEBELLATI.

GRIMOALDI ET PILITRUDIS FUNESTUS EXITUS.

Ad Hugibertum, qui unus è Theodonis V. filijs ſupererat, totius demum Boicæ imperium devenit. Is, ut DEUM Boijs propitiaret, Corbinianum precibus adduxit, ut lubens volens in ſuam ſedem remigraret. Friſingam reverſus, ſodalibus diem mortis propediem adfuturæ prædixit: Tum à Luitprando Rege, qui Majas bello occupaverat, impetravit, ut earum dominium Friſingenſi Eccleſiæ perpetuò addiceret, & demortui funus eò loci condi pateretur, quod ipſum ſupremis votis ab Hugiberto popoſcit. Tandem, octavo pòſt die, ſacris ad aram operatus, cùm domum revertiſſet, vino extremis labijs vix libato, crucis ſigno frontem muniens, ſanctam animam, nullo doloris ſenſu, DEO reddidit. Friſingenſes, ſupremæ ejus voluntatis immemores, ad D. Virginis Deiparæ funus tumulârunt. Sed mox apparuit, DEO non eſſe cordi, ut, quod vir ſanctus ultimis mandatis juſſerat, præpoſterâ religione negligeretur. Totos enim triginta dies continens imbrium profuſio ſic fœdavit, ut Hugibertus corpus juſſerit exhumari, & devehi in eum locum, quem ille ſibi vivens delegerat. Urnâ apertâ, nullâ parte tabefactum apparuit, ſed per omnia intaminatum, & dormienti, quàm exanimato ſimilius: cùm moveretur, ſanguis manavit è naribus. Cùm rurſus Maijs cadaver luſtraretur, idem contigit, & ſpirantis ſpeciem præ ſe tulit. Edita ſunt tum in itinere, tum Maijs opera ſupra naturæ vires, quæ Divi ſanctitatem affirmârunt. Iſthic ad S. Valentini ſepultus eſt. Tertio poſt exequias die, adultâ nocte, in templo micuêre faces tantâ luce, ut vincere diem viderentur. Afflatus eſt ſimul totâ æde odor ſuaviſſimus, teſtis virtutum, quarum fragrantiâ DEUM hominéſque Corbinianus vivus & moriens recreârat. Ejus obitus incidit in annum Chriſti DCCXXX.

AN. CHRIST. DCCXXIIX

DUX HUGIBERTUS GRIMOALDO SUCCEDIT.

CORBINIANUS REDIT FRISINGAM.

XXI.

MORITUR.

Tanti viri jacturam DEUS ſarſit, ſubmiſſo in Boicam D. Bonifacio, qui, ſi quis alius, Germaniam egregijs virtutibus, & exantlatis pro Chriſto laboribus illuſtravit. Illi Britannia primam lucem dedit; fuit eidem genus inter Anglos nobiliſſimum. Naſcenti nomen Vinifridus: quod cùm Romanis auribus duriùs ſonaret, Epiſcopus mutavit in Bonifacium, bono omine, cui magna in mortales beneficia reſponderunt. Primum ætatis florem DEO, pietatíque ſacravit inter viros, rei aſceticæ ſcientiſſimos: tum ad ſanctum presbyterij ordinem evectus, Romæ à Gregorio II. poteſtatem propagandæ ubique gentium religionis ampliſſimam accepit: anno Chriſti DCCXIX. in Friſiam ſe contulit Evangelium promulgaturus. Quam ad rem haud mediocre emolumentum attulerunt litteræ Pontificiæ, ad Carolum Mar-

AN. CHRIST. DCCXXX.

S. BONIFACII NATALES, STUDIA.

XXII.

Marian. Scot. in Chron. Baron. in an. 719.

LABORES PRO RELIGIONE.

Martellum, Episcopos, Clerum, Duces, populósque universæ Germaniæ, & sigillatim ad Thuringos, apud quos fecit grande operæ pretium, quale etiam retulit ab Hassis, aliisque Germaniæ gentibus, Rhenum & ulteriores versus Orientem tractus accolentibus. Fructus etiam tulit uberiores, posteaquam anno DCCXXIII. Romæ à Gregorio Pontifice dignitate Pontificali major, præstitóque solenni juramento, cujus formulam descripsit Baronius, longè, quàm antè Christo addictiores expertus est Germanos, eâ Catechumenorum & Neophytorum frequentiâ, ut tandem neque ipse, neque, quos in laboris partem adsciverat, Presbyteri, pares essent multitudini sacrâ doctrinâ imbuendæ. Quamobrem evocandæ fuerunt è Britanniâ suppetiæ, in quibus Wilibaldus & Wunibaldus, viri præstantes, mulieres item præclaræ, Waldburgis & Cuniburgis, quorum omnium nomina rebus pro DEO gestis in Boicâ inclaruêre. Additus est Sebaldus pari vir nobilitate, nec sanctitate dispari, qui cùm primam ætatem in litterarum juxtà & virtutum studio posuisset, Alexio non absimilis, spretis, quas invitus injerat, nuptijs, paternam domum intactámque sponsam noctis beneficio deseruit, patriam voluntario mutans exilio, ignotus mortalibus, notissimus DEO atque cœlitibus, per annos quindecim peregrè exactos. Pòst, Romam profectus voti causâ, missus est à Gregorio Pontifice in Germaniam, & delatus in Bojorum fines, claruit miraculis, præsertim Reginoburgi, ubi hodiéque pij in suæ felicitatis parte reponunt, quòd tali aliquando hospite fuerint eorum majores gavisi. Danubium trajecturo, cùm navigij non esset copia, penula pro rate fuit. Nautæ oculos per injuriam effossos restituit: cùm ligna deessent, glacie focum instruxit. A Norinbergensibus post fata in tutelarem assumptus, magnis fuit cultus honoribus, donec cives sacra mutârunt.

Ludger. Monast. Ep. Vetustus Cod. Biblioth. Fulden.

DD. WILIBALDUS, WUNIBALDUS, WALBURGIS, CUNIBURGIS. S. SEBALDUS.

XXIII.

Bonifacius inter hæc, quot diebus, Deo sacratissimam incruenti sacrificij hostiam, ut sibi & Germaniæ cœlum propitiaret, immolavit, ac demum suscepit in se peculiarem curam Boicæ erudiendæ. Eam provinciam aggressus est post excessum Gregorij II. Pontificis sanctissimi, quem historia ob singularem vitæ sanctimoniam Magno Gregorio censuit esse comparandum. Ejus successor Gregorius III. anno DCCXXXI. Bonifacium sacro pallio, & Archiepiscopi munere honestavit. Eâ tempestate per Erenvolfum, hominem planè pestilentem, flagitiosa hæreseos dogmata in Boicam irrepserunt, eò grandiore periculo, quòd Boij sueti cœlestis doctrinæ præcones, non secus atque lapsa quædam è cœlo numina accipere, ob candidam ingenij per se boni docilitatem, magis patebant impostorum fraudibus. Bonifacius, cognitis nefarijs Erenvolfi molitionibus, properè grassanti malo occurrit. Primus illi labor fuit in lupi dolis indagandis. Mox, ubi comperit, pestem animabus inferre, diris devotum à piorum cœtu proscripsit, ac denique vulgus contagio jam infectum, erroréſque dedoctum, revocavit in viam. Rebus ad eum modum compositis, denuo profectus in urbem, anno, qui sæculi istius octavus fuit supra trigesimum, Francos, Britannos & Bojos, magno numero, socios itineris habuit. Roma eum non aliter, quàm multarum gentium, devictâ impietate, triumphatorem venerata est: Pontifex Maximus paternè excepit. Ad cætera beneficia accesserunt sacra Divorum ossa, quibus ditatus, lætior redijt in Germaniam, quàm si alias quasvis urbis opes retulisset. Adjecit Gregorius III. Epistolam ad Bojos & Alemannos, quâ illum Pontificis vices agentem jussit in eo, quo par erat, honore haberi. Injunxit præterea Episcopis, ut præsto essent Bonifacio, sive Augustæ, sive ad Danubium, alióve loco comitia indiceret. Eosdem hortatus est, ut divinæ vocationi dignè responderent, suo ministerio ritè fungerentur, juxta normam sanctæ Catholicæ & Apostolicæ DEI Ecclesiæ: religiones gentiles extirparent, lupos sub ovinâ pelle venientes, sacerdotes fucatæ virtutis, à suis gregibus arcerent: edocerent populos sibi commissos abstinere à mortuorum sacrificijs, qualia videlicet gentilibus erant usitata, quando sacris inferijs operabantur, fundendo humanum sanguinem, laniando genas, uti scribit Servius: vel, quod diu Christianis adhæsit, uti videre apud D. Augustinum lib. de moribus Ecclesiæ, cap.

ERENVOLFUS HÆRETICUS

A BONIFACIO DAMNATUR.

AN. CHRIST. DCCXXX IIX. BONIFACIUS DENUO ROMAM ADIT.

cap. 34. ubi reprehendit ſepulchrorum adoratores, qui quorumlibet mortuorum ſepulchris eum deferebant honorem, ut, tametſi Sanctorum cineribus forent vacua, ſuper illa luxurioſè epularentur, ſuámque voracitatem religioni tribuerent. Epiſcopos præterea hortatus eſt, pergerent ſanæ fidei tenere conſtantiam, ſéque præſtare dignos, quos in decretorij judicij die ſupremus Judex, patris cœleſtis benedictione ab impijs ſegregatos, ad regnum ab origine mundi pietati paratum, vocaret.

An inter hæc Dux Hugibertus fuerit in vivis, dubium fecêre ſcriptores. Arenpeck ejus obitum anno DCCXXXIX. adſcribit. Steindelius reijcit ad annum DCCXL. Quidam ad DCCXXV. Utilo II. an velut Hugiberti hæres, an alio nomine, migravit in defuncti locum, Princeps magnanimus & apprimè religioſus. Et verò tali Duce Boica indigebat. Etenim licèt Erenvolfi infelix lolium eſſet evulſum, tamen multæ ejus generis herbæ totâ paſſim provinciâ manibus ſacrilegis ſerebantur à quibuſdam, qui obtentu Romanæ legationis, mentientes ſe à ſummo Pontifice nactos eſſe tractandorum divinorum ampliſſimam poteſtatem, vulgus incautum trahebant in errores. Utilo, ut gliſcenti malo mederetur, Bonifacij, qui ex itinere Romano ad Luitprandum Regem rediens diverterat, opem imploravit, impetravítque, ut ocyus reverſus in Boicam, furtivos iſtos religionis hoſtes ſibi ſumeret debellandos: quâ in re diu multúmque fuit viro ſapienti laborandum, facto à primis doctrinæ Chriſtianæ elementis initio, ne qua labes plebis imperitæ ſimplicitati adhæreret. Ut verò deinceps ad manum eſſent Epiſcopi, qui pro religione ſedulò excubarent, Boicam in quatuor Diœceſes eſt partitus, quibus Antiſtites ſinguli per continuam ſucceſſionem admoverentur, & conſtanter advigilarent, ne qua doctrinæ morúmve corruptela populorum animis imponeret. Saliſburgo præfecit ex D. Petri Cœnobio Joannem: Friſingæ Erimbertum defuncti Corbiniani germanum: Reginoburgo Garibaldum. Laureacenſis ſedes cum Bavavienſi paulatim coaluerat, ubi Philoni & Brunoni Theodorus ſucceſſerat. Theodoro Vivilum, ſive Vivilonem, Gregorius Pontifex nuper ſurrogârat, qui demum ſub Hugiberti Ducis exceſſum ſacerdotia, ſacrámque juriſdictionem Batavium tranſtulit. Bonifacius ſupremam Romanæ ſedis authoritatem reveritus, eum loco non movit, ſatis habens, ipſius Diœceſi, perinde atque alijs certos terminos præfixiſſe. Eorum denique, quæ geſſerat, rationem per litteras reddidit, accepítque à ſummo Pontifice reſponſum.

Arenp. l. 2. c. 23.

XXIV. Hæreses pullulant in Boica.

Eliminantur a Bonifacio.

Quatuor Boicæ Diœceses.

Diligentem religionis in Boicâ procurationem excepêre bella, nata in Franciâ ex regiorum fratrum diſcordijs, & in Boicam hâc occaſione propagata. Carolo Martello primo Francorum Principe mortuo anno DCCXLI. tres ſuperfuêre filij legitimis natalibus, Carolomannus, Pipinus, Gripho, & hic quidem natus ex Sunichilde, ſive Suuanahilde Utilonis Bojorum Ducis nepte. Duxerat Utilo ſuppetias Martello adverſus Saracenos, qui ex Hiſpaniâ ſe Galliæ infuderant, ínque ijs debellandis egregiam operam navaverat, eo ſucceſſu, ut Martellus Bojos mirificè collaudatos cum amplâ remuneratione domum remiſerit. Nec procul à vero eſt, quicquid nonnulli ſentiant, Martellum in gratiam Utilonis, quem Francorum rebus addictum ſenſerat, Sunichildem juſtis nuptijs duxiſſe; non autem pellicis habuiſſe loco, quod aliquibus viſum eſt, præſertim Hermanno, qui Griphonem ejus filium pro ſpurio deſcripſit: Nam pellicatus non fuiſſet præmium vel honor, ſed injuria & dedecus, non Utilonis modò, ſed etiam totius Boicæ nationis. Martelli hæreditatem ſoli adierunt Carolomannus & Pipinus: poſterior demum fuit auctus regio nomine. Griphonis, quòd turbulento eſſet ingenio, ea duntaxat habita eſt ratio, ut tota ejus fortuna fratrum benevolentiâ niteretur, cætera, quæ eum ad res novandas potuiſſent incitare, ſtudio fuêre ſubducta. Id ille ſuorum natalium injuriam interpretatus, Sunichilde matre juveni ambitioſo, & per ſe ſatis incitato, faces ſubdente, utrique fratrum bellum indixit. Eum natu fuiſſe Martelli filiorum maximum ſcribit Aimoinus, ut mirum non ſit, niſi vitium aliquod interceſſerit, eum graviter ſenſiſſe, quòd omni jure paternæ hæreditatis privare-

XXV.

Aimoin. lib. 4. c. 58. & 61.

Bellum in Boica.

Gripho Caroli Martelli filius

Fratribus bellum infert.

varetur. Collecto igitur confestim exercitu, Laudunum invasit. Fratres eâ vi lacessiti, confestim advolantes, Griphonem inconsultò Lauduni hærentem, coronâ cinctum, captúmque custodiæ, in Novo Arduennæ Castro, mancipant, retinéntque clausum, donec Carolomannus, cui ejus asservandi cura potissimùm incumbebat, Romam est profectus, quod Regino notavit anno DCCXLVI. contigisse. Sunichildis, ne filium in istis angustijs desereret, cùm nulla ipsi spes in Francicis auxilijs superesset, Ducem Utilonem, atque per eum Germaniam in Francos armare aggressa est. Utilonem ut accenderet, hac arte usa est: Erat ex legitimâ Martelli sobole Hiltrudis, Princeps digna quantalibet affinitate; Huic Sunichildis persuadet, ne velit esse in potestate fratrum, qui tam iniquè sibi unis defuncti patris imperium, fratre, cæterísque hæredibus ignominiosè contemptis, usurparent: Quid enim humanum possit à tantâ iniquitate sibi polliceri? si se desertam velit atque inopem, posse quidem sui sanguinis & avitæ fortunæ oblivisci; sin velit aliud, esse in promptu modos, quibus se ab avaris paternarum opum incubatoribus, magnæ suæ dignitatis incremento, valeat expedire. Non ita pridem potuisse ipsam suis oculis arbitrari, Utilonem Boicæ potientem, unà cum Martello, æquali propè gloriâ triumphâsse de Saracenis: Non latere eam, quanta sit in magno Principe morum venustas, formæ elegantia, actionis majestas. Hunc si maritum velit, esse in ejus optione; certè nullum reperturam, qui cum ipso, dignitate, potentiâ, clientelis, queat conferri. Hiltrudis, his capta illecebris, constituit in Boicam proficisci, vel conjux futura, vel quietura procul à turbis Franciæ. Fratribus insalutatis, abeuntem prosecutus est virorum illustrium comitatus ultra Rhenum. Utilo tametsi non esset nescius, se talibus nuptijs graves suscepturum inimicitias, victus tamen & suo & Hiltrudis desiderio, eam sibi justo matrimonio sociavit. Ineptit Sigebertus, cùm scribit, Hiltrudem Pipini sororem ab Utilone (quem malè Ogdilonem nominat) fuisse raptam, indéque natam esse Ducis rebellionem: nulla enim prorsus vis fuit illata nuptæ, neque ijs, in quorum erat potestate, sed ipsa lubens, volens, inconsultis quidem, sed nullam passis violentiam, fratribus, in manus convenit Utiloni, qui tamen Francos offendit, eò quòd, resumpto Regis titulo, visus est eorum dominatum excutere voluisse.

Capitur et attinetur.

XXVI.

Hiltrudis Martelli filia nubit Utiloni.

Ex ijs nuptijs prognatus est anno DCCXLII. Thassilo, Princeps pace bellóque clarus. Anno sequenti Utilo construxit Pfeffenmunsteriense Cœnobium suasu D. Pirminij, qui D. Tiburtij honori templum adnexum dedicavit. Otto Episcopus Argentinensis primos è D. Benedicti familiâ colonos Cœnobio submisit, qui sedes postea cum Canonicis Mettenensibus commutârunt, anno M.C.LVI. Cæterùm Carolomannus & Pipinus, sororis abitu & matrimonio vehementer offensi, dum vindictam meditantur, bello Aquitanico & Alemannico sunt prohibiti, quò minùs suo dolori statim obsequerentur. Postmodum utroque bello victores, anno, quem dixi DCCXLIII. movêre in Boicam. Utilo armatus occurrit ad Lyci ripam, ubi castra flumen sic dirimebat, ut neque mutuum conspectum, neque colloquia interciperet. Isthic sedêre, quousque Franci, nocturnis tenebris ad trajectum usi, inobservatæ legiones, quà vadosus erat amnis, transmittentes, Bojos invaserunt, & non sine multo suorum sanguine sic turbârunt, ut cum magnâ strage Utilonem victum usque ad Oenum profluentem fugârint. Hâc ille edoctus clade modestiùs de se sentire, posuit regios titulos, quos erat expertus nihil adversus potentiorum vires potuisse, & contentus priore Ducis appellatione, spiritus sumpsit submissiores, qui ad conciliandos hostium animos plùs, quàm arma, valuerunt. Accesserunt Hiltrudis preces, ne bellum, suâ causâ cœptum, longioribus odijs proferretur. Verterent potiùs, uterque frater, iras in sororem, quæ bello materiam attulisset; non pugnarent in maritum, qui pacem coluisset: animo secum reputarent, futurúmne sit ipsis gloriosius redire ad cruenta certamina, & matrimonij fœdus, bene sociatum, insonti sanguine imbuere, an offensam donare sorori, quæ suis natalibus nihil indignum egisset: respicerent, ex honorifico connubio nuper natum Thassilonem, cujus innocentiæ turpe foret irasci, qui tamen

Hund. p. 283. §. ult.

Pfeffenmunsterii initia.

Franc. Guilliman. de Episc. Argentin. p. 99.

Carolomannus et Pipinus vincunt Utilonem. An. Christ. DCCXLIII.

XXVII.

Marian. Sigeb. Fredegar. Aimoin.

Pacem faciunt.

læso

læſo parente illæſus eſſe non poſſet. Talia fratribus denuntiantem, dubium non eſt, apud maritum ſuadendo multum egiſſe, ut vellet honeſtis conditionibus arma ponere. Utrique partim perſuaſit, ut anno ſequenti mutuâ conſenſione pax reconciliaretur.

Annal. Fuld. Herman. ult. edit.

Bonifacius, inter hæc, ampliſſimâ legatione ſedis Apoſtolicæ in Franciâ perfunctus, cùm Adelbertum Gallum, & Clementem Scotum, Pſeudoepiſcopos fœdis criminibus, Hæreſeos inprimis, damnatos proſcripſiſſet, reverſus in Boicam, ſimilis farinæ fucos, qui turbas antè compoſitas inſtauraverant, cœpit exagitare. In ijs fuit larvatæ pietatis Epiſcopus, qui cùm ſe Pontificiâ authoritate fidei magiſterio admotum mentiretur, Bonifacius Zachariam, qui Gregorio III. anno DCCXL. ſucceſſerat, de hominis impoſturis edocuit, impetravítque, ut lupus, ovinâ pelle tectus, per litteras pontificias à Chriſti præſepibus arceretur. Iiſdem litteris Pontifex prærogativas à Gregorio II. conceſſas, & jurisdictionem Bonifacij in Bojariæ Eccleſias non modò ſanctas habuit, ſed auxit etiam, voluitque eſſe ratas, *donec eum divina majeſtas vellet ſupereſſe.* Quanto cum fructu eâ poteſtate uſus ſit, oſtendunt egregia monumenta propagatæ per ipſum religionis, accenſa Principum ſtudia, ad tuendam novis præſidijs religionem.

AN. CHRIST. DCC.XLIV *Act. Conc. Leptinen. Baron. ad an. 743.*
HÆRETICI RURSUS TURBANT IN BOICA.

Quam ad rem præcipuè incubuit Carolomannus Princeps, ſi quis alius, rerum divinarum eâ tempeſtate ſtudioſiſſimus, qui Wurceburgenſis Epiſcopatûs, juxtà & Eiſtadiani condendi author fuit. Poſteriori Wilibaldum, priori Burcardum, utrumque gentis Britannicæ, Bonifacius præfecit. Eiſtadiani hæc fuêre primordia. Wilibaldus Româ reverſus, poſteaquam ex itinere Ducem Utilonem ſalutaverat, ad Suiggerum Comitem Hirsbergenſem divertit. Bonus Comes de facultatibus, quas habebat amplas, in divinos uſus tranſcribendis deliberabat. Huic Wilibaldus perſuaſit, ut potiſſimam Dynaſtiæ partem Deo addiceret. Quæ res ut eſſet firmior, Utilonis approbatione, & Bonifacij auctoritate perfectum eſt. Sedi Epiſcopali locus delectus eſt ad flumen Almonium, quem Aichſtadium à querceto, quod eò loci ſucciſum eſt, populares dixerunt. Wunibaldus Wilibaldi germanus, Heidenheimij Virorum; Walburga fœminarum cœtus religioſos, diverſis contubernijs diſtinctos, ſanctiſque adſtrictos legibus, conſtituerunt. Eodem propè tempore Sturmio, nobili apud Bojos ſtirpe oriundus, Carolomanni liberalitate Fuldenſis Cœnobij fundamenta jecit. Ille ab adoleſcentiâ fuerat D. Bonifacij inſtitutioni traditus à parentibus, ſub quo cùm virtutum tirocinium poſuiſſet, à Wigberto, qui unus erat è Bonifacij ſodalitio, ſedulò fuit excultus. Sacris ſubinde initiatus, Italiæ Monaſteria obivit, è quibus hauſit exempla eximiæ probitatis, quam, regreſſus Fuldam, largè in ſuos alumnos derivavit, eo fructu, ut D. Bonifacius loci ſanctitate delectatus, ſupremâ voluntate, Fuldæ ſibi ſepulchrum elegerit. Tantæ exinde confluxêre opes, ut, vivo adhuc Sturmione, ſatis eſſent ad uſus religioſos quadringentorum Monachorum, ingentium eleemoſynarum, & ad familiæ ſuſtentationem.

EPISCOPATUS HERBIPOLENSIS INITIA.
XXIIX.
Bruſch. Catal. Epiſc. Eiſtad. p. 179. Hund. parte 1. Geneal. Boic.
EISTADIANUS EPISCOPATUS FUNDATUR.
STURMIO BOIUS ABBAS FULDENSIS.

Sub hæc tempora, D. Virgilius, Hibernus domo, nobilis apud Pipinum Francorum Regem, inter primæ admiſſionis viros verſatus, divertit in Bojariam, cum inſigni præclarorum hominum comitatu. Illi ſuborta quæſtio cum D. Bonifacio, an ſacerdos quidam ineruditus in ſacro baptiſmate rectè uſus eſſet hac verborum formâ: *In nomine patria, filia, & ſpiritua ſancta.* Litem Zacharias Pontifex Maximus Epiſtolâ, anno DCCXLV. datâ, ſecundum Virgilium decidit, aſſerens; nihil opus eſſe, eâ formâ baptizatos, rurſum ſacris undis tingere. Sed & aliquid diſſidij ſubinde ſanctis viris interceſſit, aliquorum malè feriatorum inſtinctu. Nitebantur videlicet magnas utriuſque virtutes clancularijs obtrectationibus collidere, ut mutuis ſimultatibus implicitos, per fictas criminationes apud ignarum vulgus viles redderent & exoſos. Mentiebantur Virgilium alienâſſe Utilonis animum à Bonifacio, & jactare, ſe à Zachariâ Pontifice poteſtatem accepiſſe, ſuccedendi in locum unius, è quatuor Epiſcopis, quos Bonifacius Boicæ impoſitos probaverat: Addebant nonnullas accuſationes, de doctrinâ in ſpeciem erroneâ, quòd Virgilius

D. VIRGILIUS VENIT IN BOIARIAM.
XXIX.
Diſt. 4. de conſecr. c. 86.
EIUS CUM BONIFACIO DISCEPTATIO.

 aſſe-

assereret antipodas adversis contra nos vestigijs nitentes infra terræ globum. Bonifacius rem detulit ad Zachariam, qui in Virgilium, & Sidonium presbyterum, qui idem sentire ferebantur, nonnihil commotus, de re totâ rescripsit ad Bonifacium & Utilonem, quasi graviter esset in reos animadversurus, si accusationis capita eo, quo referebantur, modo se habere comperiret. Quis disceptationis fuerit exitus, scriptores non meminerunt. Vero tamen simile est, detectis calumniatorum fraudibus, Pontifici fuisse factum satis, & Bonifacium, ac Virgilium, quâ erant sanctimoniâ, ad prioris amicitiæ integritatem, positâ offensiunculâ, redivisse. Certè Bonifacius toto, quo superfuit, septennio, non legitur quicquam fuisse conquestus de Virgilio: & ab hoc gesti deinceps sacri magistratus, abunde objectas criminationes refutârunt.

Annal. Francor. Herman. alij.
AN. CHRIST. DCCXLVII
Leo Ostien. in Chron. lib. 1. c. 7.
CAROLOMANNUS MONACHUM INDUIT.

XXX.

FLORET MAGNIS VIRTUTIBUS.

Eâ tempestate DEUS obstupescenti terrarum orbi mirabile pietatis exemplum ostendit, præclarissimum Franciæ Principem, quando eum è rerum terrenarum lubrico, ad solidarum virtutum stationem evexit. Annus agebatur septingentesimus, quadragesimus septimus (nisi Regino, Sigebertus, & Leo Ostiensis veriùs habeant annum præcedentem) Carolomannus & Pipinus fratres vivebant conjunctissimi, nec erat, cur suam fortunam rebus florentissimis accusarent. Nihilominus Carolomannum incessit humanæ sortis fastidium, & cupiditas ad securiorem, remotiorémque à sæculi strepitu atque periculis receptum evadendi, è quo ad verissimarum virtutum fastigium eniteretur. Quamobrem, Franciæ Principatu fratri ex asse relicto, Christi paupertatem cum summâ lubentiâ complexus, sese stitit Pontifici Zachariæ, & professus Monachum in Soracte monte, sanctum vitæ religiosæ domicilium non magis ædificijs, & proventibus, quàm sincerâ sanctissimi ordinis observatione illustravit, intérque pœnitentiæ lacrymas, duras corporis macerationes, & suaves rerum cœlestium commentationes animum præclarè exercuit. Isthic cùm salutantium frequentiâ, ab optatâ mentis tranquillitate nonnihil avocaretur, mutato contubernio secessit in Monasterium Cassinense, atque servilibus mediastinorum officijs affixus, longè eorum munia obibat avidiùs, & majore reverentiâ, quàm olim tractaverat fasces & splendida munera Principatûs. Nihil verebatur in sordibus atque fuligine obsolescere, gerere infima coquinæ ministeria, verbera accipere, si quando minùs aptè focum instrueret, retrudi ad ovilis curas, gregi adesse in pascuis, pecus infirmum humeris referre domum, hæc amare longè impensiùs, quàm purpuram, hisque modis de se, & inani fastu triumphare.

GRIPHO RURSUS BELLUM MOVET.

Poterat tam luculenta demissio Griphonem Carolomanni fratrem admonere, ut saniore, quàm antè, consilio fortunam, quam adhuc iniquam expertus fuerat, desineret irritare: Verùm elapsus ex Ardennæ custodiâ, indignè ferens, se ne tum quidem à Pipino admitti in partem hæreditatis, quam Carolomannus suo secessu vacuam fecerat, perfugit ad Saxones, capitales Francorum hostes, ut eos traheret in belli societatem. Non sprevêre illi quidem hospitem, & causam arma induendi; sed cùm Pipinus collecto properè exercitu formidandus immineret, Saxones imparati, suum discrimen alienæ spei præhabentes, misêre Legatos, qui à Pipino impetrârunt, ne res bello committeretur. Igitur Gripho desertus, suas spes aliò convertit. E Franciâ accersivit factiosorum copias, quibus instructus, in Boicam ex improviso irrumpens, provinciam nihil prorsus tale metuentem,

INVADIT BOICAM.

Hiltrudem sororem, & Thassilonem ex eâ nepotem, nullo propè negotio redegit in suam potestatem. De Utilone Duce nulla prorsus hoc bello apud Scriptores mentio, quod silentium facit, ut ambigatur, absénsne fuerit, an ante bellum defunctus: tametsi annales domestici ad annum hujus sæculi sexagesimum quintum eum volunt supervixisse. Griphoni accesserunt provincialium studia, sive metu, sive, quod proclive fuit, spe rerum novandarum sub Tyranno, vel, quod vero similius est, simulato obsequio, donec se excutiendæ Tyrannidis occasio aperiret.

Porro

Porro laus Utilonis præcipua, memoratur cura rei Christianæ, & in amplificandâ religione profusa largitas. Præter ea, quæ antè recensui, illum agnoscunt conditorem Altaichium Cœnobium superius, juxtà & inferius: Mansceanum & Nideburgicum, suas quoque ipsi debent origines. Ejus sumptibus, ad Isenisçum amnem, Monasterium condidit Iosephus Frisingensis Antistes: ut verbo rem expediam, vix ullo sæculo in Boicâ majores factæ sunt ad cultum divinum progressiones, quàm Utilone, ejúsque filio Thassilone, Ducibus. Quo in genere tergemini fratres, tametsi Principibus longè inferiores, illustre pietatis specimen ediderunt, Landfridus, Waldramus, & Elilandus, quos quidam faciunt natione Gallos, Walteri Bliantij Comitis progeniem: alij scribunt, fuisse gente Bojos, Antorfæ, & Loysæ Comites, qui octo Monasteria, opus Regum cuivis arduum, condiderunt, Benedictoburanum, Schlechdorfense, Pollingense, Siverstattense, Sandavense, unum ad lacum Cochelium, aliud ad Staffelium, Wessenbrunnense, cui nomen à venatore factum perhibent, quòd fontis scaturiginem, per quatuor siphones manantem, primus eo loco reperisset. Pollingense, dictum ferunt, eò quòd cerva à canibus agitata, isthic subsistens, pedibúsque humum fodiens, tres defossas cruces, canibus nequicquam allatrantibus, in areâ designasset. Siverstattense, & tria, quæ proximè nominavi, solis nominibus hodie supersunt. XXXI. Monasteria in Boiaria condita.

Ad Tegerensem lacum viri fortissimi, Adalbertus & Otkarius, nobile par fratrum, illustri genere Comites, quorum stirpem aliqui referunt ad Grimoaldum Bojorum Ducem, alij ad Hartuicum Burgundionem, & matrem Boici sanguinis, condidêre Tegerense D. Benedicti Monasterium, inter præcipua Boicæ Ascetería splendore, & dignitate clarum. Conditores studio religionis addidêre militarem gloriam, súntque promeriti laudes eximias, quibus parta ab ipsis decora Zacharias Pontifex, scriptis ad Bonifacium litteris, celebrâsse dicitur à Metello poëtâ in Quirinalibus. Romam enim pietatis causâ profecti feruntur, arma corripuisse adversus Longobardos, vel, ut M. S. Tegerense habet, adversus paganos, eósque secundis aliquot conflictibus superâsse, succenturiati Romanis Ducibus, quibus fortem operam locârunt. Pontifex domum repetentibus, S. Quirini corpus, quantolibet stipendio longè charius, donavit. Id illi, instar præstantissimi thesauri, in Tegerensi Monasterio honorificè composuerunt, ac demum ipsi sese Deo totos devoverunt, monasticum institutum in condito à se domicilio professi. Major fratrum Adalbertus, quinquaginta ejusdem professionis Sodalibus præfectus, viam ad supremum Christianæ virtutis apicem exemplo, & sacrâ institutione monstravit. Uto ejus ex sorore nepos, avunculorum factis incitatus, ad Ilmum amnem Collegium instituit, quod cum S. Arsacij reliquijs aliquot pòst sæculis Monachium fuit translatum. B. Lullus, D. Vigilij socius, id domicilium fertur habitâsse. S. Alto Monasterium, quod ab ejus nomine nuncupatum est, jussus à Deo in Boicâ pedem figere, construxit in vasto nemore, fecítque illustrem domum sanctitatis. Et tot quidem ista disciplinæ severioris Lycæa, paucos intra annos, extulêre in Boica caput, Bojariæ Principum, Dynastarúmque insigni in Deum religione, & D. Bonifacij cohortationibus. Cum eo conspirarunt curæ D. Pirmini, quem Meldensem in Galliâ Episcopum fuisse perhibent. Is Ducem Utilonem permovit, ut suis impendijs bonam istorum collegiorum partem erigeret, tandémque inhospitam lacûs Acronij insulam, fugatis, qui in eâ dominabantur, serpentibus, ædificato Monasterio, quod ab opulentiâ, divitis Augiæ nomen accepit, divino cultui dedicavit. Coenobiū Tegerense. XXXII. Metell. od. 20. S. Quirini reliquiæ. S. Altonis Monasterium. D. Pirminius. Dives Augia.

Ut, unde digressi sumus, ad civilem Boicæ statum referamus stylum, cùm Gripho, Ducatûs incubator, Bojorum, & Gallorum viribus firmare se adversus Pipinum contenderet, frater, ratus remedium in celeritate esse positum, festinatâ in Bojariam expeditione malè fultos conatus intercepit. Gripho subito ejus adventu, & causæ iniquitate territus, tametsi validum exercitum ex centuriatis Bojorum, aliorúmque subsidijs, sub signis haberet, tamen non ausus prodire in aciem, decrevit, vitando hosti, objectu fluminum tegere receptum, & quàm posset diutissi- Pipinus movet in Griphonem. Aimoin. lib. 4. c. 61. An. Christ. DCCXLIIX Sigebert. Regino.

XXXIII. tissimè bellum extrahere. Jam copias trans Oenum deportârat, cùm properè Pipinus è citeriore ripâ se dedit in conspectum. Obsistebat amnis, quò minùs hostem invitum, ad conserendas manus, adigeret. Quare, coactis undique navigijs, parat trajectum subitarium, &, hoste quamvis repugnante, insistit irrumpere in adversam ripam. Quæ res Griphoni excussit confidentiam, Boijs incussit terrorem, & quibus non omnis fides perierat, mentem meliorem. Ut secum reputarent, à Tyranno nil nisi iniquum posse expectari, qui adversus legitimum Principem subjectos populos, iniquos esse docuisset. Non esse patiendum, ut, rebus ad extrema redactis, Provinciæ conditio talis evadat, qualis est captarum urbium, in quibus turbida omnia, mœsta, confusa, & ad victoris arbitrium miserrima. Si, Griphone victo, Pipinus rerum potiatur, metuendum esse à victore defectionis supplicium: sin fortuna Griphoni manus tendat, vivendum fore sub Tyranno, qui dominatum malis quæsitum artibus, pejoribus esset retenturus: non mercari sapienter, qui suo periculo, & sanguine emit servitutem, & Tyrannum servitute duriorem. Talia agitantibus, visum est, pacem cum Pipino pacisci, & de erigendâ Thassilonis fortunâ non desperare. Quamobrem, Griphone conscio, missi ad Pipinum legati, pacem, & veniam nuperæ defectionis exoraverunt, si Boij darent obsides, fidémque juramenti religione renovarent. Gripho, cùm se desertum sentiret, sibi passus est persuaderi, ut tempori serviret. Eum Pipinus, culpam deprecantem, clementer habuit non concessâ modò vitæ veniâ, sed etiam usuariâ attributione duodecim Neustriæ Comitatuum. Hiltrudis reddita fuit libertati, & permissa adesse filio Thassiloni, quem Pipinus nondum egressum pueritiam Boicæ præfecit. Jam res pacatæ videbantur, cùm Gripho, quem Pipinus secum in Franciam abduxerat, vitio, quod ad exitium ruentibus est familiare, redijt ad genium, nullâ futurus sorte contentus, nisi fratris imperio solutus, in Principatûs Francici consortium adlegeretur. Vix enim in Galliam redierat, cùm profugit in Aquitaniam, & Vaifario, homini pestilenti, arma sociavit. Verùm, cùm neque eo socio res ipsi ex voto procederent, iter intendit in Italiam, cœlo itidem adversante. Nam in alpium angustijs interceptus, à Burgundo nobili, vel (ut vult Pithæus) à Mauriennæ præfectis funesto fato sublatus, ostendit longè esse melius in medijs consistere, quàm, adverso numine, suprema sectari.

Pacem admittit.

Gripho rursus turbat.

Interficitur.

An. Christ. DCCLII.

Pipinus regium nomen assumit.

Childericus exauthoratur.

Pipinus eo occiso, suæ fortunæ multò, quàm antè, securior, quod dudum ipsi in votis erat, communi Francorum approbatione, Magistri Palatij titulum, quo ipsius parens, & Pipinus avus, fuerant contenti, Regis Franciæ nomine, Zachariæ Pontificis assensu, mutavit. Childericus Rex redactus in ordinem, monastico more attonsus est, & relegatus in Cœnobij angustias. Quodnam verò illud fuerit, non est promptum ex annalibus certò colligere: unde recentiores occasionem sumpsêre, nullo propè argumento, eum ad varia Monasteria rapiendi. Quidam volunt Reginoburgi ad S. Emmerammum exulâsse: Alij, ejus conjugem inter religiosas ad Cochelium lacum, quod superfuit ævi, in Boicâ tolerâsse.]

XXXIV.

Fit Monachus.

D. Erhardus, B. Albertus fratres.

M. S. Codex antiq. S. Maximin. Trev. Vita Hildulph. ex M. S. Epternacen. Catalog. Episc. Trevir.

B. Hildulphi res gestæ.

Per id temporis D. Erhardus, qui & Eberhardus, vel Arionardus, Episcopus Ratisbonensis, ejúsque germanus, nomine Albertus, Boicam magnis virtutibus exornârunt. Habuêre tertium fratrem Hildulphum, quem Trevirensis Ecclesia coluit Antistitem. Fuerunt illi claro Bojorum sanguine, non Scotico, aut Nervio, uti visum est recentioribus. Hildulphus, quem Scriptores beatis accensent, eximiâ vir probitate & doctrinâ, Treviros delatus, post vitam cœnobiticam, ex religiosi secessûs umbrâ extractus in lucem, à Milone Trevirorum Præsule, quem immoderatum venandi studium, quo demum interijt ab apro percussus, à rerum sacrarum procuratione reddebat alienum, venit in partem muneris Episcopalis, in quo suâ vigilantiâ effecit, ne istius illustrissimæ Ecclesiæ facultates, & Cleri mores pessum irent. Habet Hildulfus, à vitæ ipsius scriptore, id encomij, quòd *vir esset nobilitate generosus, religione præcipuus, consilio cautus, operibus famosus, scientiâ eruditus, linguâ urbanus, vitâ Deo placitâ, hominibus approbatâ.* Posteaquam, Milonis interitu, vidua Trevirorum sedes idoneum Antistitem poposcit, qui res,

sub

ſub imperito, veriùs pravo gubernatore fœdis jactatas tempeſtatibus, componeret, nec in præſens quiſquam Hildulfo aptior appareret, viſum eſt ijs, quorum intererat, cauſam referre ad Pipinum. Clara jam tum erat viri apud Treviros fama, quam diuturno rerum uſu, magníſque ſapientiæ documentis collegerat, cùm Milonis vices in Epiſcopatûs adminiſtratione gereret. Pipinus comitia de Epiſcopo legendo maturavit, & Hildulfum eâ tempeſtate Ratiſbonæ (vel, ut vetus habet ſcriptor, in Hiſtria, qui eſt Danubij tractus) agentem accerſijt. Hildulfus, qui ad eremi ſolitudinem aſpirabat, Regis imperio haud parùm perculſus, eò quòd conijceret, ſe ad poſitas reipublicæ curas revocari, paruit tamen, ſed eâ ſpe, fore ſibi modum aliquem, omnem à ſe Eccleſiæ procurationem amoliendi. Ut ventum eſt ad Comitia, omnium una fuit acclamatio, Hildulfum eum eſſe virum, quem cœlum, claræque virtutes Trevirorum Antiſtitem depoſcerent. Sic in eum conſpiravêre vota, ut, quicquid ipſe reclamaret, fauſto Cleri populíque plauſu atque lætitiâ, fuerit Epiſcopus ſalutatus. Ille verò mœſtus humeros ſubmiſit oneri, nihilque habuit antiquius, quàm collapſa ſacrarum ædium priſtino ſplendori reſtituere; quod in Clero, lubrici rectoris ductu, à priſcæ ſanctitatis normâ aberraverat, revocare in viam, populi mores emendare, & gnaviter in hæc incumbere, quouſque, reviviſcente ſolitudinis amore, Weomadum ſibi ad regendam Trevirorum Eccleſiam ſurrogavit. Mirum, quanto dolore Trevirenſes ejus abitum deplorârint. Cùm primùm fama vulgavit, eum ſe ad ſolitariam vitam comparâſſe, factus eſt ingens ex ipſis agris concurſus, & comploratio omnium ordinum, perinde atque ſi patria rueret, ſe miſeros deſeri, rémque communem ad nuperam confuſionem revocari. Verùm ille lugentes piè ſolatus, ſuffecto Weomado, in eam ſe eremi partem abdidit, quâ è Vogeſo monte Murta fluvius ſeſe effundit. Iſthic cum bonâ Jacobi, Tullenſium Antiſtitis, veniâ, cujus provinciæ pars iſta montium ſaltúſque erat contributa, ſibi, ſuiſque, quos ſodales legerat, tantum accepit ſpatij, quantum ſatis erat ad vitæ ſolitariæ receptus. Viro, in cœleſtis diſciplinæ palæſtrâ jam dudum veterano, non fuerunt dura eremi rudimenta. Jam enim à puero abhorruerat à vitiorum illecebris, quibus prima ætas capi ſolet. Acceſſerat frequens inedia, precationum aſſiduitas, quotidiana ad aram litatio, cæteræque virtutum exercitationes, quas indies cœpit magis, magíſque perficere. Hæc agentem, fama virtutum, longè latéque diffuſa, prodidit, excivítque innumeram multitudinem hominum, opem corporibus, animíſque flagitantium: nonnullis oculorum uſum, alijs ingreſſum reſtituebat: morbos ab alijs, à quibuſdam dæmones inſeſſores propulſabat. Cùm iſta frequentia ſanctum ipſius otium importunè interpellaret, extruxit ſparſim hinc inde diverſoria, in quibus advenæ, præfectorum hoſpitali largitate, cum curâ, longè à religioſorum contubernijs, haberentur. Adjecit Deiparæ ſacram ædem ad Rabadum flumen, aliam erexit D. Petro, tertiam Divo Joanni. Multi ſtudio vitæ ſanctioris ſeſe ipſi excolendos tradiderunt. In his claruerunt Spinulus, & inſigne par fratrum, Joannes & Benignus, qui è D. Maximini, præclariſſimo licèt, Aſceterio Hildulfum ſunt ſecuti. Inter hæc, è fundamentis emerſit Monaſterium apud D. Virginis baſilicam, quod placuit Medianum nuncupari, eò quòd medium, inter duo alia, locum occuparet. Eorum alterum Gundelbertus Senonum Archiepiſcopus, à quo & Senonenſe dictum, non ita pridem condiderat: alterum Deodatenſe, à D. Deodato Nivernenſi Præſule conditum, poſtea inſigni Canonicorum Collegio mutandum. His acceſſit templum, D. Gregorio Magno ſacrum, in Auſtrali colle, quod aras defunctorum exequijs, aream ſub dio tumulandis corporibus ſuppeditaret. Viſum Numen id conditorium D. Hildulfi cineribus deſtinâſſe, qui eodem loci hodie conquieſcunt, miraculis inſignes, & tremendi nefarijs dæmonibus. Mediano Cœnobio probè conſtituto, Hildulfus fugiens convenarum confluxum, regendi munus in Leutbaldum transtulit, virum eximiæ probitatis: tum aliquammultis annis cum Erardo fratre, Reginoburgenſi Epiſcopo, procul à mortalium conſuetudine, vitam egit cœleſtibus delitijs affluentem. Ejus miniſterio Deus uti voluit ad S. Otiliæ Virginis

XXXV. Hildulfus creatur Epiſcopus Trevirenſis. Epiſcopatu cedit.

XXXVI. B. Spinulus, Joannes, Benignus.

Hildulfi ſepulchrũ.

S. OTILIÆ CONVERSIO. ginis conversionem. Cùm Hethico Dux Alsatiæ, eam ab ortu luminibus orbatam, ex Bersuindâ conjuge tulisset, binis fratribus, quorum fama è latebris emanârat, stitit cum submissâ prece, ut ejus curandæ negotium apud Deum agerent. Illi, puellæ religionem explorantes, compererunt, sacris Christianis nondum esse initiatam, imò etiamnum gentilium superstitionibus addictam. Monent ergo patrem, mentis cœcitati primas curas, secundas corporis oculis deberi, proinde non debere fieri corporeis luminibus medicinam, nisi priùs animo esset prospectum: si filiam sanam vellet, ut sineret imbui legis Christianæ rudimentis. Conditionem lubens accepit, recepítque filiam visu integro, posteaquam docta de Deo rectè sentire, & sacro latice expiata, cœpit amare Christum, quem deinceps omnibus sponsis habens chariorem, unicè dilexit, coluítque in Asceterio, quod in excelso Vogesi jugo, cui nomen Hohenburgum, patris munificentiâ construxit, & unà cum sacris ejusdem propositi virginibus, sanctimoniâ & miraculis illustravit.

XXXVII. Bigo, vir apprimè locuples, Hildulfi sanctitate permotus, Monasterium, quod Bigonis cellam dixerunt, à fundamentis excitatum, parte Vogesi, quam Focholdi rupem ista ætas vocabat, liberaliter dotavit. Hildulfus loco præfecit Spinulum, virum, quod antè memini, sanctitate clarum, cujus corpus in Monasterio Veteri divino monitu conditum, tantas hominum turbas, valetudinis impetrandæ causâ, ad sepulchrum concivit, ut Deus orandus fuerit, vellet non tam corporum incolumitati, quàm religiosorum pietati consulere. Quo ex tempore, rarescentibus miraculis, repressus fuit populi concursus.

D. ERARDI MORS. Cæterùm, D. Erardus Ratisbonam se recepit, atque isthic cœcorum curatione, depulsâ paralysi, aliisque ægritudinibus, & vitæ innocentiâ mirandus, vivendi inter mortales finem fecit, cum immortalibus æternùm victurus. Hildulfus fatiscente corpore, laboribúsque pro DEO exhaustus, ad eundem felicitatis portum denique appulit. Albertus, qui tertius Bojorum fratrum fuit, loca, DEI incunabulis & morte consecrata, cum septem sodalibus obijt. Salisburgum delatus, Joanni, uni ex socijs, justa funebria persolvit, & de Erardi fratris obitu monitus, suffusus lachrymis missionem ex hac vitâ à DEO impetravit, fuítque eodem cum Erardo tumulo compositus, ne Boica, quæ eum genuerat, tam charo pignore privaretur.

AN. CHRIST. DCCLV. *Regino in hunc. an.* D. BONIFACII MARTYRIUM. Anno DCCLV. Bonifacius Germaniæ Apostolus, latronum ferro unà cum sodalibus trucidatus, Ostrachæ apud Frisios nobilissimum egit de impietate triumphum. Boica magnis ab eo beneficijs affecta, sacrosanctam semper habebit ejus memoriam. Hassi, Thuringi, Frisij, aliæque gentes eum sunt veneratæ, velut primum fundatæ apud se purissimæ religionis magistrum. Sacras illius exuvias Sturmio Bojus, primus Fuldensis Cœnobij Præsul, honorifico tumulo donavit. Ipsemet non multò pòst, malevolorum calumnijs apud Pipinum traductus, suâ sede motus est, ac dein restitutus compertâ ejus innocentiâ.

AN. CHRIST. DCCLVI. PIPINUS AISTULFUM COMPESCIT. Anno, qui Bonifacij mortem secutus est, Pipinus Rex cum exercitu trajecit in Italiam, pœnas exacturus ab Aistulfo Longobardo, quòd contra pactam fidem urbem Romanam infestaret. Agebat tunc Thassilo Bojorum Dux annum decimum quartum, & animo, quàm ætate major Italicæ istius expeditionis comes, primum militiæ tirocinium posuit, adfuítque Ticinensi obsidioni, quâ Aistulfus in eas redactus fuit angustias, ut pacem oraverit, impetrârítque his legibus, ut cum Romano Pontifice fœdus instauraret, servaret inposterum promissorum fidem, Romanæ Ecclesiæ redderet Ravennæ Exarchatum, & Pentapolim. Is ipse hoc eodem anno, indulgens venationi, percussus divinitus, occubuit. Aimoinus ait ex equo prolapsum, contractâ ex violento casu ægritudine, paucis pòst diebus vitam finivisse. Baronius ex Anastasio, cœlo vindice tactum, asserit.

XXXVIII. *Aimoin. lib. 4. c. 63. Baron. ad hunc an.*

AN. CHRIST. DCCLVII. THASSILONIS ET BOIORUM IURAMENTUM CLIENTELARE. Thassilo anno insequente, stipatus nobili Boicæ Procerum comitatu, Francorum Comitia Compendij adijt, ubi Pipino dixit sacramentum clientelare, quo se in ipsius, & filiorum fide futurum, spopondit. Eâdem sponsione Boici optimates se, suáque Regi obligaverunt: quæ religio fuit postea repetita ad sacra Divorum

Fran-

Franciæ tutelarium, Dionysij, Rustici, Eleutherij, Martini, & Germani, corpora, quò sanctiùs, tantis testibus jurata fides servaretur. Et illa quidem sincerè fuit culta primo sexennio, quo Thassilo contra Vaifarium (quem Sigebertus Vuaferum nominat) Eudonis Aquitaniæ Ducis filium, contráque Saxones, Pipino fidus cum Boicis copijs adfuit, contraxítque amicitiam cum Carolo Pipini filio, qui simili, quâ Thassilo, juventâ, prima belli rudimenta sub parente locabat. Ruptæ post hæc pacis causas Annales presſère silentio, hoc duntaxat memorantes, cùm anno DCCLXIII. Pipinus Francorum conventum Nivernis celebrâsset, *Aimoin. lib.* quartâ in Aquitaniam expeditione, Thassilonem, ejus ex sorore nepotem, sese è *4. c. 64. 65.* regijs castris subduxisse: Addit Aimoinus, eum corporis imbecillam valetudi- *Regin. Sigeb.* nem Regi excusâsse. Verùm promptum est conijcere, generosum Principem, THASSILO continentem tot annorum militiam, magno suarum rerum incommodo, nullâ PIPINI CAnominis sui gloriâ, quæ tota Regi debebatur, aversatum, ne petitâ quidem missio- STRA DESEne, consilium patriæ repetendæ cepisse: saltem dubium non est, regressum in Boi- RIT. cam, animi sui sensa proceribus candidè aperuisse: videri nimirum inglorium, & grave nomini Boico, tot stipendia facere alienæ cupiditati, & suorum popularium sanguine parere victorias soli Regi profuturas. Ejus factum Pipino acerbum vulnus inflixit, quod licèt aliquando visum est duxisse cicatricem, nunquam tamen sic coaluit, quin Pipinus se læsum conquereretur, ostenderétque se fidem Thassilonis habere suspectam. Quamobrem cùm Vormatiæ Francorum ordines con- THASSILO venissent, gravissimis verbis Thassilonis secessionem perstrinxit. Dictæ proinde DAMNATUR sunt in eo congressu inclementes sententiæ, ipsâ Regis irâ acerbiores, prono Ma- IN COMITIIS gnatum studio, quibus familiare est eò flecti, quò dominum credunt propendere. XXXIX. Omnium etenim sensus fuit, Thassilonem, velut desertorem, bello esse castigandum, nec ferendum, ut ejus exemplo, clientum quisquam putet, se impune unquam Regis injussu à Francorum castris abscessurum. Jam in eo res erant, ut, concitatis vehementer in Thassilonem animis, arma Boijs inferrentur, cùm properantibus moram injecit bellum Aquitanicum, quo Pipinus nondum erat defunctus. Iras igitur distulit, nec tantum ante mortem nactus est temporis, ut eas posset exerere, sed anno DCCLXIIX. fato præventus, Carolo filio regnum regiámque vindictam reliquit. Qui hisce rebus Ducem Utilonem superfuisse scribunt, anno DCCLXV. nullo certo authore, defunctum credunt. Arenpeck eum vult cum uxore Osterhovæ esse sepultum: Vitus Eberspergensis, Altaichij inferioris professum monasticen consenuisse, & tumulum accepisse, scribit.

Antequam bellum, quod Thassiloni Carolus Magnus indixit, aggrediar, præ- CARANTAmittam aliqua, quæ pertinent ad religionis amplificationem, & laudem Thassilo- NUS PRINCInis. Eò spectat Carantanorum insignis conversio. Carantanorum principa- PATUS UNDE tus, Pipini ævo, ex his principijs Boruto, viro prudentiâ & militari virtute præci- ORTUS. puo, delatus fuit. Hunni gentem debellatam fœdissimâ oppresserant servitute. Cùm tantam injuriam Carantani ferrent iniquissimè, Samo quidam natione Fran- SAMO REX. cus, se ijs ducem præstitit recuperandæ libertatis. Id cùm egregijs factis, & obsecundante fortunâ fuisset assecutus, totius nationis Carantanæ votis, à mercaturâ, quam olim gesserat, ad regiam dignitatem fuit evectus. Regnum per annos triginta sex magnâ cum laude tenuit. Eo defuncto, successêre Reges, fortitudine, & rebus gestis longè impares, quorum sive infelicitate, sive inertiâ, res Caranta- BORUTUS norum retrò lapsæ sunt, quousque Borutus, Samonis exemplo, jacentem princi- SUCCESSOR. patum erexit. Hunc petiêre bello Hunni, Carantanis perpetuò infensi. Quare, ne imparatus obrueretur, subitarijs delectibus, quantas potuit è popularibus vires *M.S. vit. S.* contraxit: quæ cùm hosti numeroso pares non essent, Bojorum auxilia conduxit. *Virg. tom. 2.* Ad eum properatæ à Thassilone suppetiæ, Carantanis copijs junctæ, Hunnos in *Antiq. lect.* fugam conjecerunt. Ingens eo facto Boijs auxiliaribus parta est gloria, tantáque existimatio, ut Carantani eos, velut salutis suæ assertores, colerent, cum ijs consi- BOII IUlia de Republicâ agitarent, haberent bene ominata, quæ Boijs authoribus decer- VANT CAnebantur. Quâ Boij usi benevolentiâ, persuasêre Carantanis, ut, quando fortu- RANTANOS. XL.

nam adversam experti toties, suis se viribus tueri non possent, Francorum se fidei permitterent, quibus deinceps defensoribus res suas stabilirent. Placuit consilium, & fœdus ictum cum Francis: dati simul obsides, è quibus Carastus, Boruto genitus, & Chetimarus, ex fratre nepos, quos Borutus Christi leges edoceri, & sacro lavacro tingi voluit. Carastus, patre mortuo, permissus ad Carantanos reverti, triennio rerum potitus est: defuncti locum, Ducisque titulum Pipinus Chetimaro concessit, ademptâ Regis appellatione. Hunc Lupus sacerdos, insulæ Chiemensis alumnus, sacris Christianis initiavit, & abeunti author fuit, ut Salisburgo comitem acciperet Majoranum sacerdotem, D. Petri ascetam, qui salutaribus monitis eum in officio, & Salisburgensis Ecclesiæ communione contineret. Exinde Chetimarus annuis obsequijs se Salisburgensi Antistiti obnoxium deinceps est testatus.

CHETIMARUS DUX.

D. VIRGILIUS SALISBURGENSIS EPISCOPUS.

Virgilius non longè ante Pipini decessum eam sedem perinvitus adierat: licèt enim omnes optimi pastoris labores jam diu non detrectâsset, quâ tamen erat animi demissione, post Joannis Episcopi mortem, toto biennio votis eligentium reluctatus, vix tandem vicinorum Antistitum precibus passus est se induci, ut nomen præsulis dignitatémque admitteret. Durante interpontificio, Dobdæ Episcopi, popularis sui, operâ usus est in honorificis functionibus; quem subinde Chiemensis insulæ procurationi præfecit. Mox ab aditâ Episcopi dignitate nihil habuit antiquius, quàm sacra, sacrorúmque splendorem exornare. Inter palmaria ejus ædificia fuit basilica, quam anno DCCLXVII. inchoatam, anno DCCLXXIII. absolutam opere id temporis magnifico, Deo, Divíque Ruperti memoriæ dedicavit. In eam transtulit cathedram pontificiam, quæ adhuc in D.Petri cœnobio steterat: simul D. Ruperti, Cunibaldi & Gisilarij ossibus honestum conditorium, in æde à se constructâ, perfecit, in quod translata, loco venerationem, pijs divini cultûs incrementum addiderunt. Virgilium Chetimarus sæpe in Carantanos evocavit, ut, quâ erat facundiâ, gentem Christo conciliaret: verùm cùm nascentibus alijs, super alias, bellorum turbis, Virgilius prohiberetur abesse Salisburgo, viros præstanti virtute misit, qui suâ vice fungerentur interea, dum ipse coràm genti suam operam commodaret. Modestus Episcopus cæterorum præses, Vato, Reginbertus, Gozarius, Latinus, presbyteri; Ecardus Diaconus, pluresque alij tam graviter eo munere functi sunt, ut brevi totam provinciam, sanctis Christianæ disciplinæ præceptionibus informatam, velut ad primævam nascentis Ecclesiæ normam composuerint. Deiparæ Virgini sacras ædes passim, præsertim in Soluensis oppidi ruinis, & in Liburniâ, hodie Croatiâ, posuerunt. Cùm pietas magis magísque indies inclaresceret, & non modò Dux Chetimarus, sed etiam gentis proceres magno Virgilij desiderio tenerentur, per Latinum presbyterum, qui semel, iterum, ac tertiùm Juvaviam missus est, efflictim egerunt, ut, qui secundum Deum tanti operis esset architectus, suum aliquando tandem ædificium præsens inspiceret. Sed ne tunc quidem licuit eorum votis facere satis; remisit tamen Latinum cum Magdalo & Varmano, sacerdotibus. Cùm res essent in felici progressu, pulcherrimis conatibus injecit manus mors importuna Chetimari, quo sublato, crevit hostibus audacia, fiducia decrevit Carantanis. Ergo recrudescente atroci bello, pulsisque sacerdotibus, sacrorum usus per annos aliquot fuit intermissus. Redijt subinde quies rebus secundioribus, Vatinio Duce. Quamobrem Virgilius, ut affectam gentis institutionem perficeret, misit senos sacerdotes, qui languentem pietatem excitarent: secutus denique ipse Virgilius, operi supremam manum imposuit. Acceptus mirâ Ordinum omnium gratulatione, frequentes habuit passim ad populum conciones, templa dedicavit, sacris ordinibus viros selectos initiavit; tam luculentis sanctitatis documentis sibi devinxit Carantanorum animos, ut non secùs eum, atque concessum à Deo suæ salutis authorem, Apostolúmque ipsi, posterique colere non dubitârint. Ejus industria pervasit ad usque Hunnorum fines, ubi Dravus Danubio miscetur. Proscripsit Deos patrios, sicubi sacrorum impietas hæserat: omnibus castissimam Christi religionem inducit,

XLI.

CONVERSIO CARANTANORUM.

Nun-

Nunquam ijs locis præclariùs laudata virtus, quàm ore Virgilij, nunquam visa amœnior, quàm ejus moribus expressa.

XLII.

Ab ista Carantanorum conversione revocamur ad Ducem Thassilonem. Pipinus moriens Carolum, & Carolomannum, filios reliquit, qui Francicum imperium partiti, regios uterque titulos susceperunt. Thassilo, quem sua magnitudo, & uxoris Luitpurgæ, Desiderij Longobardorum Regis filiæ, immodici spiritus justo altiùs extulerant, nondum in Francorum gratiam rediverat. Accesserat Carantanorum amicitia, vel, quod Velsero aliisque visum est, clientela: Illi enim Bojorum fortunam & arma, bello, quod jam memoravi, gratis animis complexi, auxilia Boijs laborantibus negaturi neutiquam credebantur; quod erat grande Boicæ potentiæ incrementum, sed fallax, qualis est plerumque in dubijs Principum dimicationibus, illecebra præfidentiæ. Animos simul faciebant Longobardorum pollicitationes, verbis, quàm rebus inflatiores. Erant Thassiloni in promptu arma domestica, & studia popularium, ut, tantis in speciem viribus, Caroli Magni potentiam non putaret esse admodum metuendam. Carolum, ne ilicò contra Thassilonem arma indueret, continebat non tam belli discrimen, quàm ingenita lenitas, ira languida, reverentia proximi sanguinis, contracta olim, sub Pipini signis, cum Thassilone necessitudo, quæ non sinebat in amicum, ferrum, nisi rebus necessarijs, stringere, & post consumpta remedia consilij mollioris. Et quod mireris, ne ad extrema statim descenderet, prior Legatum misit ad Thassilonem de oblitterandis offensionibus, & fœdere reconciliando. Nemo visus Sturmione, Abbate Fuldensi, melior, qui eâ legatione fungeretur. Auctoritatem conciliabat fama sanctitatis, reverentiam morum integritas, fidem sanguis Boicus, solicitudinem patriæ charitas, industriam longus rerum usus, facultatem persuadendi, dicendi singularis amœnitas. Spes de eo concepta non fefellit. Thassilo etenim cordatâ viri eloquentiâ delectatus, ad mentem redijt, ostendens, haud gravatè se arma positurum, si æquis utrinque conditionibus pax conveniret, quæ proinde sancita fuit anno circiter DCCLXX. uti colligere est ex Bertradæ Caroli Magni matris in Italiam profectione per Bojariam hoc ipso anno, ad conciliandas filio nuptias cum Berta, Desiderij Longobardorum Regis filiâ, quæ tamen postea fuerunt dissolutæ: unde natum Luitpurgæ implacabile in Carolum odium, & pernicies suprema Thassilonis, quam paulò pòst referemus. Huic ex Luitpurgâ natus est Guntherus filius, incertum quo anno: Theodo deinde anno DCCLXXII. primam lucem aspexit, prognatus ex eodem thoro. Illum Hadrianus Pontifex salutaribus undis abluit, cùm parens uterque Romam religionis, an aliâ causâ, accessissent. Thassilo rediens ex Italiâ, magnum agri modum Attoni Abbati S. Petri Bauzani donavit, quod testantur Frisingenses tabulæ, asserentes, id anno vigesimo secundo initi à Thassilone principatûs contigisse. Ad eundem annum referunt Scriptores domestici Carantanos à Boijs fuisse bello superatos: causam belli silent, de quâ non est promptum ariolari. Hoc ipso anno Dingolfingæ Comitia Bojorum fuêre habita, quibus interfuerunt Episcopi, Manno Nuenburgensis (qui vel unicus, vel certè postremus isti Ecclesiæ præfuit) Alimus Sabionensis, Virgilius Salisburgensis, Vilsericus Bataviensis, Simpertus Ratisbonensis, Aribo Frisingensis. Adfuêre, præter Episcopos, Abbates tredecim. Concilij capita videre est apud Velserum, quorum aliqua pertinebant ad res, personásque sacras, alia ad rem popularem. Acta tot scatent librariorum erroribus, ut multa vix, ac ne vix quidem, possint intelligi.

Thassilonis potentia.

Sturmio pacis inter Carolum M. et Thassilonem interpres.

An. Christ. DCCLXX.

An. Christ. DCCLXXII

Guntheri et Theodonis Ducum nativitas.

XLIII.

Boiorum de Carantanis victoria.

Concilium Dingolfingense.

Sub hæc Thassilo condidit Crembsense Monasterium, expiandis Guntheri filij manibus. Adolescens in ipso ætatis flore feras consectans, nactus aprum ingenti magnitudine obvium, ausúsque provocare, fulmineo rictu incursantem venabulo confixit. Verùm aper ictus fatali vulnere, suum ulturus percussorem, ultimo conatu tam validè in eum irruit, ut stratum confecerit lethali dente. Canes utrumque in suo jacentem sanguine prodiderunt, mœstissimum Thassiloni spectaculum, qui mœrorem, quem lachrymis non absterfit, pietate mitigavit, quando

Guntheri ab apro occisi mors.

 filij

filij exuvias intulit Mausoleo, quod ipsi in æde Crembsensi posuit. Piam ejusdem magnificentiam testantur Cœnobia, Matseense, Thirhauptense, Munchsmunsteriense, quæ viris fundavit. Aliud Virginibus in Chiemensi lacu constituit. Alterum S. Crucis in Danubiana peninsulâ, in quod, uti suo loco recensebitur, D. Benedicti sodales fuêre introducti. Plura diuturnitate ruinæ propinqua instauravit, ditavit, suáque stabilivit authoritate, qualia sunt, Schlierseense, Scheftlariense, Auvense. Thassilonis studio D. Valentini corpus, quod ex Majensi conditorio Longobardi Tridentum subduxerant, Passavium fuit deportatum. Ejus quoque pietati debetur, quod D. Corbiniani reliquiæ Frisingam sint reductæ, non sine divino nutu, patratísque in itinere prodigijs.

Baron. ad an. 771. *Sangallen. de vit. Carol.* LONGOBARDORUM REGNUM EVERSUM. Præclaras pro religione curas magni motus exceperunt. Carolus Magnus Bertradæ suasu, quod paulò antè meminimus, Bertam Desiderij Longobardorum Regis filiam, reclamante Stephano Pontifice ductam, sequenti mox anno, renuntiato repudio, suas sibi res habere jusserat, velut rei conjugalis ex morbo impotentem, vel, quod alij referunt, quia cum priore Caroli conjugio, cui ille se ante Bertæ nuptias illigaverat, posterius locum habere non posset. Hoc divortium Luitpurgam Thassiloni nuptam graviter pupugit, sed longè graviùs patris, regníque Longobardorum exitiabilis calamitas, quando anno DCCLXXIV. Desiderius

XLIV. AN. CHRIST. DCC. LXXIV. Rex unà cum uxore, ac liberis, Adelgiso excepto, qui in Græciam evasit, post semestrem obsidionem, Papiæ captus, regnóque exutus Leodium Eburonum abductus est, extincto Longobardorum imperio, quod in Italiâ, per ducentos, & quod

AN. CHRIST. DCCLXXX superat, annos floruerat. Quo ex tempore Luitpurga, fœmina mirum in modum irritabilis, cœpit omnes ulciscendi paterni dedecoris rationes circumspicere,

AN. CHRIST. DCC. LXXXI. Thassilonem questibus inflammare, & tandem à Carolo reddere prorsus alienum. Quamobrem princeps, moderati alioquin ingenij, & si uxoriæ fraudes abfuissent, nihil hostile tentaturus, per otium arma comparat, & sexto pòst anno, abusus Caroli absentiâ, dum Romæ religionis causâ versaretur, repudiato fœdere, & fidei reverentiâ, in apertam rebellionem erupit. Paratam tempestatem avertere conatus est Hadrianus Pontifex anno postero, missis in Boicam Legatis, Formoso, & Damaso, Episcopis, Carolo non invito, & etiamnum proclivi, Thassilonis animum, consilio priùs, quàm armis aggredi. Quâ causâ Pontificiæ legationi Richolfum Diaconum, & Eberhardum pincernarum magistrum adjunxit. Legati rem confecerunt ex sententiâ. Etenim Thassilo prolixè admonitus, quantam sibi apud homines infamiam, apud Deum indignationem consisceret, si sacramentum, quod olim Pipino, & nuper Carolo dixerat, perduellione violaret; sine cunctatione pollicitus est, se in Regis potestate fore, instauraturum fœdus, coràm Regi satisfacturum, daturus duodecim obsides, si modò fide publicâ suæ saluti, datis vicissim obsidibus, caveretur. Carolus conditiones accepit, & Thassilonem, Wormatiæ benignè acceptum, clientelare juramentum renovantem audijt. Simpertus Reginoburgensis Episcopus obsides Carisiacum Regi adduxit.

Regin. *Sigeb.* *An. Franciæ.* THASSILO PACEM CUM CAROLO M. COMPONIT.

Idem hic annus est, qui D. Wilibaldum Eistadiensem Episcopum cœlo transmisit. Wunibaldus frater, & Waltpurga soror, eum dudum præcesserant, quibus omnibus cœlestes honores fuêre decreti. Wilibaldo subrogatus est in Episcopalem sedem Gerochus.

AN. CHRIST. DCC. LXXXII. Frisingæ, anno proximè secuto, Aribone defuncto, mitram accepit Ato. Calendis Septembribus ædes Sanctimonialium Chiemensium sacris ritibus fuit dedicata. Simpertus D. Emmerammi Ratisbonensem basilicam, præstanti structurâ perfectam dedit, & expiavit. Hildegardis Caroli Magni conjunx, anno, quem

XLV. AN. CHRIST. DCC. LXXXIII. HILDEGARDIS GENUS. notavi, nondum evoluto, diem obijt. Eam Suevorum genere nobilissimo oriundam, plerisque scriptoribus indubitatum est: tametsi sunt, qui Andecensium Comitum stirpi illam conantur asserere ex matre Regardâ, id colligentes ex Alberti IV. Bojorum Ducis tabulis, datis anno M. CCCC. LXXXII. quæ testantur, Campidunense cœnobium fuisse conditum ab Hildegarde Boici sanguinis Principe. Verùm contrà facit Theganus, à quo Imma Gotofridi Alemanniæ Ducis proneptis,

ma-

mater Hildegardis disertè nominatur. Præter jam dicta sanctorum funera, quæ Eistadium, aliáque hinc inde loca, Boicæ propinqua, extulerunt; Salisburgum solennibus exequijs prosecutum est D. Virgilium, virum inæstimabilis (quod ipsius est apud Scriptores encomium) sanctitatis & meriti. Is levi correptus morbo 5. cal. Decemb. inter mortales esse desijt, magno Salisburgensium, optimum patrem lugentium, mœrore. Ad demortui corpus complura, eáque mirifica opera Deus edidit in ægrorum salutem. Eum D. Ruperto supparem urbis patriæque patronum cives hodie venerantur. Gregorius IX. illum solenni more Divorum numero adscripsit. Bertricus in ejus locum sublectus, vix annuum gessit Archiepiscopatum, ad quem, eo defuncto, fuit assumptus Arno, magni nominis apud Carantanos, nec minoris apud Leonem Pontificem Maximum æstimationis. Simpertus quoque fato concedens, mœstum sui desiderium Ratisbonæ reliquit. Visus est Deus subductis tot sanctis Antistitibus, qui præstanti rerum usu, & sapientiâ rem communem sustentabant, haud dubiam iram denuntiare, quam Boica mox cœpit experiri, ex memorabili Boici principatûs conversione. D. VIRGILII OBITUS.

Luitpurga muliebribus intemperijs agitata, insuper habens nuperam pacificationem, non desinebat Thassiloni marito irarum faces admovere in Carolum Magnum; arma ad parentum vindicias continenter spirare, & demum virum immodicè uxorium in præceps agere, certa, vel collapsam domûs suæ fortunam erigere, vel Boicæ ruinâ sepelire. Thassilo tot lassatus querimonijs, denique manus dedit, & malè sartam cum Carolo gratiam, resumptis armis, pejùs abrupit. Malum auxit, quòd citiùs in apertum venêre perniciosa consilia, quàm expediret ad faciendos belli apparatus, cùm præsertim Carolo, subactâ Saxoniâ, futurum esset expeditum, cum victore exercitu in Boicam irrumpere. Quæ res Thassiloni, superiorum temporum exempla recogitanti, frigidam injecit, ut pigeret, pœniteretque susceptæ in potentissimum Regem periculosissimæ dimicationis. Igitur, sive ut temporis aliquod lucrum faceret, sive ut belli sævitiem deprecaretur, Arnonem Episcopum Salisburgensem, & Henricum Abbatem Manseensem, ablegat ad Pontificem Hadrianum, qui infimis precibus orent, ut, quâ nuper benignitate & sapientiâ pacem conciliârat, eâdem bellum Carolo dissuadeat. Piam operam non detrectavit pius Pontifex: Et commodùm Carolus voti causâ Romam venerat, quem Hadrianus appositâ ad rem præsentem oratione aggressus, in ipso limine sensit à pacis mentione alienum. Ille enim ad primam integrandæ amicitiæ cum Thassilone vocem, subitò cœpit exhorrescere, & cùm longiùs Pontificis oratio procederet, objicere sæpe læsam patientiam, iteratam perfidiam, desperationem fidei, quicquid tandem Thassilo pollicerетur. Semel, iterúmque dari potuisse perduellioni veniam, & citra notam imprudentiæ fidem haberi, sed toties fallenti nullam deinceps haberi posse, nisi à supinè imprudente. Meminisse vellet Hadrianus, nihil profectum esse remedijs lenioribus, sed exasperatam potiùs esse hominis implacabilis audaciam, qui hactenus crediderit, sibi integrum esse rebellare, quasi debellari non posset. Nihil quidem mortalibus debere esse pace antiquius, quam quibusvis etiam triumphis sapientes ducunt esse præferendam, modò ne fucata sit, & composita ad fraudes, quæ futuræ sint, non publicæ tranquillitatis semina, sed incentiva motuum exitialium: Satiùs enimvero non videri modò, sed esse etiam, pio bello multiplicem injuriam semel ulcisci, quàm hostem manifestum toties sub fictæ benevolentiæ larvâ experiri. Hactenus se cavisse magis, ne Thassilonem vinceret, quàm caverit ille, ne vinceretur. Eam in rem misisse se ad ipsum oratores, & priorem quidem cum nonnullo præjudicio, neglectúque regiæ majestatis, quam non decuisset eò modestiæ descendere, ad sanandam insaniam clientis perduellis: potuisse se videri timidum & abjectioris animi; sed in lucro tamen posuisse, quòd insanientem revocâsset ad mentem, vel excusserat arma ferocienti. Jam verò didicisse se experimento, Thassilonem nihil pro sano homine facturum unquam, nisi suis cladibus sapere doceatur. Quòd si nihilominus communi piorum omnium patri aliud videatur, non detrectaturum se paternum

THASSILO A LUITPURGA UXORE PERVERTITUR.

BELLUM INCIPIT REPARARE.

XLVI.

LEGATOS MITTIT AD HADRIANUM PONT.

CAROLI M. ÆQUITAS.

ejus arbitrium: rogare tamen, ut, pro suâ in orbem Christianum charitate, videat; an pax bello cum tali homine sit præferenda: & si quidem velit præferri, quàm honestas, quàm justas, quàm securas stabilis tranquillitatis conditiones exigere oporteat.

XLVII. LEGATORUM THASSILONIS TERGIVERSATIONES.

Si quas Thasſilonis legati attulerint, quæ non modò corrigant priorem perfidiam, sed præstent etiam inposterum fidem omnino securam, nihil moræ fore, quò minùs audiantur: Dignaretur Pontifex cognoscere, quænam habeant à Thasſilone mandata. Hadrianum, cum ijs agere inchoantem, offendêre legati, nectendo ambages, tergiversando quicquam vice Thasſilonis spondere, quòd dicerent id in suâ non esse potestate, nec admissuros alias pacis leges, quàm quas à Thasſilone adferebant, cujus injussu sibi quicquam aliud non liceret pacisci; posse tamen ex domini sui voluntate pactas olim conditiones renovare. Hadrianus agendi modo malè affectus, quòd ex eo notaret, sibi, atque Carolo fucum fieri, & quæri diverticula, ut temporis fieret compendium, dum Thasſilonis vires augerentur, ipsum & quosvis alios, qui ejus partes sequerentur, diris devotos est detestatus, nisi mox, armis positis, Carolo eâ, quæ deceret clientes, submisſione, obsequerentur. Eo responso legati domum remissi, nihil præter belli denunciationem à Carolo; à Pontifice præter execrationem, Thasſiloni retulerunt. Decreto igitur bello, Carolus constituit totis Franciæ viribus Thasſilonem primo quoque tempore obruere. Itum proinde in Boicam agmine tripartito. Primum duxit ipse in Lycates, & prope Augustam castra habuit. Turingi, Franci Orientales, Saxones, Pferingæ tetendêre: Pipinus Caroli filius, copijs Italicis Bauzanum præmissis, Tridenti substitit.

THASSILO EXCOMMUNICATUR.

CAROLUS BOICÆ IMMINET.

THASSILO PACEM A CAROLO CORAM EXORAT.

Thasſilo territus tam formidabili apparatu, domi à suis longè infra spem adjutus, foris desertus ab amicis, damnatis belli consilijs, quod erat ultimum fortunæ subsidium, statuit, se suáque Caroli arbitrio committere. Quare inermis & supplicis habitu venit in castra. Admissus ad colloquium, infimis precibus temeritati suæ veniam flagitavit. *Serò tandem*, ajebat, *& meo malo, ô Rex, disco sapere, posteaquam toties tuam clementiam sum expertus. Habes fatentem reum: non ibo inficias, me ultima exempla promeruisse. Vnicum fortuna mihi fecit reliquum, ut censeam, me meæ calamitati debere gratias, quòd, tametsi tristia quævis à te mihi forent expectanda, possim tamen, si meis meritis leviora à me exegeris, perpetiendo deprædicare tuam clementiam, nominis tui tantò majore gloriâ, quantò tibi minor est causa ignoscendi homini, qui profitetur, nullam prorsus se veniam meruisse. Maximum est, quòd hactenus tibi pepereris titulos invicti omnium hostium domitoris; majus tamen, quòd teipsum sapius, mihi parcendo, superasti. Alia omnia promerito reddidisti non ita pridem vitam, libertatem, Principatum: si sapuissem, certâssem tecum, non armis, sed obsequijs, ijsque vitam omnem, quam donaveras, redonâssem; tibi, quicquid concesseras, opum, & facultatis, debuissem rependere: sed quæ mea fatalis est miseria, turbidis consilijs eò calamitatis sum prolapsus, ut ne quidem is videar ampliùs, cujus fides, & officia sint extra suspicionem. Ita nihil in me prorsus est, quod pro me faciat; Sed in te tamen supersunt plurima, quæ me jubent de afflictissimâ fortunâ non desperare.*

XLVIII *Superest, inquam, tua clementia, & imitatio divinæ bonitatis, quæ nunquam ignoscendo fatigatur, quam si in consilium adhibueris, dubitare non possum sine crimine, quin ad cæteros tuos triumphos, hoc quoque trophæum positurus sis, ut omnis ætas cum summâ tuâ gloriâ deprædicet, te, hominem prorsus indignum (quâ re nihil potes facere dignius) ignoscendo servâsse. Id si feceris, tibi sanctè spondeo, me tibi per omnem vitam, & fide, & servitijs, constanter fore obsequentem.*

JURAMENTUM FIDUCIARIUM ITERAT.

LUITBURGA DENUO RES TURBAT.

Carolus hac oratione mollitus, in supplicem nihil gravius consuluit, eo duntaxat contentus, ut clientelare jusjurandum verbis solennibus, & Divis testibus, Thasſilo repeteret: adderet duodecim promissorum obsides, cum filio Theodone in Franciam deportandos. Deportato è Boicæ finibus Francorum exercitu, visa est patria velut à supremæ calamitatis expectatione respirare, & respirâsset diu, nisi Luitpurga nata facta ad Boicæ perniciem, Thasſilonis animum solitis artibus evertisset. Illa, suo dolori indulgens, rem eò dementiæ adduxit, ut Thasſilo

silo nihil pensi habens, fidem toties datam, totiésque violatam, rursus arma pararet in Carolum. Cùm domesticis viribus diffideret, Hunnos, gentem Boicæ eatenus inimicam, adversus Francos conduxit. Insanum consilium cùm ex amicis quispiam argueret, & moneret, si minùs aliorum obsidum, attamen Theodonis, regiæ prolis, rationem haberi debere, ne tam charis capitibus bellum, sine ratione susceptum, cum ultimâ Boicæ pernicie gereretur; reposuit Thassilo, tanti sibi non esse obsides, quin eos, cúmque ijs decem etiam Theodones, conceptæ in Francos iræ velit immolare. Auxilia, quæ Hunni addixerant, in speciem magna fuerunt, sed nulli prorsus usui. Cùm enim factiosa Thassilonis dicta, factáque Carolum non laterent, properè Ordinum conventum Ingelheimij indixit. Illuc frequentes advenerunt Franci, Longobardi, Saxones, cæteræque gentes Francici imperij: Thassilo quoque, qui ad bellum nondum erat instructus, non est ausus vadimonium deserere. Comitio simul adfuêre Boij, tot sui Principis defectionibus exacerbati. Ut primùm cœpta de Thassilonis capite consultatio, Boij fuêre ex primis, qui ejus facta atrocissimis expostulationibus perstrinxerunt. Non debere quidem tanti esse Boijs privata commoda, quin semper habituri sint potiorem communis salutis rationem; sed tamen cùm illa, quæ propiora sunt, graviùs ab unoquoque sentiantur, minùs eadem posse dissimulari. Hoc verò esse manifestum, Thassilone Duce, Boicam tot accepisse damna, & accepturam inposterum, ut, nisi manus aliqua humanâ major prohibeat, propediem ad certum exitium sit ruitura. Quid enim aliud moliantur toties repetitæ in Regem conjurationes, coacti popularium exercitus, continua propè totius gentis commotio, immensi sumptus, &, quod caput est, imminentia innocentibus supplicia, & pericula perdendæ libertatis? Quæ salus esse possit in eâ provinciâ, quæ à suo Rege nefarias per factiones divulsa, nihil habet propius, quàm ut tandem hostium ferro cedat, & succumbat ultimis perduellionis exemplis? Si imperij Francici conjunctæ manus tanti sceleris ultioni non essent futuræ pares, Hunnos armari, & conduci Boico stipendio, non tam ut ferant suppetias, quàm ut hauriant Boicum sanguinem, cujus, ut qui maximè, fuêre semper appetentes. Hisce malis aliquam fortasse reperiri posse medicinam, si Thassilo suo genio permitteretur; sed (quod cuivis Principi est ignominiosum) eum uxoris imperijs ita servire, ut nullus ipsi reliquus sit rerum Boicarum, ne salutis quidem propriæ affectus, nisi quem ipsa per fraudem instillârit. Luitpurgæ unos Longobardos esse in amoribus, Desiderij parentis sortem, sororis repudium, amissum regnum, eversam Longobardorum dominationem auditi in perpetuis lamentis: nihil eam somniare, præter vindictam, & Francorum interitum: & quidem hæc omnia tam fallacibus præstigijs imprimere Thassiloni, ut omnem illi mentem eripuisse videatur. Ipsum enim adeò nullo ampliùs humanitatis sensu moveri, ut abjectâ non modò patriæ, sed etiam sui, & suorum curâ, neque impendentes calamitates pensi habeat, nec obsidum salutem, nec filij vitam, certus, per civitatum excidia, per busta provinciarum, per filij jugulum, ad Regis interitum properare. Nihil opus esse vetera crimina revocare in memoriam, sed summè esse dolendum, recentibus factis eorum gravitati tantum accessisse ponderis, ut, licèt vel maximè Bojorum perpetua in suos Duces fidelitas optet, illa tamen nec ratione minuere, nec excusatione possit extenuare: Hoc tamen adhuc superesse remedij, quod à Regis clementiâ Bojorum Ordines infimis votis precantur, ut nobilissimi Agilolfingorum sanguinis, & innocentis patriæ, pro innatâ lenitate, velit habere rationem. Dictæ præterea fuerunt ab alijs severæ sententiæ, quarum nulla fuit, quæ Thassilonem ad capitale supplicium non deposceret. Cùm illi facta fuisset sui defendendi copia, ne vultum quidem Regis ferens, cùm desperaret, se quicquam diluendis criminibus idoneum adferre posse, solis se lacrymis, & tacitâ culpæ confessione defendit. Prostratus denique ad Caroli pedes, ore confuso, quale est extrema metuentium, vitam fortunásque ejus arbitrio submisit. Rex lugubri spectaculo commotus, memórque sortis humanæ, quæ florentissimum olim Principem & amicum, ad tam miserandam conditionem

Thassilo in Comitiis Ingelheimii damnatus principatu exuitur. An. Christ. DCC LXXXIIX. Accusatur a Boiis.

XLIX.

L. tionem abjecisset, patris maluit agere partes, quàm judicis. Dedit supplici vitam, & quidem cum bene laudabilitérque vivendi necessitate, quæ solet esse parens nutrixque virtutum. Thassilo permissus est unà cum Theodone filio, quod ipsi fuit ævi reliquum, in Laurissæ Mediomatricum asceterio peragere, quod ante viginti circiter annos Cancor Comes condiderat, ubi ejus visitur sepulchrum. Suâ sponte, an jussus se religiosæ ascesi dediderit, Aimoinus incertum reliquit. Annales domestici eum, ferunt, lubentem multúmque precatum obtinuisse, ut in isto secessu Deum sibi bene factis propitiaret, quod non est ab ejus pietate alienum, quæ non careret insigni commendatione, nisi eam fraudes uxoriæ, & Francici nominis odium, temerâssent. Mira scribunt nonnulli de ejus sanctitate, sed nullis authoribus paulò vetustioribus, sine quibus parùm, aut nihil est fidei in re valde annosâ. Asserunt tamen, cœlum ejus sanctitatem mirificis operibus comprobâsse; quale est, quòd objectu luminis, ex ignitis pelvibus, excœcatus, Angelum ductorem habuerit, cùm aras, precationis causâ, obiret. Vion, qui eum sub profanâ veste, eâ pietate perfunctum scribit, addit meruisse honores, qui sanctis decernuntur, cujus rei fides est penes dubiam authoris credulitatem. De Luitpurgæ exitu nihil habetur compertum. Paulus Æmilius priùs ait fuisse mortuam, quàm maritus Monachum indueret. Sunt, qui conijciunt, in Sanctimonialium claustrum esse retrusam, sed neque hoc satis exploratum; quamquam priscis sæculis id genus supplicij, cum aliquâ honoris & clementiæ specie, Principibus frequenter obvenerit. Atque hic quidem fuit exitus clarissimi Agilolfingorum, in Bojos, imperij, quod uti magnis olim virtutibus deferebatur, ita non parvis vitijs fuit ablatum: ne ignorarent posteri, non tam exaggeratâ per longum annorum tractum potentiâ, opibus aut clientelis, quàm sapientiâ & æquitate fundari imperia, & perennare. Bojorum nobilitati, cæteræque multitudini, Carolus, sepositâ nuperorum motuum ultione, vitæ, libertatis, facultatúmque gratiam fecit, ijs exceptis, qui fraudibus, & perfidiæ comperti propiores, exilio perduellionis culpam, ad varia loca relegati, luerunt.

Velser. lib. 5. rer. Boic. Monach. Egolism. Annal. Laurisheim. Aimoin. lib. 4. c. 6.

Aimoin. ibid.



BOICÆ



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER IIX.

Hunni debellati. Bella varia Caroli Magni in Saxones, Wilzos, Nordolitos, Theodorum Siciliæ Præfectum. Conjurationes in Carolum Magnum. Pipinus ejus nothus ad S. Gallum attonsus, Prumiæ in Treviris piè mortuus. Frustraneus Caroli conatus in jungendo Danubio cum Rheno. Severitas & mors Fastradæ Reginæ. Hæresis Felicis Vrgelitani profligata. Defensio Concilij Francofordiensis, de cultu Imaginum. Ingonis Carantanorum reguli pietas & industria. Initia Salisburgensis Archiepiscopatûs sub Arnone. Mors Symperti Episcopi Ratisbonensis, Erici Forojuliensis, Geroldi Comitis. Leo III. Romæ crudeliter habitus, à Carolo restitutus. Vita Gamelberti. Mettensis Cœnobij initia ab Vtone.



Ui Principum munia non ab hominum ingenio, vel è terris, sed è cœlo, divino mentis instituto accersiverunt, piè sapientérque sunt philosophati. Deus enim, rerum omnium parens ac dominus, summum quidem in humanum genus imperium penes se retinuit, sed quod derivatâ in homines potestate, per Reges ac Principes sic voluit exerceri, ut, quia ipse nostris oculis non esset in hac vitâ aspectabilis, in illis haberemus vivas supremæ sapientiæ imagines, quas revereremur, audiremus, intueremur, & duces ad bene beatéque vivendum sequeremur. Eos proinde jussit esse ejusmodi, qui non sanguinis duntaxat, sed donorum etiam cœlestium prærogativâ, cæteris mortalibus præcellentes, ad veram gloriam eniterentur, suáque diademata, non tam gemmarum fulgore, quàm lumine virtutum decorarent, & quicquid ipsi honestum ac laudabile in alijs requirerent, eodem ipsi conarentur eminere, atque tum crederent, se Regis Regum speciem referre pulchriùs, cùm divinæ bonitatis formam lineamentis absolutioribus, quoad eorum con-

PRÆCELLENTIUM PRINCIPUM QUÆ ORIGO, QUÆ MUNIA.

I.

conditio patitur, exprimerent. Hoc spectabant humanæ rationis instinctu Reges Assyrij, qui prima jecêre fundamenta dominandi, quando regiæ sobolis institutioni, cui ipsam loquentium virtutum orationem adhibere non poterant, quatuor viros, ex omni sapientum numero selectissimos, præficiebant, quorum unus justitiâ, alter prudentiâ, tertius moderatâ animi fortitudine, quartus continentiâ præclarissimus, teneram Principum adolescentiam, peculiaribus singuli præceptionibus, partitis inter se vicibus, erudirent, aptaréntque ad rempublicam bono subjectarum gentium gubernandam. Eâ stante disciplinâ, potentissimum Regnum perstitit, eáque demum cadente, corruit. Quibus ex rebus haud est arduum colligere, quibus principijs fulciatur vis humanæ dominationis,& unde sint causæ magnarum conversionum, quæ subinde non sine divinæ justitiæ altissimis rationibus in Republicâ oriuntur, faciúntque, ut, quod notavit sapiens, regna de gente in gentem transferantur.

UNDE PRINCIPATUUM CONVERSIONES.

Subit aliquando mirari, quàm formidando casu Boicæ gentis principatus, à nobilissima Agilolfingorum gente, & vetusto Bojorum jure devolutus fuerit in exteras Francorum manus: sed ex ijs, quæ paulò antè memoravi, non est obscurum, quæ virtutum columnæ lapsæ sint, antequam res communis ad eam perniciem deveniret; si tamen talis censenda est,quæ non subruit dominatum, sed erexit in formam justiorem, sub Rege sapientissimo, & illius ævi maximo, qui, exau-
II. ctorato Thassilone, Boicam æquabili imperio regendam suscepit. Jam excesserant, à primo Celtarum in Boicam ingressu, supra tredecim sæcula, anni duodenonaginta; ab inito Theodonis Principatu, abierant anni ducenti octoginta, quando ista rerum mutatio inducta est, Boijs haud ægrè ferentibus, nexum clientelarem, quo jam antè Francorum Regibus erant obstricti, ad potentissimum justissimúmque dominum, nullius præterea Principis interpositu, recidisse, citra Boicæ dignitatis libertatísve detrimentum, sed cum aliquâ potiùs externæ potentiæ accessione, sub cujus tutelâ suavem deinceps suis rebus securitatem pollicebantur.

AN. CHRIST. DCC LXXIIX. HUNNORUM CLADES GEMINA.

Ne tamen ilico dulci pacis otio fruerentur, Hunni, gens Boijs semper inimica, prohibuêre. Cùm enim improvido Thassilonis invitatu,& prædarum aviditate arma induissent, non exuère, nisi victi sæpius, fractique cum insigni suorum clade. Geminam eodem prope tempore acceperant, alteram in Italiâ à Francis, alteram à Boijs, & Francis auxiliaribus, quos Grahamanus & Odoacer, Caroli Magni jussu adduxerant. In agro Forojuliensi pugnatum Marte Hunnis adverso, ubi fusi fugatíque, acie coacti cedere, pleni irarum atque dedecoris, ultima hostilitatis exempla minitantes, in Pannoniam refugerunt. Similis illos fortuna excepit in Iboræ confinio, unde cæsi profligatíq; nihil ad suos, præter funera, & ignominiæ notas, retulerunt, majoribus propediem copijs ad eam delendam redituri. Sumendæ vindictæ tanta fuit aviditas atque ferocia,ut,anno nondum evoluto,cum immani suorum multitudine regressi in Boicam, dira omnia genti universæ facturi crederentur. Animos geminæ cladis dolore concitatos stimulabat ira, quòd Bojos hostes essent experti, à quorum cervicibus jugum Francicum se depulsuros fuisse profitebantur, nisi contra datam à Thassilone fidem, Boij in amicos pro retinendâ servitute pugnâssent acriùs, quàm in hostes certâssent aliàs pro asserenda libertate. Tanta verò vis Avarum ad signa, quanta rarò antea confluxerat. Jam Bojariæ imminebant truculenti, cùm Boij juncti Francis, castris ex adverso positis, ostendère se proximo quoque tempore sui copiam facturos. Neque verò Hunni detrectavêre prælium, sed instructis utrinque ordinibus, rei summam, Marte arbitro, placuit decernere. Acies nemo descripsit. Sigebertus totius pugnæ gloriam Francis, studio gentis, attribuit: Aimoinus longè justior victoriam Bojorum virtuti transcripsit, paucis ostendens, eos acie frontem firmâsse, primos inivisse pugnam, & hosti tantâ vi incubuisse, ut primâ statim congressione pulsus, terga Bojarijs cædenda dederit. Exinde non tam exorta cædes, quàm strages innumeræ multitudinis, tanto ardore vincentium, & pavore fugientium, ut, quibus parcebat ferrum, desperatam salutem objecto Danubio, præcipiti consilio, committerent,

Sigebert. Regino. in Chron.

HUNNI RURSUM CÆSI. *Sigeb. Chron. Aimoin. l. 4. c. 30.*

III.

rent, nihilo mitiores undas, quàm victores Bojos experturi. Cùm enim, intercepta aliter evadendi facultate, ultima spes in flumine transmittendo Hunnis esset reliqua, nec foret ulla pontis copia, undique pressi ab instantibus, quamplurimi, qui se vasto profluentis alveo crediderunt, in ipso tranandi conatu, vel obruebantur insectantium telis, vel absorbebantur aquarum vorticibus. Pereuntium numerus non est missus in litteras; credibile tamen est, ex tantâ fugientium consternatione paucos superfuisse cladi, è Boijs autem atque Francis perpaucos desideratos. Hoc ipso anno quartus conflictus æquè fuit Carolo fortunatus in Calabriâ, adversus Theodorum Siciliæ præfectum, legatum Constantini Græcorum Imperatoris. Hic indignè ferens, se à Carolo, cujus filiam exambierat, tulisse repulsam, Theodoro negotium dederat Italiæ fines incursandi. Jam hostile agmen Benevento propinquabat, cùm Winnigisus Caroli Regis legatus, Hildebrandus Spoleti Dux, & Grimoldus Benevento præfectus, festinatis Calabrorum delectibus, Theodoro vim opposuerunt. Ut ventum est ad manus, Græci ingenti clade affecti, magnam cæsorum captivorúmque turbam, & opima spolia victoribus reliquerunt. Carolus tot exhilaratus victorijs, quas plenâ manu in ejus sinum Deus effundebat, Reginoburgum concessit, ut Boicam, certis divisam limitibus, tribueret gubernandam Judicibus, quos ista ætas Comites nuncupabat. Addidit quoque novas leges veteribus, quæ Capitulorum Caroli titulum gerunt præfixum, referúntque probam istius ævi simplicitatem, quas proinde ex Velsero descriptas subijcere non gravabimur.

CAROLUS M. THEODORUM PROFLIGAT IN CALABRIA.

CAPITULA QUÆ DOMINUS KAROLUS SERENISSIMUS ADDERE JUSSIT.

Vt bannum ipsius quislibet irrumperet, componere debeat. Vt Ecclesia, Viduæ, orphani, vel minùs potentes, pacem rectam habeant, & ubicumque infractum fuerit, LX. solidis componatur.

Vt raptum, vel vim per collecta hominum, & incendia, infra patriam, nemo facere præsumat, & qui hoc commiserit, LX. solid. in bannum nostrum componat. Similiter, & qui jussionem regiam in hostem bannitus irruperit. Hæc capitula in assiduitate, reliqua autem reservata sunt Regibus, ut ipsi potestatem habeant nominativè demandare, inde exire debent.

De Dineralibus, ut, si quis eos occiderit, Regi componantur. Similiter de his, qui per chartam in Ecclesiâ juxta altare dimissi sunt liberi, cum XL. sol. componantur Regi. Hi verò, qui per chartam ingenuitatis dimissi sunt liberi, ubi nullum patrocinium, & defensionem non elegerint, similiter Regi compon. XL. sol.

Vt clericum nemo recipere audeat sine consensu Episcopi sui, & si eum aliquis acceptum habet, quando licentia ipsius Episcopi fuerit, aliter non faciat, nisi cùm ejus præsentia, perscrutandum, si dignus fuerit, deducatur.

Velſ. lib. 5. rer. Boic. pag. 335. Ex his nonnulla sunt apud Pithæum lib. 3. & 4. inter edita Capitula. Componere idem est atq; mulctam pendere, componi est mulctâ puniri. Compositio mulctam significat.

HÆC CAP. NOSTRA MISSI NOSTRI COGNITA FACIANT IN OMNES PARTES.

IV.

Vt nullus ad mallum, vel placitum infra patriam arma, id est, scutum & lanceam portet.

De latronibus, quicunque post missam S. Ioannis latroni mansionem dedit, si Francus est, cum XII. similibus Francis juret, quòd latronem, cùm fuisset, non sciret, licèt pater sit, fratres, aut propinquus. Si hoc jurare non potuerit, & ab aliquo convictus fuerit, quòd latronem in hospitio suscepisset, quòd & ipse latro & infidelis judicetur, quia latro est, infidelis est noster & Francorum, & qui illum suscipit, similis est illi. Si autem audivit, quòd latro fuisset, & tamen nescit firmiter, aut solus juret, quòd nunquam eum audisset, nec per veritatem nec per mendacium, eum latronem esse, aut sit superatus, si de illo latrocinio postea victus fuerit, ut similiter damnetur.

Dinerales servi. Ad judicum consessus.

Vt nullus comparet caballum, bovem, jumentum, vel aliud quid, nisi illum homines cognoscant, à quo venditur, aut de quo pago est, vel ubi manet, aut quis ejus senior.

Senior, dominus.

Missi, Praefecti: missati, cum Praefectura.

De Adventitijs: Vt, cùm missi nostri ad placitum nostrum venerint, habeant obstrictè quaesitum, quanti adventitij sunt in illorum missatico, & de quo pago sunt, & nomina eorum, & qui sunt seniores eorum. Similiter direximus Missos in Aquitaniam & Longobardiam, ut omnes fugitivos & adventitios ad nostrum placitum adducant.

Quicunque ista capitula habet, ad alios Missos ea transmittat, qui non habent, ut nulla excusatio de ignorantiâ fiat, & hac Missi nostri ante Nativitatem Domini omnibus cognita faciant.

Inprimis jubendum est, ut habeant Ecclesiae eorum justitias, tam in vitâ illorum, qui habitant in ipsis Ecclesijs, quàm in pecunijs & substantijs eorum.

Ast ut omnes Episcopi potestati, vel secundum regulam canonicam, doceant & regant eorum ministeria, tam in Monasterijs virorum, quámque puellarum, vel in forensibus presbyteris, seu reliquo populo Dei.

Mundeburdum, tutela, protectio.

Vt viduae, & Orphani, & minùs potentes sub Dei defensionem & nostro Mundeburdo pacem habeant, & eorum justitia.

Episcopi cum Comitibus stent, & Comites cum Episcopis, ut uterque pleniter suum officium peragere possit.

Vt latrones & homicidae, seu adulteri vel incestuosi, sub magna districtione & correctione sint correpti, secundum Bajoariorum velle.

De rebus proprensis, ut ante Missos, & Comites nostros, & judices veniant, & ibi accipiant finitivam sententiam, & in antea nullus praesumat alterius rebus proprendere, nisi magis suam causam quaerat ante Iudices nostros, ut diximus, & ibi recipiant, quod justum est: Et si quis voluerit dicere, quòd justè non judicetur, tunc in praesentiam nostram veniant: aliter verò non praesumat in praesentiam venire, pro alterius justitia dilatandum.

Quod non ampliùs de illis justitijs Missi nostri ad praesens modò faciant, nisi de temporibus Thassilonis, seu Luitpirgae: exceptis illis, qui avi & genitoris nostri, vel ad nos venerint. Et marcam nostram, secundum quod ordinatum, vel scaritum habemus, custodiant unà cum Missis nostris.

Scaritum, decisum, gallicè encharge.

Annal. Augiens. Valafrid. Abbas. Vita S. Meinvverci. Tabulae Frising.

CAROLI M. IN BOICA VICARII.

Rebus ad eum modum ordinatis, Carolus, Aquisgrani hiematurus, Geroldum Comitem Pussenium, sic dictum ab arce sitâ in monte Sueviae, fratrem Hildegardis nuptae Carolo, pacis bellique artibus insignem, Augiensis Asceterij, & Sangallensis praeclarum locupletatorem, & sacelli D. Virginis Paderbornae conditorem, Rectorem Boicae dedit cum vicariâ potestate. Juri quoque dicundo praefecit illustres viros, Erchenbaldum, Otpertum, Albricum, Adulphum, Wernharium, Orendillum, Amelricum, Godefricum, Godefredum, Comites; Gisilhardum & Ellambertum, Judices. Eorum munus erat unà cum Episcopis, Monasteriorum Antistitibus, & Bojorum proceribus lustrare provinciam universam, & vel in Monasterijs, vel Reginoburgi, Frisingae, Aiblingae, Feringae, quae loca id temporis dictandis decretis, litibúsque dirimendis erant celebriora, rempublicam gerere. Inter omnes Antistites prima fuit Arnonis Salisburgensis Archiepiscopi dignatio, quem ob singulares virtutes Romani Pontificis litterae sanctissimi titulo insigniunt. In rebus agendis, penes ipsum partes erant, authoritásque, primariae.

V.

Hund. Metrop. tom. 1.

Thassilo, cùm rerum potiretur, ejus fuit usus industriâ in Romanâ legatione contra Carolum, cui postea conciliatus, inter viros praecipuae admissionis fuit, ob egregiam in rebus agendis dexteritatem. Idem rem Christianam auxit insigniter apud Bojos, Hunnos & Sclavos, quibus sacravit, deditque Episcopum Theodoricum: celebravit, Carolo annuente, Synodum Salisburgensem, in quâ certae leges solvendis Decimis, & Ecclesiarum proventibus fuerunt constitutae.

AN. CHRIST. DCC. LXXXIX.

Aimoin. lib. 4. c. 81. Regin. Chron.

BELLUM IN WILTZOS.

Annum, qui Thassilonis exauctorationem secutus est, excepit bellum, quod Carolus gessit in Velatabos, Oceani accolas, linguâ Francicâ Wiltzos, natione Slavos, qui flagranti Francorum odio imbuti, gentibus, Francico nomini foederatis, bello vexandis nullum faciebant finem. Carolus non nescius regni salutem in sociorum incolumitate contineri, ne diutius eorum injurias sineret inultas, barbaro-

barorum insolentiam armis putavit esse coërcendam. Contracto igitur ingenti Francorum exercitu, posteaquam Rhenum Coloniæ Ubiorum trajecerat, valida Saxonum & Frisonum auxilia accivit, castrísque ad Albim positis, amnem junxit ponte gemino, quorum alteri ex utraque ripa præsidium imposuit extructo vallo, quod receptum, & annonæ convectionem muniret. Inde progressus in hostium fines, omnia jussit igne ferróque, longè latéque vastari. Wiltzi, quamvis immani numero ad signa confluxerant, agrorum vastitate, & imminentis periculi terrore perculsi, cùm suis viribus diffiderent, pacis consilia bello prætulerunt. Carolus ad Dragamutinam processerat, cùm Vuizan præcipuus barbarorum Regulus publicâ fide extra mœnia prodijt. Aderant simul Abotrudorum & Urborum Legati pacem postulantes. Carolus, admissos ad colloquium, jussit imperata facere, spondere obsequium, promissæ fidei dare obsides, ac deinceps à finitimorum injurijs abstinere. His conditionibus pax confecta, quam plures Slavorum remotiores populi citeriorum exemplo fuerunt amplexi. Carolus, acceptis obsidibus, iter relegit in Franciam, rebúsque pro temporis ratione apud Saxones compositis, Wormatiam venit, ubi, exactâ hieme, audijt Hunnorum legatos, de regundis provinciarum finibus, eâ contentione disceptantes, quæ anno nonagesimo primo in luculentam Pannoniæ calamitatem emersit. Cùm mutuæ expostulationes, ne per legatos quidem, quos Carolus ad Hunnos miserat, finirentur, sed utrinque (quod amat fieri) de proferendo imperio certaretur, Carolus probè gnarus cum quo hoste res esset futura, partem hiemis, vernúmque tempus maturandis delectibus impendit, ut hosti præverteret: ratus, se minore damno bellum procul in hostico, quàm domi apud socios habiturum. Ergo, vere exacto, copias jussit Reginoburgum properè convenire, ubi dato Senatu ex suâ Procerúmque sententiâ, certam inijt itinerum, bellique gerendi rationem. Exercitum trifariam partitus, Bojos navibus imposuit, jussos annonam, cæterúmque belli instrumentum secundo Danubio comitari. Saxonibus, Frisijs & Turingis ductores dedit, Theodoricum Comitem & Meginfridum regij cubiculi Magistrum, qui terrestri itinere Aquilonarem Danubij oram legerent: Ipse per Australem ripam delectum Francorum agmen duxit. Castra metatus ad Anassum fluvium, qui Bojarios eâ tempestate ab Hunnis dividebat, copijs omnibus tridui jejunium, publicam Litaniarum comprecationem, aliáque placando Numini opportuna indixit, sine quibus, neque sperari salus potest neque victoria. Nemo erat, quin crederet, cruentas fore dimicationes cum gente armis innutritâ, suíque juris apprimè retinente. Verùm tanta præter solitum universos invasit consternatio, ut nullâ vi potuerint adduci ad faciendam sui copiam, satis habentes, se abdere intra urbium munimenta devióśque fugæ recessus. Pars (si Æmilio fides est) ad ipsos Scythas se receperunt, pars Francum magnâ mole iter facientem prævertentes, secundo Danubio inferiorem Pannoniam petivêre. Carolus, transportato in hosticum exercitu, proxima præsidia nullo propè negotio disjecit. Objectæ erant longiùs promoturo binæ munitiones, altera ad Cambum flumen, altera vallata firmis operibus in edito monte ad Comagenos, quæ mox à milite desertæ fecerunt deditionem, jussǽque sunt æquari solo. Cùm hostis perinde paci atque bello imparatus nusquam occurreret, circumlatus ubique terror, abacti hominum animantiúmque greges, illata agris vastitas, tantâ gentis desperatione, ut, pristinæ virtutis immemor, ne ferrum quidem stringere sit ausa ad ruentis patriæ defensionem. Eâdem facilitate Carolus movit ad flumen Arrabonem, eóque transmisso, ulteriora prætergressus, venit ad ostium, quo amnis Danubio confunditur, ubi locatis castris, dies aliquot militi ad curanda corpora indulsit. Cùm nihil prorsus ab hoste tentaretur, esśetque longum ac difficile continente fugâ recedentem insequi, post continuatam, per duos supra quinquaginta dies, populationem, Rex in Germaniam rediturus, per Sabariam profectionem indixit. Saxones & Frisios domum remisit per Begaminos: Geroldum Boicæ præfectum, & Ericum Ducem Forojuliensem cum magnâ parte peditatûs in Pannoniâ reliquit ad frenandos gentis tu-

VI.

AN. CHRIST. DCCXCI.

BELLUM IN HUNNOS.

VII.

Æmil. in Carol. M.

multus. Ne equitatum provinciæ imponeret, vetuit pestilitas, quæ ad octo equorum millia sustulerat. Aimoinus scribit, vix decimam jumentorum partem superfuisse. Carolus cum cætero exercitu Reginoburgum concessit, ubi Christi Natalem, Paschalésque ferias religiosè exegit. Elata sunt per id tempus duorum virorum insignium funera: primum Angilramni Metensium Præsulis, qui in Caroli Magni palatio supremo sacelli magisterio functus, Romanæ sedis Apocrisarij munus in Austrasiâ gesserat. Egregium operæ pretium fecit apud Pontificem Hadrianum, cùm anno DCCLXXXVI. obtinuit certas leges, quibus Episcoporum judicia causæque regerentur, ut videre est ex Actis Conciliorum. Tanto viro publicè, non sine Caroli luctu, est parentatum. Funus alterum ductum est Synoberto, aliàs Symperto, Episcopo Reginoburgensi S. Garibaldi successori, viro pacifico, qui sæpius Thassilonis cum Carolo M. reconciliandi egit interpretem. Nactus est conditorium in æde D. Emmerammi, quam ipse condiderat, Pipino Caroli Magni patre magnam sumptuum partem suppeditante. Ejus curis atque pietati refertur in acceptis, quòd asceterium, paucorum religiosorum capax, ampliore contubernio opibúsque laxatum, longè numerosiorem familiam admiserit, Caroli Magni liberalitate.

MORS ANGILRAMNI. *M. S. Paul. Diac.* *Tom. 3. Concil. Venet. edit.* OBITUS SYNOBERTI.

VIII.

FELIX URGELITANUS HÆRETICUS. AN. CHRIST. DCCXCII. ERROREM RECANTAT. *Regino Sigebert. Ionas Aurelian. lib. contra Claud. Taurin.*

Hunc tot gentium victorem, certamina longè dissimilia exceperunt: unum adversus nefariam hæresin, alterum in parricidij domestici meditatum scelus. Urgelum, civitas est in Pyrenæis montibus. Felix ejusce loci Episcopus, unà cum Elipando Archiepiscopo Toletano in Nestorij errorem lapsus, Christum hominem Dei filium titulo adoptionis, non autem veritate naturæ asserebat. Dum Elipandus apud Astures & Gallæcos multos in fraudem induceret, Felix haud paucos in Septimania seduxit, sed in Galliâ & Germaniâ neminem reperit, qui scelestam doctrinam in animum admitteret. Pertractus Reginoburgum, omnium Episcoporum, qui Synodo intererant, judicio confixus convictúsque, errorem recantavit, jussúque Caroli ab Engelberto Centulensi S. Ricarij Abbate Romam ductus ad Hadrianum Pontificem, repetitâ orthodoxæ fidei confessione hæresin detestatus, non modò piorum cœtui, sed etiam Urgelitanæ sedi est restitutus, præclaro clementiæ exemplo.

CONSPIRATIONES IN CAROLUM M. *Æmil. in Carol. M.*

Cæterùm, quod dixi de parricidio, non semel pientissimus Rex propè abfuit ab ultimo discrimine, per hominum consceleratorum conspirationes. Prima fuit quorundam optimatum Austrasianæ nobilitatis, qui stimulante invidiâ, Arderico conjurationis instinctore in Regis exitium fœdus inierant: querebantur videlicet, se loco iniquiore, quàm aliarum gentium Principes haberi, cùm tamen primas sibi deberi crederent, eò quòd Carolus in Austrasiâ primam lucem aspexisset. Cùm in criminis societatem jam multos allexissent, cresceretque cum multitudine audacia, ut rarum est apud plures conscios arcani silentium, perfidia venit in apertum. Qui sceleris fuêre comperti, ultimo supplicio luerunt; quos suspicio aspersérat, coacti solum vertere sententiâ quæsitorum, negantium posse in tam chari capitis conspectu tolerari, qui vel minimam tantæ atrocitatis umbram præbuissent.

IX.

Æmil. PIPINUS NOTHUS IN CAROLUM PATREM CONJURATUS.

Altera conjuratio fuit longè detestabilior, quia exorta à proximo sanguine, cujus injuriæ cæteris sunt acerbiores. Pipinus Caroli ex Himeltrude nothus (quem Aimoinus majorem natu filium appellat, idémque gibbo deformis, ne animo degeneri corporis mala nota deesset) à Francis quibusdam in spem regni arrectus, cùm neque jure natalium, neque patris lubentiâ sibi posset id dignitatis polliceri, inito Caroli necandi consilio, omnem perficiendi sceleris modum rimabatur. Hominem ambitione tumidum inflabat ordo nascendi, dolórque, quòd, qui filiorum primus Carolum parentem fecisset, inter postremos nullo prope numero, instar reijculi, habendus esset, nisi sibi ipse fortunæ melioris faber fieret, & contaminati sanguinis ludibrium mutaret in sortem honestiorem. Quos habebat patrandæ cædis authores, accusabant Fastradæ Reginæ, quam Carolus post Hildegardem duxerat, ferociam, quâ insignem mariti lenitatem asperabat. Simul

FASTRADÆ REGINÆ SEVERITAS.

eos urebat nimia authoritas, quâ illa apud maritum una, & sine socio, omnia posse ferebatur. Et verò suadendo aliqua severioris imperij exempla statuerat, & sui metum odiúmque, qui metus est assecla, in eorum maximè animis concitaverat, quos criminosa conscientia minùs faciebat securos. Pipinus, quò facilior esset ratio parentis è medio tollendi, per morbi simulationem ex aulâ secessit, ratus, minus fore periculi, si rem ex insidijs auspicaretur. Ad dictam diem confluxêre conjurati. Non procul res à parricidio aberat, cùm Fardulfus, natione Longobardus, sacro Clericorum ordini adscriptus, patricidarum consilia in lucem protraxit. Coiverant illi noctis silentio in ædem sacram, ut iteratâ opis mutuæ sacrilegâ religione sese obstringerent, & capita, de tollendo Rege, conferrent. Longobardus, qui clàm sese abdiderat, eorum dicta arbitratus, sensit comitium dè Caroli capite agitari. Eum tamen non ita texêre tenebræ, quin ab oculatiore quopiam deprehensus, mortis intentatæ metu sese ad secreti fidem, operámque scelesto consilio sociandam, jurejurando obligaret. Verùm ille ratus se turpissimi promissi nexu minimè teneri, in tanto Regis optimi, totiúsque orbis Christiani discrimine, soluto cœtu, confestim in Regiam advolat, impetrátque ab excubitoribus, sibi mox ut Regis adeundi copiam faciant, maximi momenti arcanum, quod moram non patiatur, patefacturo. Admissus in Caroli conclave, rem omnem ordine aperuit, & servatæ fidei præmium, Ecclesiæ D. Dionysij præfecturam est consecutus. Conjurati missi in vincula, damnatique læsæ majestatis, pars truncati capite, pars acti in furcas infames. Pipinus mitiore pœnâ, quæ adversus obtrectatores testis esset regiæ clementiæ, solenni Principum id temporis supplicio, inter Monachos attonsus relegatúsque, primùm quidem in S. Galli monasterio, deinde in Prumiensi, quod est Trevericæ ditionis, latuit sub Abbatis Assueri disciplinâ. Dum ad S. Galli vitæ arctioris tirocinium poneret, quidam Francorum Proceres rursus in Caroli perniciem coière, qui cùm hæreret ambiguus, quibus pœnis in perduelles animadverteret, Pipinum consuluit, velut difficilis causæ sequestrem, quòd toties repetita in parricidas severitas adeò nihil videretur profecisse, ut velut ex hydræ Lernææ capitibus nova indies monstra prodirent. Abhorrebat tamen mitissimo Princeps ingenio à funestis, hærebátque anxius, quo demum pacto recrudescenti in horas malo faceret medicinam, eò quòd infortunatus sit Princeps, qui suos metuat, & tutus tamen non sit, nisi se improbitati reddat metuendum. Legati, cùm ad Pipinum venissent, reperêre hortenses areolas herbis noxijs sarritione purgantem, idque tulêre responsi, parentem sibi probè consulturum, si, quod filium in extirpando lolio facientem viderent, sequeretur. Quibus ex dictis Carolus facilè collegit, non ad sarculum se vocari, sed ad extirpandam perduellionem, quotiescunque repullulasceret; Pipinus verò (quod veteres chartæ post Sigebertum tradunt) patris voluntate in Prumiense Cœnobium translatus, quod vitæ fuit reliquum, singularibus pietatis exemplis transcripsit, hoc nomine parenti cœlitibúsque gratus, quòd bono fato ad eam felicitatem infelici conatu esset adductus.

Detegun-tur insidiæ in Carolum.

Pipinus attonsus. *Aimoin. Lamb. Gerd. Sangallen. de reb. Carol. M.*

A patre consulitur.

Prumiæ pie vivit et moritur.

Atque hæc quidem de proditæ religionis, & regiæ majestatis perduellibus. Quia verò superiùs nonnulla de Carantanis memoravimus, juvat hoc loco referre incrementa, quæ Ingone, ejusce gentis Duce, religioni Christianæ accesserunt. Animadverterat Princeps, non bello minùs, quàm pietate clarissimus, Optimates affici segniùs ad sacra Christiana, quòd nôssent, illis, qui ad Christi vexillum aspirarent, apprimè commendari rerum humanarum contemptum, studium abstinentiæ, honorum opúmque moderationem, & similia, quæ curvæ in terras animæ habent exosa. Malè enim cum inveteratâ morum, quibus assueverant, licentiâ, sentiebant convenire inediam, corporis afflictationes, crucis Christi ludibria & accuratas leges, quæ per asperos angustósque calles ad longè positam felicitatem ducerent. Ingo, cùm saniora suadendo, moliendóque operam perdidisset, ferrétque ægerrimè, Nobilitatem ab instituto sanctissimo, vilitatis objectu deterreri, erroris castigandi rationem ingeniosè commentus est. Celebri die

Henric. Canis. to. 5.

X.

Ingonis Carantani pietas et industria.

die convivium instruit dapibus, cæteróque apparatu cultissimum: invitat convivas magno numero, tum ex primoribus, tum ex plebe promiscuâ: adornat geminum mensarum ordinem, quarum præcipuis jubet assidere tribum paupertinam, quam pietas in DEUM commendabat, neque erubescit assidere, neglectis nobilibus, qui abjectè de DEO sentiebant. Accumbens inter homines pannosos, epulas non delitijs modò, sed etiam comitate condiebat hortator idem & præbitor: Magnates verò seorsim habiti plebeio paratu, vasis testaceis, servilibus obsonijs, pane cibario, vino fugiente, ringebantur invidiâ & indignatione, quòd se vilibus homuncionibus viderent posthaberi, & propinari ad ludibrium: nec verò dissimulabant iras, fronte ad rigorem caperatâ & fremitu, quousque Princeps
XI. oratione meditatâ facti rationem cœpit explicare. *Ex vestro* (inquit) *conspectu, Viri nobiles, haud obscurè sentio vestrorum animorum motus: lego ex singulorum fronte atque oculis tristia mœroris indicia, & suspensam rei, quæ nunc agitur, admirationem. Vobis fateor, causæ non desunt, cur a me peccatum esse contra urbanitatis leges existimetis, spretúmque modum vestræ dignitatis. Neque enim ulla natio tam est inculta, quæ non habeat certos summorum atque infimorum ordines, quorum singulis, major minórve tribuatur honor, authoritas & dignatio, pro diversâ muniorum & potestatis disparitate. Talibus enim gradibus constat firmatúrque humanæ vitæ societas, regnorum decus, apta civilium partium inter se temperies, populorum consensio, prudentia consiliorum, quæ nexus & vincula sunt bene ordinatæ potestatis. Verùm quid sibi hodie vult inversus ordo, & tam insolens depressio nobilissimi sanguinis, quem summo jure debuissem ignobiliori prætulisse? Certè malè res vestra haberet, viri illustres; si mihi fuisset propositum præbere epulum, quod vestrum palatum & oculos magis, quàm mentem, divinæ scilicet lucis præstantissimam portionem, reficeret. Dicam verò, quid mihi fuerit, in tam mirabili consessu & mutatione, consilij. Novi, & pro eo, ac debeo, magni facio vestram dignitatem, scio quis vobis honor debeatur, non sum ignarus quale sit generis vestri & minutæ plebis discrimen: sed altius quid, longéque divinius, placuit vobis ob oculos ponere. Hodie mea, vel, si mavultis, vestra causa agitur, ut aliquando tandem videatis, quantum sit pietatis pretium, non apud me duntaxat, sed vel maximè apud Numen immortale. Mirari desinetis, si ostendero omnes, pro suis quemque meritis, & accumbere & haberi: quod mecum haud dubiè sentietis, si vobiscum reputaveritis, me non sanguinis, sed virtutis, unde prima est vera nobilitatis origo, rationem habuisse, & spectâsse etiam amicitiam, quæ ex morum similitudine coalescit. Convivæ isti, in speciem viles, sub lacernis gerunt mentes purâ in verum DEUM religione nobilissimas: hos proinde non diligo tantùm, sed etiam veneror, utpote charos cœlitibus, Dei filios (videte eorum stirpem & opes) hæredes regni sempiterni, divinitatis ministros, quorum non pauci multos, haud dubiè, Reges atque Principes non modò æquabunt gloriâ, sed etiam dignitate superabunt, quando singulis mortalium Deus immortalis æquissimâ lance virtutum præmia admetietur. Quid porro mirum est, eos mihi assidere, qui de meâ sunt tribu, qui ejusdem mecum sunt aræ, & cœlestis mensæ consortes, Christi, Regis Regum, Domini mei delitiæ, unius mecum propositi, & conjunctæ cum Deo voluntatis? Istæ cœli divitiæ, ille splendor probitatis, illa vita innocentia & incredibilis morum venustas, me rapiunt in amorem istius, quam cernitis, sanctæ tenuitatis. Quòd si in vobis cernerem paria decora, tantas spes & honores; prô Deum immortalem, quàm mihi cresceret ad vos amandos, & honoribus augendos, animus! Ignoscite meo candori, qui me dissimulare non patitur, nescio quæ illustrissimi vestri ordinis dehonestamenta. Iactamus quidem, nec immeritò, vetustas majorum imagines, aurum gemmasque ostentamus, numeramus clientes, triumphamus virtute militari, erigimus factorum nostrorum laudúmque monumenta, quæ ego quidem non aspernor; sed levia hæc sunt, & apud rectè sentientes abjecta, nisi pretium accipiant aliunde, quod in immensum crescet, si accesserit supremi Numinis reverentia, in Christum sincera fides & amor, imitatio sanctissimæ ejus mansuetudinis, modestiæ, castimoniæ, abstinentiæ, charitatis, mutuæ consensionis, cæterarúmque virtutum, quæ nos Deo similes faciunt, & supra quàm dici possit gloriosos. Tales ego dotes ubi in animis vestris conspexero, ne dubitate,

bitate, mihi eritis longè, quàm ulli mortalium chariores. Hac oratione, insuetóque spectaculo castigatos, Ingo sic composuit, ut nobilitas propè universa, nomen Christo professa, petierit divinæ legis interpretes, quos Arno Salisburgensis Antistes, D. Virgilij exemplo, submisit, magno totius nationis emolumento.

Carolus interea non debellandis modò hostibus, sed (quod verè regium est) etiam ornandæ religioni studiisque pietatis suas curas, & publicè, & privatim, sedulitate tantâ impendebat, ut divinarum rerum tractationi ex asse videretur addictus. Promptum est credere, id eum fecisse, ut nævos, quibus juveniles annos aspersera, veris virtutibus dilueret, cùm ad ultimam senectam inclinaret. Inter cætera, quæ in eo genere præstitit (quod notavit Sigebertus) labantem in Ecclesijs Austrasianis scitè divinas laudes canendi morem, non putavit esse infra suam majestatem, ad Romanum usum & præcepta revocare. Gallia etenim discrepantes modos concentibus induxerat: Mediomatrices, penes quos manserat cantus paulò sincerior, ad aliquam modorum levitatem desciverant. Quæ res ut emendaretur, missi erant ad Adrianum Pontificem cantores, qui Romanam psallendi disciplinam condiscerent, domúmque referrent. Per hos Carolus initium fecit, exactiorem canendi morem ad usum revocandi. Non in domesticis tantùm, sed publicis etiam comprecationibus tam erat religiosus, ut exæquaret, veriùs superaret, communem virorum Deo dicatorum pietatem. Etenim miram contraxerat agendi cum Deo consuetudinem, quo in gerendis ordinandisque negotijs non adjutore modò, sed consultore etiam sic utebatur, ut omnia ejus arbitrio atque honori deferre videretur. Non semel Reginoburgi supplicantium agmini à Regiâ ad D. Emmerammi basilicam nudis pedibus pone Crucis vexillum anteivit, ut suum in expendendis Christi tormentis affectum exerceret, nunquam major aut illustrior, quàm cùm unus de multis, & velut omnium minimus, apparebat. Sibi ipse fixerat statos dies, quibus defraudans genium, corpus malignè reficiebat, mentémque pascebat inediâ, & rerum cælestium meditatione. Profusè succurrebat egentium miseriæ: regiam liberalitatem porrigebat, non in subjecta modò regna, sed etiam in Transmarinos Christianos, Afros, Syros, Ægyptios, & qui Palæstinam Dei vestigijs, & sanguine sacratam incolebant. Quod ad laudem insigne est, Reges barbaros eâ gratiâ sibi retinebat addictos, ut sub eorum imperio pacatè liceret vivere Christianis. Sed quod in tanto Principe mirandum, cùm esset peregrinarum linguarum apprimè callens, carmine, quale istud ævum amabat, veterum Regum bella descripsit, quò faciliùs memoriæ mandarentur, & decantata ad priscæ virtutis imitationem animos excitarent. Duodecim anni mensibus vernaculam, quæ apud Germanos erat, appellationem imposuit: Ventos etiam duodecim, cùm antè vix quatuor nominarentur, novis vocabulis insignivit. Grammaticam sermone patrio scribere est aggressus, quem laborem jam affectum mors abrupit. Condendarum basilicarum incredibili studio tenebatur, quas & magnificis operibus exornabat, ditabat proventibus, veste multiplici, magno sacrorum Vasorum apparatu; nec patiebatur Ecclesiarum ministros, ne janitores quidem, profano habitu divinis interesse. Frequens aderat, non diurnis duntaxat, sed nocturnis etiam psallentium officijs, quibus si quid neglectûs aut indecori irreperet, severè curabat castigandum: uti fecit, quando nobilem Canonicum, quem lauto Episcopatu donaverat, non est passus eam dignitatem adire, eò quòd in D. Martini pervigilio, cum amicis in multam noctem pergræcatus, abfuisset à nocturnâ comprecatione, & injunctam sacri (ut vocant) Responsorij decantationem, somno & crapulâ prohibitus, omisisset. Delectabatur amœnitate regionis, quæ inter Rhenum & Mosam nemorum frequentiâ, & calentium fontium scaturiginibus est perjucunda: Isthic situm est Aquisgranum, ubi templum Divæ Christi Parenti regio splendore excitavit, advectis Româ, Ravennâ, aliunde prisci marmoris ornamentis. Ejusce magnificentiæ memoriam retulit in tabulas, quæ nostro ævo in lucem prodierunt, his verbis:

XII. Caroli M. pro religione curæ.

Reformatio psalmodiæ.

Pietas.

Jejunia.

Eleemosynæ.

Cura Christianorum in Asia, Africa.

Poesis sacra.

12. Mensium nomenclatio, et ventorum.

Chori frequentatio.

Aquisgrani ornamenta.

Carolus, antè quàm in Saxones moveret, justa funebria Fastradæ Reginæ persolvit. Funus illatum Moguntiæ in D. Albani ædem ante aram Deiparæ in vestibulo Aquilonari, & demum translatum in principem Ecclesiam, posteaquam furor hæreticus D. Albani templum superiori sæculo evertisset. Hoc anno celebratum Francofurti Concilium trecentorum ut minimum (nam quidam trecentos quinquaginta, plures alij numerant) Episcoporum, præsente Carolo. Patribus è Germaniâ, Galliâ, Britanniâ, & Italiâ collectis, præsederunt Legati Apostolici, Theophilus (quem Ado nuncupat Theophilactum) & Stephanus. In eo conventu rursus damnata est hæresis Felicis Urgelitani magnâ Antistitum omnium consensione, qui ejus damnationi subscripserunt.

An. Christ. DCCXCIV. Fastradæ funebria. *Regin. M. S. Mogunt. Aimoin. Marian. Scot.* Concilium Francofurtense. *Regin.* Damnatio hæresis Felicianæ.

Eam Synodum perperam velut sibi faventem adversus cultum Imaginum jactant, Calvinus, Illyricus, & Centuriatores, quasi Patres Synodum Nicænam II. eâ parte damnârint, quâ Christi & Sanctorum effigies censuit ab Ecclesiâ cum debito honore esse retinendas. Atqui in actis Francofordiensis Concilij ne unus quidem est apex, quem Iconomachi unquam potuerint, aut deinceps possint, adversus Nicænam Synodum, cultúmve imaginum proferre: certè neque hodierni adhuc protulêre, neque alij longè antiquiores. Quis credat Claudium Taurinensem, infensissimum hostem sacratum Imaginum, hoc telum fuisse neglecturum, si id in Conc. Francofordiensi reperisset? Non reperisse verò, constat ex libro Jonæ Aurelianensis, quem edidit sub Ludovico Pio ad refutanda omnia Claudij argumenta, quæ à Ludovico missa acceperat, inter quæ nullum fuit depromptum ex doctrinâ Synodi Francofordiensis. Quid porrò est, cur neque Calvinus, neque eo recentiores Acatholici, contextum pro suo errore adduxerint, nisi quòd nullus inveniri potuerit, quem vel obtorto collo protraherent? Quòd si tot sapientissimis viris, qui Synodo Francofurtensi interfuerunt, quicquam adversus Nicænam obrepsisset, Adrianus Pontifex integerrimus, qui peculiari Epistolâ, quæ extat tomo secundo inter ejus Decretales, tam gravem errorem non dissimulâsset, neque verò etiam dissimulâssent istius ævi scriptores, Jonas Aurelianensis, Paulus Diaconus, Eginardus, qui Carolo Magno familiariter usi sunt. Quid igitur Urspergensem Abbatem, Reginonem, Adonem, & his antiquiorem Hincmarum, alióśque, quorum authoritate nituntur novatores, in errorem induxit? Induxit in errorem non fidei (neque enim Iconomachis unquam suffragati sunt) sed errorem facti, Hincmari, alioqui Catholici, & Ludovico pio notissimi, juvenilis oscitantia, qui admodum adolescens viderat in Caroli Magni palatio volumen scriptum adversus Synodum Nicænam II. in quo cultus imaginum repudiabatur. Atqui liber iste non fuit excerptus ex Synodo Francofurdiensi, sed ex aliquo Franciæ spurio conventu; quod ipse Hincmarus testatur, cùm ait, Synodum illam non Francofurti, sed in Francia fuisse celebratam. Vocatur autem à quibusdam Scriptoribus liber ille Carolinus, non quòd à Carolo sit scriptus, sed quòd ipsi à quopiam hæretico fuerit oblatus, missúsque deinde ad Papam Adrianum, Romanâ censurâ castigandus: quod constat ex Epistola Adriani, quæ habetur in tomis Conciliorum, & cujus fragmenta refert Ivo. Atqui hic quidem liber, tametsi subinde hæreticorum more simulat, se non repugnare Catholicæ veritati, damnatus tamen fuit ab Adriano, eo potissimùm nomine, quòd Nicæno Concilio II. imponeret, quosdam Patrum censuisse, Sanctorum Imagines esse confringendas, alios, adorandas, neutros tamen cum Apostolicâ sede sano intellectu sensisse. Hincmarus porrò juvenili ignoratione deceptus, ejusce libri lectione, credidit Concilium Nicænum II. imaginibus tribuisse latriæ adorationem, qui facti error ab Aimoino, Urspergensi, Regione, Adone haustus, in ævi nostri novatores eò perniciosiùs est transfusus, quòd putârint in Concilio Francofordiensi damnatam esse doctrinam Nicæni Concilij de sacrarum imaginum veneratione. Sigebertus sapienter vitavit istum scopulum: tametsi enim disertè meminerit Concilij Francofordiensis, & damnationis Felicianæ, tamen Synodi Nicænæ nullam eâ super re facit mentionem. Mirum verò non est, Aimoinum, & alios ab Hincmaro fuisse inductos in fraudem, quippe

Defensio Synodi contra Acatholicos. XVI. *Ioan. Aurel. Ep. ad Carol. Calu. extat tom. 5. Bibliothec. sanct.* *Edit. a. 1592.* *Hincm. lib. 20. contra laud. Ep. c. 20.* *Capitulare Caroli. Ivo 4. part. Decreti. c. 53. 126. 128. 141. 225. 229.*

quippe qui ignorârunt Synodi Nicænæ non modò definitionem, sed etiam nomen; quod manifestè ostendunt, quando septimam Synodum, quæ est eadem cum Nicœnâ II. nominant Constantinopolitanam, & quidem habitam sub Irene, & Constantino filio, cùm tamen sit habita sub Constantino marito Irenes, & quidem in Bithynia. Sed undenam sumpsit Hincmarus Decretum istud, falsò à novatoribus adscriptum Synodo Francofordiensi? Sumpsit ex præfatione libri Carolini, non ex actis Synodi, unde meritò negatur ad istam Synodum pertinere, aut plus mereri fidei, quàm librum Carolinum; sed esse suppositititum, & nullius prorsus authoritatis. Denique gravissimum est argumentum ad asserendam Synodi Francofordiensis puritatem, quòd Carolus Magnus, Princeps religiosissimus, &, teste Jonâ Aurelianensi, hostis Iconomachorum, nihil eorum ignoravit, quæ in Synodo Francofordiensi fuêre decreta, nec fuisset passus tolerari, si tam manifestum errorem Patres in Ecclesiam tentâssent invehere: Et verò si ipse eum incurrisset, neque id Adrianus Pontifex dissimulâsset, nec Leo III. septem propè annis post Concilium Francofordiense illum invitâsset ad capienda occidentalis imperij insignia, quæ Orientis Imperatoribus ob defensam Iconomachorum hæresin noverat esse detracta. Atque ista quidem pro Synodi istius innocentiâ.

An. Christ. DCCXCV.

XVII.

Bellum Saxonicum.

Redeo nunc ad Carolum, motus Saxonicos denuo comprimentem. Saxones, rupto fœdere, formidabilem armatorum numerum contraxerant, rati, bellum, quod Saraceni in Septimaniâ excitârant, Caroli vires sic distracturum, ut forent impares Saxoniæ ad obsequium reducendæ. In eam moturus, primum Francorum agmen Carolo filio demandat, jubétque, transmisso ad Coloniam Agrippinam Rheno, ab occidente Saxoniam ingredi, quam ipse per Turingos statuerat invadere. Saxones in campo Smetfeldo (quem Regino Finisfeldum appellat) consederant, Caroli adventum operientes; cùm certiores facti per exploratores, propinquare hostem numerosum, cum quo à fronte, simul & à latere forent conserendæ manus, quæ toties adversum Martem expertæ, summo discrimini rerum summam essent objecturæ, nisi numen aliquod, præter solitum, animos, & fortunam rebus adversis afflictam erigeret. Non esse spernendum hostem sæpius victorem, nec temerè sperandum, ubi belli causa cœlum haberet infensum. Terror per exploratores in castra propagatus, pugnæ consilium in fraudem mutavit. Visum in militari Senatu, Caroli mite ingenium legatione circumvenire, antequam ad vim descenderet. Missi, qui pacem orarent, perfidiæ pœnas deprecarentur, pollicerentur, gentem in posterum imperata facturam, daturam obsides, & universam amplexuram sacra Christiana. Hæc dicta ad speciem, acceptáque à Carolo, quasi cum fide dicerentur, pacem Saxoniæ impetrârunt. Proceres novo sacramento adacti, dati obsides, copiæ Francorum in Hunnos conversæ, ad vindicandam turmæ quingentorum equitum, qui tuendo limiti erant impositi, internecionem, & Christi regnum (quod Carolus maximè spectabat) proferendum. Communibus Comitiorum suffragijs in villâ Cuffenstein, bellum in sequentem annum dilatum, quò commodiùs novi in Saxoniâ delectus per otium haberentur. Eò missi cum regijs mandatis conquisitores, longè aliam, quàm sperabatur, rerum faciem repererunt. Saxones enim, larvâ positâ, spernere Regis voluntatem, detrectare imperium, detestari ritus Christianos, Deos gentiles tueri, disertè negare, se invisæ militiæ nomina daturos, parare defensionem, obtruncare regios magistratus, arma induere, totámque gentem complere tumultu. Sed ut concitatæ semel rebelliones in uno gradu non quiescunt, accessit facinus longè atrocissimum. Saxones Wirzam Abroditorum Regem (quæ natio Francis erat fœderata) auxilia ad Carolum properantem, oppressum insidijs unà cum magnâ copiarum parte interemerunt. Ita Caroli res secundæ adversis miscebantur, consuetâ magnis bellatoribus vicissitudine, quos vel fatum immaturè abripit, vel maturos reservat ad asperos casus.

Sigebert. Aimoin. Regin.

Saxonum fraudulenta ad Carolum M. legatio.

Pax.

P. Æmil. in Carol.

Bellum Hunnicum.

Saxonum nova rebellio.

Cædes Regis Abroditorum. *Herman. Wizan. Sigeb. Withan.*

XIIX.

Victi Saxones.

Igitur Regem de domandis Hunnis cogitantem, justior propiórque in Saxones dolor stimulavit. Rapto ad Albim exercitu, signa mox cum hoste contulit,

sit, victórque Saxonum colonias, quæ cis Rhenum accolebant, ablatâ libertate, redegit in servitutem, cæteræ nationi vehementer offensus. Simul Abroditi acceptam nuper ignominiam, cæsis Saxonum quatuor millibus, vindicârunt. Grassatus exinde miles quaquaversum, hominum armentíque greges, rerúmque aliarum prædam avertit, tecta corrupit incendijs, agris induxit solitudinem, colonis plerísque ultra Albim Salámque fugatis. Eorum vestigijs hærens Francus per pontes extemporaneos, omnia, partim ferro, partim terroribus, edomuit. Gentis primores acti in desperationem, ad Carolum venêre supplices, quos ipse gravi oratione castigatos monuit, sibi persuaderent, numen esse, cui curæ esset pactorum fides, quódque perfidiæ pœnas exigat, quas ad extremum essent persoluturi, nisi, positâ pervicaciâ, tot experimentis edocti, saperent tandem aliquando. Promisêre illi more suo rursus aurea, & dedêre promissorum imperatos obsides.

In gratiam recepti.

Dum in his est Carolus, profectionem in Hunnos paranti adfuêre gentis universæ legati, in quibus Tudinus primæ secundùm Regem dignationis. Summa legationis erat, magnam Hunnorum partem induxisse animum, unà cum Rege sese Christo adjungere, & Carolo facere deditionem, quibus rebus nihil poterat gratius pientissimo Principi nuntiari. Paulò pòst in demortui Cacani Regis locum suffectus est Theodorus, animo Christianus, qui & ipse sortitus est Cacani nomen, quod Avarum Regibus, velut gentile, per multa sæcula adhæsit. Non fuerunt inanes Tudini pollicitationes. Etenim anno, qui proximè secutus est, Carolo adfuit, stipatus ingenti popularium multitudine, cum quibus sacris undis expiatus est, & cum honore remissus in patriam. Verùm defecit eum constantia. Nam reversus ad mores pristinos, fidem perfidiâ mutavit, metu popularium, qui Cacano bello civili interempto, arma in Christianos corripuerant, & jam in eo erant, ut recuperandæ libertatis obtentu, omnia ferro & sanguine miscerent. Ne diuturnitate furor invalesceret, Ericus Dux Forojuliensis, quem à Carolo Pannoniæ limiti impositum diximus, ad gentem reprimendam, rei fortiter gerendæ occasionem nactus ex civilibus Hunnorum discordijs, accito ad belli societatem Wonomiro Slavo, cujus ductu maximè usus est, irrupit in Pannoniam, Ringum Avarum Regiam suæ fecit potestatis. Regino & Sigebertus scribunt, eum Iringum Principem cepisse. Cæterùm in Regiâ reperit ingentes opes, aliquot retrò sæculis, ex finitimorum rapinis, ab Avarum Regibus corrasas, quas Carolo Aquis hiemanti misit. Eas Carolus, partim Romæ, Deo & Apostolorum principibus dedicavit, partim est elargitus in aulæ proceres, & alios de republicâ domi militiæque bene meritos; ratus, sat amplum victoriæ fructum esse victori, numini cœlitibúsque referre gloriam, viris autem sapientibus ac fortibus partam opulentiam.

Hunni deditionem offerunt.

Tudinus baptizatur.

An. Christ. DCCXCVI.

A fide deficit.

Erici Forojuliensis in Pannoniam expeditio.

Quæ de Ringi Hunnici & Helvetici priscâ formâ, munimentísque scribuntur ab Historicis, non est operæ pretium hoc loco repeti: sufficit dicere, Ringum fuisse septum ligneum, quod opplebatur saxis temerè stipatis, glebísque & cespite, ad eum ferè modum, quo ævi nostri munitiones componuntur, quamquam rudius erat Hunnorum opus, minúsque ad defensionem ab arte comparatum.

Ringi descriptio.

XIX.

Bello reparando incumbebant Avares, qui, Ducibus interfectis, novum sibi Regem dixerant Karam nomine, etátque periculum, ne, si morâ in majus cresceret, haud leve negotium Francis esset daturum. Simul gliscebant novi motus in Saxoniâ, periculúmque, ne gens inquieta & jugi impatiens, pro veteri instituto, coiret ad arma. Quamobrem Carolus Pipinum filium cum Italicis copijs jussit properare in Pannoniam, & quò instructior bellum aggrederetur, mandata dedit ad Bojos, ut, quantis possent viribus, Pipino accederent: Ipse verò in Saxoniam cum valido Francorum exercitu progressus, suo adventu sic continuit tumultuantes, ut, nemine signa conferre auso, impune totam pervagatus, novam agris vastitatem, oppidis terrorem intulerit.

Bellum in Hunnos,

Et Saxones.

Pipinus simili propè eventu provinciam longè latéque populatus, hostem nusquam in apertum prodeuntem, ultra Tibiscum amnem submovit. Varias passim

ſim munitiones ſolo æquavit, Ringum, novi Regis ſedem, expugnavit, Hunnorum opes, quæ ex nuperâ direptione ſuperfuerant, maximam partem ad parentem, qui redux è Saxoniâ hiemem agebat Aquiſgrani, reportavit.

Munera Leonis III. missa ad Carolum.

Leo III. Pontifex Maximus, qui Adriano ſucceſſerat, legationem hoc anno miſit ad Carolum cum muneribus. In his, juxta receptum olim morem, fuerunt claves aureæ, ex D. Petri ſepulchro acceptæ, & urbis Romanæ vexillum. Ea teſtabantur, Regem eſſe Eccleſiæ urbiſque Romanæ defenſorem, non verò caput, aut dominum, uti perperam volunt novatores. Carolus viciſſim, per Engelbertum S. Richarij Abbatem, Pontificem donis coluit, quibus obſervantiam, paratáque ſummæ ſedi officia profitebatur.

An. Christ. DCC. XCVII. Barcinonæ deditio

Talia agentem Deus alijs, ſuper alia, beneficijs augebat indies. Barcinona civitas finitima Hiſpaniæ, quæ fortunâ alternante Francos, aliàs Mauros, admiſerat, ſponte in ejus venit poteſtatem, deditione Zatis Mauri Principis, qui ſe ſuáque Caroli imperio permiſit. Eidem, cùm ſociarum gentium conventum Aquis Graneis ageret, adfuerunt Alfonſi, cognomento Caſti, Aſturum & Galliciæ Regis oratores. Frolo princeps legationis obtulit eximiæ magnitudinis & elegantiæ papilionem, aliáque munera ex Maurorum ſpolijs. Abdella Saracenus, qui à fratre regno pulſus in Mauritaniâ exulaverat, benignè à Carolo in fidem receptus, juſſus eſt cum Ludovico ejus filio in Aquitaniam proficiſci, cúmque ſe probâſſet, reduci in Hiſpaniam, & in Oſcenſis urbis expugnatione Pipino adeſſe. Poſteaquam per Nicetam patricium, Siciliæ Præfectum litteras à Conſtantino Græcorum Imperatore, quem Irenes matris inſidijs exoculatum & mœrore confectum refert Theophanes, acceperat plenas humanitatis & obſervantiæ, brumâ appetente hibernatum in Saxoniam profectus, caſtra munijt ad Viſurgim eo loco, quem Heriſtallum voluit appellari. Iſthic audijt Hunnorum legatos: tum diviſis per totam Saxoniam hibernis, fieri juſſit excurſiones ad uſque Oceani littora per paludes, quas gelu onerum patientes fecerat. Nihil propè fuit locorum per ſaltus devióſque Saxonum receptus, quò miles non penetrârit.

XX. Alfonsi Hispani legatio. Abdella Saracenus receptus in fidem. Constantinus Imp. exoculatus ab Irene matre. Hiberna per Saxoniam.

An. Christ. DCC. XCIIX. *Aimoin. Nordluidos vocat.* Nordoliti tumultuantur. Vastantur *Alias Thaſco. Avent. pag. 340.* Abodriti cæduntur.

Cùm ſe ver cœpiſſet aperire, & pabuli inopia caſtra moveri non fineret, Saxones, qui trans Albim incolebant, nomine Nordoliti, hoc eſt, populi Aquilonares, rati, ſe egregiam ulciſcendarum cladium occaſionem nactos, in ſeditionem coorti, regios Judices, quos Carolus juri dicundo præfecerat, in vincula conijciunt, trucidant, ijs exceptis, quos avaritia ſpe lytri ſervavit; Godeſcalcum Legatum, è Daniâ revertentem à Sigefrido Rege, in viâ interceptum jugulant. Quarum injuriarum atrocitate Carolus graviſſimè offenſus, omnem latè regionem, quæ Albi & Viſurgi interjacet, ferro & igne juſſit vaſtari. Nordoliti, cæteris ferociores, iras exercuerunt in Abodritos Francorum ſocios. Horum Regulus Thraſaco junctis cum Helbruino Caroli legato viribus, graſſantibus occurrens, commiſſo prælio tantâ ſtrage concîdit, ut, qui cladi ſuperfuerant, pacem à Rege petentes, nobiliſſimos quoſque liberorum dederint obſides, Carolo tantò acceptiores, quòd eorum ætas, domeſticis exemplis nondum perverſa, ſpem faceret, morum civiliorum, & Chriſtianæ pietatis ex Francorum conſuetudine condiſcendæ. Legatus, qui Ebutis Regis nomine Carolo eſt collocutus, quique pugnavit in dextro Abodritorum cornu, recenſuit, in primâ ſtatim congreſſione Tranſalbianorum quatuor millia occubuiſſe. Carolus, bello in Saxoniâ ſopito magis, quàm confecto, Aquas reverſus, miſſos ab Irene Imperatrice Legatos, pacem poſtulantes, audijt. Simul refellebant famam plerumque magnis iniquam Principibus, quâ Irene ferebatur in filium Conſtantinum iniquè crudeliterque ſævijſſe: Cauſabantur illum ob nimiam in viros innocentes aſperitatem, non ab Irene, ſed à ſuis orbatum fuiſſe luminibus, ſibique mortem mœrendo conſciviſſe; quamquam non deerant, qui eam tragœdiam novercali Irenes odio, & ambitioſæ fraudi tribuebant. Per idem tempus venêre ab Alfonſo ex Aſturiâ ad Carolum munera, nuntiique expilatæ Olyſſiponæ. Inter dona viſebantur Mauri ſeptem, muli totidem, loricæ pari numero è Saracenorum manubijs. Notat

Irene per legatos apud Carolum se purgat.

Munera missa ab Alfonso Rege Asturum.

Regi-

Regino, sidus Martis toto hoc anno non apparuisse, non sine anxiâ solicitudine mortalium tristia ominantium, vulgi ingenio, ad tristes conjecturas proclivis.

Cœlum nihilominus Ecclesiæ Salisburgensi fausto sidere novam dignitatem attulisse visum est. A primis in Norico rei Christianæ initijs, prima Antistitum sedes steterat in urbe Laureacensi; quâ per Hunnos excisâ, migrârant Episcopi Batavium pristinæ dignitatis retinentes. Arno, vir rebus pro communi salute præclarè gestis, & sanctitatis famâ inprimis illustris, Thassiloni Bojorum Duci, ac deinde Carolo Magno inter primæ admissionis amicos, Salisburgenses regebat. Eâdem tempestate Valdericus Bataviensium Archiepiscopus fato concedens sedem vacuam reliquerat, uti videre est ex Epistolâ Agapiti Pontificis Max. ad Gebhardum (Geroldum vocat Aventinus) Episcopum Laureacensem. Arno, cujus virtute atque industriâ Juvavium ad magnam claritudinem emerserat, ratus adesse tempus, primæ Sacrorum jurisdictionis in suam Ecclesiam transferendæ, à Carolo impetravit, ut cum bonâ ipsius veniâ, & precariâ apud sedem Apostolicam suffragatione, sibi liceret, à Leone III. rogare usum pallij Archiepiscopalis, idque dignationis, quæ eatenus Batavij hæserat, Juvaviensi Ecclesiæ cum bono Deo impetrare. Annuit Carolus. Commodùm accidit, ut Arno unus ex Caroli legatis, reipublicæ causâ Romam mitteretur, atque per istam occasionem nanciseeretur molles ad Leonem aditus, qui longè sunt, quàm internuntij impetrabiliores. Simul accesserat instructus Epistolâ quatuor Boicæ Episcoporum, petentium à Leone Archiepiscopum, à quo inferiores Episcopi Sacrorum jura peterent. Egit Arno suam causam eâ dexteritate, ut Pontifex lubens volens ejus voto satisfaceret, ipsíque & successoribus pallij Archiepiscopalis insigne ad Sacrorum usum permitteret, eâque super re daret litteras ad Alim Sabionensem, hodie Brixinensem, Attonem Frisingensem, Waltricum Passaviensem, & Sympertum Niwenburgensem. Quæ res semina jecit magnarum contentionum Juvaviensibus, quæsitam recèns dignitatem tuentibus, Bataviensibus reposcentibus ablatam. XXI. INITIA SALISBURGENSIS ARCHIEPISCOPATUS.

Arno, ne pallij accessionem verteret in otium, aut sacri laboris cessationem, Divorum Ruperti & Virgilij exemplo, Carantanos suæ fidei commissos, præsens lustrare, & Christianis præceptis informare constituit, ut, si quid prisca pietas apud ipsos cepisset detrimenti, quà hortationibus, quà factis instauraret, induceretque in morem, sicubi nondum esset recepta. Quæ ille quidem non modò dedit confecta, sed etiam firmavit, datis sacerdotibus doctrinâ & probitate præstantibus, à quibus verbi divini sementis, Sacrorum adjumenta, consiliaque in rebus dubijs peterentur: Simul templa pijs fidelium cœtibus, habendisque sacrificijs dedicavit: Theodericum Caroli Magni assensu Slavis dedit Episcopum. Hoc anno Reginoburgi sedes Episcopalis, quæ à primo sui ortu ad D. Emmerammi locata fuerat, ab Adalwino Antistite in urbem translata, ad D. Stephani stationem accepit. ARNO SALISBURGENSIS CARANTANOS LUSTRAT. XXII. SEDES EPISCOP. RATISBONENSIS TRANSFERTUR.

Annum hujus sæculi nonum supra nonagesimum, magni motus infamârunt. Primus Romæ extitit adversus Leonem Pontificem ab Adriani Nepotibus, Paschale Primicerio, & Campolo Ecclesiæ Romanæ Sacellario. Hi Vatinianum odium per triennium tacitè aluerant in Leonem, idque stimulante invidiâ, quòd eum in postremâ ordinis sanctioris suffragatione sibi prælatum, in supremâ D. Petri sede iniquis oculis cogerentur intueri. Creverat, uti solet, dolor ipsâ morâ, &, quò fucus aliquis meditato sceleri fieret, gliscebant in vulgus confictæ ab ipsis in Pontificem criminationes. Jam ad immane facinus comparârant insidiosas sicariorum manus, cùm 7. cal. Maij, quò die, ritu solenni annua supplicatio majorum (ut vocant) Litaniarum publicè ducebatur, Leo solâ religione, & longo Cleri populique ordine stipatus, cæterà inermis è Laterano ad SS. Stephani & Sylvestri cœnobium progressus, nihil tale suspicans in armatorum globum incidit, qui comprecantium turbam disjecit, ipsúmque Leonem invadens, prostratum nudatúmque raptavit in sacram divorum ædem; ubi ante ipsam aram plagis barbarè laniato & semineci, lingua conjuratorum imperio radicitus amputata, effossi oculi, injecta vincula, in quibus suo conspersus sanguine confestim ad D. Gerasimi Monasterium pro- AN. CHRIST. DCCXCIX. LEO PONTIFEX CRUDELITER HABITUS.

protractus, carceri fuit mancipatus. Nocte, quæ atrocem injuriam secuta est, optimo Pontifici Numen calidis precibus imploratum adfuit, oculos, linguam, eorúmque usum prodigiosè restituit, bonæque spei plenum, magno jussit esse animo. Quo portento, & divino haud dubiè instinctu animati nonnulli ex ipsius familiaribus, Albinus inprimis, qui Leoni erat à cubiculis, & Wirundus Abbas ausu generoso, salvum integrúmque ergastulo eripuêre, deductóque in Vaticanum à Caroli Magni Legatis, & à Winigiso Duce Spoletano, qui cum expeditâ pugnatorum manu in urbem advolârat, præsidium impetraverunt, quo protectus, Spoletum petijt, indéque paucis pòst diebus, Alpibus superatis, per Nariscos & Norimbergam cum permultis Romanæ urbis Senatoribus, ad Carolum, Paderbornæ in Saxoniâ agentem, pervenit. Isthic amicissimè receptus est, cultúsque honorificentissimè; acceptáque à Rege Episcoporum & Principum auxiliari manu, non multò pòst est reductus in urbem. Eunti ad Carolum, & Romam repetenti, iter fuit per Bojariam. Annales domestici monstrant templa, quæ Reginoburgi in transitu dedicavit. Revertenti additus à Carolo Arno Salisburgensis Archiepiscopus, & Hilpoldus Palatinus, qui auditorum munere adversus sacrilegos piorum omnium parentis violatores fungerentur, dum Carolus anno sequenti Romam sequeretur quæstionibus adfuturus. Scribunt aliqui, in Paderbornensi congressu jacta esse imperij Romani in Carolum transferendi fundamenta, eúmque tum à Pontifice, tum ab urbis Senatoribus ad capessenda supremi honoris insignia fuisse Romam invitatum, rogatúmque, ut, si rem Christianam salvam vellet, urbis æternæ saluti coràm prospiceret, suâque authoritate opem adferret. Verùm utcunque ista habeant, tam nihil in eam rem addixit, ut Eginardus, bonus author, asserat, illum ab imperij titulis abhorrentem, Romam ivisse, & sic ignorâsse Pontificis destinationem, ut ne monito quidem imperij diadema à Leone inter sacrorum solennitatem fuerit impositum. Certè post inaugurationem asseruit, se eâ die basilicam non fuisse ingressurum, si Pontificis mentem præscivisset, raro modestiæ exemplo, quo ejusmodi dignitates aversabatur vehementiùs, quàm avidiùs ab alijs appetuntur. Atque ista quidem de crudeli in Pontificem conjuratione.

REFUGIT AD CAROLUM.

ROMAM REDUCITUR.

MISSI IN URBEM QUÆSITORES.

XXIII.

Alius è Pannoniâ, cùm minimè crederetur, tumultus est exortus. Hunni (quod paulò antè diximus) Pipini virtute repressi in longum quieturi videbantur, cùm apparuit, metum infidum esse diuturni officij custodem: Illi enim correptis repentè armis, famâ ingentis apparatûs finitimos quaquaversùm ad vim defendendam impulêre. Tota porrò belli moles in Ericum Ducem Forojuliensem, & Geroldum Boico limiti præfectum incubuit. Hic frater Hulderici Suevorum reguli & Hildegardæ Reginæ, primæ Caroli conjugis, quâ erat vigilantiâ & animi magnitudine in omnes hostium motus intentus, tempestivè justum exercitum contraxit, nec veritus est castra castris objicere ad cruentum certamen, quod illi fatale fuit, ut enim concurrêre acies, ipse omnia fortissimi Ducis munia executus, telo, nescitur cujus manu excusso, confossus occubuit, fato magnis heroibus non insueto, quibus gloriosum est stantes pro Deo, & salute patriæ mortem oppetere. Demortui cadaver illatum conditorio Monasterij Augiensis, quod ipse, dum esset in vivis, largè locupletaverat. Wetinus ejusce cœnobij sodalis, vir raræ sanctimoniæ & particeps visorum cœlestium, triduo antè, quàm vitâ excederet, objectâ divinitus revelatione, eum sanctis Martyribus coæquavit, quòd vitam fidei tutelæ impendisset, & (quemadmodum ejus Epitaphium loquitur) *pro verâ pace Ecclesiæ peremptus oppetijsset, animámque dedisset sideribus.* Ipsius mors incidit in cal. Septemb. Wetini oraculum refert Hetto Episcopus Basileensis, qui ejus consuetudine familiariter usus est.

HUNNORUM TUMULTUS.

Valafrid.
Rader.

GEROLDI CÆDES.

FAMA MARTYRII.

Ericus Forojuliensis, quem ferè toties victorem, quoties pugnantem istius ævi chartæ celebrant, apud Tarsaticam civitatem Liburniæ, dum incautiùs rem gerit, oppidanorum insidijs circumventus interijt. Unde est, cur credam, Sigebertum errore esse lapsum, quando contra Aimoinum & Reginonem, eum vult à suis fuisse interemptum. Hunni, Caroli Ducibus occisis, mirum quantum elati,

ERICUS OCCUMBIT.
Croatia.

XXIV.

priscæ fortunæ memores, certi, vel intermortuam majorum gloriam excitare, vel, quod reliquum erat, patrij sanguinis pro libertate fundere, vim ultimam tentare decreverant. Cùm Arno Juvaviensis Archiepiscopus, consilio & pace bonus, ex Italiâ suorum civium,& religionis periculo in patriam revocatus,collectas cladis acceptæ reliquias novis auctas supplementis junxit Franco militi, qui jussu Caroli ad tuendam Boicam citatis itineribus confluxerat. Ut ventum est ad fines provinciæ orientales, Hunni explicuêre aciem: Boij vicissim ac Franci infestis signis in hostem sunt invecti. Raró aliàs tanto ardore dimicatum. Prælium oportet fuisse valde cruentum, in quo Hunnorum nobilitatem stirpitus excisam, cæterámque nationem, scribunt, redactam esse ad eam paucitatem, ut Cacani Regiâ funditus eversâ, & agro colonijs propè viduato, cùm victis hostile ferrum nullo ætatis sexúsve discrimine non pepercisset, ne provincia redigeretur in ultimam solitudinem, Bojorum & Venedorum coloniæ, in regionem longè fœcundissimam fuerint deducendæ. Exinde limiti Bojariæ ad orientem præfecti cum firmo præsidio impositi: cura rerum divinarum per eam provinciam Arnoni Juvaviensi, ejúsque successoribus sic est commissa, ut, qui inferiores Episcopi religionem procurarent, Ecclesiæ Juvaviensis Metropolitanam jurisdictionem sequerentur.

Hunni debellantur. Coloniæ in eorum agros ductæ.

Ad hæc tempora (nam de anno certi nihil est proditum) referuntur res gestæ à religiosissimo viro Gamelberto, quas ex manuscripto D. Emmerammi descripsit Wolfgangus Selenderus S. Wenceslai Abbas Braunoviensis in Bohemiæ & Silesiæ confinio. Gamelberto natale solum fuit Bajoaria, in oppido, cui vulgò nomen Michelsbuch. Parentes illi nobiles, locupletes & pij. Ille,dum in ludo litterarum elementa condisceret, sic captus est amore vitæ sanctioris, ut, suprà quàm ætas puerilis solet,inania crepundia studiosè fugeret. Erat alioquin in puero liberalis indoles,vivax ingenium, generosus animus, qui nihil spectaret humile, sed factus ad magna putaretur. Vix pueritiam excesserat, cùm ejus parens, ratus se nactum esse filium, qui per majorum vestigia ad opes & honores esset grassaturus, eum addixit disciplinæ militari,quæ sola ferè id temporis nobilitati placebat. Verùm ejuscemodi vitæ institutum à Gamelberti miti ingenio nimis abhorrens, ejus votis ita non respondit, ut ne gladiolos quidem, & primi tirocinij rudimenta amaret. Pater genium à bello alienum,ignaviam interpretatus,velut degenerem à fratribus semotum præfecit pascendo gregi. Eam curam suscepit puer avidissimè, quò liberiùs, procul à turbis domesticis, semet Deo totum impenderet. Quam in rem sedulò incumbenti contigit, ut somno experrectus, codicem cœlesti haud dubiè manu allatum, supra pectus inveniret, certum omen, velle numen, ut à pascuis & pecore ad virorum sapientum consortium migraret. Id cùm à patre impetrâsset, litteras impendiò cœpit colere, eas maximè, quæ mentem cœlestium rerum cognitione erudirent. Brevi magnos fecit in virtute progressus, doctus frenare linguam, domare corpus abstinentiâ, animi puritatem habere in pretio, tueri innocentiam adversum flagitiosarum mulierum insidias. Semel ab unâ importunissimè solicitatus, fugâ sibi consuluit, Deóque vovit integrum castitatis florem, quem ad ultimum spiritum servavit. Tum alijs ad divinum cultum excitandis maturior, per singulos Sacrorum gradus ad sacerdotium evectus est. Non multò pòst orbatus parente,in cernendâ hæreditate municipium sortitus est,quod ipsi erat natale, unà cum Ecclesiâ, in quâ diligentis Curionis munia cum summâ in subjectos charitate obivit. Non contentus pascere animos, amplos patrimonij proventus miserorum inopiæ largiter donabat, verus patriæ pater & pauperum. Ex quo tempore presbyterij ordinem adierat, per annos quinquaginta & ampliùs omni carnium esu sibi interdixit, insigni alioquin in cætero victu abstinentiâ. Clarebat incredibili lenitate etiam in brutas animantes, aviculas è nido sublatas pecuniâ redimebat, reddebátque libertati. Famulitium vetabat prodire ad labores, si inclementior aliqua tempestas imminebat. Quos è subditis noverat corporis ægritudine laborantes, fovebat omni genere charitatis. His Christianæ virtutis officijs graviter addictum, cùm annum ageret septuagesimum, incessit cupi-

Gamelberti res gestæ. Genus, educatio, ingenium a bello abhorrens.

XXV.

Gregis custodia.

Somnium.

Studia litterarum.

Cura animarum.

Liberalitas in pauperes. Abstinentia. Mansuetudo. Peregrinatio Romana.

cupiditas visendi sacra divorum Apostolorum in urbe limina. Cùm inde rediret, fortè fortunâ, vel divino potiùs instinctu divertit ad hospitium in Italiæ confinio, unde id temporis loci sacerdos aberat. Isthic respiranti, oblatus recèns natus infantulus, quem sacro lavacro ablueret. Non abnuit vir beneficentissimus id officij, sed salutari tinctum latice Utonem nominavit. Tum divinitus edoctus, in quantum virum puer esset evasurus, parentes monuit, eum Christianis moribus cum curâ informarent, incitarent ad pietatem, caverent, ne quâ vitiorum labe, quam nactus erat in sacro fonte, innocentiam temeraret: Eum porrò se filij hæredisque loco habiturum: vellent proinde, ubi per ætatem liceret, ad se mittere, & ne regionis locique, in quem mittendus esset, nomen obliviscerentur, memoriæ causâ jussit diligenter annotare. Domum redux, quasi in Romanâ peregrinatione curiositati plusculum indulsisset, innocentem piámque licentiam severâ animadversione putavit esse castigandam; tanti est apud probos absolutæ virtutis æstimatores cura rerum etiam minimarum. Ergo desertâ domo paternâ, quam habebat amplam & ornatam, vile sibi legit domicilium prope sacram ædem, idque quatuor crucibus in terram depactis, ad totidem orbis plagas, brevi inter se spatio circumduxit, quod nunquam egressus est, nisi cùm semel odio dissidentes, jámque ad pugnam & vulnera ruentes, in medium procurrens diremit, nec priùs dimisit, quàm amicitiam integrâssent. Non ferebat in subjectis, quos ferè glebæ mancipatos habebat, ullas discordias, nedum mutuas simultates: à quibus nisi moniti abstinerent, libertate donatos jubebat solum vertere, satius esse dictitans carere servis, quàm habere peccatis servientes. Ipse verò pacem adeò religiosè cum omnibus coluit, ut, quoad vixit, nullum unquam verbo factóve notatus sit offendisse. Verni jejunij ferijs à publico prorsus abstinebat: peccata confitentibus dabat aures, per fenestellam velo oppansam, ne cujus conspectu, cùm cæterà jejunus esset, pasceret oculos: reliqua procurabat per vicarios. Ad unicam quotidie corporis refectionem, nihil præter modicum panis secundarij & salem, sub vesperum adhibebat, itáque durabat ad eam lucem, quâ Christi de morte triumphantis memoria recurrit. Cùm in ultimâ senectute collapsæ vires bonum senem destituerent, ejus cives incessit solicitudo cooptandi successoris, quem sibi ipse aptissimum crederet. Rescivit quidem, laudavítque eorum charitatem: Verùm (inquit) nihil opus est istâ provisione: Deus enim, cui vestra salus est cordi, pro infinitâ bonitate, mihi olim ostendit virum, cui post mea fata vos vult commendare: Eum post hujus anni finem, cœlo favente, præsentem habebitis. Anno elapso, Uto, quem baptismo initiaverat, adfuit. Ejus adventu lætus senex, amicis convocatis; *En* (ajebat) *virum, quem Deus vobis delegit: hoc pastore vos sibi devotos vult servare. Is ipse est, quem ego in lavacro regenerationis mihi optavi in filium, rerúmque mearum hæredem, qualem ex asse eum hodie dico, nuncupo, & vobis testibus instituo. Ejus deinceps jussis, quod decet subditos, perinde atque olim meis, geretis morem, sequemini consilia, ductúmque ad beatam vitam.* Paulò pòst morbo correptus, omnibúsque morientium Sacramentis more Christiano procuratus, 16. cal. Februarij animam DEO transmisit.

UTONEM BAPTIZAT.

XXVI.

CURIOSITATEM CASTIGAT.

TOLLIT DISCORDIAS.

JEJUNIUM VERNUM SEVERE AGEBAT.

UTONEM DICIT HÆREDEM ET SUCCESSOREM IN PAROCHIA.

Uto successurus in defuncti curas, suscepto sacerdotio, se dedit impigrè curæ animarum. Ejus studium erat, deterrere subditos ab inimicitijs, debellare fœnora, rapinas, aliáque flagitia, & inprimis gentilitias superstitiones. In cæteris operæ pretium respondit; sed cùm altiùs quorundam animis adhærerent fibræ Paganæ impietatis, quàm ut pro eo atque optabat, à dæmonum cultu desciscerent, mœstus humeros oneri subduxit, non tam laboris fastidio, quàm amore solitudinis, & mentis à rerum caducarum cogitationibus avocandæ. Quare, trajecto non longè à Mettenâ Danubio, se in nemus abdidit, humili casâ, quam sibi ipse fabricavit, contentus. In eâ latuit nemini mortalium agnitus, donec Carolus Magnus feras consectans in ipsum incidit, nescio quid operis molientem. Memorant, securim, quâ utebatur, à Carolo visam è solis radio suspensam, eóque prodigio insignem in viro sanctitatem ominatum, potestatem fecisse petendi, quicquid illi ad

XXVII.

UTONIS VIRTUTES.

SECESSUS SOLITARIUS.

vitæ

vitæ subsidium usui fore videretur: Utonem verò humi fusum rogâsse facultatem, eò loci religiosorum virorum domicilium, unà cum D. Michaëlis templo construendi, & à Rege pientissimo non fundum modò, sed etiam ædificij sumptus impetrâsse. Istis initijs haud procul à Deckendorfio, quod situm est ad oram Danubij, cœptum est Mettense Monasterium, quod deinde crevit in eam rerum & virtutum amplitudinem, quæ hodie visitur. Carolus primam ejus gubernationem Utoni demandavit, anno, uti habet Hundius, octingentesimo primo, quod vero non est absimile, contrà ac Brunnero visum. Tametsi enim Monasterij structura, Carolo adhuc Romæ Patritio, & nondum Imperatore, inchoata est, potuit tamen Utonis præfectura in annum, qui augustalem ipsius inaugurationem secutus est, differri. Manifestus est error Ægidij Albertini, cùm in præfatione libri hilariorum, quem Abbati Mettensi dedicavit, asserit, Carolum Magnum Mettense Monasterium anno octingentesimo secundo ædificâsse, eique præfecisse Utonem: constat enim Carolum anno, supra octingentesimum, decimo quarto 5. Cal. Februar. fato concessisse.

Chronic. Metten. And. Presb. de Monast. Bavar.

FUNDAMENTA METTENSIS COENOBII.






BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I. LIBER IX.

Carolus Magnus Leonem Pontificem vindicat: amittit duos filios, Carolum & Pipinum: Ludovicum Pium collegam legit: à Leone coronatur: Bella gerit in Danos, Anglos, Wiltzos, Pannones, Græcos, Venetos, partim per se, partim per legatos; profligat Mauros in Italiâ, pacat Imperium: fœdus init cum Imperatore Orientis: Dat divinæ legis præcones Hunnis, Moravis: filias aliquot habet justo indulgentiùs. Moritur. Ludovicus Pius Bernardum Italiæ Regem exoculat, ejusdem filios habet duriùs: appetitur à conjuratis: Lotharium F. adsciscit in regni consortium: Vastat Pannoniam: Romæ coronatur: Clerum reformat. Variæ Synodi.

An. Christ. DCCC.

I.



Anni plus minus quadringenti sexaginta octo abierant, ex quo Constantinopolis, imperij sedes à Constantino Magno effecta, omnem pene Romanorum gloriam, ipsum adeò novæ Romæ nomen ad se rapuerat. Scisso deinde per posteros bifariam dominatu in Orientalem & Occidentalem, cùm hæc pars à Momyllo Augustulo teneretur, in Herulorum primùm, pòst Vandalorum, Gothorum, deinde Longobardorum & Francorum Principatum migravit, & regio nomine Italia per trecentos viginti quinque circiter annos potiorem partem possessa, in Carolo, Regum sui ævi potentissimo, fortissimo & pientissimo, cœlo aspirante, ad pristinæ majestatis aliquam speciem refloruit. Antequam eò felicitatis rediret, Urbs Urbium domina, gentésque Italicæ, varios fortunæ adversantis casus sunt expertæ, sed nulli fuerunt religioni graviores, quàm cùm Thraces, Isauri, ipsa adeò Macedonum Cappadocúmque mancipia, Imperatorios, si non fasces, at certè titulos tenuerunt, malè alijs, pessimè sibi imperantes. Ut enim quorundam probra taceantur, taceri non potest, qui profundus in plerisque

Imperii Orientis corruptelæ.

que fuit veræ religionis contemptus & hæresis, genuinus fœtus impietatis, quæ tot monstris visa est in Oriente sobolescere, ut rei Christianæ ultimam perniciem, Romanæ sedi supremum discrimen, summis Pontificibus extrema quæque allatura videretur. Non deerant tamen, quibus esset in votis veterum Cæsarum majestatem suæ sedi restituere, excusso Orientis imperio, sed eorum consilia tum demum maturuerunt, quando cœlo propitio, Leo III. Pont. Max. effecit, ut, quod alij diu optaverant, denique daretur effectum. Caroli Magni, eatenus Romanæ urbis Patritij, multorum regnorum potientis, ab anno superiore magna erat expectatio, ut qui ad cognoscendam Pontificis causam brevi adfore sperabatur. Verùm, ubi primùm hoc anno advenientis fama percrebuit, tantus est factus hominum è vicinis, remotis, & ultimis propè oris concursus, quantum vix unquam aliàs Roma, ne tunc quidem, cùm jura daret orbi, viderat. Priusquam Romanum iter ingrederetur mense Martio, littus Oceani Gallici coràm inspexit, classem contra Nortmannos, & præsidia adversus maris accolas, qui piraticam faciebant, vastabántque littus Belgicum, disposuit. Tum voti causâ, ut D. Martinum supplex veneraretur, Turonos profectus, Liutgardi conjugi, eò loci defunctæ, pridie Non. Junij, ivit exequias. Inde Moguntiam veniens, actis comitijs, cum exercitu Ravennam movit, Pipino filio comitante, quem deinde jussit copias deducere Beneventum. Ipse per Anconam rectà Romam contendit. Venienti Leo Pont. Nomenti, duodecimo ab urbe lapide, occurrit, sumptóque simul prandio, Romam præcessit. Postridie per aliquot passuum millia continens diversarum gentium series, Carolo fausta acclamantium, vias prætexebat stipabátque. Leo etenim edixerat, ut per turmas, prout cuique erat natio, habitu signísque distincti Regem exciperent. Urbem ingressuro præferebantur Romana vexilla, signa crucis triumphalis cum sacris Divorum pignoribus. Pontifex eum in gradibus Basilicæ Principis Apostolorum magno stipatus Antistitum numero, adstante Clero, salutavit, & inter celebrem symphoniam in sacrosanctam ædem induxit 8. cal. Decemb. Septimo pòst die, Rex, convocatâ concione, adventûs sui causam explicuit, fecítque criminosis Leonis violatoribus potestatem objecta scelera diluendi. Illi accusatores simul & rei, jactare in Pontificis innocentiam calumnias, suum excusare facinus, inficiari, quæ erant atrociora. Dicentibus animos faciebat corrupta nobilitas, & è plebe factiosa multitudo, patrona impunitatis. Verùm quia nihil quicquam testibus idoneis & ratione ostendebant, séque Pontifex appositissimè tuebatur, proximum erat, ut iretur in suffragia. Considebant Italiæ & Franciæ Episcopi; aderant utriusque nationis Principes. Verùm cùm non nescirent Episcopi, eo judicio verti summæ sedis dignitatem, quæ regiæ esset præferenda, omnes consentienti voce dixerunt, sibi jus fásque non esse Apostolicam sedem judicare: se enim omnes à Christi Vicario, qui à nemine mortalium judicetur, judicari. Ille, cui in omnes esset potestas, de se ferret sententiam, solo Deo vindice, & teste conscientiâ. Ita Leo, assentiente Carolo, librum Evangeliorum gestans, suggestum conscendit, suámque innocentiam jurejurando asseruit, suâ se sententiâ absolvens. Cùm parricidæ capitalis supplicij arcesserentur, ipse, pro insitâ mansuetudine, judicio intercessit, satisque habuit, eos exilio mulctari. Et tum quidem præquam aliàs visa est Pontificia majestas augustior, & res Romana liberior.

Caroli M. profectio Italica.

Leonis iniuria examinatur.

Anastas. Baron.

Episcopi renuunt in causa summi Pontif. esse iudices.

Leo publice se absolvit.

Eodem illo die Zacharias presbyter cum duobus Monachis, quorum alter ad montis Oliveti cœnobium, alter ad Betleemiticum spectabat, ab Hierosolymorum Antistite legatus venit ad Carolum, offerens claves sacrosancti sepulchri, & montis Calvariæ, unà cum vexillo clavibúsque sanctæ civitatis. Cæterùm magnitudo Cæsarum propè eviluerat ob Orientalis imperij diminutam potentiam, religionum dissidia, & nefariam Iconomachorum superstitionem. Irene Imperatrix, mortuo marito, sola sibi jus noménque Cæsareum usurpabat. Accusabantur ejus natales, quòd orta non esset sanguine Cæsareo, quòd filium luminibus vitáque privâsset. Ut istam à se invidiam depelleret, Legatos miserat in Franciam, ac deinde in urbem, sed frustra; neque enim facilè diluitur infamia, quam publicæ, & pas-

Legatio Hierosolymitana ad Carolum.

II.

Irene magna invidia laborat.

& passim creditæ obtrectationes impegerunt: & credi non poterat, ejus filium, quamlibet sævum, ejus injussu tam crudeliter & impune à Proceribus fuisse interfectum. Quamobrem, quòd ipsa passim esset exosa, & per se despicabile habebatur muliebre imperium, Romanorum, aliarúmque solis occidui gentium vox erat, priscam Cæsarum dignitatem reddendam esse Occidenti, & neminem esse uspiam, qui Carolo meliùs eam posset sustinere, nullius extare majora in rem Christianam merita, beneficiáve in sedem Romanam. Hæc non magis secundâ Ordinum omnium admurmuratione Romæ jactabantur, quàm probabantur à Leone Pontifice, qui inscio Carolo (quod volunt gravissimi Scriptores) selegit diem celeberrimum, quo votis orbis Christiani annueret.

CAROLI M. ROMANA CORONATIO.

Qui annos à Christi, Regis Regum, natali soliti sunt numerare, Caroli inaugurationem reijciunt in annum sequentem: qui verò annos, more nostro, à calendis Januarij auspicantur, referunt ad annum sæcularem. Igitur Leo, sacris festâ Dei è Virgine nascentis luce operatus, in Basilicâ Principis Apostolorum, adstante Clero universo, optimatibus, populo Romano, & frequentissimo Principum Francorum, aliorúmque cœtu, unà cum Pipino, quem Carolus Romam accersiverat, posteaquam fusâ, ad D. Petri (ut vocant) confessionem, prolixâ oratione, Rex surrexerat, Leo, inquam, illius capiti augustales infulas imposuit, & cæteris ornatum Imperij insignibus, Romanorum Imperatorem, cum festivo Procerum omnium & populi plausu, salutavit. Repetita sæpius acclamatio: *Carolo piissimo, Augusto, à Deo coronato, Magno, Pacifico, Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Eum Pontifex de more sacro chrismate inunxit, accepítque juramentum, quo se Imperator obligavit ad Romanæ Ecclesiæ defensionem, quam non præstitit minùs, quàm adPIPINUS RENUNCIATUR REX ITALIÆ dixit. Secundum hæc Pipinus fuit Italiæ Rex renuntiatus. Carolus, omisso Patritij titulo, suscepit Augusti appellationem, móxque versus ad curas publicas, ut senescenti Imperio juventam redderet, leges optimas novo instituto adjecit antiquis, juri dicundo dedit Prætores, & ordinandæ Italiæ totam hiemem impendit. Legum aliæ res sacras, aliæ civiles continebant. Digestas in certa capita nominavit capitula, vel Dominica Capitularia & Decreta, quæ primùm in quatuor, postea in septem libellos divisit. Levita, eorum Collector, testis est, ea, quæ Carolus constituit, à summis Pontificibus authoritatem accepisse: neque enim illius, vel posterorum mens erat, vel potestas, ut, quæ ad religionem pertinerent, suo arbitrio definirent. Sancivit igitur Carolus cùm multa quidem de Ecclesiasticorum officio, quæ jam olim à majoribus erant constituta; tum ut Episcopi inferiores Metropolitani authoritatem sequerentur, neque eo nesciente vel non probante quicquam novi attentarent: útque vicissim Metropolitani Suffraganeorum operâ consilióque uterentur, nihílque ijs inconsultis innovarent: Tum ut Clerici nullum, præterquam Episcopi sui, tribunal agnoscerent: ut ijs fas non esset domi habere fœminam, nisi matrem, vel sororem, vel aliam minimè sinistræ famæ. Ut in sacris ædibus universa supellex, vasa, altaria, ornatu & decenti munditie niterent; ut templis certi census, decimæ, mancipia, agri, tribuerentur. Alia decrevit de honestâ vivendi ratione & ordinis sacri muneribus, de Monasterijs, de pueris divino cultui tradendis, de velandis puellis, de jure per legatos, aliósque Dicæarchos reddendo, de vectigalibus, de pœnis & damnis sontium: de scholis ad juventutis institutionem aperiendis: ut in ijs docerentur rectum precandi modum, psallendi, internoscendi sacras ferias, intelligendi libros catholicos, colendi virtutem, vitia fugiendi, itáque Numen honorandi, ut neque quicquam irreligiosum admitterent, neque omitterent studia religionis. Ad eum modum optimus Imperator dubium faciebat, pulchriúsne virtutem coleret, an ad eam sectandam studiosiùs alios excitaret.

AN. CHRIST. DCCCI.

LEGES NOVÆ.

GRAVIS TERRÆ MOTUS.

III.

Româ discessit 7. cal. Majas cum Pipino Rege, indéque venit Spoletum, ubi prid. cal. Junij terra tam horrendum tremuit, ut concussum tectum basilicæ D. Pauli, magnam partem corruerit. Tota Italia, pars Galliæ & Germaniæ, eâdem agitatione perculsæ, non sine strage ædificiorum. Ferunt, montes convulsos subsedisse,

sedisse, assurrexisse novos tumulos, oppida solo æquata, quædam absorpta hiatibus e flumina retroacta: mare alicubi in se refusum, alibi effusum extra consuetos fines. Æstas, inversis naturæ legibus, mutata in hiemem, diem D. Joanni Baptistæ sacrum pruinâ respersit. Autumnus, ob auræ mollitiem pestilens, plurima funera extulit. Carolo Papiam ingresso nuntiatum, Legatos Aaronis Amirmunmilini Persarum, & Amirati Abrahami Principis Africani, Pisas appulsos, venire cum regijs mandatis & muneribus, inter quæ prægrandi mole Elephantus. Auditi sunt Eporædiæ Salassiorum, & è vestigio cum honore dimissi, quòd explorandi potiùs, quàm gratulandi causâ (ut fit) viderentur advenisse, veriti, ne Caroli arma, quæ Barcinonem biennij obsidione, Zatim aliásque complures urbes Saracenis eripuerant, ulteriùs in Maurorum fines irrumperent. Fuit verò, quod ad suos de Italiæ rebus exploratè referrent; Teate videlicet civitatem à Rosellino Longobardo, viro clarissimo, magnâ virtute defensam, à Francis expugnatam, direptam & concrematam: Ortonam deditam, loca alia in fidem accepta, quod Regino differt in annum sequentem, quo Leo Pont. & Carolus Imp. miserunt Oratores (Franciæ Annales contrà asserunt, missos fuisse ad Leonem) qui cum Irene Constantinopoli de nuptiarum fœdere agerent. Etenim Pipinus Rex Italiæ ætatis fervore, & invictâ Francorum fortunâ excitatus, vires comparabat, ad Græcorum reliquias, quæ adhuc in Italiâ perstiterant, prorsus exterminandas. Irene vidua, Græco ingenio, ne, quod Italicæ spei erat reliquum, unà cum Occidentalis imperij titulis ab Oriente divelleretur, seriò an fictè ostendebat, se Caroli, eâ tempestate cœlibis, matrimonium ambire, & Leone quidem Pontifice paratio. Et erant, qui admodum probabant eam affinitatem: Enimverò ut soles geminos orbi, sic duos Augustos humanæ genti non expedire. Divinas humanásque, ipsius adeò naturæ leges, sapientum consensum, sensum orbis universi, pro uno Rege & capite certare. Ab uno sanciri, servarique posse nationum consensionem, quietem populorum, communem omnium salutem. Imperia divisa seminarium esse discordiæ, bellorum flabella, gentium excidia, scaturigines omnis generis calamitatum. Ut verò non sunt Numinis iræ in genus mortalium immortales, ultro offerri rationem, publicam orbis felicitatem in uno Principe asserendi. Irenen thoro solutam, ætate florentem, fidei Catholicæ tenacissimam, jam nuper suum in Francorum Reges studium fecisse palàm, quando Rotrudem Caroli filiam Constantino filio sponsam optâsset: Quòd si fata istam affinitatem non improbâssent, longè fuisset meliùs orbi consultum, nisi fortè visum sit Carolo eam felicitatem reservare, ut, quod Constantini successores malo publico sunt partiti, Occidentis Orientísque imperium unius sceptro restituant. Ea peritiùs cogitata, quàm effecta feliciùs. Eodem enim tempore, quo hæc agebantur, Nicephorus Patricius, homo fictè Catholicus, re ipsâ impius Iconoclasta, Manichæus, rerum sacrarum derisor, hostis divinæ legis, Irenen redegit in ordinem, & in Lesbum insulam deportatam ærumnis sævitiáque confecit. Ab eo missi ad Carolum Oratores pacem offerentes, quam ad Salam fluvium, redditis ad Nicephorum litteris, probavit.

Legatio Regis Persarum. *An. Christi DCCCII.* *Agitur de Caroli M. nuptiis cum Irene.* *Irene redigitur in ordinem.* *An. Christ. DCCCIII.* *Coloniæ reductæ in Pannoniam.*

Inde reversus in Bojariam, rebus pro temporis ratione ordinatis, novas è Boicâ colonias deduxit in Pannoniam, misitque leges, quibus in publicis privatísque causis coloni uterentur. Per id tempus allatum ex Italiâ, Christi sanguinem Mantuæ esse repertum, quo nihil gratius pientissimo Imperatori poterat renuntiari. Quod ut certiùs exploraret, petijt à Leone Pontifice, vellet per certos homines, si coràm ipse non posset, venire in rem præsentem. Leo quæsitoribus adfuit, habitísque accuratè quæstionibus, comperit, esse sanguinem, non ex eo, qui Beryti ex sacra Christi imagine fluxerat, sed quem Dei filius pro genere humano moriens ex sacratissimo corpore effudit. Qua de re extant tabulæ Pontificiæ, quæ omnem tollunt dubitandi rationem. Pontifex hac usus occasione, transcensis Alpibus, Carolum de suo in Galliam adventu fecit certiorem. Venientem in Mauritianis, Alpinâ gente, honorificentissimè excepit Cæsaris filius Carolus: Remis collocuti, Natales Christi ferias unà Carisiaci celebrârunt: pòst Aquas profecti, templi D. Vir-

Sanguis Christi Mantuæ repertus. *An. Christ. DCCCIV.* *Aimoin. Regino. Herman.* IV. *Leo proficiscitur ad Carolum.*

Virginis primæ dedicationi interfuerunt. Et ea quidem causa adventus Leonis in vulgus fuit jactata, sed propius fidem est, congressum ad gentium imperium pertinuisse, quamquam ne hoc quidem disertè in chartas missum est; patuit tamen paulò pòst ex bellis adversus Bohemos, Sorabos, Slavorum nationem, atque in Mauros, qui Corsicam tenebant, & Livones, de proferendis Reipub. Christianæ finibus habita esse consilia.

Ludger. Epist. ad Xifrid. Traject. Episc.

ECCLESIAS DEDICAT.

Cæterùm Leo ex itinere, quod D. Ludgerus oculatus testis notavit, in compluribus Germaniæ & Galliæ locis sacras ædes & aras dedicavit, nobilitavítque gratijs, quas Indulgentias nominamus. S. Swibertum Trajectensem Episcopum, ob illustrem vitæ sanctimoniam, & celeberrima miracula, ritu solenni retulit in Cœlitum Album prid. Non. Septemb. Unde corrigendi Francorum Annales, qui septem, non amplius, dies tribuunt Leonis cum Carolo congressui: neque enim tam exiguo tempore tot tantæque res confici potuissent. Ex Aquensi urbe Leonem in Italiam remigraturum Imperator magnis cultum honoribus, auctúmque donis regijs, per Bojariam curavit cum nobilissimo comitatu Ravennam usque deducendum.

REDIT IN URBEM.

Wandelbert. In vita S. Goar. Sur. de eadem.

FRATRES REGII AD S. GOAREM RECONCILIANTUR.

Non injucundum scitu est, quod sub hæc tempora scribunt, Carolo, ad declarandam ipsius ac filiorum pietatem, & vim ac merita Cœlitum, contigisse. Navigabat Imperator ex Ingelheimiensi Regiâ, quam ad Rheni ripam egregijs ædificijs exornârat, infra Moguntiam, amne secundo, ad castrum Rheni ac Mosellæ confluentis. Ut adlapsus est ædi D. Goaris, Assuerus loci Abbas obviam progressus navigationem interpellat, rogátque, ut, factâ exscensione apud se divertere, & Divo se sistere velit: sed Carolus seriæ quid occupationis causatus, Carolo filio seorsim naviganti exporrectâ manu imperat, ut, appulso navigio, D. Goaris templum precationis causâ adiret. Is tum à Pipino fratre, incertum quibus causis, graviter dissidebat. Fratre igitur exscendente, Pipinus, qui haud longè sequebatur, hærentem ripæ navem conspicatus, & ratus eam esse parentis, egressus in continentem, fratri imprudens, & penè invitus in templo se adjunxit. Ibi divino uterque instinctu castigare discordiam, tacitis cogitationibus revocare charitatem, sentire suaves ad mutuò redamandum impulsus, tandémque ruere in amplexus, & sancta germanitatis jura veris benevolentiæ signis renovare; tum cibo recreati prosperam repetere navigationem. Verùm parenti ultrà provecto coorta subitò tempestas, tantis cum procellis involvit, ut in fluvio furentis maris agitationem haberet ob oculos; cùm neque sibi constaret nauclerus, & ablato prospectu, nesciret quorsum proram verteret, quod dici fuit reliquum, salutis dubius cum vectoribus fluctuârit, neque priùs sit nactus copiam exscendendi, quàm, agnitâ Goaris neglecti culpâ, se voti reum fecisset nunquam præternavigandi ejus ædem, quin eam precationis causâ subiret. Vix eam devotionem animo conceperat, cùm cœlo serenitas, undis malacia est restituta. Sed jam erat noctis crepusculum, & tria amplius passuum millia aberant à loco, ubi cœna parabatur, neque videbatur tutum, tenebris incumbentibus, se flumini committere; quamobrem incœnatis nox ducenda fuit. Illucescente die Imperator, ut placaret Deum, ad D. Goaris cellam vicenas misit argenti libras, & duo pallia holoserica, atque in posterum per omnem vitam voto, quod Deo ad S. Goaris honorem nuncupaverat, fecit satis.

CAROLUS TEMPESTATE JACTATUR.

AN. CHRIST. DCCCV.

HUNNIS DAT DISCIPLINÆ CHRISTIANÆ MAGISTRUM.

V.

Sed & pietatis dedit insigne documentum, quando Hunnis, qui pauci supererant, Christianæ disciplinæ magistrum dedit Urolfum Pataviensem Episcopum. Illi nondum omnes falsorum Deorum superstitiones ejuraverant, homines assueti armis, inter quæ postrema est cura virtutum & religionis, quæ quiete potiùs, quàm bello recreatur. Urolfus Pataviensem sedem, ad quam anno superiori fuerat evectus, si multùm, menses quindecim tenuerat, bonus proferendæ pietatis, cujus erat apprimè studiosus, interpres. Clades ab Hunnis acceptæ, & penè eversa gentis potentia, cœlesti doctrinæ, ob pacatam modestiam; quæ divini spiritus sedes est, reddiderat opportuniores. Urolfus operæ pretium insigne tulit, permultis Christo adjunctis, in ijs Norici & Pannoniæ partibus, quæ hodie Austriæ & Ungariæ

riæ nomine gloriantur. Ut verò deinceps esset in promptu Antistes aliquis, à quo constanter Sacra acciperent, datus est illis Ratofredus, qui Viennæ inter eos domicilium figeret. Urolfus trajecto Danubio progressus ad Moravos, Venedorum gentem, Regulo atque popularibus author fuit abijciendæ gentilitatis fictorúmque numinum, constituitque Præsules, qui bene cœpta absolverent. Memorant Eugenium Pontificem Maximum (quod viginti circiter pòst annis contigisse necessum est) datis ad Ratfredum Favianensem, Methodium Speculunensem, Albinum Nitravensem, Annonem Vetuariensem, Episcopos, & Tutundum Hunnorum, Mœmarum, Moravorum, regulos, nec non ad utriusque gentis optimates tabulis, quas recitat Hundius, Urolfo per Avariam, Moraviam, Pannoniam & Mesiam vices apostolicas demandâsse.

MORAVI CHRISTI FIDEM DOCTI.

Hund. tom. 1. in Episc. Laureac.

Caoanus Avarum Dux, suscepto cum Sacris Christianis Theodori nomine, ad Carolum profectus, de Slavorum injurijs graviter conquestus est. Jam enim Avares redacti ad insignem paucitatem, patebant continentibus Slavorum irruptionibus; eorum vastabantur agri, homines trahebantur in servitutem, greges abigebantur: quibus illi malis fatigati, de quærendis quietioribus sedibus consilia agitabant, retinebantur tamen ob Caroli reverentiam & auxilia, quæ in gratiam susceptæ religionis esset allaturus genti non modò vectigali, sed etiam morigeræ fidémque perpetuam pollicenti. Carolus genti universæ jussit assignari sedes, à periculo & vicinorum turbis remotiores, inter Sabariam & Carnuntum. Non multò pòst, cùm Theodorus naturæ debitum persolvisset, pius Imperator in favorem fidei Christianæ, defuncti successori pristinum Cacani titulum, honoréšque restituit nihil imminutâ avorum dignitate, sed concessâ regni universi administratione, juxta priscum Cacanorum morem atque institutum.

AVARES A CAROLO HUMANITER HABENTUR.

VI.

Hanc beneficentiam DEUS memorabili de Bohæmis victoriâ remuneravit. Bellum gessit Carolus Imperatoris filius. Belli causam reticuêre Annales. Credibile est, fuisse illatas Hunnis injurias, & natam inde occasionem, gentilis superstitionis funditus extirpandæ, quæ eâ tempestate vigebat adhuc apud Bohæmos. Cecidit in acie Lacho Bohæmorum Rex, quem Aimoinus Ducem Bechonem, Regino Letzonem, appellant. Simul occubuit pleraque boni sanguinis juventus. Lecta ex toto regno ingentia spolia: Hermannus scribit Bohæmiam fuisse missam sub jugum, quam assertionem refellit anni consequentis expeditio eodem Ductore, parique, quo hoc anno, successu.

BOIÆMI VASTANTUR.

Crantz. lib. 1. c. 21. lib. 2. c. 27.

Constans enim est historiæ consensus, Carolum anno DCCCVI. cum delectis Bojorum, Alemannorum & Burgundionum copijs regressum in Bohæmiam, omni latè depopulatâ regione, & interfecto Milducho Soraborum Duce, continuâsse bellum. Quæ de prodigiosæ magnitudinis gigantibus, Ænothero, Sancimone, Celebrando, Thyrso, Haymone, Brunnerus recenset ex Aventino, & Originibus Wilthinensis Monasterij, creditque ad monstra poëtica debere reijci, credimus quoque in Turpini commentis convenientiorem, quàm in historiâ locum habitura. Hoc tamen dignum est memoriâ, quod produnt Annales Francorum. Habuit isto anno Carolus Francorum conventum in villâ Theodonis, quartâ leucâ infra Mediomatricum urbem. Consilium erat, regna inter tres Imperatoris filios in totidem partes dividere, ad sanciendam domûs suæ concordiam, quæ facilè herciscundâ hæreditate dissolvitur. Parenti aderant Ludovicus & Pipinus: Carolus bello Bohæmico distinebatur. Ergo Imperator Procerum consilio supremæ voluntatis tabulas confecit, quibus per æquales ferè portiones amplissimas ditiones transcripsit: Ludovico totam Aquitaniam à Turonis usque in Hispaniam, Gallias item, Lugdunensem & Narbonensem: Pipino Italiam, Bojariam Cisdanubianam, & partem Alemanniæ: Carolo Boicam Transdanubianam & reliquas Galliæ & Germaniæ Provincias. Eam partitionem servari jussit, donec omnes filij, post patris fata, forent in vivis: Si verò eorum aliquis absque liberis præmoreretur, modum præscripsit divisionis faciendæ inter superstites. Addidit leges sapientissimas servandæ germanitatis, ne quo animorum divortio subjectorum

AN. CHRIST. DCCCVI.

CAROLUS REGNA IN FILIOS PARTITUR.

quies in bella desineret: sed nihil æquè commendavit, atque curam defensiónémque sanctæ Sedis Apostolicæ & Pontificiæ dignitatis. De augustalibus honoribus nihil statuit, quippe quos nolebat ad suos posteros nomine hæreditatis transmitti, sed relinqui eo jure, quo ipse acceperat. Testamentum signo Cæsareo munitum, subscriptúmque à Franciæ Proceribus, per Einhardum legatum misit ad Pontificem Leonem, qui suâ illud manu & authoritate probaret, unà cum nonnullis, quæ de officio Ecclesiastico in templis rite persolvendo, déque criminosorum sacerdotum pœnis, si quando indubitata probatio deficeret, deque alijs ad Cleri mores spectantibus, quæ inter Caroli capitula circumferuntur, erant decreta. Ipse porrò filijs in sua regna dimissis, è Theodonis villâ, secundo Mosellâ & Rheno, per Confluentes Noviomagum in Bataviam ad Vahalis littus descendit, ubi in Regiâ, quam condiderat, vernum jejunium & triumphales resurgentis Christi ferias egit. Prospere bellatum hoc anno adversus Mauros, qui Hispaniâ egressi oram Italiæ & Insulas vastabant. Navalis prælij gloria stetit penes Genuenses, jacturam tamen passos Hademari Ducis (dum victor hosti instaret avidiùs) & navis prætoriæ, quæ unà fuit desiderata.

Capit. Carol. lib. 5. c. 33. & 34.

MAURI IN ITALIA PROFLIGATI.

AN. CHRIST. DCCCVII.

VII. Anno, qui proximè secutus est, Solis Lunǽque deliquia, & bellatorum acies miri spectaculi in cœlo visæ, mortales metu compleverunt eo majore, quòd Luna anno superiore, mense Septembri, obscurata, hoc anno rursus Februario, iterúmque Augusto defectionem pateretur. Mercurij sidus instar maculæ fusci coloris Soli objectum apparuit mense Martio & Aprili. Quicquid ista spectra portenderint, fuit tamen hic annus Carolo gloriosus. Misso enim adversus Saracenos, qui bellum in Sardiniâ instauraverant, Burchardo equitum magistro, Barbari, qui factâ exscensione agros populabantur, profligati sunt, cæsis in continente tribus plus minus millibus: cæteri ad mare refugientes, dum trepidi in naves se confertim recipiunt, mutuóque comprimunt ac reprimunt, Sardis tergo hærentibus, non minore, quàm antè, strage fuerunt affecti. Secundum hæc Mauri, qui ex Hispaniâ solverant, nuntiabantur Sardiniæ imminere, & classis fiduciâ Francorum vires habere contemptui, quasi gens navigandi rudis, navali pugnæ pares animos peritiámque non adferret. Ergo Magister equitum citato cursu Corsicam ante Barbaros tenuit, à quibus ultrò lacessitus, rei supremæ dimicationem nihil veritus est experiri, inferior licèt navigiorum & pugnatorum numero. Diu pugnatum est Marte ancipiti; sed cùm Franci virtute superiores fortissimè Barbaros premerent, denique suorum casibus & prælij diuturnitate defessi fractíque, amissis tredecim navibus, vela remósque, quantâ licuit celeritate, ad fugam verterunt. Francorum nulla navis desiderata est, sed partâ de hoste victoriâ maris possessio Carolo fuit asserta. Causam earum cladium retulêre Barbari in suam immanitatem, quòd anno superiore sexaginta Monachos raptos è Patulariâ Insulâ, vectósque in Hispaniam, accepto ab emptoribus pretio, servituti mancipâssent. Plerorumque libertatem Carolus auro redemit, ratus esse indignum, viros, qui se totos Deo addixissent, servire Barbaris.

IIDEM CÆSI IN SARDINIA,

ET CORSICA.

VIII. Sub id tempus à Persarum Rege Abdellâ ad Carolum venêre Legati, Felix & Gregorius, quorum hic, natione Germanus, præerat Cœnobio Montis Oliveti. Inter dona, quæ Persa Imperatori mittebat, erat horologium affabre factum ex aurichalco, quale vix ullum antè visum in Europâ. In eo designabantur horæ duodecim à globulis æneis, qui in subjectum cymbalum decidentes certo numero, parem horarum distinctionem tinnitu edebant. In singularum fine prodibant per duodecim fenestras totidem equites, qui patentes antea valvas claudebant. Raritas pretium fecit machinæ, novitas admirationem. Propiùs ad Boicam spectat Synodus provincialis, Salisburgi anno vertente celebrata. Ei præfuit Arno Archiepiscopus: adfuerunt, Atto Frisingensis, Adalwinus Ratisbonensis, Emricus Sabionensis, & Hatto Pataviensis, Episcopi. Hundius Emricum, Henricum nominat, & sibi in Ratisbonensium Episcoporum catalogo contrarius; loco Adalwini malè ponit Adalbertum. Hatto Pataviensis hoc anno successerat Urolfo, in Hunnorum

LEGATIO PERSICA.

SYNODUS SALISBURGENSIS.

Hund. Metrop. to. 1.

norum institutione laboranti. Illum, Patavienses chartæ memorant, annos undecim sedem Episcopalem sine Archiepiscopali pallio tenuisse, & anno sæculi decimo septimo obijsse diem. Concilij Decreta edita 17. cal. Febr. Ea Brunnerus ex vetusto Frisingensis Ecclesiæ codice recenset, quæ proinde, non nisi supervacaneæ operæ foret hoc loco repetere. Lis, quæ de possessione decimarum inter Monachos & sacerdotes sæculares vertebatur, ex normâ sacratum Legum definita, decretúmque, ut pars una decumarum Episcopo cederet, Clericis altera, tertia pauperibus, quarta fabricis & ornamentis Ecclesiarum. Habuit iste annus hiemem languidam & oppidò pestilentem.

Bellum Danicum gestum est anno sequenti. Godefridus Danorum Rex suis finibus non contentus, finitimos ausus est adoriri. Initia belli visa ejus votis arridere, cùm expugnatis aliquot Slavorum castellis, Drasconem Abotritorum Ducem acie fugavit, & eam gentem mediâ ex parte, Godelaibo altero Duce capto, & suspendio infamem in modum enecto, sibi fecit vectigalem. Ea victoria illi stetit nobilissimo suorum sanguine, plurimis è Danicâ nobilitate desideratis unà cum Reginbaldo Regis ex fratre nepote. Carolus, ulturus acceptam à socijs ignominiam, collectis è Franciâ & Germaniâ copijs, filium sibi cognominem expeditioni præfecit. Hic Albi transmisso, Hilinones & Smeldingos, qui simul cum Wilzis, Slavorum gente, ad Danum defecerant, ferro & igne vastavit, repressítque Godefridi audaciam, ne terrâ cum Francis congrederetur. Instruxerat classem validam, & Daniam, quâ parte Saxones habet objectos, firmaverat vallo ductísque usque ad Oceanum aggeribus, quos prætexebant fossæ, aperto duntaxat unico aditu, ad excursiones faciendas, & rerum necessariarum subvectionem. Emporium, quod Rericum nuncupabant, frequens multarum gentium commercijs, & dives regio vectigali, eductis inde negotiatoribus & exactoribus, transtulit in septa munitionis. Ea res impulit Carolum, ut anno postero Eisselfeldam conderet, & ductâ coloniâ firmaret. AN. CHRIST. DCCCIIX. BELLUM DANICUM.

Dum res in eo sunt, Eardulfus Nortumbrorum Rex patriâ regnóque exutus est ab Egberto, qui subactâ totâ ferè Britanniæ majoris Insulâ, non modò Eardulfum, sed etiam Mercios, Cantios, Danos & Saxones, qui sedes ijs locis fixerant, sub jugum misit, & extinctâ totidem Regulorum authoritate, totam Insulam, si Scotiam excipias, sibi uni subjecit, tulitque legem, ut deinceps tota Insula Angliæ nomine censeretur. Eardulfi fortuna miserabilis Carolum permovit, ut ejus restituendi curam in se susciperet, quod & hoc anno præstitit, Romano Pontifice, per suum Legatum Adulfum Diaconum, natione Saxonem, connitente, ac demum Angliam universam redegit in suam potestatem. IX. BELLUM IN ANGLIA. *Willem. lib. 2. de Angl. c. 1. Guilielm. Nangiac.*

Secundum hæc Nicephorus Orientis Imperator, ut Francos, qui Istriâ, Liburniâ, & Dalmatiæ mediterraneâ regione potiebantur, habebantúrque terrestribus prælijs insuperabiles, classe, quâ Græci præstare credebantur, infestaret, Nicetam misit, qui Dalmatiæ maritima tueretur. Jussit præterea Paulum Cephaleniæ prætorem mare inferum circumvehi, & Hetruriam habere infestam. Populonia ex improviso capta & direpta: vicinia vastata incendijs: Comaclum irrito conatu obsessum, oppugnatúmque cum clade Græcorum, Venetis interim neutri partium se hostes profitentibus, tametsi Græcis, quòd illis omnis ferè commerciorum ratio ex Ponto atque Propontide peteretur, haud obscurè faverent, & Obellerius (qui Reginoni Uvillarius) & Beatus, eorum Duces, qui Reipublicæ eam ob rem hostes fuêre à Senatu judicati, cum Nicephoro consilia communicarent. Eapropter Pipinus Rex per legatos Venetæ Urbis bonam partem invasit, tenuítque, donec, adventante geminâ classe Græcorum, suam subduxit, séque recepit Mediolanum. Exinde Veneti, relictis magnam partem avitis sedibus, quas diversis in littoribus, & æstuarijs habitârant, Insulas Rivoalto proximas, pontibus inter se junctas ad speciem magnificentissimæ civitatis, ornârunt ædificijs. Pax subinde concessa à Carolo Græcis petentibus, & facta Venetis potestas fœdera jungendi cum Græcis, habendi cum ijs communem mercaturam, & rerum necessariarum convectionem. AN. CHRIST. DCCCIX. BELLUM ADVERSUS GRÆCOS ET VENETOS.

 Ha-

X. Hactenus Carolo Augusto pleraque ex voto fluxerant, sed ut nulli mortalium unquam tam bene fuit, quin aliqua secus evenerint, Deo sic ordinante, ne felicitas in rebus humanis statueretur, Carolum occupârunt multiplicia charorum funera per triennium. Hic annus ipsi abstulit Adam sororem, Pipini parentis filiam, quam tamen non ausim legitimis accensere, adversante Eginardo, qui unicam illi sororem Gislam *religiosæ conversationi ab annis puellaribus* mancipatam adscribit. Haud dubiè tamen Ada Carolo tantò fuit gratior, quantò se ipsa cœlo magnis virtutibus probavit. Vivere desijt 4. Idus Maij, tumulata est Treviris in æde D. Maximini, adjectâ Epigraphe, quæ hodiéque in Chori pavimento legitur.

Ada Caroli M. soror moritur.

ADA ANCILLA CHRISTI, SOROR CAROLI MAGNI.

Quo brevi licèt elogio antiquitas majora significavit, quàm dixit. Regium enim, omniúmque maximum est, Christo servire. Habet D. Maximini Monasterium membranaceum codicem Evangeliorum, ornatum Evangelistarum imaginibus, aureis characteribus, varijs emblematis, operimento eleganti. Regia Virgo hos versus, pro istius ævi modo, curavit libro inscribi.

Hic liber est vita, paradisi quatuor amnes,
Clara salutiferi pandens miracula Christi,
Quæ priùs ob nostram voluit fecisse salutem:
Quem devota Deo jussit perscribere mater
Ada ancilla Dei, pulchrisque ornare metallis.

An. Christ. DCCCX. Rotrudis Caroli filiæ obitus.

Hanc ad vitam beatiorem secuta est anno sequenti, 8. Idus Januar. Rotrudis Caroli Augusti filia natu major ex Hildegarde, quam Boicæ genti aliqui asserunt. Illam mirum in modum Carolus diligebat. Quod paulò antè insinuavimus, fuerat olim desponsa Constantino Orientis Imperatori, sed ante connubium ab Irene matre postposita Mariæ Armenæ, natæ loco humili, quò minùs Irenes luminibus & ambitioni obstrueret. Id consilium susceptum imprudenter, infelix Constantini & Irenes exitus ostendit. Inde enim labefactata fuit Caroli amicitia, quæ utrique, ipsique Orientis imperio, à Tyrannide vindicandis, fuit perquam opportuna. Verùm, quos fata volunt evertere, eorum consilia corrumpunt. Sexto pòst mense, Augusti mœrorem, immensum quantum auxit Pipini Italiæ Regis mors inexpectata, quæ eum, annum ætatis trigesimum tertium agentem, multis clarum triumphis, recentémque à bello Veneto, Mediolani 8. Id. Julij orbi subduxit: qui casus Boicæ quoque Cisdanubianæ, Rege amisso, fuit luctuosus. Eam jacturam utcunque sarsit Bernardus Pipini filius, justis ortus natalibus ex Adelheide unicâ uxore, quem Carolus voluit inire defuncti patris hæreditatem, & Modoëtiæ à Mediolanensi Antistite coronari Regem Italiæ: ut vero patri succederet, Carolus tabulis augustalibus disertè caverat: *Quòdsi talis filius cuilibet istorum trium fratrum natus fuerit, quem populus eligere velit, ut patri succedat in hæreditate, volumus, ut hoc consentiant patrui ipsius pueri, & regnare permittant filium fratris sui in portione regni, quam pater ejus, eorum frater, habuit.* Pipini filiæ quinque numerantur, Adelhais, Atala, Gundrada, Bertais & Theodrada. Earum parens Veronæ in D. Zenonis æde est sepultus.

Pipini Regis Italiæ mors. Cui succedit Bernardus F.

Pipini filiæ.

XI. An. Christ. DCCCXI. Pax cum Danis. *Hund. in Metrop.* Atto Frisingensis mortuus. Carolus Imperatoris F. moritur.

Gerardum (quem Geroldum vocant alij) à Carolo Bojariæ prætorem anno sequenti datum, affirmat Arenbeckius, credo, ut Bernardi admodum juvenis partes, in regendis Boijs cis Danubium, sustineret. Cæterùm, quod bellum Carolus adversus Danos gessit per triennium, mors Godefridi Regis, domestico satellitis scelere interfecti, & secuta cum Hemmingo ejus successore pax, finierunt. Atto Frisingensis Episcopus hoc anno mortuus, Hattoni successori infulam reliquit. Ad cætera funera, quæ superioribus annis Carolus extulerat, accessit tristis obitus Caroli, filiorum inter legitimos maximi, cui superiùs diximus unà cum Germaniæ majore parte Boicam Transdanubianam fuisse contributam. Eum in Bavariâ finijsse vitam, Æmilius author est. Dies illi fatalis prid. Non. Decemb. Carolus tot ictus orbitatis vulneribus, & ingravescentis ævi memoriâ, alteras de rebus

inoventibus tabulas edidit. Divisit verò, quicquid habebat ejusce generis, in tres portiones, ex quibus duas jussit distribui in viginti & unam, Ecclesias Metropolitanas, & Episcopatus ijsdem subjectos, ita tamen, ut Metropolitani unam tertiam suis Ecclesijs reservarent, duæ reliquæ cederent Cathedralibus. In testamento, quod Eginardus integrum recitat, recensentur nomina Metropolitanarum civitatum, in quibus Treviris, Colonia, Moguntiacum, Salisburgum, regno Austrasiæ contributæ. Residuam partem tertiam principalem, jussit post suam mortem dividi in quatuor partes, quarum una accresceret portionibus Metropolitanorum, altera cederet filijs ac nepotibus, tertia erogaretur in usum pauperum, quarta nomine sacræ largitionis donaretur sustentationi servientium palatio Augustali. Quod verò ad regium sacellum pertinebat, vetuit in ullam partitionem venire. Quòd si tamen vasa, libros, ornamenta relinqueret, quæ liquidò constaret, non fuisse addicta sacello, hæc portio venderetur, & quicquid inde pecuniæ esset confectum, id totum donaretur pauperibus. Testes adfuerunt undecim Episcopi, Abbates quatuor, quindecim Comites. Omnia Ludovicus filius non modò probavit, sed etiam post parentis mortem dedit executioni. CAROLUS M. EDIT TESTAMENTUM

XII. Hoc anno Nicephorus Imperator, in expeditione contra Bulgaros, dum ex victoriâ insolescit, à Bulgaris in desperationem actis obtruncatus est vigesimâ quartâ Julij. Ejus filius nomine Stauratius, qui saucius evaserat ex acie, post duos menses patris fortunâ exutus, coactus est Monachum induere: tam brevia sunt & malè fundata imperia Tyrannorum. Exeunte Septembri, summæ rei admotus est in Nicephori locum Michaël Rangabes Curopalata, gener decessoris, à quo missi ad Carolum oratores, fœdus ictum cum Nicephoro Aquis instaurârunt. Ijdem acceptis publicè in Ecclesiâ de Caroli manibus pacis tabulis, digressi Romam à Leone Pontifice impetrârunt alias ejusdem argumenti. *Theophan. Cedren. Sigeb.* PAX CUM IMPERATORE ORIENTIS.

Bernardi Italiæ & Boicæ Cisdanubianæ Regis inaugurationem mox secutæ sunt turbæ à Mauris imminentes. Nondum à parente Aquis abierat, cùm allatum est ex Italiâ, Barbaros ex Africâ & Hispaniâ solvisse, eúmque tenere cursum, ut videantur de invadendâ Italiâ cogitare. Quamobrem Carolus, ne quid detrimenti Imperium ex eâ parte caperet, coacto confestim Principum concilio, ex eorum sententiâ censuit, Bernardum confestim ad Regni sui tutelam esse dimittendum, adjuncto Walane (Vallonem nuncupat Regino) viro forti ac sapiente, qui adolescentis consilia moderaretur. Barbarorum classis appulit, pars in Corsicam, pars in Sardiniam, ubi deleta est ad internecionem. AN. CHRIST. DCCCXII. MAURI EX HISPANIA APPELLUNT IN CORSICAM ET SARDINIAM.

Carolus tot bellis implicitus non omisit tamen opera pietatis, quibus sibi tutiorem ad cœlos aditum compararet. In his est illud, quod Annales Bojorum domestici memorant. Adductus precibus Geroldi Comitis, quem paulò antè Boicæ præfectum diximus, duodecimo imperij sui anno agrum de Avaribus captum, quadraginta mansis (ita vocant Caroli tabulæ) circumscriptum, ad Bielohæ & Danubij confluentes, Orulfo Altahæ inferioris Abbati donavit, datis Aquisgrani litteris 6. cal. Decemb. quas Hundius cum fide descripsit. Porrò ut erat ingenij mitissimi, & dignus, qui non modò morientium, sed viventium quoque terras possideret, totus esse cœpit in orbe pacando. Grimoaldus Beneventanorum Dux, Desiderij Longobardorum Regis nepos, spe aviti regni nondum extinctâ, cum Pipino Bernardi parente bellum gesserat fortunâ varium. Carolus, ut attentæ sunt in omnes eventus senum cogitationes, prospiciens, nisi rebus cum eo compositis, multum negotij Bernardi adolescentiæ, si quid humanitus sibi contingeret, ex ea parte posse facessi; Grimoaldum, quem in exilium ejecerat, ultrò in patriam revocat, restituítque Ducatui Beneventano, eâ lege, ut præsentariâ pecuniâ viginti quinque aureûm millia solveret, atque in posterum quotannis septem millium vectigal regio fisco numeraret. Pacatâ jam Daniâ, supererant à Wilzis, Slavorum gente, anniversarijs prope irruptionibus infestâ, non imprudentes curæ. Hos etiam habere quietos placuit acceptis datæ fidei obsidibus, quos ipsi miserunt non sine insolente fastu, ne victi, nedum debellati crederentur. Etenim jactabant sibi non CAROLI DONATIO FACTA ALTAHÆ INFERIORI. *Hund. to. 2. de Fundatio. Monast. & Colleg. Bav.* CAROLUS GRIMOALDUM LONGOBARDUM AB EXILIO REVOCAT. *Aimoin. lib. 4. cap. 202. Æmil. in Carol.* WILZI PACANTUR.

non deesse in fortunâ, opibúsque etiamnum florentibus, vires domesticas & prompta sociorum subsidia: fateri quidem, se Martis iniquitate multa tolerâsse, negare tamen, virtute se fuisse impares Regi fortissimo. Reciperet igitur in socios, gentem invictam, atque eo se crederet Regum omnium maximè fore fortunatum.

An. Christ. DCCCXIII. Foedus cum Leone Imp. Orientis.

Id libens dedit Carolus publicæ tranquillitati, quæ ne à Græcis turbaretur, anno postero Constantinopolim misit Legatos, Amalherium Archiepiscopum Trevirensem, virum ingenio, consiliorum moderatione, & magno rerum usu præstantem, unà cum Petro Abbate Nonantulario, qui pactum à Michaële fœdus (hic enim victus à Bulgaris & ab exercitu contemptus, abdicato imperio, sese in Monasterium abdiderat) cum Leone successore novis tabulis confirmârunt, lætis eâ re Græcis, quòd de cætero se ab armis Francicis, quæ ad extremos Europæ fines penetrârant, tutos fore arbitrarentur.

Carolus M. Ludovicum Pium F. Collegam legit. XIII.

Et verò etiam Carolus ævo & negotiorum mole fessus, ad quietem anhelabat, certus, imperium cum Ludovico, qui unus è filijs justorum natalium erat in vivis, communicare. Quam ad rem Aquas excivit subjectarum gentium comitia, quibus etiam Ludovicum, de cujus dignitate agebatur, voluit interesse. Consilij sui rationem pro concione reddidit in hanc sententiam. *Quod hodiernâ die agitur, viri illustrissimi, ejus momenti est, ut dare quidem possit vulgo non imprudentes sermones; sed vobis, quorum mihi perspecta sapientia, plus lætitiæ, quàm admirationis. Non defuerunt priscis sæculis exempla virorum Principum, qui tam avidè imperijs adhæserunt, quàm ægrè se passi sunt ab eis divelli. Sed neque novum quid est regnantium societas, quam tantum abest, ut multi Cæsares olim respuerint, ut elegerint etiam, & electam adamârint. Iam, opinor, intelligitis quid velim: sed dicam tamen apertiùs. Vt de adsciscendo collegâ cogitem, me urgent magnæ necessitudines: respectus boni publici, salus imperij, vestra omnium incolumitas, mea ætas, & desiderium vitæ quietioris. Eò jam senij sum provectus, ut deinceps nihil orbi melius conferre possim, quàm bonum successorem, & talem quidem, cujus florens ætas atque virtus probum Principem polliceantur: si præstem aliquem ejusmodi, nec me pœnitebit vixisse, nec vos mei facti tædebit. Regna, quæ favore Numinis, parentis mei vestrâque voluntate meæ domui asserta sunt, quantis laboribus servaverim, quantis accessionibus auxerim, vos mihi testes estis, conscius est terrarum orbis. Nuper mihi respirare visus sum, cùm mearum curarum partem in filios cum regijs titulis reclinaveram: sed quæ fatorum fuit sententia, è tribus non superest nisi unicus, & hic quidem omnium ætate minimus, maximus tamen omnium futurus, si, quod oro & voveo, Superi dederint ei vitam longiorem. Hoc ipsum auguror, Deum, duos auferendo, voluisse, ut in uno Imperium staret potentius, quàm in tres divisum; augustior esset gloria principatûs, si foret unita, quàm divulsa: stabilior concordia, quàm si (quod amat fieri) tot essent causæ dissensionum, quot capita & materia divortij: nam à plurium dominatu diu bellum abesse non solet. In Ludovico cernitis annos expertes juvenilis intemperantiæ, & eam quidem maturitatem, ut cùm nihil meo judicio sit, quod in præteritis sit excusandum, multò minùs, ita spero, futurum sit, quod in posterum possit accusari. Hæc eò loquor liberiùs, quò magis mihi sum conscius, me loqui vobis explorata, non ut meo affectui indulgeam, sed vestro potiùs in me, atque in meum filium, amori. Confido verò fore, ut, quam in eo adhuc notavistis modestiam erga omnes, charitatem in subjectos, in hostes fortitudinem, & quod caput, in Deum pietatem, quæ præcipua sunt animi bona, ea constanter retineat, ac proinde nihil sit futurum, cur olim vobis optetis Principem meliorem, aut mei jacturam doleatis. Ego verò mihi videbor desivisse esse senex & ærumnosus, cùm & vos florere fortunâ moderati Regis, & me fortunatum sentiam tali hærede, qui probè nôrit præesse gentibus, quæ nec ferunt servitutem, nec quicquam refugiunt, quod poscit æquitas & amor imperantis.* Hæc effatus senex optimus imperatoriâ brevitate, dixit Ludovicum regni consortem. Dum peroraret, loquebatur tanquam collegam faceret, Proceres verò cum facto loquebantur. Ludovici responsum fuit, quale debet esse filij patrem reverentis, verecundum & apprimè modestum, simul benignum ac civile in proceres, citra turbati

bati aut exultantis animi indicium, & quasi regnare potiùs deberet, quàm cuperet, mallétque bonis artibus favorem, quàm ambitu & assentatione, quæ veri affectus pestis est, sibi demereri. Visum est omnibus eâ Caroli optione Imperio præclarè consuli: dilata tamen est inauguratio in populi frequentiam, quò fieret satis omnium expectationi, qui palatium circumsteterant, avidi resciendi, quodnam fuisset ejusce diei consultum, quod ex arcano in vulgus nondum evaserat, quódque, ubi fuit rescitum, in commune acceptum est, velut divinitus Carolo inspiratum. Luce ad coronationem constitutâ, in ædem sacram Carolus cum Senatu frequentissimo, & omnium Ordinum concursu progressus, Numine priùs in vota vocato, cùm Principum singuli pro dignitate consedissent, oratione ad filium conversâ, eum jussit Deum inprimis venerari, divinis præceptis morem gerere quàm religiosissimè: tutari Ecclesias: sorores, nepotes, omnésque propinquos complecti patriâ charitate: sacerdotes parentum, subjectos filiorum loco ducere: coercere flagitia: fovere omni, quâ posset, ope religiosorum hominum contubernia: sublevare miserorum egestatem: magistratus habiles, nulli obnoxios corruptelæ legere, eósque, quoad boni forent, non movere loco: vitam denique sic instituere, ne quam Dei offensam, vel mortalium odium suo merito contraheret, sed ea cogitaret agerétque, quæ geri vellet sub suo principatu, ea verò detestaretur, quæ in nullo homine esset probaturus. Post, ubi in eam sententiam copiosè dixerat: *Ludovice* (inquit) *tibine hæc monita servare est animus?* Is verò, se Deo opitulante servaturum, responderat: Carolus; *Ita earum rerum memoria apud te nunquam intermoriatur, fili, age coronam, quam arâ ex adversum vides sustineri, capiti tuo ipse impone.* Eo facto, Ludovico victoria, faustitas, longævum imperium, fuêre acclamata. Imperator exinde magnâ curarum parte solutus, cœpit in sacræ disciplinæ, quæ nonnihil erat labefactata, instaurationem gnaviter incumbere. Quam ad rem celebrata ab Episcopis, mense Majo & Junio, in Gallijs quinque Concilia, Moguntiæ, Remis, Turonis, Cabilone, Arelate. Primo interfuit Arno Archiepiscopus Salisburgensis. Singulorum constitutiones extant tomo tertio Conciliorum, inter quas hæ memoriâ dignissimæ. In Synodo Moguntinâ decretum, ne Episcopi, qui temporum atrocitate coacti, bello dudum assueverant, arma deinceps tractarent: constitutum item, ut mutuam opem in jure reddendo sibi ferrent Episcopi & civiles Magistratus. In Remensi & Turonensi proscriptæ sunt ab Antistitum sermonibus facetiæ Attelanæ, & Oscorum ludorum libertas: simul ijs apprimè commendata pauperum inopia, quos etiam convivas suis mensis non haberent indignos. In Cabilonensi, jussi sunt Episcopi bonis litteris, divinis præcipuè, ludos aperire: veritum, ne sacri homines annonam flagellarent, si quid haberent venale ex suis proventibus. Si quid ipsis restaret superfluum, id miserorum egestati impenderent. Certæ etiam leges votivis peregrinationibus sunt constitutæ, ne quid in eas vitij irreperet, vel ut castigaretur, si quid irrepsisset. Carolus exin domi abditus, quod vitæ fuit reliquum, sacris codicibus relegendis impendit, & rerum cœlestium commentationi. Theganus author est, viris sapientibus miraculo fuisse ejus diligentiam, quâ Evangelistarum quatuor volumina, Græcis & Syris in consilium adhibitis, recensuit, & curavit pristino nitori reddendos.

XIV. LUDOVICI INAUGURATIO.

Sigebert. Baron.

SYNODI QUINQUE IN GALLIA.

Cæterùm eò majori contentione in præcipuas virtutum actiones incumbebat, quò propiùs vitæ exitum sentiebat imminere, multis admonitus præsagijs, per ultimum triennium, quod ejus migrationem præcessit. Eum terruit ruina porticûs, quam operosâ mole inter Basilicam & Regiam construxerat. Pons, quo Rhenum ad Moguntiam straverat decennali labore, & tam solidis substructionibus, ut adversus quasvis injurias perennaturus videretur, intra tres non amplius horas sic fuit absumptus, ut præter tigna, quæ subterlabens unda protexit, ne una quidem sublica flammam evaserit. Et ipse quoque in postremâ adversus Godefridum Danum expeditione, cùm ante solis ortum castris egressus equo sublimis veheretur, facem vidit de cœlo lapsam per aëra hàc illac volitare: Eo spectro jumentum exterritum prostratúmque, sic excussit sessorem, ut ruptâ sagi fibulâ, soluto balteo, gladio

PRODIGIA QUÆ CAROLI MORTEM PORTENDERUNT. PORTICUS AQUENSIS RUINA.

Eginard. in vit. Carol.

XV.

dio & hastâ procul abjectis, exarmatus jacénsque ab accurrente famulitio fuerit in pedes erigendus. Aquense palatium sæpe horrendùm tremuit, & conclavium laquearia, crebrum fragorem ediderunt. Basilica Aquensis, in quâ sepultus est, de cœlo tacta: excussus ictu fulminis globus aureus è tecto, projectúsque supra proximam ædem. Eodem, quo decessit, anno, paucis ante obitum mensibus, ejus nomen litteris uncialibus descriptum in margine coronæ, quæ interiorem Basilicæ Aquensis faciem ambiebat, ita fuit deletum, ut ne vestigium quidem superfuerit. Conjectores, vanum genus hominum, Carolo eorum commenta ridente, ex Solis & Lunæ eclipsium crebritate, nescio quid de ejus capite funestum ominabantur. Hæc omnia Carolus pensabat impavidus, satis habens, ad omnem casum, animum comparare æternitati.

An. Christ. DCCCXIV. Mors Caroli M.

Fato concessit Aquisgrani anno DCCCXIV. 15. Calend. Febr. horâ diei tertia, ex quo regnare cœperat, quadragesimo septimo, à subactâ Italiâ quadragesimo tertio, Imperij decimo quarto, ætatis, ut vult Eginardus, septuagesimo secundo; alij unum annum detrahunt. Illi febris, die septimo, exasperata dolore lateris, lethalis fuit. Antè quàm exspiraret, sacro Dominici corporis viatico refectus, & oleo sancto inunctus est ab Episcopis: Princeps verè Magnus, Ecclesiæ columen, Imperator re & nomine Augustus, nimis parcè ac jejunè à sui ævi scriptoribus celebratus, quòd virtutes, résque per eum gestæ omnem scriptionis facultatem multis parasangis excederent.

Natale solum Caroli.

Natale ipsius solum Eginardus fatetur fuisse ignoratum, Aventinus, quem recentiores aliqui secuti sunt, ex, nescio, quibus vernaculis versibus & vocis similitudine, conatur persuadere, eum primam aspexisse lucem in Boicâ Caroloburgi, quæ arx stetit ad lacum Wurmium. Ejus corpus conditum unguentis odoratis, compositúmque sedentis habitu in aureo solio, ornatúmque omnibus Imperatoriæ dignitatis insignibus, addito Christianæ militiæ thorace, veste scilicet cilicinâ, quæ ipsi viventi frequens erat & familiaris ad carnem edomandam:

Sepultura.

XVI.

diademati insertum erat crucis Christi triumphalis lignum sacrosanctum: manibus hærebat Evangeliorum volumen: humero pera viatoria aurea, quâ in sacris peregrinationibus utebatur: ex adverso, sceptrum & scutum ex auro, quæ Leo Pontifex solenni precatione expiaverat, pendebant ex urnâ. Eodem die, quo defunctus est, illatum funus ædi Aquisgranensi, quam ipse sanctissimi Servatoris nostri & æternæ Virginis cultui construxit. Illum orbis confusis lachrymis deflevit, à quibus ne abstinuêre quidem barbari, mitissimi domini jacturam complorantes.

Amicitia cum Regibus.

Intercesserat illi cum potentissimis regibus amicitia, qualis rarò reperitur inter Principes, quos æmulationes & invidia, pestes charitatis, circumsistunt. Sibi habuit addictum Aaronem Persarum Regem, qui totum propè Orientem (si Indos excipias) ditione tenebat, quíque Caroli fidem, Regum omnium benevolentiæ, præferebat. Scotorum Reges liberalitate & comitate totos sibi demeruerat. Alfonsus Rex Gallæciæ & Asturiæ eum non secus atque parentem colebat. Nicephorus, Michaël & Leo, Græci Cæsares, ipsius fœdera amicitiámque ultrò & efflictim ambiverunt.

Gentes domitæ.

Nationes omnes, quas in suam potestatem redegerat, beneficijs magis, quàm terrore, qui infidus est obsequij custos, sibi nitebatur habere devinctas, justus in sontes, & pius in omnes; ut non tam dominum, quàm patrem agnoscerent, & amarent. Subegerat Aquitaniam, Vascones, pleraque Galliæ, Italiæ, Germaniæ, Ungariæ, Slavorum & Hispaniæ bonam partem. Venetos à Pipino filio domitos, Nicephoro Orientis Cæsari reliquit.

Guil. Nangiac. Aimoin. lib. 4. c. 96. Ecclesiæ fundatæ.

Ejus in amplificandâ religione studium loquuntur novem Episcopales Ecclesiæ, quas erexit. Monasteriensis commissa Ludgero Præsuli: Mindensis Heriberto: Halberstadensis Hildegrino: Osnabrugensis Wihoni: Bremensis Wilehado: Paderbornensis Harimario: Verdensis Suniberto: Hamburgensis Heridago: Hildesiensis Gunthero. Intra annos quadraginta septem, quater Romam, ter voti causâ profectus est, semel in auxilium Pontificis.

Temperantia.

Mensam sacrâ, Augustini præsertim, lectione condiebat, sobrius alioquin & miræ abstinentiæ. Cœna quotidiana, non nisi quaternis ferculis constabat. Ebrietatis erat capitalis hostis: ternis scyphis quot refectionibus con-

contentus; & fugitans frequentium conviviorum. In frequentandis diurnis ac nocturnis comprecationibus tam erat religiosus, ut, nisi ægritudine, vel gravi causâ prohibitus, nunquam abesset, solitus modestam vocem Clero psallenti accommodare, & diligenter attendere, ne quid indecorum preces impiaret. Illi corporis cultus propè plebeius, nisi si quid magnificentiæ celebritas, vel externæ legationes exigerent. Vestitus illi usitatus interula, femoralia linea, tunica limbo serico, & tibialia: adversus hiemem thorax è Lutrinis pellibus: Sagum Veneti coloris, sive cærulei. Ad laudes DEI antelucanas promisso ad terram pallio utebatur. Corpore fuit toroso, bene compacto, robusto, & procerâ septenûm pedum staturâ: Capitis apex rotundus, frons liberalis & exporrecta, oculi grandes ac vegeti, nasus paulò supra mediocritatem, facies hilaris, incessus firmus, excepto, quòd pede altero claudicaret. Eum Paschalis Pont. spurius in Sanctorum numerum retulit, sed absque Romanæ Ecclesiæ authoritate. Canonum interpretes credunt fieri ex Romanorum Pontificum tolerantia, quòd in Aquensi Ecclesiâ Cœlitum honoribus colatur, ejúsque veneratio alicubi per Belgium sit recepta. In Martyrologio Petri Canisij habetur Carolus Magnus 28. Januar. & à Molano in Additionibus ad Usuardum & in Indiculo Sanctorum Belgij: quæ dicta velim citra Legum Apostolicarum præjudicium.

Sangallen. MODESTIA. FORMA. *Ostien. Ioann. Andr. c. 1. de reliquijs & venerat. SS. Baron.* BEATIFICATIO.

Mors hoc anno Adalwinum Episcopum Reginoburgensibus eripuit. Baturicus in ejus locum successit. Leidradus natione Bojus, Lugdunensis Antistes, (ita scribit Theodulphus Aurelianensis) ab Agoberto vetere poëta specimen & decus Cleri appellatus, idem ille, qui Synodo Salisburgensi interfuit, & cujus nomen Caroli Magni testamento, sexto loco subscriptum legitur, posteaquam Lugdunensem Ecclesiam cum laude rexerat, & S. Cypriani Carthaginiensis Episcopi, pluriúmque Martyrum Africanorum reliquijs locupletaverat, hoc anno, abdicatis rerum humanarum curis ipsóque Episcopatu, se apud Suessiones vitæ monasticæ addixit. Ejus duæ Epistolæ, inter Agobardi opera, sapienter scriptæ recitantur: prior rationem reddit eorum, quæ gessit in Episcopatu, posterior est consolatoria.

MORS ADALWINI EP. RATISBONENSIS. LEIDRADI LUGDUNEN. SPONTANEA ABDICATIO. *Theodulph. in parenet. Ado.*

XVII. Cæterùm nondum triginta dies à Caroli Magni excessu abjerant, cùm Ludovicus ex Aquitaniâ, ubi hibernabat, accepto de parentis obitu nuntio, Aquisgranum venit, ubi, consentientibus Ordinum omnium votis, Reipublicæ procurationem est aggressus. Inter regnandi primordia, prima illi sollicitudo, effecta dare, quæ Carolus testamento mandaverat, erogando in Pontifices, in egentes & Aulæ ministros debitas largitiones: Tum versus ad regnum ordinandum, comitia Aquisgranum indixit, in quibus fuerunt salutares populi sublevandi rationes constitutæ, decretæ legationes in omnes partes imperij, ne, quod amat fieri, aliquid rerum novarum ex dominantis mutatione oriretur. Bernardo nepoti, Regi Italiæ Aquas evocato, regnum paternum ratum esse voluit, & donis liberaliter cultum remisit in Italiam, admonitum, ut in eâ regendâ patris Pipini æquitatem sectaretur. Grimoaldo Beneventano Duci pactum à Carolo dominatum confirmavit, eâ lege, ut quotannis vectigal fisco regio inferret. E tribus filijs, quos ex Hermingarde Andium Ducis filiâ susceperat, Lotharium Bajoariæ, Pipinum Aquitaniæ præfecit, Ludovico penes se retento, cui postea Germanici cognomentum amplissimæ ditiones indiderunt.

LUDOVICUS REGNUM CAPESSIT.

Auditæ subinde variarum gentium legationes, inter quas Constantinopolitana, quam obierunt, Christophorus Spatharius & Gregorius Diaconus, à Leone Orientis Imperatore pacis confirmationem adferentes. Cum ijs ex Oriente redijt Amalherus Trevirensis Antistes, qui in suâ ad Michaëlem Imperatorem legatione nonnulla observavit, quæ libro, quem de divinis Officijs lucubravit, scitè inseruit, & illud inprimis, quòd eâ tempestate in Orientis Ecclesiâ, duodecim lectiones in nocturnis vigilijs solerent recitari, sex nimirum latinè, græcè totidem, qui mos etiam olim apud Romanos obtinuerat. Notavit inter cæteros Græcorum ritus adhuc tum perseverâsse usum ligneorum crepitaculorum ad convocan-

Aimoin. lib. 4. c. 102. LEGATIO CONSTANTINOPOLITANA.

dos comprecantium cœtus; cùm tamen in Romanâ Ecclesiâ mos iste dudum obsoleviſſet, extra poſtremos ſanctioris hebdomadæ dies.

XIIX. Ludovicus porrò non contentus incumbere in communem regnorum ſalutem, magno ſimul ſtudio domeſticos ſuorum mores cœpit excutere. Erant illi ſorores frugis admodum diverſæ: Ex Irmengarde matre tres uterinæ, integræ famæ omnes. Ex Faſtradâ novercâ, Theodora Argentolij Antiſtita probatæ virtutis, aliæ, quas nonnulli nominant, Hiltrudem, Bertham & Adeltrudem famæ profligatæ. Cæteræ aliquot, ex concubinis parùm laudatæ. Immam ex Himeltrude, poſt furtivos amores, ajunt, Eginardo Caroli M. Cancellario nupſiſſe, & fundâſſe Seligenſtadienſe Monaſterium in Franciâ Orientali, quod à Baronio egregiè refellitur. Incredibile foret tantam ſobolis diſſolutæ labem in Imperatoris optimi domum irrepſiſſe, niſi matrum oſcitantia, & mores minùs integri, aulæ pericula, aulicorum inſidiæ, iſtius ævi corruptela, puellaris ætas in utramque partem cerea, hiſtoriæ adſtipularentur. Certè Carolus juvenilem in excitandâ prole licentiam ſeverâ pœnitudine, magníſque virtutibus, maturioribus annis emaculavit.

SORORES LUDOVICI MORUM DISSIMILIUM.

Si quid ipſi obrepſit negligentiæ in filiabus educandis, id oportet fuiſſe leviſſimum, & quidem profectum ab ignoratione. Niſi enim eſſet peregrè, ſine ijs nunquam cœnabat. Filij iter agenti adequitabant: filiæ ponè ſequebantur: earum comitatum prætoriani claudebant cuſtodiebántque. Sed nullæ ſatis adverſus præfractos mores vigiliæ. Carolum (quod Eginardus non diſſimulat) vero ſimile eſt, pluſculum filiabus indulſiſſe ob paternam charitatem: nec fortè laudandum, quòd adultiores nupturientéſque æquo diutiùs in aulâ retinuerit innuptas. Ut ut res habeat, Ludovicus filius inter primas curas habuit, ſororum nimiam libertatem coercere, ne infamia in ſtirpis regiæ dedecus, exemplum in aulæ perniciem longiùs evaderet.

Eginard.

Obotriti. Megapolenſes.

AN. CHRIST. DCCCXV.

BELLUM DANICUM. TURBÆ ROMANÆ.

Hæc ſedulò caſtigantem excepit bellum Danicum, quod in Godefridi filium proſperè geſſit per Saxones & Obotritos. Cùm per id tempus Paderbornæ comitia ageret, adfuere triſtes ex urbe nuntij, de quorundam è Romanis optimatibus conjuratione in Leonem Pontificem, quòd in eos lege agi, déque ſcelerum compertis ſumi pœnas mandâſſet. Et jam Romæ gliſcebant periculoſæ conſpirationes, agri Romani populationes, Pontificiorum finium devaſtationes, incendia, erátque periculum, ne, ut morâ populares factiones invaleſcunt, ex prædandi licentiâ & impunitate ſcelerum, Romanæ turbæ in cæteram Italiam promanarent.

XIX. Quare Ludovicus nepoti ſuo Bernardo, Italiæ Regi, comprimendorum motuum curam demandavit, déque re universâ ad ſe cum fide referendi. Bernardus mox in urbem profectus, factioſis metum, ne quid ſe præſente molirentur, injecit. Verùm cùm adverſâ valetudine prohibitus, explorandis cauſæ meritis operam per ſe dare nequiret, Geroldo Boicæ Comiti, qui ſuam induſtriam jam ſæpe alijs in rebus probârat, quæſitoris partes impoſuit, & finitis quæſtionibus, Romanorum in Leonem injurias accuratè Ludovico explicuit. Submiſit etiam Pontifex legatos, qui illi rem, ut geſta erat, renuntiârunt. Litem finijt anno ſequenti mors Pontificis, qui cùm ſedem Romanam, ſummâ cum laude, annis viginti & amplius tenuiſſet, eam Stephano V. aliàs IV. reliquit. Hic ſecundo menſe ſui Pontificatûs Ludovicum Remis convenit, eique Imperatorium nomen & inſignia contulit, & ejus uxorem Hermingardem in maximâ populi frequentiâ Auguſtæ titulis inſignivit. Petenti, Ludovicus donavit eorum impunitatem & libertatem, qui ob admiſſa in Leonem & Eccleſiam crimina, vinculis in Galliâ attinebantur. Optimo Pontifici brevis, ſeptem menſium & trium dierum, Pontificatus fuit: ultimus ipſi dies, octavus ante calendas Februarias, anno ſæculi decimo ſeptimo, quo Ludovicus in Aquenſibus comitijs, Lotharium filium Imperij Regníque Collegam dixit, & Aquitaniâ in Pipini poteſtate relictâ, Boicam non modò Ciſdanubianam, in primâ regnorum partitione Regno Italiæ detractam, ſed etiam Tranſdanubianam Ludovico Juniori attribuit. Unde factum, ut Bojaria rurſus regios titulos conſecuta, per

AN. CHRIST. DCCCXVI.

Thegan. de Lud. Imp. Anaſtaſ. Biblioth.

LUDOVICUS REMIS CORONATUR.

AN. CHRIST. DCCCXVII.

LOTHARIUS REGNI COLLEGA.

LUDOVICUS GERMANICUS REX BOIARIÆ.

per annos deinceps quatuor & nonaginta pristino fastigio insignibúsque claruerit. Bernardum isthæc Italici regni imminutio, ut sunt Reges honoris atque potentiæ, perinde atque salutis suæ, retinentes, vehementer pupugit, jecitque semina gravium malorum, quæ nata sunt per annos insequentes.

Ut Cæsar filiorum rebus maturè prospiceret, fecerat recordatio mortalitatis ex eventu, qui ipsi propè exitialis fuit, persuasitque præcocem successorum destinationem, verito, ne repentinus aliquis casus eam nolenti interciperet. Hiberna agebat Aquisgrani, cùm Paschalis, vir sanctitatis opinione, multâ rerum peritiâ, eloquentiâ, animi magnitudine, & charitate in miseros apprimè insignis, eum per legatos de sua inauguratione fecit certiorem. Secundum hæc illuxerunt Christi patientis feriæ. Quo die celebritas cœnæ cum discipulis ultimæ, & instituti sanctissimi Sacramenti recurrit, cùm Ludovicus è Basilicâ se in Regiam referret, porticus operis sublicij malè materiata, incedentium pondere oppressa, quod non ita pridem Carolo M. Imperatore, malo omine, contigerat, subitò procubuit, & Imperatorem, unáque viginti optimates, qui in ejus erant comitatu, humi depositos, obruit. Plerique comitum graviter afflicti: Ludovicus plus discriminis habuit, quàm maleficij. Ipsi pectoris sinistrum latus gladij capulus, aurem item sinistram & femur trabs collapsa sic contudit, ut tamen intra vigesimum diem curatus, haud procul à Noviomago, quo animi causâ secesserat, se venatu recreârit. LUDOVICI IMP. PERICULUM EX PORTICUS RUINA.

Inde reversus, Aquisgrani conventum egit sacrorum Antistitum, in quo leges optimæ, componendis in melius Cleri moribus, sancitæ eâ efficacitate, ut Episcopi Imperatoris exemplo Christianam modestiam seriò complexi, corporis cultum parabilem, & ordinis sui decori accommodatum, reduxerint in morem, proscripto luxu, abjectis balteorum auratis bullis, & gemmarum vestiúmque exquisito apparatu: solliciti virtutibus potiùs, quàm adscititiâ rerum inanium peregrinitate nitere, & non habitu minùs, quàm sincerâ pietate, spirare veram sanctitatem. In eodem comitio egregiè fuit prospectum monasticæ disciplinæ, decretis, quæ per omnia religiosorum domicilia, toto imperio vulgata, tam virorum, quàm sanctimonialium instituta, & pristinam regularum observationem imperabant, cum exactâ vitæ sanctioris ratione, quam Patres digesserunt in octoginta capita, quæ in D. Benedicti sanctissimo ordine, atque inprimis Cassinensis instituti viris, non secus observata fuisse, asserit Leo Ostiensis, atque primævas leges fundatoris. Quibus rebus Ludovicus Pij cognomentum, sacri verò homines genuinam pietatis formam sunt consecuti. SYNODUS AQUISGRANENSIS. *Baron. ad hunc ann.* XX. CLERI EMENDATIO. *Leo Ostien. in Chron. Cassin. lib. 1. c. 18.*

Rebus ad eum modum per Occidentis imperium ex normâ Christianâ redactis, intercessit Italica in Ludovicum conspiratio, quæ Bernardum Regem, Anselmum Mediolanensem, Theodulfum Aurelianensem, & Volfoldum Cremonensem, Antistites, atque unà plerosque Comites & civitates Italiæ, nonnullos quoque Galliæ proceres mitissimi Imperatoris contemptu, an odio, involvit. Germanos, Bojos præsertim, flagrantissimus in illum amor atque fides, & Caroli Magni, qui eum dixerat successorem, reverentia in officio continuit. Causam nefariæ conjurationis adferunt, fratrum Lotharij invidiam, quòd in hunc maxima pars hæreditatis paternæ atque potentiæ esset derivata. Urebat simul vel maximè Bernardum, quòd ipse Pipino, Caroli M. filiorum natu maximo, genitus & ætatis ordine Ludovico potior, Lothario esset posthabitus, cùm tamen crederet, ad avi Regis imperium obtinendum, nepotem, ex majore natu superstitem, præferri debuisse minori Caroli filio. Sed & altâ mente repostum hærebat, quòd se videret exutum eâ parte Bojariæ, quam ab avo velut paterni juris portionem acceperat. Dissimulavit tamen dolorem, donec pestilentibus malorum consultorum flabellis actus in transversum, præcipitavit in apertam defectionem. Nihil Principi perniciosius privatis consiliariorum simultatibus, aliísque sequioribus affectibus, qui in subruendo Bernardo plurimùm valuerunt, his principijs. Fuerat Vallius, princeps primæ admissionis apud Magnum Carolum. Is Bernardi ætatem, CONIURATIO IN LUDOVICUM. *Aimoin. Author. vit. Carol. Thegan. Trevir. Chorepiscop. de Gest. Ludov.* XXI. *Paul. Æmil. in Lud. Pio.*

 non-

Bernardus Italiæ Rex. nondum Reipublicæ maturam, regendam acceperat. Defuncto Carolo, Bernardi sorores, perinde atque nonnullæ Caroli filiæ, flagitiorum reæ agebantur: & qui vitium ipsis intulerant, Majestatis crimine arcessebantur, quòd regij sanguinis pudicitia, nisi summo totius stirpis dedecore, attrectari non potuisset. Causæ cognitor, ab Augusto datus Vallius. Is tametsi rationum satis haberet animadvertendi in sontes, verebatur tamen descendere ad extrema, tum quòd rei damnari non poterant, nisi simul Bernardi sorores publicâ totius orbis infamiâ notarentur, cum summo domûs Carolinæ dedecore, à quo videbatur abstinendum, dandúmque, ut solet, respectui, quod æquitati non debebatur. Sed & criminosorum multitudo atque potentia, nexa judicij corruptelæ, severitati obstabat. Qui criminum indicium fecerant, æquè potentes Ludovici iras acuebant, premebátque Vallium, ne pœnas comperendinaret. Ex isto sententiarum conflictu, Proceres in diversa rapti. Alios studium justitiæ, & spes crescendi ex aliorum ruinâ, retinuit in Ludovici partibus, alios supplicij metus Bernardo adjunxit. Quibus ille authoribus, nihil pensi habens Imperatoris majestatem, non Italiæ modò, sed etiam Franciæ se Regem dicit: bellum, quantis potest viribus, adornat, occupat fauces Alpium, vim defensurus, si arma inferantur, & irrupturus in Franciam, si prima belli ex voto succedant.

Se dicit Franciæ Regem.

Herman. Annal. Fuld. Adelm.

Ludovicus ex Vogeso, ubi venationi dederat operam, Aquas reversus, trepidos ex Italiâ nuntios accipit, conjurâsse quicquid propè erat gentium trans Alpes; Bernardum Regem, ni prohibeatur, cum infestis copijs propediem adfuturum. Ergo festinatis è Franciâ & Germaniâ delectibus, quàm potest citatissimis itineribus ad Alpes convolat. Properantem fama, quæ res in majus semper auget, prævertit, & conjuratos, ut in causâ profligatæ æquitatis, tanto terrore percellit, ut Bernardo abs illis (quæ fuit facinorosorum perfidia) in summâ rerum desperatione deserto, mentem consiliúmque omne eripuerit. Supererat, ut armis positis ad patrui clementiam confugeret, qui id temporis sedebat Cabillone. Eò venit Bernardus cum agmine conjuratorum inermis & supplex, projectúsque ad Cæsaris pedes, suam insaniam, & consultorum, qui in Principum delictis semper accusantur, malesuadum ingenium detestatus, se ultima omnia promeritum esse, professus est. Adesse fatentem reum, quem nisi summa clementia absolvat, suo merito sit periturus. Et cum quidem sine prælio victum, qui ne dignus quidem fuerit, in quem ab honestâ manu ferrum stringeretur. Proinde arma, regnum & vitam ultrò venisse in victoris potestatem, qui nisi Caroli parentis lenitatem in consilio habeat, actum sit de Pipini fratris filio degenere, qui ausus sit patrui Cæsaream majestatem violare. Jacere se ad aram clementiæ, & hoc saltem orare precibus infimis, ut, quem servare non potest innocentem, sinat tamdiu innoxium vivere, donec resipiscendo possit insons velle esse videri. Id si impetret (ita juvent Cœlites) deinceps se cum fidissimo quovis obsequentissimóque officijs omnibus & pietate certaturum, vitámque atque sanguinem suo servatori cum fœnore redditurum.

Deseritur a conjuratis.

Fit Ludovico supplex.

XXII. Conjurationis authores itineris socij, in quibus Egiddeo princeps amicorum Bernardi, Reginardus regij cubiculi magister, Reginarius, cujus avus maternus olim in Germaniâ adversus Carolum Magnum factioni nomen dederat, Regem imitati, se suáque Ludovici arbitrio sponte permiserunt fictâ pœnitudine, quam facultas nocendi potiùs, quàm voluntas in turpissimo conatu destituerat. Visum in præsens, rei maturo consilio expendendæ spatium sumi, & reos omnes tantisper haberi in vinculis, donec exactâ hieme in publicum Francorum judicium sunt protracti. Post Christi resurgentis ferias ducti Aquisgranum, ubi Comitia habebantur, jussíque causam dicere, cùm nihil pro se adferrent, Procerum sententiâ omnes læsæ Majestatis damnati sunt. Rex atque Principes capitali supplicio addicti; Episcopi, Synodi decreto dignitate moti, & relegati in Monasteria. Verùm ne cui vita eriperetur, intercessit Imperator, multis licèt reclamantibus, qui tanti sceleris compertos, negabant in vivis servari posse, illæso Francorum jure & citra publicæ

Idem faciunt conjurati.

An. Christ. DCCC. XIIX.

Habentur in vinculis et damnantur majestatis

publicæ salutis discrimen. Legis rigorem Ludovicus sic est moderatus, ut, quò erat quisque nocentior, minúsve nocens, vel orbaretur oculis, vel mulctaretur exilio, vel attonsus Monachum indueret. Bernardus Rex exoculatus, animi an corporis dolore extinctus intra triduum 15. cal. Maij. Corpus Mediolani conditum in æde D. Ambrosij cum hoc titulo:

BERNARDUS CIVILITATIS MIRABILIS, CÆTERISQUE PIIS VIRTUTIBUS INCLYTUS REX HIC REQUIESCIT. REGNAVIT ANNOS QUATUOR, MENSES QUINQUE: OBIIT DECIMO QUINTO CAL. MAII, INDICTIONE UNDECIMA, FILIUS BONÆ MEMORIÆ PIPINI.

Ejus mors Pio Imperatori fuit acerbissima, nec priùs desita defleri, quàm ipse publico piaculo ex Episcoporum præscripto, non secùs atque si per injuriam ejus interficiendi fuisset author, facti culpam eluisset. Non omisit tamen in defuncti liberos, Bernardum, Pipinum, & Heribertum esse severus. Ijs ademit Italiæ procurationem, quam Lothario imperij nomine transcripsit: dantur videlicet demortuorum manibus faciliùs lachrymæ, quàm regna vivis hæredibus. Ex Gallicis scriptoribus nituntur aliqui eruere, Pipinum, ejúsque filios in Galliâ retentos, diversarum Provinciarum præfecturas obtinuisse. Nithardus Pipino sedem circa Carbonarias attribuit. Alij volunt, Heribertum Veromanduos, Bernardum verò Sylvanectenses, Comitum titulo obtinuisse. Verùm Annales domestici, quos recentiores secuti sunt, referunt, Pipinum paternis ditionibus exutum à Lothario Ludovici Pij filio, unà cum filijs, Bernardo, Pipino & Heriberto ad Nariscos in pagum Boicæ, vel Franciæ Orientalis fuisse abductum, & eos quidem in Comitum ordinem redactos, multis annis Lengfeldensis dynastiæ titulo atque proventu vitam toleràsse, sortémque regio sanguini perquam iniquam. Certè fuit eorum fortuna miserabilis, sive Francorum chartæ, seu nostrates loquantur veriora. Sexto post Bernardi Regis exoculationem mense, Hermingardis Augusta Ludovici conjunx Andegavi tertio Octobris extincta, mariti luctum renovavit.

Anno postero in frequenti Comitio, Ludovicus Aquisgrani, ex Episcoporum sententiâ, eorum maximè, qui ipsius voluntate Ecclesiarum mores inspexerant, cùm obitæ visitationis summam ab ijs accepisset, prioribus legibus adiecit novas, ad firmandum sanctioris ordinis institutum, quod tum demum in virtutum cultu stabile est, quando piâ observantium voluntate sustentatur. Difficiliùs servantur leges, quàm dictantur: quæ hac tempestate fuit earum multitudo, ut medicorum frequentia multos morbos, ita haud exiguam istius ævi corruptelam & morum aberrationes ostendit. Rursus quædam sancita, quæ juris dicundi præsidibus ad decidendas fori lites visa sunt opportuna. Ludovicus istis curis perfunctus, cùm ad novas nuptias adspiraret, & ambiretur à compluribus, Juditham præcellentis elegantiæ Virginem cæteris prætulit, natam ex nobilissimo Welfonum sanguine. Welfos alij, vel Guelfos nuncupant. Horum quidem nomen inclytum, sed varia fama originis. Welfi posteriores Altorfi in Sueviâ feruntur claruisse quidem, sed non liquet satis, primásne sedes in Sueviâ locaverint. Theganus Ludovici coætanus claro Francorum ortus sanguine, acris vir animi, & multæ (si Valafrido fides est) lectionis, quo teste nemo locupletior, Welfonem disertè asserit nobilissimâ Bojorum stirpe editum, cui proinde par est credere, cùm nullus ejusce rei peritior adferatur. Quia verò nullum Bojorum stemma fuit Agilolfingorum gente nobilius, par est existimare, Welfonem utpote nobilissimum ex eorum domo prodijsse. Et credibile est, eò respexisse Marianum, quando Judithæ patrem Bojorum Ducem exertè nominat. Nec verò insolens debet videri aut peregrinum, si Agilolfinga progenies, Thassilonis & Theodonis exitio, patrio dominatu exuta, stirpem ex sua gente Altorfi in alieno solo propagârit. Velserus cum Lazio & Renano, Guelfos à Welfonibus, & hos ab Agilolfingis derivant. Lazius

Bernardus exoculatur: alii aliter puniuntur.
Bernardi mors,
Defleta à Ludovico.
Bernardi filii privantur bonis paternis.
XXIII.
Nithard. lib. de dissension. filiorum Ludov. pag. 443. à Pythæo edit.
Rediguntur in Comitum ordinem: unde Comites Lengfeldenses.
Marc. Wagner. Iacob. Fugger in honorar. Reusner. Henning. Aug. Kolner. Geveld. in orig. Bav. generat. 3.
Hermingardis Reginæ obitus.
An. Christ. DCCCXIX.
Cleri visitatio et reformatio.
Ordinata iudiciorum forma.
Secundæ Ludovici nuptiæ cum Juditha Boia: vel Sueva.
Welforum origo.
XXIV.
Marian. Scot. ad an. 821.

Adolfingos cum Agilolfingis confundit. Et Agilulfus, qui Longobardis ante annos ampliùs ducentos imperavit, elegantissimis Italiæ Scriptoribus dicitur etiam Agiulfus. Jam si istius dictionis caput (quod in Prenestinis ridet Plautus) prælecare lubet, quod linguæ vernaculæ familiare est, commodè ab Agilulfo Giulfum, ab Agilolfingis Guelfingos & Guelfos pari licentiâ deduces, nec mirum erit, eundem illum, quem Theganus Welfonem nominat, ab Italis longo pòst intervallo, more patrio, Guelfum nominari. Ex Judithâ Ludovicus Imp. sustulit Carolum cognomine Calvum: filias, Gundouniam nuptam Poponi Comiti Ascaniæ, Hildegardem Antistitam Monasterij Limagiensis, & Bertham, quæ sorori in hujus ipsius Monasterij procuratione successit.

Boccat. Decamer. Tab. 22.

Liberi ex Juditha.

Sic res in aulâ Ludovici habebant, cùm à Bornâ Duce Dalmatiæ, qui Francis erat fœderatus, venêre Legati, certa referentes de bello Pannonico, quod vario Marte gerebatur. Liudevitus inferioris Pannoniæ Regulus, apertâ rebellione ab Augusto defecerat. In eum ductæ è Cadolaco Forojuliensium Regulo copiæ Italicæ, rebus improsperè gestis domum rediverant. Liudevitus successu elatus, legatos de pace misit ad Imperatorem, sed cum ejusmodi conditionibus, ut Ludovicus velut Cæsareâ Majestate indignas repudiârit. Exinde Liudevitus reparare bellum, contrahere adversus Ludovicum fœdera, armare & sociare cum suâ gente finitimos, novas conflare factiones eò fidentiùs, quò longiùs à Francis aberat. Cadolaco repentè è vivis sublato, Baldericus successor, qui curando limiti præerat, nihil cunctatus, movit in Carantanos, qui ad Liudevitum defecerant. Hic socijs laturus opem, Balderico ad Dravum amnem occurrens, prælio fusus fugatúsque, incidit in Bornam ad flumen Colapium, quem prosperâ usus fortunâ superavit, victoriámque prosecutus, mense Decembri irrupit in Dalmatiam, & ferro ignique grassatus obvia quæque vastavit. Borna non ausus denuo rei summam supremæ dimicationi credere, satis habuit, se in præsens munimentis tueri, & subinde Liudeviti copias carpere, totiésque lacessendo fatigare, donec mulctatum tribus armatorum milibus, sarcinisque exutum è Dalmatiæ finibus exegit. Periculum erat, ne Liudevitus recentibus auctus supplementis, ad prima veris signa, Dalmatiam rursus invaderet; quæ res Ludovicum habebat anxium, quòd neque honestum esset Francico nomini, socios deserere, neque utile, imperij fines exteris manere apertos.

Bellum Pannonicum.

Liudevitus profligatur. Bornam vincit, invadit Dalmatiam. Pellitur.

Ergo conventu apud Aquisgranenses coacto, bellum in Pannoniam decernit, jubétque ternos exercitus è Saxonibus, Francis, Alemannis, Bojarijs atque Italis præstò esse, ubi primùm se tempestas castris aperiret. Ex ijs, unus per Alpes Noricas, alter per Carantanorum fines, tertius movit per Boicam & superiorem Pannoniam. Primus in Alpium claustris ab hoste prohibitus, moræ plusculum traxit; secundus viæ longitudine & Dravi fluminis objectu retardatus, opinione seriùs in hosticum penetravit. Tertius, cui per Carantanos iter fuit, usus feliciore fortunâ, hoste ter superato, Dravóque transmisso in Pannoniam primus perrupit. Non multò pòst advenêre cæteri. Liudevitus tantâ pugnatorum mole pressus, munito se castro in edito monte tenuit, universæ circa provinciæ incendia, cæterásque belli injurias, quietus citra omne de pace colloquium circumspectans. Cùm ad certamen nullâ posset arte prolici, nec expugnari castrum, nisi obsidione diuturnâ, omnes Ludovici copiæ, prædis graves, nemine vim auso defendere, pedem, unde venerant, retulerunt. Qui per Boicam iter habuerant, in Dravi trajectu, contracto ex aquæ & malignioris cœli gravitate ventris profluvio, magnam partem fuêre absumpti. Carniolenses, Savi fluminis accolæ, Forojuliensibus confines Balderico fecerunt deditionem. Carantani mutatâ ad fortunæ nutum voluntate, Liudeviti consilium damnaverunt, impellente metu.

An. Christ. DCCCXX. Bellum Pannonicum.

XXV.

Vastata Pannonia.

Carniolenses, Carantani deditі.

Bello ex eâ parte utcunque sopito, novus Imperatori hostis exortus est, qui nominis sui & victricium armorum terrore, multísque cladibus totam latè Galliam complevit. Fuêre Nortmanni, è Septentrione gentium colluvies, è Daniâ, ut Einhardus in Carolo Magno prodidit, vel, ut alij, è Norvegiâ, Suenonibus, & alijs

Nortmanni unde?

Occa-

Oceani accolis, collecta, homines assueti navigationibus, assiduis Aquilonibus, & frigoribus soli nativi ad omnem laboris patientiam durati, truces & eousque immanes, ut viderentur pro expiandis sceleribus, per atroces hominúmque urbiúmque strages ab irato DEO immissi: ex istâ Barbarorum societate, tredecim non amplius navium classis coaluit, quâ suis egressi finibus, cœpêre in Flandriæ littore exercere piraticam, móxque factâ in continentem exscensione, in casas agrestium sævire flammis, abigere armenta, captivos subjicere servituti. Inde delati ad Sequanæ ostium, Gallici præsidij virtute rejecti, vela fecêre ad littus Aquitanicum, & depopulato Bundio oppido, domum renavigârunt, hoc præcipuè malæ operæ pretio, quòd viam ad insequentium annorum irruptiones explorâssent.

PIRATICAM EXERCENT IN FLANDRIA.

AN. CHRIST. DCCCXXI. XXVI.

At pius Imperator, præcocem regnorum suorum inter filios partitionem recogniturus, Comitia egit Noviomagi, vere anni vigesimi primi senescente. Tum æstate in Vogesi saltu per consuetæ venationis oblectamenta jucundè transactâ, Octobri mense conventum habuit in villâ Theodonis, frequenti Optimatum populíque congressu. In præcipuis consultationum capitibus fuit, Lotharij, inter Ludovici filios ætatis prærogativâ potioris, connubium cum Irmingarde Hugonis Comitis filiâ. Genialem lætitiam mirum in modum auxit Paschalis Romani Pontificis amplissima legatio, missa ad gratulandum cum splendidis muneribus. Sed nihil fuit in commune jucundius Ludovici incredibili clementiâ, quâ omnes, qui cum Bernardo Italiæ Rege perduellionis societatem inierant, fide publicâ ab exilio revocavit, alios custodiâ solutos, publico reddidit & avitæ fortunæ, cui tamen Bernardi filij restituti non fuerunt, quemadmodum paulò antè ostensum est, tametsi Pipinus ijs bellis, quæ Ludovici liberos colliserunt infamibus odijs, primùm Caroli castra fuit secutus, deinde captatâ aurâ fortunæ melioris, desultoriâ fide sese Lothario addixit. De Heriberto ejus fratre id unicum Regino notavit, illum interfecisse Rudolfum Comitem Balduino natum, ipsúmque vicissim ab Alduino Rudolfi satellite fuisse obtruncatum, quæ obscuræ sunt laudes magnorum Principum, quorum sanguis ad majora debuisset reservari.

COMITIA IN VILLA THEODONIS. NUPTIÆ LOTHARII. EXULES REVOCATI. CAPTIVI DIMISSI. PIPINUS BERNARDI F. SE FORTUNÆ ACCOMMODAT. HERIBERTUS BERNARDI F. OCCISUS.

Hic annus Arnoni Salisburgensi Archiepiscopo postremus fuit. Diem clausit 9. cal. Februarij, vir id ævi inter Præsules, rerum magnarum gloriâ clarissimus. Ejus industriâ res Ecclesiæ Salisburgensis mirum in modum fuerunt amplificatæ. Illum Leo Romanus Pontifex in omnibus, quas ad eum dedit, epistolis, Sanctissimi appellatione honestavit, quod Hundius quidem excellenti pietati tribuit, sed meliùs dignitati dixisset esse tribuendum. Ejus operâ Thassilo, Ducum Agilolfingorum postremus, in gravissimis Legationibus usus est. Eo exauctorato, Carolo Magno in primis charus fuit. Christi præconem egit apud Bojos, Hunnos, & Slavos. Præclaris operibus auxit Salisburgum, inter quæ sunt gemini aquæductus ex albo rivo, Guttradij manu in urbem derivati. Infulas reliquit Ammiloni, quem ex Abbate S. Petri sedes Archiepiscopalis accepit, & vix sesquiannum retinuit. Ita habet Hundius contra scriptorem vitæ S. Ruperti, qui disertè scribit, eum non omnino sex menses Archiepiscopatui præsedisse, & hoc ipsum ostendit ex lapsu temporum, quibus Adalramus Ammilonis successor superstes fuit.

ARNO SALISBURGENSIS MORITUR.

Vita S. Rup. tom. 6. lect. Antiq. Canis.

SUCCEDIT AMMILO.

AN. CHRIST. DCCC. XXII. XXVII.

Anno, qui proximè secutus est, Ludovicus mense Augusto Attiniaci, in Remorum finibus conventum egit. Res ipsi erat, ut, cùm multa publico perquàm salutaria ordinâsset, sibi quoque privatim in procurandâ animi quiete consuleret. Non ignorabat, quosdam è Proceribus animo esse alieniore ab eâ, quam exercuerat in perduelles, severitate: unde acres conscientiæ stimuli, quibus, ut teneræ sunt piorum mentes, subinde lancinabatur, quasi justo duriùs in eos animadvertisset, neque dum satis recenti eos munificentiâ & lenitate mitigâsset. Nec verò infrequens est aulæ artificium, iras simulare, quibus timidiores

LUDOVICI CUM OFFENSIS RECONCILIATIO ET POENITENTIA.

diores Principes ad profusas largitiones impellantur. Ergo re cum Episcopis & Optimatibus communicatâ, ultrò rediit in gratiam cum Drogone, Hugone & Theoderico, fratribus, quorum duos priores Carolus parens ex Reginoburgâ, postremum ex Adelindâ, pellicibus tulerat. Nam Ludovicus invidiâ laborabat, quòd illos invitos vitæ monasticæ mancipâsset, quod fuit, eritque semper, ditandarum familiarum neutiquam laudabile inventum. Odiosum est jugum, quod invito imponitur. Eos proinde jussit liberalibus disciplinis erudiri: & Drogoni quidem anno sequenti Metensem Episcopatum conciliavit, Hugoni Monasteria; & est, qui censet, cum Aquitaniæ præfecturam gessisse; Theoderico verò precarium Provinciæ Salyum imperium. Quicquid præterea fuit, quod à se, vel à parente crederet esse peccatum, id palàm suscepto piaculo, uti Aimoinus loquitur, *curavit emendare.* Verùm utcunque satisfecerit cordatioribus, qui ejus errores cum ratione expendebant, tamen, ut altè hærent malevolis irarum reliquiæ, succedentes anni ostendent, non fuisse omnes placatos, nec bene obductas offensionum cicatrices.

Thegan. de Ludov.

LOTHARIUS MITTITUR IN ITALIAM. LIUDEVITUS PANNO PELLITUR AD SORABOS. CRUDELIS IN HOSPITEM. PIPINUS AQUITANIÆ PRÆFICITUR.

Ex eo conventu Lotharium Cæsarem misit in Italiam, ad capessenda regni insignia, rémque publicam suaviter ordinandam, cúmque jussit, præcipuo studio Romanæ Ecclesiæ dignitatem habere sibi commendatam. Et erant quoque Italorum arma adversus Liudevitum, qui in armis erat, expedienda, quorum ille famâ territus, ad Sorabos, Dalmatiæ gentem, profugit, homo immaniter perfidus in Regulum, à quo fuerat hospitio receptus, quem nefariè interemit, & civitatem, cujus mœnibus tegebatur, redegit in suam potestatem. Ludovicus porrò, per id temporis, Pipinum filium jussit in Aquitaniam proficisci, post nuptias cum Teutberti Matricensis Comitis filiâ celebratas: ipse verò exeunte autumno Francofurtum, hibernaturus, se contulit, ubi in componendis Orientalium rebus totam hiemem posuit, & illam urbem novis ædificijs atque legibus cœpit excolere. Sub id tempus Reginarius, qui alijs dicitur Reginardus, Bataviensibus fuit datus Antistes. Jam antè ad eam dignitatem jus acquisiverat per legitimam Collegij Cathedralis electionem, anno sæculi decimo octavo: verùm quia ipsi lis erat cum Arnone Salisburgensi de Metropolitanâ jurisdictione, illo superstite, Pontificatum adire non potuit, sed passus est tantisper in suum locum subrogari Batturicum. Quamobrem, Arnone defuncto, Paschalis Pontifex Romanus secundum Reginarium pronuntiavit, ut ritè cooptatus, Ecclesiæ Pataviensis gubernacula susciperet.

XXIIX. REGINARIUS EPISCOPUS BATAVENSIS.

NATURÆ PORTENTA.

Observata fuerunt hoc anno tam in Oriente, quàm in Occidente passim, non sine mortalium terrore, varia naturæ ostenta, quæ Ludovicus voluit crebris jejunijs, sacris largitionibus, & incruentis Missæ Sacrificijs expiari. In Turingiâ cespes, longus pedes quinquagenos, latus quatuordecim, altus sesquipedem, nullâ, quæ sciretur, hominis operâ præcisus à solo, translatus fuit ex fundo nativo ad alium, distantem spatio pedum viginti quinque. In Orientali Saxoniâ juxta Lacum Aruseum terra intumuit in formam aggeris porrecti ad unius leucæ longitudinem. Anno proximo, Aquensis Regia terræ motu concussa: multa passim ædificia de cœlo tacta conflagrârunt: fruges grandine vastatæ: cum grandine veri lapides magni ponderis in terram ex aëre collapsi: homines & animantes fulminis ictibus magno numero exanimati. Commerciaci, quod oppidum est in Leucorum agro, puella duodennis, post sumptam Eucharistiam de manu sacerdotis ipsis paschalibus, per decem omnino menses pane; deinde per triennium omni prorsus cibo potúque abstinuit, eóque exacto, redijt ad pastum ordinarium. Post ea portenta, secuta est grandis hominum strages, quos fœda pestilitas sustulit. Sed si ingentes imperij turbas, quæ post aliquantum temporis subnatæ, horrendum quantum sævierunt, istis portentis prænuntiatas licet ominari, certè multò tristioris fuit augurij ortus Caroli, cui à capilli profluvio datum Calvi cognomentum. Hic Lu-

AN. CHRIST. DCCC. XXIII.

XXIX.

Ludovico Imperatori ex Juditha progenitus mense Junio, fratribus ex Hermingarde natis magnum curarum, & futuri dissidij argumentum suggessit, reputantibus novum prodijsse hæredem, qui familiæ de novo herciscundæ causam esset allaturus, magno antehac factæ partitionis detrimento, cùm Calvo nihil posset accrescere, quod non abraderetur majorum fratrum portioni: & tum quidem, si unquam aliàs, cœpit cogitari, Ludovicum Caroli nasciturì rationem habere, vel à secundis nuptijs & hæreditate dividundâ abstinere debuisse. Sed multa dum fiunt, consulto fieri videntur, quæ ab eventis postea imprudentiæ arguuntur. CAROLUS CALVUS NASCITUR. *Vit. Ludov. Imp. pa. 381. v. ult.*

Duobus, antequam Carolus in lucem prodiret, mensibus, Lotharius acceptâ Regni Italici coronâ, reditum ad parentem adornabat, cùm à Paschale Pont. Romam accitus, in Apostolorum Principis Basilicâ Imperatoris titulos & insignia, solenni inauguratione suscepit. Non multò pòst jussu Ludovici Francofurti convenerunt Saxonum, Bojariorum, Alemannorum, Burgundiorum, & Rhenensis tractûs Ordines, quos veteres Scriptores contribuebant Franciæ Orientali. Isthic auditi, Milegastus & Celeadragus, fratres, Liubi Regis Wilzorum filij, de paterno regno, post illius obitum, disceptantes. Pro Milegasto faciebat major ætas, & delata Regni possessio Procerum suffragatione & veteri majorum instituto. A minore natu stabat probitas, populi studium, qui Milegasti mores & exlegem gubernationem pertæsus, Regem alium flagitabat. Sunt Wilzi Sclavorum gens ad Australem sinum maris Germanici, quos etiam Luiticos dixêre. Ludovicus plebis consensum secutus, regnum Celeadrago addixit, ratus, fratrem æmulum nunquam fore bonum Regem, qui regni initia fœdâsset pessundatâ prisci moris legúmque ratione. Ad Comitiorum exitum, cognovit Imperator Liudevitum in Dalmatiâ, quò se securitatis causâ receperat, Liudewisli dolo esse interemptum, DEO sic vindicante, ut, qui ante annum hospitij gratiam interfecto hospite violaverat, vicissim ab hospite jugularetur. LOTHARIUS ROMÆ CORONATUR. CONVENTUS FRANCOFURTENSIS. LUITICI POPULI ET WILZI QUI? LIUDEVITUS OCCISUS.

Vix hostis iste pœnas dederat, cùm repentè alius Ludovico succrevit è Triballis, quos hodie Bulgaros, Mœsiæ secundæ populos dicunt. Ijs imperabat Ortomagus, ne famâ quidem, nedum nomine notus, quòd Francorum arma nondum eò gentium penetrâssent, nec quicquam fuerat causæ, cur bello lacesserentur. Misit tamen Ortomagus Legatos cum litteris ad Ludovicum agentem Francofurti, pacem amicitiámque orantes. Primâ fronte visa legatio non contemnenda: sed ubi futili rerum inanium tractatione visi sunt tempus extrahere, doli suspicionem peperêre, quasi non pacis studio, sed explorandi causâ è tam longinquis terris venissent. Imperator nihilominus benignè habitos in patriam remisit, & quò certiùs Regis animum exploraret, Machelinum è Bojariâ itineris socium addidit, qui coràm, aliud agendo, gentis consilia & vires condisceret. Non fefellit conjectura: dederunt enim Barbari Machelino verba perplexis semper ambagibus: cúmque nullas fœderis conditiones ex æquo adferrent, aut oblatas admitterent, denique animadversum, eos proferendorum finium occasioni imminere. Quapropter cùm ante anni exitum legati redijssent, jussi sunt totâ hieme Ludovici responsum in Bojariâ opperiri, ac demum adulto Majo venire in ejus conspectum. Auditi interea Legati Obotritorum, qui in Bulgarorum confinio Daciam incolebant, de vicinorum injurijs acerbè quiritantes, poscentésque auxilium. Summa Bulgaricæ legationis fuit, velle Ortomagum Ludovici consensu statui limites, qui Francorum & Bulgarorum ditiones dirimerent. Id cùm disceptarent insolentiùs, responsum accepere præter animi sententiam. Quamobrem Ortomagus anno postero denuo Oratores misit, qui rotundè percontarentur, vellétne Francus de regundis finibus sinere secum æquo jure tractari; & si is quidem tergiversaretur, amicitiam abnuntiarent, dicerentque suos AN. CHRIST. DCCC. XXIV. *Omartagus apud Herman.* XXX. *Annal. Fuld. den. Thegan.* BULGARORUM DOLOSÆ LEGATIONES.

suos quemque terminos manu defensurum. Verbo pro re natâ responsum; neque enim rescribi placuit, ut nossent minas nihil obtinuisse apud viros timoris expertes. Quam rem Ortomagus sui contemptum interpretatus, quasi foret ad arma provocatus, in Sclavos, Franciæ clientes, sævijt, misso ad Dravum exercitu, qui ferro flammísque longè latéque grassatus, pulsis Sclavorum prætoribus Bulgaros genti imposuit. Baldericus Dux Forojuliensis, cui Pannonici limitis defensio erat demandata, quasi per ignaviam non arcuisset hostem, dedissétque damni causam, dignitate motus, & Ducatus Forojuliensis inter quatuor Comites divisus: quæ res acriter ussit Lotharium Cæsarem, non secùs, atque si grandem à patre injuriam accepisset, quod Forojulio detracto, Italicum imperium valido præsidio nudaretur, atque è diverso res Germaniæ evaderent firmiores. Ita non uno ex capite in regiâ domo gravis discordiæ fundamenta sensim jaciebantur.

BULGARI IRRUMPUNT IN SLAVOS VICINOS.

BALDERICUS FOROJULIENSIS EXAUCTORATUR.

Aimoin.



BOICÆ



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER X.

Ludovicus Pius vexatus à filijs, obtentu Iudithæ conjugis & Caroli Calvi: Fugatur à Pipino: captivus attinetur: Noviomagi restituitur, invito Lothario; Pipino & Ludovico Germanico adnitentibus: rursum capitur ad Argentuariam: publicè exauctoratur: eripitur è manibus Lotharij: Pipini mors præmatura: Ludovicus Imp. Ludovicum Germ. parte provinciarum exuit: Calvum filium auget magnis possessionibus: Ei, suasu Iudithæ, Lotharium tutorem dicit. Moritur. Lotharij in fratres iniquitas Ludovicum & Carolum Calvum unit: Ludovicus Adelbertum ejus legatum prælio superat: Cruenta pugna ad Fontiniacum: Post varias contentiones pax inter fratres convenit, per quam Regna divisa.

Aggredimur annos imperio præquam aliàs execrabiles, scissâ in partes Augusti familiâ, armatis in patrem liberis, patre in filios irritato, confusis naturæ juribus, sublatâ sanguinis reverentiâ, contemptâ majestate, regnísque per continentes factiones sic agitatis, ut ultima ipsis clades à malè feriatis nepotibus parari videretur. Non defuêre flagitiosorum hominum flabella, quibus gliscens indies in majus æmulatio, ob privatas spes, & vindictæ cupidinem, iniquissimè accendebatur. Lothario ægrè erat ob diminutam regni Italici amplitudinem: Pipino aures in Aquitaniâ ab hominibus seditiosis vellicabantur: eorum plerique notati ignominiâ, ob fœdatum regiarum filiarum honorem: & Pipinus ipse coquebat iras, quæ sumuntur faciliùs, quàm ponuntur, propter acceptam à patre contumeliam, quòd Mauros Galliam ingressos Aizone duce, per inertem cunctationem non repressisset priùs, quàm bonam Aquitaniæ partem prædis, igne, ferro essent depopulati. Ludovicus Germanicus cæteris æquior, ex Pij volnu-

Regiæ domus discordiæ.

I.

An. Christ. DCCC. XXIX.

Ludovici Germanici æquitas.

voluntate concesserat in Germaniam, cum regia potestate, Hemmâ conjuge Hispanâ comitatus: sed neque hic curis vacuus, quòd facilè conijceret, Carolum ex Juditha admodum puerum, antè exhæredatum quàm natum, daturum turbas, ansámque mutandæ inter fratres hæreditatis. Neque enim latebat Augusti solicitudo, dies noctésque recogitantis paternam obligationem, cui fieri non posset satis, nisi ornaretur augeretúrque parte regiarum facultatum. Non intermittebat Juditha maritum, haud mediocriter uxorium, urgere, matùrè ut filio, qui alioqui domûs suæ ludibrium futurus esset, prospiceret: neque enim illi à fratribus quicquam præter opprobrium, ab alijs nihil præter regij sanguinis vilem æstimationem esse expectandum: ni propediem pater suo jure utatur, longè satius futurum fuisse, non genuisse filium, quàm ad inopiæ infamiam educâsse. Sed cùm infelix pater è tot regnis nihil sibi fecisset reliquum, quod Carolo conferret, hærebat anxius, nec satis expediebat ejus juvandi rationes citra fratrum ingentem invidiam. Quid enim esset futurum, si pro jure paterno, ex subortâ causâ, filiorum ingratijs, ditionum partitionem mutaret? quanto illorum odio Carolus, nondum curis maturus, sit flagraturus? si parens precarium illi patrimonium ab invitis oraret, fore tentamen ambiguum, & longè infra patris authoritatem: si hac uteretur, turbas secuturas. Prior tamen ratio visa melior. Ergo positâ majestate imperantis, statuit benignitate atque modestiâ tentare filiorum animos. Adfuêre Lotharius Cæsar & Ludovicus Rex Bojariæ, quos hac oratione aggressus est: *Expertus sum, filij, in longum debere ab eo prospici, cui incumbit cura liberorum. Mihi ad propagandam domûs nostræ posteritatem abunde cœlum providerat, cùm me trium filiorum, quibus optare non poteram meliores, patrem fecisset. Sed quæ Dei est in me benignitas, mea vota, felicitatémque Caroli filij accessione superavit, cúmque eo (ita nihil est ex omni parte beatum) adjecit magnam solicitudinem, quâ nemo me meliùs, quàm vos, potest absolvere. Natus est regio, ut vos, sanguine, spe non absimili, sed dissimili fortunâ, nisi vobis assentientibus veniat in ejusce sortis partem, ad quam eum naturæ jura videntur destinâsse. Partitus sum inter vos regna, nec pœnitet, quia partitus sum inter dignos. Imperium majorum nostrorum, & meâ virtute partum auctúmque, mihi visus sum sapienter vestræ fortunæ ex asse transcripsisse: nec mea spes, opinor, nec vestra probitas me fefellit. Sed quid fiet Carolo? nolo uti summo jure, vos ipsi, si me amatis, consilium suggerite. Si quâ in vos charitate, tempestivè vobis consultum volui, eâdem vestro fratri consulitis, nihil est, cur apud posteros imprudens audiam, vel præmaturè fuisse liberalis, vel durus in vestrum fratrem, quem præstaret alio quovis parente fuisse natum, quàm destinari ad pudendam egestatem. In vestrâ est manu, & me & illum reddere beatum, vestrúmque nomen insignire æterno honore præclaræ pietatis. Erit (ita voveo) aliquando tempus, cùm puero licebit per ætatem, & animo & rebus ipsis, agnoscere vestrum amorem, mihi verò lætari de vestrâ observantiâ in amantissimum parentem.*

Ludovici Pii oratio ad maioris filios.

II. Hæc ore confuso mœstáque voce dicenti, cùm neuter auderet intercedere, uterque magis in speciem, quàm ex animo assensus est. Enimvero meminisset se patrem, nec de filiorum obsequelâ, sinceróque affectu dubitaret. Dedisse ipsum liberaliter, quod jure posset repetere: debere se patri non modò eam, quam esset largitus, opum expectationem, sed ipsam quoque animam, & si quid animâ possit cogitari melius: vicissim verò sibi nihil à parente deberi: satis utrique superfuturum fortunarum, si nullam faciant amoris paterni jacturam. Congereret in Carolum, quicquid videretur, daturos operam, ut olim sentiat, se neutiquam flagrantiùs à patre, quàm à fratribus amari. Adjecit Lotharius (sic enim lubebat parenti fucum facere) sibi fore loco magni beneficij, si parens Caroli tutelam ipsi demandaret. Hæc dicta civiliùs, quàm veriùs. Ludovico certè non imposuit dictionis artificium; sed tamen usus est suâ libertate, & Carolo Alemanniam, quàm latè patebat, & Rhætiam cum parte Burgundiæ donavit: quam rem fratres non secus acceperunt, quàm si ab hoste, per vim, istarum provinciarum possessione essent depulsi, sorte, quæ Ludovico fuit miserabilis, quòd suos ipse hostes & genuisset, & locupletâsset. Simulatio benevolentiæ,

quæ

quæ non ſolet ferre ætatem, diu non potuit tegere odium execrabile. Proximum fuit, ut Imperator ſe in omnes caſus fortibus conſilijs compararet. *Nithard. l. 1.*

Ergo Bernardum natione Hiſpanum, Septimaniæ, quam Gothiam Gallicam vocabant, Comitem, virum ſagacem, ingenio haudquaquam vulgari, cui Ludovicus ſacris undis expiando adſtiterat, in aulam evocat, auctúmque præfecturâ prætorij, principem miniſtrorum creat cum ampliſſimâ poteſtate. Verùm id remedij ipſo malo longè deterius, immenſum quantum exaſperavit iratorum voluntates, quòd Bernardi conſilijs, ne dicam arbitrio, omnia propè gererentur, ipsíque aliorum munia (quod ſummè odioſum eſt) extra ordinem fierent obnoxia. Sed illud acerbiſſimum, quòd ex vano, an ex vero, jactaretur in vulgus, eum per occulta flagitia gradum facere ad immodicam dominandi rationem: quid enim expectari aliud poſſet ab externo homine, qui vaframentis eo uſque dementabat Auguſtum, ejúſque aures ſic obſepſerat, ut nemo eſſet, qui auderet ipſi probri domeſtici famam (Judithæ in Bernardum clancularios amores notabant) aperire? Porrò & hoc triſtiſſimum, quòd ſenſim Ludovicum paterno in majores filios affectu orbabat: quæ cùm odioſiſſimè dicerentur ab æmulis, conflabant Imperatori pudendam invidiam, & odium populare, quòd ſcire ac probare credantur Principes, quæ nôrunt alij, nec tamen caſtigant. Cùm nemo eſſet, qui ſequiorem famam refutaret, & horrendùm vapularet Judithæ nomen, mentes profundo Bernardi odio imbutæ, nihil æquè ſpirabant, atque publicum authoris piaculum; ſed nullus erat, qui ſe vindicem vellet profiteri.

Nota in Conc. Compendien. Languedoc.

BERNARDUM HISPANUM VOCAT IN AULAM.

III.

REGINÆ INFAMIA.

Pipinus cæteris regiorum filiorum ad audendum projectior, viſus eſt omnium aptiſſimus, qui ducem ſe ferret nefariæ factionis. Peſſimam telam pejore ſcelere orſa eſt averſa ab Auguſto nobilitas. Ex eâ delecti, qui rei privatæ obtentu, in Aquitaniam proficiſcerentur, & Pipino eſſent authores, Patrem è ſolio detrudendi. Id quò facerent artificioſiùs, ex compoſito abſtinuerunt à Ludovici apertâ accuſatione, quòd ea futura eſſet apud filium perplexa domui regiæ & indecora. Minus erat periculi, ſi Bernardum, Pipini hoſtem capitalem, liberè criminarentur, nec Judithæ parcerent, quæ nihilo plus gratiæ apud iratum obtinebat. Raró Novercæ diliguntur à privignis, & ipſa jam malè audiebat. Qui princeps erat conjurationis, dictionem eſt exorſus à Francorum in ſuos Reges perpetuâ fide, & à fiduciâ, quam Ordines univerſi de Pipini virtute, ſtudióque in rem communem concepiſſent. In eâ, quæ tum eſſet atrocitate temporum, regio ſanguini, communi patriæ, Franciciæ gloriæ, omnes tam multa debere, quàm poſſent. Non oportere cuiquam ſuam ſalutem & privatas opes tantæ eſſe curæ, quantæ debeat, imperij Francici vindicis honor & incolumitas, ad quam ſervandam proborum omnium cogitationes eſſent converſæ. Eſſe quidem Imperatorem, & cum eo Reges, à quibus auxilia poſſint expectari (neque enim Francos, qui exteris ſemper opem attulerint, ſine flagitio poſſe reſpicere vires externas, quæ nunquam juvant abſque nocumento) at enim Lotharium rebus Italicis eſſe affixum; Ludovicum Germanicum, procul ſuis rebus diſtineri: Auguſtum ſuopte ingenio pientiſſimum atque mitiſſimum adeſſe quidem, ſed alieno ſcelere ejus nomen atque gloriam adeò eviluiſſe, ut Franci ſub Imperatore clementiſſimo tyrannidem, ſub manſuetiſſimo intolerabilia immanitatis exempla patiantur. Quis enim numeret inſontium ſupplicia, effoſſos viris Principibus oculos, fortiſſimis ademptam libertatem, fideliſſimis ereptam patriam, infamiam inuſtam honeſtiſſimis, aliáque dictu triſtiſſima, & atrocia toleratu. Ea eveniſſe ſenis optimi non tam conceptâ animi deſignatione, quàm futuri incogitantiâ: quotus enim quiſque rerum venturarum ita præſcius eſt, ut earum nihil prætereat aut neſciat? Sed quid agat ille, qui cùm Rex ſit liberorum hominum, ne ipſe quidem hodie ſit liber? Eum circumſcribi à conjuge, eadémque trium, quos ſol adſpicit, clariſſimorum Principum veriſſimâ novercâ, quæ tres perire velit, ut unum puerum conſervet: Ludovicum prodi, & quod orbis ſine horrore nunquam auditurus ſit turpiſſimè, dehoneſtari Bernardi hominis impuriſſimi flagitio, & regij thalami nequiſſimo in-

NOBILITAS LUDOVICO INFENSA.

CONIURATORUM ORATIO AD PIPINUM.

IV.

incubatore, quod vix quisquam referat sine metu, aut cogitet sine crimine. Nimis esse remotum, si quis in memoriam revocet Silium & Messalinam, Claudio illudentes; propiorem esse Childericum Landerici & Fredegundis scelere trucidatum, & quæ præterea nequissima mulier in regium sanguinem designavit. Meliora Deus domui, domorum omnium reginæ! sed eam tamen à famâ rebus ipsis turpiore denigrari: parùm interesse ad infamiam, vera an falsa spargantur in vulgus. Honestissimum quidem Francis futurum esse de similibus silentium, si tacendo possent ludibrium obruere, quod orbis universus loqueretur. Dolendum esse ut quàm maximè, quòd Imperator uxoriâ fraude ita cœcutiat, ut ne viderit quidem suam ignominiam, quando nuper à Jesseo Ambianensi Antistite, ab Hilduino sacri sacelli magistro, & Eleazaro Mastridóque Abbatibus, de domestico flagitio fuit edoctus. In unius Pipini esse manu, profligatæ pudicitiæ nomen à Novercâ removere, patris mentem revocare in viam, ut, cùm sit mitissimus, nihil deinceps possit agere nisi clementer; cúmque sit Regum omnium honoratissimus, nihil toleret, nisi honorificum. Meminisset Pipinus, se optimi patris esse filium, & ad se maximè pertinere damna domûs regiæ, quæ si velit prohibere, necesse esse, ut solio restituat honorem, tribunalibus æquitatem, consilijs sapientiam, justitiæ lenitatem, proprias Pipini dotes ac virtutes. Verbo, eum à Regni proceribus, qui vera sint ac spirans Francia, omnibus rogari precibus, regnum ut capessat; eam ad rem Cœlum liberali manu in ejus pectus infudisse regium sanguinem ac fortitudinem, profusè largitum esse opes regias: Franciam ipsi manus tendere supplices, offerre obsequia, libertatem, facultates omnes, ac denique ipsam vitam. Tantum apud fervidum Principem potuêre, sive assentationes, seu querimoniæ, ut nutantem præcipitârint ad tam atrox facinus, quod neutiquam suscepisset, nisi desijsset esse pius. Igitur collecto raptim exercitu, arma induit, causatus, se bellum inferre Bernardo, vindicias agere paternarum injuriarum; Novercam ab infami homine separare, domum regiam expiare probro, leges ac salutem patriæ reddere: Tales sunt videlicet seditiosorum obtentus.

Pipinus arma sumit in parentem.

V.

Ludovicus fugit. Juditha monasterio se includit. Bernardus abit in Hispaniam. Eius filius exoculatur. Indigna alia in Reginam et alios. Lotharius se Pipino iungit.

Imperator inopinato discrimine perculsus, cum Carolo filio Compendium mœstus confugit, ubi rursus in Episcoporum cœtu veniam oravit injuriarum qualiumcunque, quibus sacros homines, alióśque quoquo modo affecisset: quæ modestia intempestiva erexit conjuratorum animos, bellóque conciliavit authoritatem. Juditha in Laudunensi sanctimonialium domicilio, velut asylo, se inclusit. Bernardus fugam inijt in Septimaniam, indéque in Hispaniam. Pipinus ejus filium captum Aurelijs, & Heribertum fugitivi fratrem, luminibus privavit: Odonem consobrinum egit in exilium, Conradum & Rudolfum Augustæ fratres, attonsos retrusit in Cœnobium: Juditham Reginam Monasterio extractam, mortis interminatione adegit, ut daret fidem, se suaturam marito, ubi ejus conveniendi foret facultas, vellet diadema cucullo mutare. Pòst ad Augustum deducta à conjuratis, obtinuit quidem sumendi flammei facultatem, Monachámque induit præsente Ambianensi Episcopo, marito tamen non persuasit, ut se pateretur attonderi.

Patrem capit. Suadet vitam monasticam. Foedus pro Ludovico.

Patrabantur hæc à Pipino, absente Lothario, qui mense demum Majo accurrit ex Italiâ, ut non spectaturus infamem tragœdiam, sed futurus actor, particépsque fraternæ impietatis, quam non modò non improbavit, sed ratam habuit, auxítque novâ immanitate. Imperator eatenus Compendij degens, aliquam saltem Cæsareæ Majestatis umbram retinebat, nemine auso ejus libertati compedes inijcere: injecit Lotharius inauditâ atrocitate, ausus patrem facere captivum, & misero obtrudere vincula religiosæ servitutis, quæ tam injuriosa est & inamabilis invito, quàm jucunda & honorifica lubenti. Addidit filius degener atque crudelis captivo parenti homines præfractos, qui eum monasticæ vitæ tirocinium, solitudinis amorem, sceptri fastidium, edocerent. In tam miserandâ lamentabilis Principis & publicæ rei conditione, fuêre tamen inter Francos aliqui, retinentes humanitatis & reverentiæ in afflictissimum Regem, qui immane regiorum fratrum dete-

detestati scelus, communi consilio pro Augusti salute fœdus pacti, clàm ei renuntiârunt, nondum esse deventum eò calamitatis, ut de republicâ sit desperandum: superesse viros, qui causæ bonitate animisque confisi, ausint suam fidem & meliora polliceri, si ipse pari Numinis fiduciâ jacentem fortunam vellet erigere, & uti jure, nondum extincto, Cæsareæ potestatis. Ille se quidem ostendit generosam accipere conditionem, sed priùs tamen videri, rem esse consilio quàm armis tentandam: modum fore non importunum, si fratrum animi malè cohærentes, seque mutuâ ambitione suspectantes, ob immodicè crescentem Lotharij magnitudinem, dissociarentur: id si daretur effectum, haud difficile secuturam sine sanguine victoriam. Erat inter Imperatoris familiares Gundebaldus Monachus, ejus vir animi & dexteritatis, qui foret ejusce consilij idoneus interpres. Eum Cæsar ad Pipinum, & Ludovicum Germanicum ablegat, magnis instructum pollicitationibus, quibus eos avellat à Lotharij societate. Ille, quâ erat facundiâ, singulos per sacra humanáq; omnia obtestatur, ne optimum parentem, nullo unquam læsi maleficio, perditum eant, cœlo terrâque reclamante. Secum ipsi reputarent, quantam sibi sint ad omnem posteritatem infamiam creaturi, quantam invidiam non modò apud homines cordatos, sed etiam apud Deum immortalem, si pergant patris penè supplicis mansuetudini esse inclementes. At enim à Lothario fratre quidnam possint æquitatis expectare, si, uti cœperat, supremum rerum arbitrium ad se derivaret. Certè neminem bene usum esse dominatu, quem malis artibus quæsivisset: an eum sperarent mitem atque liberalem in fratres, qui in parentem crudelis sit, & insatiabiliter avarus? Fratrum plerumque raram esse gratiam, quam dominandi libido longè semper facit rariorem. Posse utrumque, Numine propitio, hominibus faventibus, famâ integrâ, regnorum & honorum certam atque illibatam possessionem, cum magnis incrementis, de patris manu pacatè accipere; quorsum velint tantarum rerum præsentem pronámque facultatem, incertis eventibus & infidæ fratris destinationi posthabere? Ne crederent, tam nullos superesse, qui miserando patri bene velint, ut defuturi sint vindices causæ per iniquitatem oppressæ. Quamlibet languere videretur deplorandi senis Majestas & reverentia, nondum tamen expirâsse mansuetissimi principis commiserationem. Denique eum sapere, qui certa rerum, fortunæ & alienæ cupiditatis ludibrio anteponit. Eâ dicendi libertate Ludovicus & Pipinus haud ægrè passi sunt se inflecti ad saniora: reliquum erat, ut modus inveniretur, quo nec ultrò à fratre defecisse, neque temerè patri censerentur accessisse. Is omnium consensu visus optimus, si in temporum inextricabili propè confusione, causa Reipublicæ in Comitijs disceptaretur: ita enim fore, ut nihil gratiæ, sed omnia rationibus & judiciorum authoritati deferrentur. Lotharius comperto, fratres in patris gratiam rediisse, & futuros in officio, ne sibi diffidere putaretur, non est ausus refragari, quò minùs controversia procerum sententijs committeretur. De loco securè conveniendi, &, quæ ad rem essent, sentiendi, fuit aliqua ambiguitas: nam Lotharij partiarij apud Francos, Cæsaris apud Germanos, potentiores habebantur: & hi quidem minùs suspecti, quòd hactenus nihil in alterutros movissent. Datum igitur Imperatori, locum ut ipse deligeret: delegit Noviomagum utrique nationi confine. Eò confluxerunt frequentissimi Germaniæ principes, intacti ab omni factione, eóque justiùs dicturi sententiam. Neque verò sibi defuêre Lotharij assectæ, qui illuc, prout quisque erat maximè factiosus, convolârunt magno numero. Ubi ventum est ad limen consultationis, visum, eos non bene sessuros inter judices, quibus incumberet, reorum more, causam dicere, & vim supremo imperij capiti illatam purgare. Quo argumento complures Francorum exclusi, alij non pauci, quorum erat suspecta fides, quæsitis hinc inde coloribus, à consessu prohibiti. Hi facilè odorati, quemnam Comitiorum exitum talia principia portenderent, nocturnis coitionibus capita conferentes, Lothario ostendunt, tali re ac tempore, ad extrema desperationis esse descendendum, nisi suam omnes salutem projectam velint. Proinde subito tumultu Cæsarem nihil tale cogitantem esse ob-

VI.

Gundebaldi Monachi pro Ludovico legatio.

Regis causa disceptatur in Comitiis.

Germani bene affecti in Regem.

VII.

Noviomagi conventus agitur.

Lotharii partiarii vim suadent.

obruendum, vel certè abeundum à conventu, in quo nulla rei, ex animi sententiâ conficiendæ, ratio possit reperiri. Agebantur hæc ut maximè illâ nocte, quæ præcedebat diem totius causæ decretorium, & Lotharius consceleratorum fraude propè à parricidio aberat, cùm Deus meditatum scelus in tempore discussit. Etenim Augustus, velut divino afflatus instinctu, summo manè Lotharium per certos homines commonefecit, desineret aliquando tandem flagitiosis hominibus dare aures; seipsum audiret potiùs, secum loqueretur, atque suum animum in consilium adhiberet, secúmque certò statueret, fore neminem, qui saniora suaderet, eséetve melior judex, aut quæsitor. Si suæ dignitatis velit habere rationem, Rege dignum esse, leges dare alijs, à se ipso accipere. Miraturum terrarum orbem, si audierit, duos Reges, patrem & filium, aliquando in Senatu, & quidem suo, de fortunis, de honore, de vitâ, causam dixisse, atque hæc omnia commisisse arbitrio alieno. Quòd si animo sederet, cum parente contendere, contenderet amando, & vinceret, si posset: eam fore nobilissimam victoriam. Ad hoc certamen eum à patre provocari, pandente pectus ad beneficentiam, ulnas ad amplexum, expectante filium in amoris arenâ, & volente omnino vincere, non vinci, redamando. Invitatio tam suavis mollijt animum Lotharij, fecítque, se ut dederet parenti, frendentibus licèt conjuratis, qui haud obscurè seditionem spirabant. Illi enim, dum Imperator & Lotharius collocuti, in mutuos amplexus ruerent, concurrere ad arma, & magnis clamoribus in globum conciti, vim parare, à sanguine neutiquam temperaturi, nisi Cæsar comitante filio è Regiâ in furentium conspectum egressus, ferrum condi jussisset. Tumultûs authores jussi è vinculis facti rationem reddere; nec obstitit Lotharius, vel abnuit sedere inter quæsitores: tam intutum est in magnatum gratiam jura violare, qui haud raro minorum capite reconciliantur. Eodem judice, nonnulli ejus partes secuti, ultimo supplicio fuerunt addicti: verùm Imperator, in condonando sui semper similis, mitiora secutus est. Pars jussi solum vertere, pars attonsi more monastico, clausíque cœnobijs. Lothario confirmatum Italiæ imperium, Pipino Aquitania, Ludovico Germanico-Bajoaria. Juditha, ne regiæ domui fraudi esset jactata in illam infamia, non fuit priùs admissa ad jura conjugij, quàm ipso Virginis Purificatæ die, jurata crimen diluisset. Ejus fratres Conradus & Rudolfus retrusi in monasterium, publico redditi: alijs ablatæ possessiones restitutæ. Bernardus redux ex Hispaniâ, jámque hostium securus, ad probandam innocentiam, communi nobilitatis prærogativâ, capitis sui periculo singulare certamen popościt contra quemvis, qui accusationem profiteretur. Nemine volente tantæ rei invidiam Marte judice subire, quòd cassa futura esset de nocente palma, nisi (quod fieri nequibat) odia hominum, & vindictæ libido simul in triumpho ducerentur, sese jurejurando absolvit. Hoc posterius gestum est autumno adulto, in villâ Theodonis, quò regni proceres Imperator evocârat. Pipinus jussus fuerat adesse: sed vadimonium deseruit, donec conventu soluto tandem advenit. Eum parens ad usque Natales Christi ferias vetuit à suo latere discedere, an quòd indolem rebus novandis appositam suspectaret, an quòd accitus ad comitia post rem venisset. Cùm ista detentio, quamlibet honesta, præferoci Principi, hoc ipso, quòd frenos licentiæ injiceret, esset invisa, ne salutato quidem patre, refugit in Aquitaniam, unde rursus semina novorum motuum. Accessit ad resuscitandas turbas renascens Bernardi magnitudo, ex semel degustatâ dulcedine imperitandi, quæ nunquam desipit ambitiosis. Reposcebat, velut summo jure, pristina munia & aulæ regiæ gubernationem, sed non sine rivali, qui citrà horrorem nominari non potest.

Ludovicus Imp. Lothario reconciliatur.

Tumultus conjuratorum compressus.

VIII.

Juditha redit ad maritum. Eius fratres publico redditi. Bernardus redux ex Hispania,

Reposcit pristinos honores.

Gundebaldus Monachus, qui, Ludovico reconciliato, rebatur se, præsenti exitio imperium suâ virtute liberâsse, eóque sibi deberi velut navatæ operæ præmium, primam ab Augusto dignationem, novi moris candidatus descendere ausus est in certamen cum Bernardo, eóque repugnante, prensare primas aulæ rerúmque gerendarum curas. Quâ ex contentione, Ludovico Germanico & Pipino nata est cupiditas utriusque evertendi, existimantibus, indignum esse, regijs

Gundebaldus ad eosdem aspirat.

gijs natalibus extero homini deferre, vel Monachi fastum respectare. Et jam cœperat Imperator (sunt videlicet post experimenta malorum, timida senum ingenia) Bernardi fidem vocare in suspicionem, quòd visus aliquando fuisset consilia cum Pipino impensiùs miscuisse. Aliâ ex parte Ludovicus Germanicus, qui expers præteritorum motuum, ad eam diem se intra modestiæ fines continuerat, à Lothario excitatus, ineunte vere arma contra patrem induit, & vix hilo abfuit à naufragio jacturáque existimationis, quam ex continuatâ in patrem pietate atque reverentiâ sibi pepererat.

IX. Initia novorum motuum. An. Christ. DCCC. XXXII.

In tam vario curarum æstu, hærebat anxius Imperator, quò se primùm verteret: si motus, qui à Boicâ nuntiabantur, sineret morâ invalescere, videbat ingens periculum, ne Germania, cujus fide nuper ejus salus steterat, abiret in transversum: si daret Pipino spatium colligendi vires, non erant inter Francos defuturi, qui nuperæ factionis reliquias ad novas turbas sociarent. Visum tamen eò curas vertere, unde majus apparebat discrimen. Germanicus enim è Boicâ cum infestis signis egressus, Laurisheimium, quod est Cœnobium D. Nazarij, irruperat, haud difficili opere Francicas suppetias ad se tracturus. Igitur Augustus lecto confestim exercitu, Moguntiam delatus, haud procul à filio castra locavit. Ea parentis fidentia, per se potens tormentum adversus impietatem, filio excussit audaciam, pervicitque, ut ne quidem ausus irati conspectum sustinere, retrò trepidum agmen in Bojariam retraheret. Cæsar citatis itineribus refugientis vestigia Augustam usque Vindelicorum insecutus, territum & jam dicto audientem ad se evocat, clementer increpitum, perfusúmque tentatæ in patrem rebellionis verecundiâ, post paucorum dierum congressus, abolitâ offensæ memoriâ, domum remittit, lætus, se sine ferro rursus de impietate triumphâsse. Lotharius hoc eventu perculsus, Francofurtum excurrens, modis omnibus nisus est criminis fraterni conscientiam, famámque pacis turbatæ à se amoliri, & velut insons foret, parenti abstergere causas irascendi: sed viris prudentibus nullam fecit fidem innocentiæ, nec satisfecit patri, cui tamen jucundum accidit, nominis sui reverentiam in filio nondum omnino exolevisse.

Ludovicus Imp. ducit contra filium Ludovicum,

Eúmque compescit.

Defunctus expeditione Germanicâ, movit in Pipinum eâ celeritate, ut deportaret exercitum ad usque Aurelias, ubi conventum indixerat, priùs quàm Pipinus se ad bellum satis comparâsset. Inde concessit Jucuntiacum (alijs Tucuntiacum) domum regiam, in agro Lemovicensi, tandem aliquando positâ patris nimiùm indulgentis lenitate, religiosi judicis personam sumpturus. Illuc citatus Pipinus, jussúsque objecta crimina refellere. Etenim gravibus authoribus insimulabatur, consilia communicâsse cum hostibus ad turbas renovandas: tentâsse eorum animos, qui constanter fidem obsequiúmque rebus ipsis Cæsari adhuc erant professi: Bernardum Septimaniæ Comitem traxisse in partes, & non obscurè molitum esse initia nefariæ perduellionis. Discussa eodem loci Bernardi causa. Cùm neuter Judicibus probaret innocentiam, is judicij fuit exitus, ut Pipinus, ob repetitas in patrem conspirationes, & inquietum semper ingenium, regno exueretur, & Treviros relegatus, haberetur deinceps in honestâ custodiâ: Bernardus verò redactus in ordinem, expérsque omnis prorsus dignitatis, domum regiam perfidiæ suspicionibus, quâ id temporis vehementer laborabat, liberavit. Pipinus pergens Trevirim cùm in itinere à custodibus indulgentiùs haberetur, ijs elusis, elapsus est; cúmque vagus hac illac oberrans, provincias quiritationibus impleret, à patre nequicquam est invitatus ad reditum, veritus ne arctiùs severiúsque, quàm antè, haberetur. Quamobrem conclamatâ tumultuosi Principis sanitate, ne ei vires ad labefactandam pacem superessent, detractum ab eo regnum, Carolo Calvo fratri datum, jussíque sunt Aquitaniæ Proceres in hujus verba jurare.

Movet in Pipinum. X.

Eum regno exuit. Bernardus Hispanus redigitur in ordinem.

Carolo Calvo datur regnum Aquitaniæ

Quâ ex re, superiorum temporum omnis invidia in Augustum recruduit, prorsus ut turbato imperio, non secùs, atque in generali tempestate, & consiliorum desperatione, exitium orbi videretur imminere. Passim audiebantur iratorum vociferationes, ex fratrum natu majorum instigatione. Imperatorem videlicet

NOVÆ IN IMPERATOREM QUERIMONIÆ.

XI.

non captum modò, ſed dementatum etiam uxorijs artibus, brevi peſſundaturum omnia, niſi mox idoneis remedijs ad mentem revocetur. Quid enimverò ſit inſanire, niſi inſanum ſit, regnum Pipino Principi magnanimo detraxiſſe, ut unus ſpolijs puer circumdaretur? ſúſque déque habere populorum ſalutem, in quorum perniciem, brevi, parentis juxtà ac filiorum diſcordiæ ſint erupturæ? Certè cùm imperioſa mulier mariti facilitate abuteretur, ejus authoritatem deprimebat apud Proceres, qui, quòd nihil niſi uxoris gratiâ poſſent (quod amat fieri) Auguſtum oderant & aſpernabantur, velut indignum regno, quippe qui à fœminâ regeretur.

NOVA CONSILIA.

Sed & ſuberant privata irarum incentiva. Lotharius, qui tempori perpetim inſidiabatur, vulgi ſermones velut miſſos ex tripode, pro ſe interpretabatur, ratus adeſſe cauſas, cur rerum ſumma, rectore deſtituta, in ejus ſinum convolaret. Eodem artificio Germanicus in errorem inductus eſt, ut exiſtimaret, parentem, quaſi repueraſceret, ſolio ſubmovendum: tam nihil eſt ambitioni ſacroſanctum. Ad hæc Pipinus à priſtinâ veſaniâ nondum reſipuerat: verbo, maledicta in Cæſarem erant in aperto, odia parricidialia in arcano.

IMPERATOR ARMA RESUMIT.

Ille præviſo periculo, ut oſtenderet, ſe minimè deſipere, menſe Majo, coacto raptim exercitu, ad Vangiones adijt, & re in commune diſcuſsâ filios putavit ad colloquium, & ſi quidem vellent, ad pacis amplexum invitandos. Verùm cùm id non ſucceſſiſſet, demum ad arma ventum eſt, quæ ſine impietatis execratione nequeunt memorari.

PARENS FILIIS CASTRA OBIICIT.

Caſtra caſtris oppoſita 8. cal. Julias in campis Alſaticis, inter Baſileam & Argentuariam, quam hodie quidam Horburgum, meliùs alij Colmariam, interpretantur. Hinc explicârunt ſigna tres filij Reges, inde pater infelix Imperator, miſerabili utrinque ſpectaculo, & avidâ pugnæ expectatione, ex quâ nihilo plus dedecoris victi, quàm victores eſſent reportaturi. Ad deteſtabilis belli famam, cohorreſcente terrarum orbe, excitus gentis Chriſtianæ parens Gregorius IV. Pontif. Max. ſuperatis confeſtim Alpibus, velut ad commune reſtinguendum incendium accurrit.

ADVENTUS GREGORII PONT. AN. CHRIST. DCCC. XXXIII.

Antè quàm adveniret, rumor, ex vano, an potiùs ex pacis odio, paſſim vulgaverat, Pontificem diris armatum, ad protegendas rebellium partes, advolare: quæ fabula varios dedit animorum motus, præſertim in Auguſti caſtris, quæ cùm pro pietate contra degeneres filios ferrum pararent, neutiquam à piorum cœtu arcendi jure merito cenſebantur. Suſpicionem tamen accendit, quòd locorum itineriſque opportunitas Gregorium in filiorum priùs, quàm patris, alloquium adduxiſſet. Id Imperator ſequiùs accepit, quaſi eo præjudicio damnaret cauſam æquiorem, iniquam probaret.

XII.

COLLOQUIA CUM AUGUSTO ET FILIIS FRUSTRANEA.

Stabant interim infeſtæ utrinque acies, nihil præter claſſicum poſtulantes; cùm Cæſari nuntiatum, Pontificem jamjam adfuturum. Hic ad Ludovicum per medias legiones progreſſus, ſolito frigidiùs, & minore, quàm par erat, veneratione exceptus, in Auguſti prætorium deducitur. Iſthic explicatâ adventûs ſui ratione, bonus pacis interpres, quà ſuadendo, quà rogando Ludovicum ſic pacavit, ut polliceretur, ſe Pontificis authoritati, & tranquillitati publicæ, ſuas injurias donaturum, ſi filios ad æquas conditiones inflecteret. Datæ exinde per dies aliquot aures Auguſti querimonijs & juſto dolori: tum Pontifex ad filios digreſſus factâ ſpe redeundi, omnia reperit irarum pleniſſima, parricidialibus odijs adeò accenſis, ut crederet ea non aliter, quàm ſanguine, & Marte judice, poſſe reſtingui. Cùm nihilominus reditum pararet ad Cæſarem, à filijs eſt prohibitus non ſine inſigni animi mœrore.

AUGUSTUS A SUIS DESERITUR.

Inter hæc Auguſti miles, ſive corruptus auro, ſive ſpe creſcendi ſub novo Principe, Auguſto deſerto, quem ut occidentem ſolem grandis ætas orienti luci poſtponebat, à ſignis dilabi, transfugere ad juvenes, & tanta fieri circa ſenem ſolitudo, ut vix retineret numerum parem caſtris defendendis. Jam vis à concitata rebellium multitudine parabatur, cùm Imperator ſupremum diſcrimen advertens, ultrò miſit ad filios, qui rogaret, patris honori parcerent, & ab infami regij ſanguinis ludibrio abſtinerent. Illi bono juſſum eſſe animo ad ſeſe invitant, cum promiſſo, nihil fore, quod metueret, ſi modò venire ad caſtra, & dextras jungere ſuſtineret. Infelix pater toties jam filiorum dolis irretitus, denuo tamen ſtatuit eorum fidem experiri, quòd neceſſitas nullam aliam ſalutis ra-

tio-

tionem in præsens suggereret. Ergo miserabili necessariorum comitatu, qui funebrem veriùs pompam, quàm regium apparatum referebat, unà cum Juditha & Carolo castris egreditur. Venienti obviam processêre filij. Ut in ejus conspectum venerant, specie venerationis ex equis desiliunt, doctissimâ pietatis simulatione in ejus feruntur amplexus. Jam sibi filiisque (quo erat animi candore) redditus videbatur, cùm, quâ solebat, fiduciâ eos hortatur, velint deinceps pietatis, & datæ fidei in patrem esse retinentes, nec designare quicquam indignitatis in novercam & fratrem adolescentulum, quo possint olim violati gentium juris accusari. Verba exquisitissimè reddita, sed sine re. Vix intra vallum processerat, cùm ipse unàque Carolus cum exiguo familiarium manipulo in tentorium, à Lothario præparatum, trahuntur, cinguntur excubijs; Regina verò avulsa ab utriusque latere, Ludovico Germanico traditur deportanda Dortonam, urbem Liguriæ. Tum fratres impij paternum imperium inter se partiti, copias universas in sua verba adigunt, ac denique Pipinus in Aquitaniam, Germanicus in Boicam, revertuntur: Carolus puer Prumiensi Monasterio clauditur, expers tamen monasticæ coronæ. Loco, ubi patrata est perfidia, ad æternam fraudis memoriam inditum nomen campi mendacij. Gregorius Pontifex detestatus immane facinus, Romam abijt ingemiscens inauditæ improbitati, & iræ Cœlitum impendenti. Sed supra omnem modum miserabile: Lotharius patrem schemate, quod ipsæ feræ abominentur, velut ad vulgi spectaculum secum raptans, per oppida palàm dabat visendum in Austrasiâ, in Mediomatricibus, Virduni, Suessionibus; ac demum hoc loci eum jussit in D. Medardi cœnobio haberi sub arctâ custodiâ, donec autumno ineunte inde eductum Compendium adduxit. Eò vocârat Proceres ad tristem, si ulla fuit unquam, tragœdiam. Habita primùm comitia de Augusti capite, in quibus primas partes egerunt Episcopi, quibus Ebbo Remensis Archiepiscopus præsidebat, homo servili stirpe, ingenio venali, Lothario ex asse mancipatus, malis artibus ad infulam provectus, moribus infamis. Cæteri, pars affectibus amentes turpissimóque suffragiorum mercatu, & iniquis præjudicijs, pars consternati metu: pauci dicere, quod ratio poscebat, fidentes. In eo consessu miserrimus senex capitis quidem est absolutus, sed damnatus probrosæ exauctorationis. Facto turpissimo ut fucus aliquis specie religionis obduceretur, coactus est pius Cæsar ex codicillo, quem Judices obtruserunt, recitare palàm errores, quos olim in Antistitum comitio, ultroneo piaculo vulgaverat, & tales quidem, quos ne severi quidem Rhadamanthi magnopere reprehendissent. Igitur reorum more productus in medium, perfusus lachrymis, vultu lamentabili, voce fractâ singultibus, è libello recantat facta vitæ prioris, séque ipse fatetur ultima exempla promeritum, nec defugiturum, qualemcumque pœnam judicum sententia dictaret. Hæc ubi ante aram disertè pronunciaverat, piacularem schedam ad detestabilis scenæ memoriam Mystis tradidit, quam illi sacris DD. Medardi & Sebastiani cineribus imposuerunt. Tum supplici, militare cingulum, arma, paludamentum, purpura, omnia majestatis insignia detracta, atque eorum loco injecta lacerna, pullum pœnitentis amiculum. Id erat Ebbonis inventum; ut tristi ceremoniarum obtentu suscepta religio, imperium perpetuò ejuratum esse, quod repeti non posset, imperitis persuaderetur. Subinde Lotharius, quod jam antè cœperat, populis nova sacramenta indicere, ijsdem religionibus civitates illigare, pro ingenio ordinare recentia, refingere vetera, omnia sursum deorsum vertere, parentem squalore deformatum, Aquas secum comitantem, circumdare continuis vigilijs, & à publico removere, ne quem commiserationis sensum funesta optimi Principis species excitaret. Verùm ubi captivus videri desijt, suborta mox incredibilis conversio animorum, inflexis ad misericordiam proceribus, quos sævitiæ detestatio impellebat ad consilia vindicandæ majestatis. Sed & Austrasiæ & Belgicæ Præsules indignam tanto fastigio sortem miserati, vel serò Pij causam suscepêre. Fiebant passim in Franciâ, Aquitaniâ & Germaniâ coitiones, in quibus calamitoso seni subsidia quærebantur. E Francis Eggebardus Comes, & Wilhelmus stabuli regij magister, multitudi-

[Margin notes: FIT CAPTIVUS. — XIII. — CAROLUS CALVUS IN PRUMIENSI MONASTERIO CUSTODITUR. — LUDOVICUS PIUS IN CUSTODIA. — NEFARIUM DE EIUS SALUTE IUDICIUM. — INFAMIS EXAUCTORATIO. — XIV. — LOTHARIUS RERUM SUMMAM INVADIT. — CONSILIA DE PIO VINDICANDO. — An. Christi DCCC. XXXIV. — *Aimoin. Sigon. Baron.*]

Thegan. c. 45. & seqq.

LUDOVICUS GERMANICUS PARENTIS PARTES SUSCIPIT.

LOTHARIO COLLOQUITUR.

tudinem alliciebant ad Pij partes. Ludovicus Germanicus ductus impij in patrem facti pœnitudine, Francofurdiam profectus, Gozbaldum Abbatem & Morhardum Comitem misit ad Lotharium cum mandatis, eum ut jussu potiùs, quàm precibus impellerent ad instaurandam cum parente pacem, ad reverentiam & debita officia pietatis. Verùm ille nihil motus imperiosâ legatione, Legatos prohibuit Pij congressu, irritósque remisit in Germaniam. Ea tamen repulsâ cùm succedente pœnitentiâ Lothario videretur asperior, quàm ut æquo animo à fratre acciperetur, Moguntiaci venit ad ejus colloquium, ubi exacerbata potiùs, quàm mitigata fratrum discordia. Id effectum saltem, ut Boici Legati Ludovici nomine anno postero in Pij conspectum admitterentur specie veriùs urbanitatis, quàm seriæ collocutionis. Nam Lotharius tot adhibuit sermonum arbitros, ut nihil tutum fuerit legatis ex animi sententiâ dicere. Quare, cùm verbis non liceret, Grimoaldus Abbas, & Gebhardus Dux, doctis nutibus & fronte ad hilaritatem explicatâ, captivo optimam filij mentem, spémque brevi reddendæ libertatis insinuârunt, erexerúntque ad rerum meliorum expectationem. Unde nata Lothario suspicio metúsque, ne Aquis à fratre ex improviso obrueretur, quòd vehementer diffideret Germanorum vicinitati, quorum minimè obscura erant in Pium studia. Ab ijs ut esset remotior, iter in Franciæ interiora intendit. Patrem per Hasbaniensem pagum trahebat Parisios, (si quidem Aimoino aliisque credimus) cùm properanti Eggebardus Comes validam pugnatorum manum objecit. Non stetisset res intra terrorem, nisi Pius pater quà rogando, quà imperando, à cæde jussisset abstineri: noluit videlicet fortium virorum periculo vindicari in libertatem.

Aimoin. lib. 5. c. 44. Vita Ludov. Nithard. lib. 1. Sigon.

XV.

PIPINUS, LUDOVICUS GERMANICUS PRO PATRE ARMATI

LOTHARIUS PATRE DIMISSO DISCEDIT.

Lotharij metum auxerat, quòd Hugo Abbas missus à Ludovico Germanico, & Drogone Metensi Episcopo, Pij fratre, aliisque Præsulibus in Aquitaniam, Pipinum ad restituendum patrem magnis rationibus excitabat. Sed & Bernardus, unáque Guarinus, Burgundos ad arma pro ejus libertate capiendâ accendebant. Jam venerat Lotharius ad D. Dionysij fanum: in Lutetiæ conspectu, cùm Pipinus progressus ad Sequanam, dejectis ab hoste pontibus, subductísque navigijs, transitu prohibitus, tantisper substitit. Aliâ ex parte Guarinus & Bernardus cum Burgundionum copijs ad Matronam amnem tetendêre, sociorum auxilia expectantes; & Ludovicus Germanicus (ita notavit Theganus) Lothario imminebat cum Germanorum exercitu. Ne mox ad manus veniretur, ultrò citróque legati de pace commeabant, quam Pij defensores negabant sanciri posse, nisi ejus libertate. Finxit quidem Lotharius, sibi nihil unquam fuisse tristius patris ærumnosâ calamitate, nec fore quicquam per omnem vitam jucundius ejusdem incolumitate: se neutiquam fuisse passurum injici vincula optimi parentis majestati, si Antistitum iniquitas ea non injecisset. Poposcit deinde in crastinum ad se mitti interpretes, ex quibus pactorum leges cognosceret. Hæc in speciem, certè in cassum dicebantur. Nam ultrò, an suorum suasu, qui omnes insigni in Augustum odio, spem salutis in bello, exitium in otio reponebant, cùm viribus diffideret, per Burgundiam se ocyus Viennam Allobrogum proripuit, exercitum sociorum accessione firmaturus. Pius ad D. Dionysij relictus unà cum Carolo filio in libertatem est assertus. Antè quàm suorum consilio Imperij insignia resumeret, quâ nuper erat pietate, voluit qualicunque religione, quâ nuper arma & purpuram in arâ posuerat, absolvi, tametsi amici supervacaneam istam expiationem rejicerent. Id obtinuit tamen, ut Episcoporum manibus armis accingeretur, cæterúmque capesseret cultum majestatis. Fuit ingens ejusce diei lætitia, & Ordinum omnium gratulatio. Poterat bellum celeritate confici, & à tantâ multitudine Lotharius nullo negotio opprimi, nisi perpetua Pij lenitas occasioni frenos injecisset: etenim posthabitis salutaria suadentium monitis, maluit dari spatium, Lothario saniora respiciendi. Verùm quæ hujus fuit protervia, ex patris indulgentiâ factus obstinatior, tum demum sævire cœpit in eos, qui in patris obsequio remanserant. Hi barbarâ crudelitate vexati: sacra profana sursum deorsum versa: rapinis, ferro, incen-

PIUS AUGUSTALIA INSIGNIA RESUMIT.

LOTHARII SÆVITIA.

incendiis fœdatæ provinciæ, spreta patris legatio, civitas Cabilonensis expugnata, versáque in cineres, præter unam D. Georgij basilicam divinitus servatam: occisi Imperatoris amici, soror Bernardi, sanctimonialis, dolio inclusa, projecta in Ararim: nihilo facta remissior cupido recuperandi dominatûs. Pipinus in patris gratiam receptus, permissus est reverti in Aquitaniam, Germanico actæ gratiæ, velut auctori redditæ libertatis. Et quia Lotharij factio ex secundis aliquot eventis alia super alia indies incrementa sumebat, Pius Ludovicum filium pro eâ fiduciâ, quam de ejus obsequio conceperat, suo lateri continenter voluit adhærere. Juditha ab exilio revocata, reductáque à Rhataldo & Bonifacio Episcopis, mussitantibus adhuc accusatoribus, quorum importunitate factum, ut rursus juramento impactam infamiam revinceret: nec desière tamen aliqua suspicionum vestigia ejus nomini adhærere. *Annal Franc. Nithard. Thegan. Aimoin.*

Breve exinde otium fuit Imperatori: cùm enim Lotharius non desineret insanire, arma fuêre resumenda. Priùs tamen ad eum Aurelias missa legatio, cujus princeps, Marquardus Abbas Prumiensis, gravissimâ oratione id egit, tandem aliquando semet respiceret, cessarétque patrem, tot jam lacessitum maleficijs, ulteriùs irritare: nollet ad posteros infamiam transmittere, Regem abs Rege, à filio patrem ex composito, nullâ causâ, fuisse violatum. Exhiberet se in parentis conspectum, neque de ejus clementiâ dubitaret, quam toties jam esset expertus. Hoc optare terrarum orbem, ne olim fama posthuma possit meminisse, stetisse in acie militem parricidio auctoratum, qui nec pugnate sine scelere, sed ne mori quidem potuerit sine infamiâ. Quis enim audiat sine indignatione, signa fuisse explicata eorum ductu atque imperio, quibus ne hostium quidem nomen, citra ignominiam, possit convenire, quique certi sint æterni dedecoris, quocunque se fortuna inclinârit. Mallet igitur salutem exitio, gloriam infamiæ, patris benevolentiam odio, dum res esset integra, præhabere. Verùm hæc apud tumidum, iráque spirantem, fuêre frustra. Remissi cum minaci responso Legati. Ergo Cæsari ferrum rursus in sua viscera, rebus necessarijs, stringendum fuit. Quam ad rem Pipinum cum suppetijs accersit ex Aquitaniâ, quæ ad dictam diem adfuerunt. Accessit è Germaniâ Ludovicus, cum validâ suorum manu: secutæ sunt Francorum fidæ & pugnandi avidæ legiones. Quibus viribus instructus Cæsar, Aurelias contendit. *An. Christ. DCCC. XXXV.* *XVI. Obstinatio.*

Visus initio Lotharius sui copiam in acie facturus, quòd speraret patris exercitum transitionem facturum nupero Alsaticæ defectionis exemplo. Verùm ubi animadvertit, nihil tale ab ijs cogitari, non est ausus rei summam credere supremæ dimicationi; sed cùm ipsi, undique circumfuso, tutus honesto receptui locus non esset, primum fuit, ut se dederet clementiæ paternæ. Illum Imperator ex alto tribunali, adstantibus ad latera Ludovico & Pipino filijs, & inspectante exercitu, genibus advolutum excepit: cúmque culpam esset deprecatus, modicè increpitum & novo sacramento obstrictum in Italiam jussit abire, seséque ejus finibus continere: quibus ne excederet, Alpium fauces præsidijs occupavit, ablatâ ultrò citróque commeandi licentiâ. Principibus factiosis eâdem facilitate noxam condonavit, parùm laudabili; certè pernicioso ad alios exemplo. *Deditio.*

Secundùm hæc aggressus ordinare Rempublicam, quam nuperi motus haud mediocriter turbaverant, conventum habuit Attiniaci: tum frequenti Episcoporum concursu in villa Theodonis, Ebbonem Remensem Archiepiscopum exauctorati Cæsaris auctorem, velut eo gradu indignum (in quem tamen post Pij mortem à Lothario fuit restitutus) egit in exilium, quod illi breve fuit in Italiâ. Qui in eâdem factione fuerant, culpam excusârunt obtentu necessitatis, quasi ad eam indignitatem, metu minísque fuissent adacti, quibus proinde facta venia. Agobardus Lugdunensis Antistes, qui socius fuerat criminis, ad dicendam causam citatus, vadimonio neglecto, majestatis est damnatus. Alij, qui in Italiam confugerant, relicti sunt Pontificis Romani arbitrio. Itum deinde in urbem Mediomatricum, ubi inter solennia Missarum, septem Archiepiscopi dedère operam Cæsaris *XVII. Thegan. Act. Conc. Suession. Episcoporum reconciliatio, non tamen omnium.*

ſaris reconciliationi, recitatis totidem publicè expiatorijs formulis, quæ erant ejuſmodi ceremonijs accommodatæ. Agebatur tunc Hilariorum Dominica. Non multò pòſt, Theodulfus Abbas Floriacenſis, qui Andegavi ob eandem conſpirationem in vinculis ſervabatur, ſcripſit carmen Elegiacum [*Gloria, laus, & honor tibi ſit Rex Chriſte redemptor, Cui puerile decus prompſit Oſanna pium*] cujus hodiéque uſus eſt in die Ramalium, quo delectatus Cæſar, juſſit eum ergaſtulo eximi, & Aurelianenſem ſedem occupare.

Leg. Franc. lib. 2. c. 21.

Pii leges. XIIX.

Ne perpetuâ tumultuum narratione Lectorem detineamus, juvabit hoc loco nonnihil decerpere ex legibus, quas hoc anno Ludovicus ſancivit. Earum capita per palatij regij Cancellarium juſſit Archiepiſcopis & Comitibus, ſcripto transmiſſa, vulgari. In ijs varia conſtituit de jure Commiſſariorum, quos priſco vocabulo Miſſos nuncupabant, déque aliorum officijs, qui regia negotia tractabant: de Comitijs, quæ ſtatis anni temporibus, ſuis quæque locis, agerentur per minores publicæ rei curatores: déque ijs, quos iſtiuſmodi conventibus oporteret intereſſe, Epiſcopis videlicet, Abbatibus, Comitibus, Vaſallis, ſive beneficiarijs clientibus, Advocatis, Antiſtitarum vicarijs. Imperavit præterea haberi quæſtiones de Miſſaticorum (ut vocabant) muneribus, rectè vel perperam adminiſtratis, præſertim circa neglectas religionum obſervationes, fiſci procurationem, graſſatorum ſupplicia, pontium viarúmque inſtaurationem, & ſimilia. De Comitibus verò in Comitiorum lege hæc reperiuntur: *Habeat unuſquisque Comes Vicarios & Centenarios ſuos ſecum, nec non de prioribus Scabinis tres aut quatuor.* Porrò lepidum eſt, & ab ævi noſtri delitijs remotum, quod de Commiſſariorum annonâ erat conſtitutum: ut videlicet Epiſcopo præberentur panes quadraginta, *Friskingæ* tres: in potum modij tres: porcellus unus: pulli tres: ova quindecim: annona ad caballos, modij quatuor. Hæc ſi non præbebantur, jus erat pretium exigere. Friskingas interpretor pulmenta, qualia nominantur in Commentarijs prædiatorijs, & vetuſtis Monaſteriorum Codicibus: *Solvit Friskingam porcinam, aut denarios quatuor: vervecinam ad Paſcha, aut denarios duodecim. Item in adventum Regis Friskingam & farinæ modium.* In potum Epiſcopi, ſubminiſtrabantur modij tres.

Hitto Ep. Friſingenſis moritur.

Hoc anno Friſingæ Cathedra Hittonem Epiſcopum amiſit, ejúſque loco accepit Erctenbertum ex fratre ejuſdem nepotem, contrà ac habet liber traditionum Friſingenſium, qui Annonem vult Hittoni ſucceſſiſſe. Hitto ſingulari ſtudio incumbebat in litteras, unde illi non vulgaris eruditio, quæ illi fecit animos, ut corrigendæ barbariei, quæ in linguam Latinam rudi iſtâ tempeſtate irrepſerat, manum non dubitaverit admovere. Uſus eſt etiam inſigni liberalitate & induſtriâ in augendis Friſingenſis Eccleſiæ facultatibus, quarum acceſſio deſcribitur in libro traditionum. Quam in rem contulit partem opimi patrimonij, Colesdinâ ejus ſorore, & Heildradâ nepte, aſſentientibus. Sex Canonicorum collegium in D. Stephani inſtituit. Ad hunc quoque annum referunt Annales, Gregorij Rom. Pont. monitionem, quâ Ludovico Imperatori perſuaſit, ut curaret induci in morem celebrationem feſtivitatis omnium Sanctorum ad Calend. Novemb. per Germaniam & Galliam: ubi, vel à nullis, vel, quod vero ſimilius putat Azorius, à paucis Eccleſijs feſtivè agebatur; tametſi poſt Bonifacij IV. decretum, & Pantheon falſorum deorum delubrum expiatum jam à ducentis annis, in urbe ea religio viguerat. Ex quo proclive eſt æſtimare, ſermones quoſdam, qui D. Auguſtino tribuantur (quod notavit ſchola Lovanienſis) Alcuino potiùs adſcribendos eſſe.

Sigebert. Baron. ad an. 835.

Feſtum omnium Sanctorum in morem receptum.

An. Chriſt. DCCCXXXVI.

Adalramus Saliſburgenſis moritur.

Sequens annus Adalramum Saliſburgenſem Archiepiſcopum 6. Non. Maij abſtulit, virum eruditione & rerum divinarum ſtudio in paucis eâ tempeſtate clarum. Is Virgilij & Arnonis exemplo Carantanis Othonem dedit Epiſcopum. Demortuo datus eſt ſucceſſor Liupramus, quem Gregorius IV. Pontifex pallio Archiepiſcopali inſignivit. Hic ipſe eſt, qui Othoni Epiſcopo defuncto ſuffecit Oſwaldum, addiditque Myſtas, qui illi in ſacrorum procuratione ferrent opem, in quibus Sunarnagellus & Aliſundus, præ cæteris, ſuam virtutem probaverunt.

Monet

Monet nos Liuprami nomen, ut, quæ superiùs de Hunnis Boicæ contributis inchoavimus, ad hunc usque annum pertexamus. Hunnis à Carolo Magno subactis, & ad internecionem propè deletis, in eorum possessiones immigraverunt Bojorum & Slavorum coloniæ. Limitibus impositi Comites hoc ordine. Primus Gunderamus, cui successerunt, Werenharius, Albricus, Gotefridus, Geroldus. Fuerunt præterea præfecti minores, qui ad Imperatoris nutum & Comitum imperia, finibus tuendis, regendisque Dynastijs dabant operam, quorum nomina tradita quidem litteris, sed duriuscula Romanis auribus, Prinnihlavuga, Cemrias, Hroymar, Ergar. Illos secuti sunt, Hebriuninus, Albgarius & Palio, qui Boicæ Regum beneficiarij, retento nomine Comitum, provinciam gubernabant. Ex eorum quoque numero fuit Ratbodus, quo rerum potiente, Prinninas quidam è Danubij confinio à Moymaro Moravorum Duce actus in exilium, & à Ludovico receptus in fidem, sese Christo adjunxit, & Ratbodo commendatus & apprimè familiaris, aliquantum temporis egit in Pannoniâ. Verùm, ut Magnatum amicitiæ necessitudinis assiduitate dissolvuntur, Prinninas an offensus, an pertæsus convictum alienum, an spe fortunæ melioris; Ratimari Bulgarorum Ducis, qui Pannoniæ fines incursabat, socio Hecilone signa secutus est. Ludovicus Germanicus, ne ultrà malum grassaretur, confestim jussit, Ratbodum contractis undique copijs Ratimari excursiones coërcere. Pugnâ consertâ penes Ratbodum stetit victoria, acto in fugam Ratimaro. Prinninas animo, quàm milite, melior, tametsi sociorum fugam non stitit, honestiore tamen receptu evasit trans Savum flumen ad Salachonem Comitem, qui viri magnanimi sortem miseratus, eum non modò tecto recepit, juvitque commeatu, sed etiam defectionis & dissutæ familiaritatis errorem seriò lamentantem, in pristinum gratiæ locum apud Ratbodum reposuit. Prinninas deinceps in officio perstitit, labémque nuperæ secessionis tantis virtutibus induxit, ut tum Ratbodus, tum alij præcipuæ dignationis Proceres, dignum censuerint, quem suo apud Ludovicum Regem patrocinio sublevarent, eique impetrarent clientelare beneficium agri non modici, in inferiori Pannoniâ ad Savum amnem. Hoc obstrictus nexu, suam ut fidem probaret, regionémque firmaret adversus finitimorum irruptiones, fines arce validi operis, agrum numeroso colono, loca varia opportunis ædificijs instruxit. Crescente indies, propter soli fœcunditatem & munimentorum tutelam, incolarum multitudine; basilicam, in quâ sacri conventus, more Christiano, ad res divinas agerentur, infra arcem condidit, quam Luipramus, sacris ritibus, ad honorem Deiparæ Virginis, divino Numini initiavit, commisitque curæ Dominici sacerdotis, qui simul gentem Christianis institutis & sacramentorum usu excoleret. Accersiti præterea, Liupramo auctore, architecti, pictores, fabri lignarij, latomi, aliique id genus materiarij, quorum ope templa sedecim, censu decenti, fuerunt erecta. Ludovicus Rex viri religione, & studio firmandæ, ampliandæque ditionis recreatus, illi terras beneficiarias, quas antè jam acceperat, quásque deinceps sui juris erat facturus, ut proprias cum directa (ut vocant) jurisdictione, publicis tabulis, quæ Reginoburgi demum confectæ, anno DCCCXLIIX. 4. Id. Octob. confirmari voluit. Prinninas vicissim egregiâ in Regem & rem Christianam constantiâ, se acceptorum beneficiorum memorem, præ quàm fuerunt barbarorum mores, ostendit, cavitque sedulò per omnem vitam, ne quicquam fieret, quo debitus sedi Salisburgensi honor, vel Ecclesiarum jura violarentur. Hæc de rebus Pannonicis. XIX. RES HUNNICÆ.

Cæterùm ne quieta esset Italia, fecit Lotharij turbulentum ingenium. Vix se jussu parentis domum retulerat, cùm cœpit, an odio Summi Pontificis, quem sibi minùs addictum in superioribus tumultibus senserat, an præpostero studio Italicum imperium fortunámque ampliandi, in Ecclesiæ Romanæ possessiones (quod nulli unquam bene vertit) involare, armáque pópulo Romano inferre, donec à Ludovico Imp. acerrimè correptus, à cœpto demum destitit. Visus est quoque Deus pio Principi, in præmium Ecclesiæ defensæ opem attulisse, quando Nortmannos Hollandiam, Frisiam, & Flandriam immaniter vexantes, & tumul- XX. LOTHARIUS ROMANÆ ECCLESIÆ POSSESSIONES INVADIT.

tuan-

tuantes Britones felicissimè repressit. Datum est divinæ ultioni supplicium velut ab irato cœlo sumptum de decem, ut minimum Principibus, qui nuper in Pium conjurârant (inter quos Episcopi duo, Abbas unus) quos sæva lues hoc anno plerosque extinxit. Ut verò Ludovicus, quod suarum erat partium, publicæ quieti in futurum prospiceret, agi placuit in Synodo Aquisgranensi de ratione cavendi, ne de cætero per factiosos publicum otium turbaretur. Episcopi, quibus commissum erat expendere causas superiorum motuum, inter cæteras retulerunt, quòd Reges contra jus fásque involâssent in Ecclesiæ munia, quódque vicissim sacerdotes, pars ignorantiâ, pars privatæ rei studio, profanis negotijs manus injecissent, & publicorum etiam munerum administrationem ad se per ambitionem traxissent.

Aimoin.

Conc. Aquisg. lib. 1. part. 4. c. 14. an. 837.

AN. CHRIST. DCCC. XXXVII.

XXI. Plurimùm valere poterant Ludovici curæ, si perinde domestica turbarum incentiva, atque externa sustulisset. Verùm supererant non modò latentes scintillæ, sed flammæ etiam aliquando in gravissimum incendium erupturæ, quas bonus Imperator nondum extinxerat, & eò quidem periculosiùs, quòd sub regiæ domûs cinere foverentur. Juditha Augusta experta plusquam decumanas in suam & Caroli filij salutem tempestates, quiescere non poterat, nisi in futurum sibi videret prospectum. Non erat nescius Imperator, Proceres utrique esse infensos, ob propinquorum supplicia, quorum memoria altè ipsis impressa, nihil quietum pollicebatur. Regina non imprudenter recogitabat devexam mariti ætatem, quæ indies morbis, ærumnis atque laboribus magis magisque fatiscebat. Igitur capit consilium, primâ quidem fronte ingeniosum atque tempestivum, sed re ipsâ (quod eventus docuit) perniciabile. Se & filium ut eximeret periculo, quod à malevolis videbat imminere; maritum Regem quidvis acturum pro utriusque securitate, verbis fletu confusis sic interpellat. *Quæ & quanta, meâ & filij Caroli causâ, toleráris, tute meministi, nec est cur vulnera, quæ nondum bene coaluerunt, memorando refricem. Tamen de futuris (nisi tibi grave sit) licet humanitus augurari. O te Deus Orbi Christiano, & mihi, tuóque Carolo servet quàm diutissimè. Quod si te nobis fata eripiant, nisi simus ad omnes casus comparati, quid tandem erit, quod possimus à meis privignis expectare? si te vivo tam in nos fuère iniqui, quales erunt, cùm nos videbunt omni præsidio destitutos? Uterque perijmus, si sine tutela relinquimur. Nostras spes tegere externis, perinde est, atque omne Francorum nomen in nos armare. Quid igitur? Domesticus nobis defensor opus est, & is quidem, qui hostis fuit hactenus, neque enim alius in promptu est, & faxit Deus, ut hostis esse desinat. Sed in re creperâ, cùm nullum est aliud remedium, sperni non debet medicina ambigua. Mihi liceat verbo aperire, quod futuri metus & curæ perpetes suggesserunt. Conciliandus nobis est Lotharius, & demerendus quibuscunque officijs. Fortè non erit tam inhumanus, ut nostræ sortis nullam habeat rationem, neque tam impius, ut patris vota aspernetur, neque tam durus, ut se tuâ authoritate non patiatur inflecti. Si conditionem, quam tu illi dictaveris, improbet, fit ita; non erit tamen fortuna nostra multò, quàm nunc, deterior: id saltem habebimus inde commodi, ut de ejus in nos affectu facti certiores, noverimus alia nobis esse subsidia requirenda. Sin tibi morem gesserit, tuti sumus: si fallat, Deum habebimus tutorem, cui non erit operosum, nostræ incolumitatis vindices excitare. In Lothario est ætatis prærogativa, ob quam fratribus sine offensione potest præferri: est potentia, quâ nos tueatur; erit imperij majestas, ad quod tuo beneficio jam est designatus. Et forsan lætabitur sibi dari occasionem eluendi offensas, quas præteritis in te factis incurrit: Et nisi omnem amiserit sensum humanitatis, recordabitur, se per Carolum, & meo quidem voto, detersâ simultate, ad tuam gratiam esse receptum.*

LOTHARIUS CAROLI CALVI TUTOR.

XXII. Hæc dicta muliebriùs quàm sapientiùs: quis enim se credat hosti, per vim atque in speciem reconciliato, & immensæ ambitionis, cui súsque déque est humana omnia & divina jura violare? Attamen dedit sive tempori, sive precibus uxoris Ludovicus, ut importunè assentiretur; non æstimans, se unum Lotharium demerendo, Ludovicum Germanicum ac Pipinum eo fœdere præteritos, à Carolo & Judithâ alienaturum, collisurúmque fratres, quibus promptum foret, concor-

cordiam, novercæ & Caroli capitibus sancire. Missi igitur ad Lotharium legati, qui præcipuum illi benevolentiæ locum, unà cum imperij semisse, demptâ tamen Boicâ pollicerentur, si modò patri se sisteret, & de Caroli tutelâ accipere mandata sustineret. Hæc tametsi Lothario actu visa perutilia, distulit tamen adventum obtentu valetudinis; pollicitus per Walam, unum ex amicis potissimum, se, ubi primùm per vires liceret, patri adfuturum. Secundum hæc Judithæ instinctu Ludovicus totus cœpit esse in locupletando Carolo, quòd persuasum haberet, ex horrido Cometa, qui vere præterito apparuerat, vicinam sibi mortem portendi. Igitur partem regni Francici insignem Carolo tradit Aquisgrani, tantâ Lotharij & Germanici invidiâ, ut ex condicto in vallem Tridentinam congressi, eâ super injuriâ (sic illi factum interpretabantur) capita contulerint, mox arma correpturi, nisi ut in re ancipiti, quæque aliàs opportuniùs posset rescindi, in præsens dissimulando, visa fuisset esse in tempus minùs alienum transmittenda. Eorum tamen deliberatio patri displicuit, neque est passus conceptam exinde offensionem sic abstergi, quin totam facti invidiam in Ludovicum Bojum derivaret; Judithæ, credo, consilio, quæ hunc obruere atque exuere nocendi facultate, Lotharium verò sibi devincire, & eâdem operâ utrumque dissociare satagebat. Quare Lothario impune fuit de Augusti liberalitate consultâsse; Ludovico gravis inflicta pœna, detractis, exceptâ Bojariâ, omnibus provincijs, quas parens in nuperâ partitione ejus ditioni contribuerat. Quam rem Bojus accepit iniquissimè, eò maximè, quòd inauditâ causâ tam inclementi judicio, se, qui filiorum omnium in parentem fuisset æquissimus, sentiret esse damnatum. Quamobrem collecto raptim exercitu, Novembri exeunte, Francofurtum iratus inijt. Pater arbitratus vim parari, Moguntiam armatus ingreditur.

Lotharius invitatur a patre. — *Sigon. lib. 4.* — *Aimoin. lib. 5.* — *Calvus locupletatur.* — *Ludovico Germanico pars provinciarum detrahitur.* — *Parens in filium rursum armatur.*

XXIII. Dum res in eo sunt, tristes venerunt ex Aquitaniâ nuntij, qui utrique arma iràsque meritò debuissent excutere, nisi malè feriatorum obloquia Pio consuetam lenitatem abstulissent. Afferebatur enim, Pipinum Regem fato concessisse, eodem isto mense, quo filius alter bellum, alter mortalitatis memoriam, patri ostentabant. Credebatur Pius eò fore mitior, quòd Pipini decessu, opum affatim illi redisset in manus, ad Caroli fortunam erigendam absque cujusquam invidiâ: verùm plus valuêre Judithæ flabella, ejus indignationem usque & usque accendentis.

Pipini obitus.

Eâdem tempestate Reginarius Pataviensis Episcopus, vigesimo ab initâ cathedrâ anno, è vivis excessit. Litem moverat Adelramo Salisburgensi Archiepiscopo de Diœcesis suæ finibus, idque ob regiones sitas ultra montes Comagenos, quas Ecclesiæ Pataviensi obnoxias esse contendebat, Adelramo contrà nitente; quòd Arno ejus præcessor, istis locis, primus Christianæ religionis lucem intulisset. Huic dissidio Ludovicus Bojus finem imposuit constitutis limitibus, qui utriusque jurisdictionem finirent; quod testantur tabulæ Reginoburgi confectæ. Feruntur etiam superesse binæ litteræ, quarum unis Ludovicus Reginario confirmat præter Chirchbachium, centum prædia in Avarum regione, alteris eidem addicit possessionem Lythæ super fontem, qui locus linguâ vernaculâ Schönbrunnæ vocabulo nuncupatur. Reginario cùm successor quæreretur, neque inter eligentes conveniret, sedes Antistite caruit per annum, eóque ampliùs.

Mors Reginarii Ep. Passaviensis. — *Lis de finibus Passaviensis Dioecesis, ultra montes Comagenos.*

Interim Ludovicus Bojus dolore magnitudinis imminutæ, & Augustus vindictæ studio, partem hiemis in armis egerunt nullo operæ pretio, cùm ob sanguinis respectum, neutri honestum esset ferrum stringere, nec verò etiam brumæ rigor castra castris objici pateretur. Paulatim refrigescebant iræ, & demum Bojus qualemcumque rerum dignitatisque jacturam posthabuit justæ in patrem pietati, ratus, eâ moderatione molliorem sibi fore reditum ad pristinos honores & amplitudinem fortunarum. Ad patrem vocatus, se ipsi stitit supplici habitu Hodonnæ, culpámque deprecatus, visus est Augustum placâsse: verùm tantum abfuit, ut ablatas Provincias & irrogatæ pœnæ condonationem impetraret, ut etiam obliteratâ præteritorum obsequiorum memoriâ, sine spe recuperandi regni in Boi-

Aimoin.

cam remitteretur. Cùm enim Juditha non desineret senem maritum continentibus precibus urgere, ut, quod antè erat pollicitus, de Lothario demerendo, augendóque Carolo ex eâ, quæ ultrò nata fuerat, occasione, rebus ipsis præstaret, & ulcisceretur sugillatam à Bojo majestatem, nec verò Lotharius spe crescendi suis partibus deesset, bonus senex velut de mentis sede dejectus, consilium, quo vix poterat ullum suggeri perniciosius, amplectitur, faciendæ rursus regnorum omnium partitionis. Ergo Lothario transcribit Italiam, & quicquid à Mosa flumine vergit ad Austrum: Carolo verò donat, quicquid respicit occidentem: Ludovici denique ditionem unius Bojariæ angustijs constringit. Quid ageret filius geminatâ proscriptione extra omnem recuperandæ patris benevolentiæ fiduciam projectus? Velut in re supremâ, eò quòd nihil sine armis poterat constitui, & æmulorum voluntate jactura nunquam sarciri posset, acceptam contumeliam, rerúmque detrimenta quocunque periculo statuit depellere, accusans fortunæ iniquitatem, quæ Lotharij in patrem impietati coronas & sceptra dedisset, ademisset verò obsequijs, & modestiæ filij cæteris fratribus longè innocentioris.

NOVA PROVINCIARUM PARTITIO.

AN. CHRIST. DCCCXL.

XXIV.

LUDOVICUS GERMANICUS ARMATUS, A SUIS DESERITUR.

Vita Lud. Pij, Aimoin.

Igitur ad ineuntem annum quadragesimum, armatus redit Francofurtum, vim, si non illaturus, at prohibiturus saltem, si quæ fieret ad invadendas provincias, Carolo paternis tabulis contributas. Erigebant animum studia Saxonum & Turingorum, aliorúmque populorum, quos sibi morum insigni comitate demeruerat. Verùm, ut in rebus adversis inconstans est benevolentia, qui addixerant se ad ejus nutum fore in armis, & cum fide, capitísque sui periculo, quidlibet pro ejus dignitate tentaturos, ad primam Pij cum exercitu adventantis famam, ne expectatâ quidem belli aleâ, suasêre fugam, secúmque per Turingiam Ludovicum abripuêre. Parens eos insecutus, & nusquam passus pedem figere, cùm nihil esset propius, quàm ut iter intercluderet, transitus per Bohemiam auro fuit emendus, ut per longas ambages receptus in Boicâ quæreretur. Atque hic quidem eventus fuit magni apparatûs, dubium, patri an filio honestior, neutri prosper, fructúsque Pio Imperatori non diuturni. Etenim ab istâ expeditione redux in Vangiones, velut supremam manum rebus impositurus, Lotharium ex Italiâ accersitum jussit Comitijs, quæ Wormatiæ indixerat, interesse. Quo tempore Solis terrifica defectio 7. Id. Majas ingenti mortalium animos horrore perfudit. Ferunt, eum diem nocti parùm absimilem, stellas in cœlo conspicuas, Lunæque fulgorem insigniter apparentem ostendisse, quasi præsagirent astra, magnum propediem terris lumen esse subtrahendum. Atque ex eo quidem tempore Ludovicus Pius curis confectus, cœpit pituitâ, largiùs in ventriculum infusâ, languescere, urgeri singultibus, quod senibus, inter pessima, malum est, accedente profusiore vomitu, ciborum nauseâ, & præcipiti virium imminutione. Ut sensit morbi ingravescentis discrimen, voluit in Rheni insulam Ingelheimiensi Regiæ propinquam deportari, ubi complures præstanti virtute Antistites morienti adstiterunt. In his Otgarius Moguntinus, Hetti Trevirensis, Drogo Metensis. Huic utpote amicissimo fratri, ex matre impari, & supremo regij sacelli magistro, solebat animi noxas sacrâ exomologesi expiandas aperire, quod diebus postremis solito fecit crebriùs. Per dies quadraginta, præter sacrosanctum corporis Christi ferculum nihil cibi admisit, hoc ipso lætus, quòd crederet, se verni jejunij tributum pari dierum numero persolvere. Imperavit inter hæc, regiam supellectilem referri in indicem, & partim ad levandam miserorum inopiam, partim in bene meritorum præmia erogari. Lothario largitus est diadema, & ensem gemmis & auro fulgentem, cum dicto, ut filio Carolo, & Judithæ conjugi fidem attributámque regni portionem, salvam integrámque servaret. Alia pretij præcipui donavit Carolo. Cùm Ludovici filij ne verbo quidem meminisset, veriti Antistites, ne, qui cæteroquin insignia virtutum exempla præ se ferebat, minùs paternè, quàm pro Christianâ pietate de ipso sentiens, animo nondum pacato, è vitâ migraret; Drogone verba faciente, leniter appellârunt; an Ludovicum filium

ECLIPSIS HORRIDA.

PII MORBUS.

XXV.

DISPOSITIO AD MORTEM

lium condonatis omnibus offensis,in gratiam cogitet supremâ voluntate recipere. Ad hæc paulùm moratus, acceptas à filio injurias enumerat, additque, quantæ tot noxas pœnæ apud Deum maneant: tum infit; *Quia tamen nec adest ipse, nec mihi coràm potest satisfacere, quod mearum est partium, Deo & vobis testibus, Ludovico, quæcunque in me deliquit, omnia remitto: vestrum nihilominus erit, eum monere, meminerit, quantopere Deum, omnium parentem, violatâ ipsius & naturæ lege, offenderit, deducendo canos meos cum dolore ad sepulchrum.* Tum petijt in suo conspectu nocturnæ comprecationis officium persolvi, sibique adferri lignum crucis salutiferæ, quod suâ manu, quoad per vires licuit, pectori suaviter appressit, frontémque ejus signo munivit. Die postero, qui Dominicus fuit, Drogonem jussit ad aram sacrificio operari, atque sibi de more præberi cœleste viaticum, quod ubi sumpserat; Ite (inquit) & corpora reficite, vestrum ego reditum præstolabor. Posteaquam à mensâ redierant, cùm verbo non posset, nutu se ijs commendans,ostendit cupere se sacro morientium ritu procurari: tum conversus ad lævam, voce severâ, quasi ferale quid abigeret, bis exclamavit *Huss, Huss,* linguâ vulgari; apage, apage, vel foras, foras. Opinio fuit, eum, dæmonem tartareum præsentem aspectabili specie, depulisse. Dehinc ridenti similis, & vultu ad hilaritatem composito, pòst paulò velut triumphans animam exhalavit 12. cal. Julij, anno DCCCXL. ætatis quarto supra sexagesimum, imperij vigesimo septimo. Ejus funus celebri pompâ, comitantibus Ordinis utriusque multis proceribus, Metis in D. Arnulfi Basilicam illatum. Justa funebria à Drogone Episcopo magnificè persoluta. Fuit eximiâ in Deum religione, in hostes mirabili clementiâ, suorum potiùs, quàm extraneorum vexatus injurijs, insigni documento, quantùm noceat immodica parentum in liberos indulgentia. LUDOVICI PII OBITUS.

XXVI. *Annal. Fuld. Nithard.* LOTHARIUS NITITUR TOTAM PARENTIS HÆREDITATEM AD SE RAPERE.

Lotharius Rex Italiæ, quòd ætate fratres anteiret, & jam pridem Cæsaris titulo ad fastigium esset designatus, citatis mox itineribus, advolavit in Franciam, certus, regna à patre relicta, sine socio, ad se rapere, súsque déque habere datam fidem, & supremam Pij voluntatem. Turbis initium fecit à pervertendis populorum studijs,quæ sibi ex asse conatus est usurpare. Circummissis igitur per provincias prensatoribus, cœpit Procerum voluntates magnis promissis ambire, civitates delinire spe majoris libertatis,ora Magistratibus sublinere beneficiorum ostentatione, aureos montes promiscuæ multitudini promittere, in sua vota omnes,novâ sacramenti religione,velle irretire; recusantibus inijcere terrorem,lubentibus venditare prærogativas; nihil denique corruptelarum omittere,ad parandos favores, & ingressum novi dominatûs. Ludovicus Bojus non nisi armis poterat expugnari: spes erat, Carolum dolis circumveniendi. Hunc per legatos adortus, primùm jussit ratam habere paternam regnorum divisionem,omnia vicissim charitatis officia, quibus ne à patre quidem majora possent proficisci,certò expectare. Hæc agentem sequebatur exercitus,quem in Italiâ legerat. Ludovicus nihil horum nescius, validas copias ex Boijs, Saxonibus,& Francis Orientalibus comparabat. Vix dum Lotharius Rhenum trajecerat, cùm fratrem, haud procul Francofurto, ex insperato habuit in conspectu. Apparebat, congressuras acies, cùm Lotharius certaminis aleam subire non ausus,quasi præoptaret pacem ex mutuâ consensione, primùm unius noctis, deinde longiores inducias impetravit, eâ lege, ut ad 3. Id. Novemb. eodem loci rediretur, ad tentandam concordiam,vel, si ea non conciliaretur, ad litem Marte arbitro dirimendam. Verùm ista Lotharij comperendinatio eò duntaxat spectabat, ut copijs in tutum subductis, tractóque in partes Carolo, ad opprimendum Ludovicum validior evaderet. Credebat enim, post ingentes pollicitationes, se quidvis per Juditham & Proceres, quos corruperat, à Carolo posse obtinere, nec videbat, cur in adolescente tantum foret animi, ut prima militiæ rudimenta, cum tanto fortunarum discrimine, auderet ponere adversum Imperatorem veteranum. Verùm res est expertus longè, quam sperabat, impeditiores, Carolo ad blanditias perinde atque minas prorsus immoto: id tamen impetravit, ut, bello per pactionem tantisper suspenso, fratri insidias usi- LUDOVICUS BOIUS OBSISTIT.

tatis artibus, per otium adornaret. Congressus verò, quem Ludovico condixerat in mensem Novembrem, gliscentibus in majus odijs, in ventos abijt. Hic annus Pataviensibus Antistitem dedit Hardovicum, virum præclaris instructum virtutibus, insigníque facundiâ, qui suæ Ecclesiæ opes, atque dignitatem magnis auxit incrementis.

AN. CHRIST. DCCCXLI. FRATERNÆ DISCORDIÆ. XXVII.

Annum aggredimur inexpiabilibus fratrum odijs, cladibúsque, & dominandi libidine funestum. Quid enim æquitatis sperari poterat à Regibus, qui patrem impiè vexaverant? In Galliâ dissensiones sopitæ veriùs, quàm sublatæ resederant; cùm Lotharius fit certior, Germanicum Rheni limitem validis præsidijs à Ludovico muniri; quam rem ad arma spectare nemo dubitabat. Partium utrique potentes clientelæ, ingentes copiæ, industria militaris usu quæsita, artes & sagacitas rerum agendarum. Lothario sua studia suppetiásque addixerant, Otgarius Moguntinensis Archiepiscopus, & Adelbertus Comes Mediomatricum domi militiæque egregius, immani uterque in Ludovicum odio. Lotharius è Galliâ atque Italiâ numerosum bellatorum agmen trahebat. Ut ferro primo quoque tempore decerneret, Rheno ad Vormatiam trajecto, suadebat Adelbertus: verùm, cùm ne tum quidem res metu vacaret, ut sunt perplexa belli consilia, visum alijs, vafritie fortunæ facere experimentum. Quam ad rem valuêre emissarij, qui in Ludovici copias clàm sparsi, donis alios, alios promissis, minacijs alios terroribúsque, exercitum induxerunt in fraudem eâ dexteritate, ut priùs quàm doli notarentur, pars à signis secederet, pars ad hostem profugeret, cæteri in fide fluctuarent, fieretque rarescentibus Ordinibus tanta in legionibus paucitas, ut, nisi cum evidenti cladis periculo, Ludovicus sui copiam facere non posset. Ita rebus turbatis, consilium honestissimum, quod maximè tutum, salutem posuit in maturo receptu. Pauci, qui signa comitabantur, subducti in Bojariam. Citra dubium potuit Ludovicus debellari, nisi hostis occasioni defuisset. Verùm nata ex successu confidentia, homini ambitionis immodico prudentiam abstulit. Etenim quasi foret victor universæ Germaniæ, neque quicquam ad reparandum bellum virium superesset, auctus ingenti fugitivorum numero, agmen rapit in Carolum. Ut à tergo tutus abiret, Adelberto dedit negotium, Rheni confinia munimentis & copiarum parte tutandi.

LUDOVICUS BOIUS DESTITUITUR AB EXERCITU.

Ludovicus velut è cœlo lapsam delendæ ignominiæ facultatem amplexus, motúsque assiduis Caroli precibus, ut vires adversus communem hostem sociaret, quantum per temporis angustias licuit, sibi copiarum adjungit, confestímque movet in Adelbertum. Cùm utrique pares essent iræ cupidóque vincendi, tertius decimus Maij pugnæ fuit decretorius. Concurrêre magnis utrinque animis: victoria stetit penes Ludovicum. Ingens hostium strages edita: Adelbertus, belli (ut notârunt Annales) incentivum, inter pugnantes occubuit. Lectis manubijs, Ludovicus victor, Rheno, cùm nemo prohiberet, properè transmisso, continenti festinatione in Caroli castra pervenit, ubi copijs animóque conjuncti, multa de Lotharij atrocitate conquesti, vindictam spirantes, pronique ad eum opprimendum, à consultoribus ad pacis consilia fuêre revocati, quòd foret honestius, fraternas iras saluti publicæ, & quasvis injurias sanguinis charitati condonare. Placuit igitur per sacrorum Antistites, & Principum sapientissimos, quamlibet duris conditionibus, concordiam offerre Lothario. Hæc capita legationis: Revocaret in memoriam suprema parentis vota & monitiones, denunciatas Cœlitum iras, si filij, ijdémque paterni imperij hæredes, se mutuis odijs lacesserent, pergerent infestare rempublicam, funestare regna nobilissimo virorum fortium sanguine, patriam hostili furore deformare. Duos fratres uni nihil negaturos, si honesta imperet ac justa, quæ illæsâ nominis existimatione possint tolerari: imo ne quidem negaturos, quicquid opum ad castra attulissent, si modò retentis armis & equis à bello licuerit temperare. Lotharius eam facilitatem metum arbitratus, irrisâ legatione, respondit, se nihil verbis, sed armis omnia, quæ fratribus deberet, esse pacturum. Tum refixis signis Pipino, ex fratre nuper demortuo nepoti, suppetias

XXIIX. LUDOVICUS FELICITER PUGNAT.

SE CAROLO CALVO JUNGIT.

LOTHARIUS PACEM RESPUIT.

ex

ex Aquitanis adducenti, obviam proficiſcitur: hunc enim ſpe regni paterni delinitum induxerat ad arma ſocianda.

Reſponſi aſperitate graviter læſus Ludovicus, tametſi foret difficile exercitum de viâ laſſum, & equorum paucitate laborantem, dare in caſum; memor tamen fidei, quam Carolo addixerat, ultima ſtatuit experiri. Fratre in ſpem erecto, junctis ambo copijs Lotharij veſtigijs inſiſtunt, donec ad Fontiniacum vicum in Antiſiodorenſium finibus caſtra abiturienti objecerunt. Ne extemplo manus conſererent, fecêre breves induciæ, factáque in ſpeciem per Lotharium pacis mentio. Id nimirum agebat, ut, quamvis juratus aliud præ ſe ferret, tempus in Pipini adventum extraheret: quo demum caſtris recepto, larvâ detractâ, fratribus palàm edixit, ſe patris authoritate dictum Imperatorem, ſine collegâ velle imperare: nihil ſe proinde admiſſurum indignum eâ majeſtate: ſuum eſſe, dare leges alijs, à nemine accipere, neque audire paciſcentem, qui pari ſecum jure cauſam velit diſceptare: arma priùs ſubjectis eſſe ponenda, quàm de ſuo jure ſinantur expoſtulare. Quâ denunciatione cùm pacis ſpes omnis eſſet præciſa, explicatâ utrinque acie ad 7. cal. Julias horâ diei ſecundâ, quod antea conſenſu decreverant, infeſtiſſimis animis pugnatum eſt. Lotharij caſtris tumulus imminebat, quem fratres primo diluculo tertiâ copiarum parte occupaverant, locatis eo loco ſubſidijs: tum partitis inter ſe cæterarum legionum curis, hoſtem in veſtigio ſunt præſtolati. Irarum ſtimuli in propinquorum ſanguine ſunt vehementiores. Primus à Lothario in Ludovicum impetus tantâ pugnatorum alacritate exceptus eſt, ut ille, proturbatis ordinibus, fuſus fugatúſque acie exceſſerit. Cornu, in quo curabat Carolus, nutavit inter initia; ſed accurrentibus certatim ſubſidiarijs (cum quibus Nithardus, qui prælium deſcripſit, ſe pugnâſſe memorat) erecta confeſtim acies aleam mutavit. Ita fracto Lotharienſium utroque cornu, Cadmea victoria fratribus conceſſit in manus, utrinque infelix & apprimè truculenta. Tantum enim civilis ſanguinis fuſum eſt, ut Annales vix meminerint pugnæ apud Francos atrocioris. Reges ipſi vitæ prodigi, inter tela certamen ſuâ manu miſcuerunt, omnis propè nobilitas Francica, præcipuúmque militiæ robur occubuit, victis juxtà ac victoribus promiſcuè cadentibus: &, quod Regino ſcriptum reliquit, Franciæ viribus adeo attritis, ut gens ad eam diem orbi formidata, viſa ſit inpoſterum impar, non modò proferendis imperij finibus, ſed etiam defendendis eſſe futura. Lotharius continenti fugâ Aquiſgranum evaſit. Ab ingenti carnificinâ loco nomen Gallicum Chaplis relictum: ejus fauces à victore, Caroli vallis nominatæ. Fratres hoſtium caſtris & ingenti prædâ potiti, fortunâ moderatè ſunt uſi, dato tempeſtivè ſigno, ne miles ſociorum funeribus excandeſcens fugientibus inſtaret: immo miſſi, qui miſeros promiſsâ impunitate à fugâ revocarent. Interfecti nullo amici hoſtiſve diſcrimine, militari more, terræ mandati: eorum manibus triduano jejunio & piâ ſupplicatione, ritu Chriſtiano, parentatum; creditum enim, ne in fraternâ quidem immanitate, negligenda eſſe jura humanitatis. Denique injecta victoribus religio, ne bello quantumvis juſto, odio, vindictæ cupiditate, vel ambitionis immoderatione deliquiſſent. Quapropter ex Epiſcoporum præſcripto ad Numen ſibi privatim, & publicæ rei placandum piaculum ſumpſerunt, rati, haud facilè quemquam ſine noxâ in ſuos fratres civéſve iraſci, nedum ſævire.

Superatur a fratribus

XXIX. Atrox strages.

XXX.

Secundum eam pugnam Ludovicus in Germaniam, Carolus in Aquitaniam diverſi abierunt, omniúmque ſecuri, quaſi Lotharius poſt tantam cladem deinceps eſſet quieturus. Verùm ubi ille præter ſpem animadvertit, ſibi laxari ſpatia belli reparandi, collectis è veſtigio ſuorum reliquijs, vulgatóque ex compoſito rumore fratrum alterum interfectum, alterum graviter ſaucium ægrè aufugiſſe, Rheno tranſmiſſo inſolenter gloriabatur, ſe Ludovicum Salzæ in Turingiâ ſedentem, Germaniâ mox exturbaturum. Atqui comperto, ſibi rem fore cum fratre non imparato, non eſt auſus cum victorioſo milite agmen, ob acceptam recens ignominiam adhuc trepidum, committere: ita pedem retulit ad Vangiones, Carolum, ſi

fors daret, oppressurus. Sed hic ad periculi nuntium experrectus, coacto sub signa milite, tantisper se sylvarum fluminúmque objectu tutatus, statuit pugnâ abstinere, donec è Germaniâ Ludovicus suppetias adduxisset, quod ut quamprimum faceret, per Rabanonem Legatum efflictim orabat.

An.Christ. DCCC. XLII. Quibus frustrationibus, bellum in sequentem annum extractum est. Inter hæc Ludovicus, lectis legionum supplementis ad fratrem properabat, cùm Lothario nunciatur, fratres validis copijs instructos, à fronte simul & à tergo vim facturos, attenderet proinde, ne redactus in arctum, de rei summâ denuo cogeretur periclitari. Eâ denuntiatione territus, raptis confestim signis, Aquisgranum se recepit, copiarum parte relictâ penes Otgarium Moguntinum Archiepiscopum, quibus Ludovicum Rheni trajectu prohiberet. Ille, ut erat vetere in fratres imbutus odio, curam tuendi limitis in se suscepit: sed cognito, Carolum magnis per Leucos itineribus progressum, imminere Rheno, desertâ defensione, nudatâque amnis ripâ, se recepit in tutum. Quare Ludovicus flumine superato, fratri conjunctus movit Argentoratum, atque in urbem receptus ad sextum cal. Martias, palàm audiente exercitu fœdus inijt. Ad circumfusos fratrum uterque, Ludovicus quidem linguâ (ut ait Nithardus) Romanâ, quæ videlicet ab hodiernâ Gallorum vernaculâ perquam est remotissima, in multis tamen aliquid habet affinitatis cum eâ, quâ Tectosagi & Saluvij, hoc est, Provinciales utuntur: Carolus verò Teutonicâ, qualis ferè est hodie apud Germano-Belgas, fœderis causas perorârunt: tum simili jurisjurandi formâ se invicem obstrinxerunt, pro divinâ gloriâ, populi Christiani salute, propriáque utriusque incolumitate & commodis, auxilia pro viribus, prout fratres deceret, laturos, eosdem hostes amicósque habituros, neque quicquam cum Lothario pacti inituros, quod in alterutrius posset vergere detrimentum. Secundum Regis utriusque juramentum, exercitus suâ quisque linguâ utrique sacramentum dixêre.

Invent. de Serres. Juratum foedus inter Ludovicum et Carolum.

XXXI. Dum in fœdere sanciendo tempus locaretur, Carolomannus Ludovici filius, militem numerosum è Boicâ vicinisque provincijs ad Vangionum, Nemetúmque fines adduxit. Sedebant id temporis fœderati Reges, juncti castris, agro medio inter Wormatiam & Moguntiam; ubi ludicris pugnæ simulacris, omnibúsque mutuæ charitatis officijs, sese oblectabant, dum Legati, quos ad Lotharium de pace miserant, reverterentur. Hi reduces renuntiârunt, se ne in ejus quidem conspectum fuisse admissos, sed habitos irrisui; & palàm quidem eum dixisse, nunquam fore, ut fratres saperent, nisi eos ipse castigâsset. Bardo, missus ad explorandas Saxonum voluntates, retulit, totam nationem à Lothario prorsus alienam, fratribus fidem operámque addixisse. Hi responso, quod Legati à Lothario attulerant, mirè exacerbati, totis copijs ad vindictam properabant, cùm Lotharius eâ de re factus certior, Otgarium Moguntinum Antistitem, Hattonem Comitem, Heriolddum, aliósque ductores jussit protinus ad Mosellam contendere, omníque conatu hostem transitu prohibere. Fœderati diversis itineribus proficiscebantur: Carolus per Vosagi montem, Ludovicus per Gallicum Rheni limitem, Carolomannus per tractum Germanicum, qui Loganam versus est in Cattimelibocis, ut ad Confluentiam copias transportaret.

Sedebat interea Lotharius in villâ Sentiacâ, fiebátque paulatim circa eum solitudo, crebris suorum transfugijs, quos fama propinquantis hostis, & nuperæ ignominiæ recens memoria, à signis absterrebat. Quare 17. Cal. Aprilis statione desertâ, Lugdunum, atque inde Viennam Allobrogum, quò foret Italiæ propior, confugit. Ne eum fratres insequerentur, famam vulgavit, se trans Alpes abijsse. Fœderati rem ita habere rati, in Aquisgranensi Comitio ex Episcoporum & Procerum sententiâ, Lotharij imperium, exceptâ Italiâ, inter se sunt partiti: Carolus Galliam, Ludovicus Germaniam, sortiti. Digresso ad suas provincias Carolo, venêre è Saxoniâ nuntij, servos spe libertatis, factâ in dominos coitione tumultuari, & Lotharium Matisconæ sub signa cogere novum exercitum, adlectis etiam (quod Nithardus non siluit) in belli societatem Nortmannis, factâ prædandi licen-

Partitio Imperii in Gallia et Germania inter foederatos.

tentiâ. Quibus rebus fratres ad castra revocati, ut saltem vi ostentatâ Lotharium flecterent ad consilia pacatiora. Neque enim erat obscurum, rebus adversis fessum de fastu haud paulùm remisisse: & illi otium bello præferebant. Commodum ijs Lotharius pacem insolitâ facilitate obtulit eò gratiorem, quòd de illâ priores appellati, utiliorem honestioremque sibi futuram sperabant. Ejus tractandæ primo statim ingressu convenit, ut à singulis fratrum delecti quadrageni, hoc est, viri centum viginti, qui Provinciarum genium probè nossent, inspectas describerent, cúmque fide in trientes partirentur: qua in re, quod æstatis supererat, est consumptum. Sic datum Ludovico tempus comprimendi Saxoniæ conjuratos, qui jam eò rem adduxerant, ut pellectâ in partes multitudine, nobilibus & Magistratibus sede motis, fasces obtinerent, creato pro libidine regni Vicario. Plebs perculsa Ludovici adventu, nullo propè negotio ad officium est reducta, conjurationis præcipua capita culpam luerunt ultimo supplicio. TUMULTUS PLEBIS IN SAXONIA COMPRESSUS.

Inter hæc Bathuricus Reginoburgensium Antistes vivere desijt. Valuit permultum gratiâ & authoritate apud Ludovicum, obtinuitque, ut D. Emmerammi Cœnobium, quod fuerat ab Episcoporum jurisdictione divulsum, rediret ad primævam conditionem. Debetur ejus industriæ perampla & opima ditio, quam in Pannoniâ Ludovicus Ecclesiæ Cathedrali donavit. Hemma Regina, Ludovici conjunx, Caroli cognomento Crassi mater, in vicem Monasterij Beatæ Virginis superioris Ratisbonæ, quod ipsa à Bathurico impetravit, auctúmque magnificè pro suâ sepulturâ delegit; cessit Ecclesiæ Ratisbonensi Monasterium Manseense: quæ quidem beneficia Carolus, quem dixi, Crassus regio diplomate rata habuit. In defuncti Bathurici locum successit Erckenfridus, de quo in loco redibit sermo. BATHURICUS RATISB. EPISC. MORTUUS. XXXII.

Anno demum sæculi tertio supra quadragesimum, pace inter Lotharium & fratres compositâ, imperium longè potentissimum novâ partitione divisum est. Carolus ea, quæ à mari Britannico usque ad Mosam fluvium porriguntur, sortitò accepit, quibus regionibus regni Francici nomen adhæsit: Lotharius Belgicam primam, eámque partem Austrasiæ, quæ ab ipso dicta Lotharingia, quæque inter Scaldim & Rhenum eidem olim erant contributa, cum Burgundiâ, Provinciâ, Italiâ, unàque imperij titulos atque majestatem. Pipinus Regum ex fratre nepos, patruorum ingratijs sibi Aquitaniam vindicavit, unde grave cum Carolo bellum. Ludovico obvenit Bojaria, & quicquid regionum trans Rhenum in orientem & Aquilonem, per Germaniam & Pannoniam, longè latéque procurrit, cum nonnullis regionibus vitiferis ad ripam Rheni Gallicam. Ea divisio, quò foret sanctior, in Virdunensi Concilio, acceptis invicem sacramentis, firmata est. Exinde novos quisque titulos pro modo suæ portionis cœpit usurpare. Carolus Calvus Rex Franciæ dictus; Lotharius ad Augusti nomen adjecit Regni Francici & Italici cognomenta; Mediomatricum verò imperij sedem delegit. Pipinus se Aquitaniæ Regem appellavit. Ludovicus dictus Rex Germaniæ. Hoc eodem anno Juditham Ludovici Pij conjugem naturæ debitum exolvisse reperio. AN. CHRIST. DCCCXLIII. *Herman. Sigebert. Append. Aimoin.* PAX INTER FRATRES COMPOSITA. REGNORUM DIVISIO. JUDITHÆ REGINÆ MORS. *Herman.*

BOICÆ



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I. LIBER XI.

Obotriti domiti. Hamburgum à Nortmannis occupatum. Duodecim Bohæmorum Duces ad Christum conversi. Bohæmiæ motus, bella. Bella & Pax cum Moravis. Bulgarorum conversio. Synodi Moguntinæ, Metensis. Gotheschalci hæreses. Nortmannorum strages in Daniâ. Lotharius Imp. Monachus moritur. Domesticæ Ludovici Bojariæ Regis cum filijs discordiæ, bella. Carolus Crassus à dæmone insessus. Aquitani regnum Ludovico Regi offerunt, mox mentem mutant. Idem faciunt Franci adversus Calvum, quem à Ludovico pulsum, revocant. Carolomanni Calvi F. pravi mores, supplicium. Waldradæ, cum Lothario pellicatus. Ludovicus Rex partem Lotharingiæ Cæsari restituit. Eo mortuo Carolus Calvus Italiam & Imperium invadit. Rorici Nortmanni fœdus cum Ludovico Rege. Hemmæ Reginæ & Ludovici mors. Ludovici Pij longum in alterâ vitâ supplicium.

An. Christ. DCCC. XLIV.

Obotriti rebelles.



Deinceps omissis, quæ nihil, aut parùm ad Bojorum gentem videbuntur pertinere, Ludovici Germaniæ & Bojariæ Regis, successorúmque res gestas persequi nobis est animus. Pace inter fratres compositâ, otium à bello futurum videbatur, cùm Obotriti, Venedorum gens, in Saxoniam à Carolo Magno pridem translati, qui eatenus in Francorum amicitiâ perstiterant, suam fortunam ex avorum memoriâ metientes, exosi jugum externum, semper ingratum ijs, qui se liberos aliquando fuisse meminerunt, consilia ceperunt excutiendæ servitutis.
I. Visum in commune, publicæ rei Duces, Ducibus Regem imponere, à quibus vetere avorum instituto, próque rerum ac temporum ratione jura dicerentur gentis mori-

moribus attemperata; quâ ex mutatione, qui genius est popularis, ingentia sibi commoda somniabant. Ergo Gozomvillum, Aventino Gozomuzilonem, Regem creant, addúntque proceres, quorum authoritatem inposterum Provincia respiceret, exclusis Francorum Comitibus, aliísque exercendis legibus, & exigendo vectigali præfectis. Hæc speciosiùs, quàm utiliùs constituta, firmare populi consensione, & armis retinere decernunt; parùm æstimantes, quis ejusce conspirationis futurus esset exitus, quantósve mox hostes essent experturi. Rem quidem paucis exprimunt Annales, sed clarè satis ostendunt, improsperè temeritatem rebellibus evenisse. Ludovicus ad comprimendos tumultus, eorum fines ingressus, occiso Gozomvillo Tyranno, totam gentem eâ celeritate perdomuit, ut historia, velut divinitus factum scripserit, ut multitudo bellis olim exercita tantâ facilitate debellaretur. Expeditionis fructus fuit, ut proscriptâ penitus regij nominis mentione, exauctoratísque Obotriti sanguinis Ducibus, exteri, quorum fides erat exploratior, ad coërcendas deinceps perduellionis meditationes, instar freni rebus præficerentur. REDACTI AD OBSEQUIUM.

Obotritis pacatis, novi motus oborti ex Nortmannis. Hi factâ exscensione Hemmeburgum, hodie Hamburgum, occupaverant, agrúmque fœdâ populatione deformaverant. Ludovicus, ad quem, utpote Germaniæ Regem, injuria pertinebat, priùs consilio, quàm armis putavit esse tentandum Horichi Nortmannorum Regis animum, hostem eâ tempestate formidabilem; si quo pacto posset ab ejusmodi irruptionibus averti. Quamobrem per legatos, atque inprimis per Cobbonem virum (uti apparet) sapientem, de vi in Carolum Franciæ Regem, & Hamburgo iniquè vexato, conquestus est. Quid eâ legatione profectum sit, non habeo nisi ex conjecturâ dicere, Nortmannum videlicet fluxâ fide addixisse in futurum æquiora. Cobbo redux, Ludovico narravit insigne supplicium, quod divinitus sumptum de Nortmannis, qui recens Caroli regnum turbis civilibus vehementer fessum, sævum in modum vexaverant, sacra profanis nullo discrimine permiscentes. Eos lues atrocissima, aliæque prodigiosæ calamitates sic attriverunt, ut coacti fuerint, oblatâ satisfactione, pacem à Carolo postulare. Creditum fuit, D. Germanum Monasterij & templi sui injurias, impetratâ à Deo ultione, vindicâsse. Ragenarius sacrilegorum ductor, cùm apud Horichum suo scelere gloriaretur, insultarétque D. Germano, velut ictu fulminis prostratus, inclamánsque Germani dextrâ sibi elidi animam, inter horribiles cruciatus prodigiosè intumescens, ruptâ demum alvo, unà cum visceribus effudit infelicem animam. Auream statuam, quam ad sui corporis magnitudinem Divo propitiando voverat, à Cobbone Parisios delatam, Monachi respuerunt, ne templi sanctitas impij latronis imagine temeraretur. Horichus complures sacrilegorum compertos jussit obtruncari, præcisáque, manu carnificis, capita donari Christianis captivis, quos sine pretio libertati redditos, domum ad suos liberaliter dimisit, jussos Numen iratum Nortmannorum genti propitiare. Raptores cæteri morbis, profluentis præsertim alvi, miserum in modum perierunt. AN. CHRIST. DCCC. XLV. NORTMANNI HAMBURGUM OCCUPANT. *Appendix Aimoini vocat Boricum.* SUPPLICIUM RES SACRAS VIOLANTIUM. *Aimoin.* II.

Quod sequitur, fuit ad divinæ bonitatis commendationem insigne. Duodecim Bohæmorum Duces, qui hactenus à Sacris Christianis alieni fuerant, sanctissimo fidei nostræ lumine afflati, suo exemplo permultos è popularibus ad amorem Christi traxerunt. Sacris undis abluendi, venerunt omnes ad Ludovicum, hoc lætum nomine, quòd, se imperante, Deus genti finitimæ piam mentem dedisset. Antequam expiarentur, singulos amicissimè complexus, peritis disciplinæ cœlestis magistris tradidit accuratè instituendos. Quò honorificentiùs Baptismo tingerentur, diem octavum elegit, ab eo, qui Christi à tribus Orientis Regulis adorati celebritate memorabilis est. Idem anno jam adulto Paderbornæ apud Saxones, Comitijs dedit operam, eodémque loci, Lotharij Imperatoris, Caroli fratris, Nortmannorum, Triballorum, & Slavorum Legatos excepit, déque varijs postulatis auditos, cum responsis remisit ad suos. Ad 2. cal. Novemb. divertit ad Hirsfeldense Monasterium, ipsúmque affecit duplici beneficio: primùm dedit, DUODECIM BOIÆMORUM DUCES AD CHRISTUM CONVERSI. *Lambertus Schaffnab.*

Hirsfeldense monasterium. dit, firmavítque regio diplomate, insignes prærogativas; deinde ejusce asceterij Patres in gratiam Otgarij Moguntinensis Archiepiscopi restituit, sublatâ lite, quæ de jure decumarum è Thuringiæ latifundijs, ipsis intercesserat.

An. Christ. DCCC. XLVI. *Herman.* Raptus filiæ Lotharii.

III. Alia amicitiæ reconciliandæ materia, nata est ex subortâ fratrum dissensione, sed eventu dispari. Gisalbertus, unus è Caroli clientibus, Lotharij filiam per vim ad Aquitanos abductam sibi desponderat. Parens, id Carolo vel suadente, vel saltem conscio, factum quiritans, Trojanas vindicias meditabatur, sive quòd, ambitione recrudescente, sibi fratris evertendi causam sumeret, sive quòd vanæ suspicioni, qui frequens & apprimè nocens magnatum morbus est, animum dederat corrumpendum. Ludovicus metuens ne simultas in bellum verteretur, ad Carolum maturè profectus, eum comperit, in istius facinoris conscientiam, nullo prorsus pacto, venisse, sed à tam fœdo consilio longè abfuisse. Ad leniendam Lotharij indignationem, primùm in publico Procerum cœtu Carolus summâ religione professus est, neque suâ, neque Ludovici voluntate, nedum suasu vel authoritate, istam maculam Lotharij familiæ esse inustam: pòst paulò Ludovicus Brigantiam digressus, actis pridie nonas Aprileis Christi redivivi ferijs, egit prolixè cum Lothario, ut natam ex vano suspicionem abstergeret, neque ultrà vellet bene sartam cum Carolo concordiam, contra jus fásque, abrumpere. Hæc dicta homini implacabili, in irritum cecidêre.

Moravici motus compositi. Domum revocabatur Ludovicus rebus omnino necessarijs, quòd per certos homines accepisset, Marahenses Slavos propè abesse ab apertâ defectione. Ut factiosos maturè compesceret, sub medium Augustum properè exercitum eduxit. Festinanti satis fuit, arma è propinquo ostentâsse, quorum metu Marahenses perculsi, mox ad officium redierunt. Ludovicus quiescentibus Ducem dedit Rasticen, Moimari nepotem, & exercitum per Bohæmiam non sine luculentâ suorum clade reduxit, Bohæmis in transeuntes hinc inde coortis, Marte Ludoviciants iniquo. Hoc anno Salisburgi basilica, condita à D. Virgilio, conflagravit.

An. Christ. DCCC. XLVII. *Herm. Annal. Fuld.* Annus posterus Lothario Imperatori, & Ludovico jucundâ animorum consensione hilaris accidit, inter mutua amoris certamina, & regiorum epulorum, missitandorúmque ultro citróque munerum apparatus. Nonnihil tamen acerbitatis aspersit pertinax Lotharij in Carolum fratrem iracundia, quòd se nullis rationibus sineret abduci à suspicione, quam de filiæ raptu combiberat, quasi is Caroli consilio fuisset patratus: quo factum, ut frustra fuerint Ludovici conatus, pro instaurandâ amicitiâ suscepti. Nortmanni datæ ante biennium pœnæ fideique obliti, factâ in Oceani Germanici confinium eruptione, Dorostadium incendio devastârunt.

Synodus Moguntina. Ex Ludovici sententiâ Rhabanus, ævi sui eruditissimus, qui Otgario defuncto Moguntinenses infulas induerat, celebrem Moguntiæ Synodum indixit, in quâ multa de rebus sacris probè sancita, quas profana vis passim pro libidine invadebat. Qua de re Patres, scriptis ad Ludovicum litteris, sunt gravissimè conquesti. *Prô dolor* (inquientes) *his temporibus nec sacra loca venerantur, neque Dei ministri condignè honorantur: sed vice versâ, illi, qui honorari debuerunt, flagellantur, spoliantur, atque diversis calumnijs franguntur.* Hæc dum ab Antistitibus agerentur, ad eorum tribunal adducta est fraudulenta mulier, Thiota nomine, è Diœcesi Constantiensi, quæ in hunc annum supremum mundo diem denuntiabat, aliáque complura, quæ se divinitus accepisse mentiebatur. Quâ vanitate cùm plurimos dementaret, fiebat ad eam magnus mortalium concursus cujusvis sexûs & ordinis, ita ut, ne sacri quidem homines, ejus magisterium & oracula aspernarentur. Consilium erat, imprudenti præstigiatrici quæstum ex præsagijs facere. Hæc protracta ad D. Albani, ubi cœtus agebantur, post exactam examinationem professa est, se alieno suasu, id genus vitæ, ut rem ex mendacijs faceret, suscepisse. Quamobrem à Synodo ad virgarum supplicium damnata, & bene castigata, docta est deinceps abstinere figmentis, séque intra muliebris verecundiæ cancellos continere.

IV. Thiotæ fraudes et supplicium.

Haud

Haud paulò perniciosiorem pestem nisus est invehere Gothescalcus, natione Gallus Suessionensis, professione Monachus Corbejensis, gradu Presbyter, insolenti & inquieto ingenio, ambitionis immodicus, sectator novitatum, ordinis sui desertor, extra omnem modum protervus. Lapsus in exoletum Prædestinatianorum errorem, asserebat, Deum perinde aliquot ad æternam mortem, atque ad vitam alios prædestinâsse: neque enim velle eum omnes homines salvos fieri, sed eos duntaxat, qui re ipsâ demum participes fiunt beatitudinis sempiternæ: & Christum quidem pro his tantùm, qui salvantur, mortem oppetijsse, non pro omniũ hominum salute, ita ut eorum nullus, pro quibus Christi sanguis effusus est, à Diabolo, capitali generis humani inimico, rapi possit. Huic delirio aliam addebat impietatem: nempe triplicem esse in sanctissima Trinitate Deitatem. Ad convellendam pestilentem hominis nefarij doctrinam, probante Ludovico, coacta fuit Moguntina Synodus, cui Rhabanus præsedit. Cùm scelestus impostor suarum hæreseon indicem Patribus obtulisset, omnium sententiâ damnatus est, proscriptúsque ex toto Ludovici regno, ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum, cujus jurisdictioni erat obnoxius, remissus est. Ejus causâ rursus in Concilio Episcoporum Galliæ Belgicæ discussâ, ab universo cœtu relatus est in numerum hæreticorum, &, ne deinceps alios virulentâ contagione corrumperet, carceri apud Remos fuit mancipatus. Synodo Moguntinæ adfuit Ludovicus, reconciliatísque Rhabano subditis, qui in eum conspirârant, aures Lotharij Cæsaris, & Caroli Regis, Legatis commodavit: audijt quoque Nortmannorum & Slavorum oratores, multáque pro reipublicæ salute decrevit. Contulit præterea insignem symbolam ad liberale donativum, quod ipsius fratres Romam Leoni IV. miserunt. Ante biennium, Sergio Pontifice, Mauri ex Africâ classe Romam ex improviso appulsi, & civium Romanorum virtute ab urbis ingressu rejecti, sacrosanctas Basilicas Principum Apostolorum Petri & Pauli extra mœnia, à quibus olim Vandali manus abstinuerant, omni auro, argento, gem̃is, quibus erant locupletissimæ, penitus spoliaverant. Ne deinceps ædes augustissimæ paterent hostium incursionibus, Leo Pontifex ingenti sumptu (quod Leo III. antè tentârat) murorum cinctum, in modum novæ civitatis, quo illæ protegerentur, cœpit moliri. Ne impensæ, quibus Pontificis ærarium par non erat, cœptum opus destituerent, Lotharius ejúsque fratres, pro perpetuâ suâ in Romanam Ecclesiam observantiâ, haud modicam pecuniæ vim suppeditârunt, rati, eam non posse sanctiùs, quàm in muniendâ supremâ religionis arce collocari.

An. Christ. DCCC. XLIIX.
Frodoard. lib. 3. c. 13. ex Hincmaro.
Gotheschalci hæreses
Damnatæ.
V.
Donativum Leoni IV. Pont. missum.
Mauri Romam appulsi.
Urbis Leoninæ principia.

Ludovicus non contentus eâ pietate, aliam non detrectavit longè operosiorem. Noverat Lotharium à Carolo implacabili odio dissidere, quæ res eum reddebat vehementer solicitum. Ut speraret eorum animos ad concordiam posse revocari, fecit amica Lotharij invitatio, quâ eum provocabat, ut vellet, uti anno superiore fecerat, venire ad familiare colloquium. Credebat verò Ludovicus, fore de pace negotium: sed longè erat alia mens Lotharij. Convenêre ad Rheni & Mosellæ confluentes, ubi Cæsar cœpit ad incudem revocare ineluctabiles irarum causas, de raptu Filiæ, & Caroli fide suspectâ, movens omnem lapidem, ut Ludovicum in eandem secum mentis alienationem pertraheret. Hoc nimirum agebat inexplebilis dominandi cupiditas, ut Carolum, Ludovici nudatum auxilijs, eò faciliùs opprimeret, cóque oppresso, Pipinum Aquitaniæ, Ludovicum Germaniæ regno, seorsim suo singulos ordine exueret. Verùm Ludovicus fraudem odoratus, offensione dissimulatâ, negavit fas esse sibi jura fraterni sanguinis, nedum jurisjurandi religionem, quâ Carolo erat obstrictus, violare. Enimvero ad rationis libellam Lotharius revocaret, qualenam futurum esset totius orbis de se judicium, quanta infamia, si à fratre nihil tale promerito deficeret, & pacta tam sanctè in oculis gemini exercitûs, tótque gentium luce conventa juratáque, sine causâ rescinderet? Id si ne impijs quidem, & à Deo alienis, fuit unquam impune, quænam supplicia sint homini Christiano, & fratris desertori metuenda? Nefas esse cuivis mortalium inimicitias gerere adversus innocentem, quanto magis Regi turpe sit ab-

Dolosum Lotharii cum Ludovico colloquium.

rumpere germanitatem, & fœdera odijs commutare? Ea surdo (tanta vis insani ambitus) cùm canerentur, Ludovicus, congressus impios abominatus, odioso comitio se subduxit. Et verò rursus eum avocabant renovati ad Bohæmiæ confinia tumultus. Bohæmi, correptis armis, ferebantur in Boicam esse irrupturi. Quamobrem Ludovicus junior, adultâ jam æstate, cum expedito milite missus à parente, sic rem gessit, ut victos adegerit ad pacem per legatos orandam, dandósque pactorum obsides.

BOHÆMI RURSUS COMPOSITI.

VI. Inter hæc Carolus, cùm nullum fraterni odij finem videret, denique indignum ratus, se ob unius clientis noxam perpetuis curis agitari; Gisalbertum, cujus scelus præcipuè Lotharius accusabat, proscripsit. Proscriptus confugit ad Ludovici fidem, qui missis ad Theodonis villam Legatis, ubi tum agebat Lotharius, exuli veniam conatus est impetrare.

AN. CHRIST. DCCCC. XLIX. *Annal. Fuld. Herman. Sigeb.*

Hæc agentem Bohæmi, studio vindicandæ libertatis ad arma coorti, palámque Regis imperia detrectantes, ad belli curas denuo exciverunt antè, quàm tumultus morâ convalesceret. Collecto proinde raptim, ut in re subitâ, exercitu, expeditionem Ernesto Nariscorum Comiti demandavit. Nomina militiæ dederunt, præter validum equitatum, numerosásque gregariorum legiones, è primâ nobilitate non modò Proceres, sed etiam Abbates haud pauci, quos superiorum expeditionum felicitas, spésque belli sine negotio conficiendi, ad signa invitârat. Verùm quæ sunt Bellonæ vices, & rerum humanarum inconstantia, grande molimen levi momento corruptum est. Ductores, continentibus assuetos victorijs, incessit sui insolens confidentia, & hostium contemptus, quibus haud facilè sunt hostes in bello deteriores. Bohæmi contrà cladibus assueti, se munimentis tuebantur, bellum cunctatione ducturi. Dum sui copiam non faciunt, gloriosi nostri Thrasones castra sibi deposcunt expugnanda. Ernestus eorum motus alacritate, aciem instruit, dátque signum invadendi. Magnis animis fit incursio à feroci juventute; à Bohæmis vicissim ingenti ardore resistitur. Multi utrinque cæsi, plures sauciati, hinc pro aris atque focis, inde pro gloriâ certantes. Cùm oppugnatio non succederet, Ernestus cani jussit receptui. Inter saucios fuit Tachulfus Comes Sorabici limitis, secundùm genu telo debilitatus. Post conflictum, Bohæmi suorum vires & occisorum numerum, cum regiorum virtute & multitudine conferentes, tametsi se egregiè ulti fuerant, tamen veriti, ne, si rursum ad manus veniretur, denique succumberent casu, qui foret universæ genti exitiabilis, in commune statuunt de deditione agere. Orant proinde colloquendi facultatem cum Tachulfo, quippe qui gentis linguam, mores atque instituta præ cæteris haberet perspecta. Illi quidem grave erat, ultrò citróque commeando, recens vulnus irritare: ne tamen hosti rediret ferocia, cognito, eum ex vulnere decumbere, passus est sibi persuaderi, ut obligato genu equo impositus, ad Bohæmorum castra veheretur: ubi egit tantâ dexteritate & animi constantiâ, ut, dissimulato dolore, pacis interpretes ad æquas conditiones inclinârit. Id cùm ab Ernesto in militari Senatu referretur, fuêre nonnulli, qui stimulante invidiâ, fremitu primùm, pòst quiritationibus cœperunt expostulare, palámque invehi in Tachulfum: cum scilicet esse virum, cui uni debeat confecti belli pacísque gloria in acceptis referri. Quænam igitur sint futura præmia reliquorum, qui suâ virtute & periculo hostem conjecerint in ultimam desperationem: si homo Sorabus omnia ad se decora rapiat, ipsáque adeò summi Ducis munia, cujus sit cum hoste pacisci? Illi ergo apertè negare pacem, pugnam poscere, convolare ad arma, nec expectato Ernesti imperio ruere in hostem. Tachulfus adhuc cum Bohæmorum legatis agebat, tutus fide publicâ, cùm per exploratores nunciatur in castris, Boicos lymphatis similes cum infesto agmine vim proximam parare. Bohæmi divûm hominúmque fidem, & gentium jura contestantes, se cohortati mutuò, ut in supremo discrimine, signa pro vallo explicant, consertáque pugnâ, tantam edunt stragem, ut Boijs devictis salutis spes in solâ fugâ superesset. Ergo fusi palantésque, ad castra trepidi refugiunt, & Bohæmis tergo hærentibus, ægrè vallum tutantur, nemine auso extra lo-

BELLI BOIÆMICI INFELIX EXITUS.

HOSTIUM CASTRA MALE OPPUGNATA.

VII.

PAX BOIÆMIS TEMERE NEGATA.

BOII CÆSI.

ricam pedem figere, vel prohibere, quò minùs victores cæsorum corpora, in eorum oculis, cum insigni spectantium ludibrio spoliarent. Adduxerunt præterea perculsos in eam desperationem, ut, qui insolenter pacem respuerant, darent hosti obsides, hoc duntaxat pacti, ut salvis corporibus agmen miserabile, plenúmque dedecoris, viâ publicâ, per hosticum, sine maleficio, in Boicam se referret. Ne lateret, quo concitante esset peccatum, fuit Hœstæ, villâ Moguntinæ ditionis, Energumenus insessus ab hoste tartareo, qui disertè professus est, se utique belli Bohæmici consilia confudisse, ope atque instinctu duarum furiarum, superbiæ videlicet & discordiæ: se ijs in partem juvantibus cecinisse classicum, & devictis Boijs, victoriam Bohæmis conciliâsse egregio ad Erebi laudem operæ pretio.

VIII. *Dæmon victis insultat.*

Auctore non alio (si vera fama est) anno proximo Rorucus è Nortmannorum natione, vir manu strenuus, bonus consilio, venit in ultimam propè capitis dimicationem, quæ eum demum compulit ad Ludovicum Regem confugere. Cùm se dudum Lothario Imperatori rebus præclarè gestis probâsset, unà cum fratre Harialdo Dorostadium clientelæ nexu accepit. Ea res (qui invidiæ genius est) graves viro forti conscivit æmulorum insidias, qui, ut eum gradu & Lotharij dignatione moverent, commenti sunt, eum Cæsaris consilia hostibus perfidiosè prodidisse. Quæ delatio & Lotharij suspicio, quæ perinde est insontibus atque sontibus periculosa, pro specioso patratæ perduellionis argumento fuit. Ita miser abripitur in vincula, & tamdiu carcere clauditur, donec elapsus, ad Ludovici clementiam, velut ad sacram aram, confugit. Recepto in tutelam, sedes inter Saxones Orientales Nortmannis confines permissa est. Posteaquam isthic aliquantisper peregerat, otij impatiens, cupidúsque rei ex prædis faciendæ, collecta Danorum non contemnendâ manu, cœpit piraticam exercere, & vindex acceptæ ignominiæ, Lotharij regiones ad Oceani Borealis littora populationibus, alijsque injurijs vexare. Tum progressus per Rheni ostia, Dorostadium redegit in suam potestatem. Cùm se, eò loci, præsidio & bellico apparatu munivisset, molestus esse pergebat Lothario, sed erat difficilis expugnari propter urbis firmitatem, quæ sine operosa obsidione nequibat superari. Unde placuit Senatui regio, non adversante Lothario, virum fortem benignitate, quæ valida est in magnanimos machina, potiùs, quàm armis domare, cúmque eo sic pacisci, ut oppidum beneficiario jure retineret, tributum referret in fiscum, perstaret in fide Cæsaris, obsequia ex clientelis nexa præstaret, denique Danorum prædatorias grassationes cohiberet.

An. Christ. DCCCL. Rorucus Nortmannus apud Lotharium ab invidis eversus, Exercet piraticam, Dorostadium occupat, Cum Lothario redit in gratiam.

Hoc anno fames, tormentum piratis longè crudelius, Germaniam sæviter excruciavit, eo præsertim tractu, qui ad Ludovici ditionem spectabat in Rheni confinio. Frumenti modius Moguntiaci decem argenti siclis venijt, grandi scilicet eâ tempestate pretio, quod nostri temporis ponderi appensum, si multum quinque puri probati argenti uncias, vel sesquiduas (quod de vulgari siclo probabilius est) æquaret. Innumera penè multitudo inediâ perijt. Mirè tum claruit Rabani Moguntini Antistitis in miseros liberalitas. Præter complures, quibus præbebat annonam, trecentis quotidie è suâ penu sportulas erogabat. Fuit, cùm mulier vix hærens ossibus, & exucca jejunio, parvulum sinu complectens, cæterorum se turbæ adjunxit. Acceptura stipem, nondum portæ limen superârat, cùm, debilitate fatiscens, subitò extincta est: quod aspectu miserabile; infans affixus uberibus, velut à vivente lac conabatur exprimere; quæ spectaculi miseratio adstantibus gemitus elicuit & lachrymas. Crudelius fuit coloni Grabfeldensis consilium. Is relictâ domo, cum uxore & filiolo, ut subveniret inopiæ, iter arripuerat in Turingiam. Fame dirùm urgente, sylvam ingressus, uxorem sic affatur: *Quin vitæ consulimus & in escam filium vertimus, nihilominus paulò post fame perituri? Cui bono tres peribimus, si unius paulum properatâ nece duo possimus servari?* Mulier detestata scelus, & obluctata quantum licuit, viro ferrum stringente, ne filij carnificinam videret, secessit in fruteta. Jam sica parvuli jugulum erat haustura, cùm marito apparent duo lupi cervam laniantes. Ille omisso filio, con-

Annal. Fuld. Ingens fames.

IX. *Vide Covarr. de Numism. c.2. n.9. Rabani misericordia in egenies. Colonus Grabfeldensis filiolum destinat ad proprias dapes,*

CERVAM LUPIS ERIPIT, ET PARCIT FILIO. festim accurrens prædam feris extorquet, móxque regressus ad uxorem frustâ tabo manantia ostentat. Illa se credens filij carnes videre, animo linquente exspiranti similis jacuit, donec aspectu filij sibi reddita, recreatáque tempestivo ferinæ obsonio, famem sedavit.

AN.CHRIST. DCCCLI. *Annal. Fuld.* SORABI A LUDOVICO DOMITI. Germania nondum sat pœnarum dederat iræ Superûm. Sorabi, quibusdam Misni, alijs Dalmatæ, manus quoque divinæ vindictæ commodaverunt. Ingenti numero suos egressi fines, sese in Ludovici ditionem infesti infuderunt. Cùm universa longè latéque vastarent, Ludovicus, ut eos ad domestica pericula averteret, ducto per Turingos milite, eorum sedes irrupit, & agro pessundato, afflictâ segete, elisâ spe omnis annonæ, arctáque pressos obsidione, demum inediâ ad deditionem adegit. CAROLUS CALVUS FACIT CAPTIVUM PIPINUM AQUITANUM. Nondum Aquitanorum fortunam, nisi cum aliquâ historiæ obscuritate, possumus à Boicâ separare. Pipinus Rex captus à Carolo Calvo, in Suessionense D. Medardi Monasterium hoc anno detrusus est. Carolus Pipini frater, qui hunc invisurus venerat, à Calvi comitibus detentus, missus Corbejam, attonsúsque in custodiâ habitus, ne pro suâ & fratris injuriâ, apud Aquitanos, gentem bellicosam, turbas excitaret. Quæ res, uti mox videbimus, Ludovico haud parùm negotij facessiverunt.

X.

AN.CHRIST. DCCCLII. Is tametsi miti erat in propinquos, & in clientes clementi ingenio, non erat tamen ejus regnum expers erroris; quod patuit in Henaldi Nortmanni Dynastæ funesto exitu. Hic cùm gratiâ Horichi Danorum Regis, quâ causâ incertum, excidisset, ejus indignationem veritus, se recepit ad Ludovicum, velut sacram miserorum anchoram. HENALDUS NORTMANNUS FIT CHRISTIANUS. Ab hoc exceptus officiosè, haustâ divinorum mysteriorum notitiâ, se Christi obsequio lubens voléns que adjunxit. Diu fuit inter Ludovici familiares, ne dicam amicos. Ea res, vel (quod vero propius) suscepta Christi religio ipsi peperit exitium. Danos urebat ejus ad aliena sacra defectio, & eum Rex jam sponte oderat: Danici limitis custodes, ne peregrino homini fiderent, à Danis monebantur, eúmque proditionis, speciosâ delatione, insimulabant, quasi agitaret cum Horicho clandestina consilia, ad recuperandum pristinæ locum dignitatis, quod fraudis genus non est inconsultum, cùm hostis adversarius, quem vi non potest subruere, dolo cupit eversum. INJUSTE OCCIDITUR. Certè lubricæ fidei suspicio, per Danos injecta, tantum valuit in animis Francorum, ut abstulerit vitam Henaldo, quæ tamen nemini, nisi sceleris comperto, debet auferri.

SYNODUS MOGUNTINA. Rursus hoc anno, Ludovici voluntate, Moguntiaci Synodus de religiosis quæstionibus habita est à Rabano, & omnibus Franciæ Orientalis, Bojariæ, & Saxoniæ Episcopis & Cœnobiarchis. Ibidem Rex, adhibitis in consilium Principibus, lites forenses, quæque præterea ad Rempublicam pertinebant, composuit. Inde reversus in Bojariam, rebus quà publicis, quà privatis in ordinem redactis, Coloniam Rheno secundo navigavit, ubi cum Lotharij Legatis congressus, movit in Saxoniam, & ad Visurgim amnem, loco, quem Nimiam, sive Mindam dixêre, eorum maximè causas cognovit, qui à pravis Judicibus vel neglecti, vel longis comperendinationibus dilati, litibus immortalibus & injuriis opprimebantur. LUDOVICUS VARIIS LOCIS JURI DICUNDO DAT OPERAM. Res illi etiam fuit de recuperandis possessionibus, quas nonnulli iniquis usurpationibus sibi vendicârant. Ex eo loco, qui mos olim erat Cæsarum, cum insigni Reipublicæ commodo, Angros, Harudos, Suabos, & Holsingos peragrans, prout res cujusque regionis poscebant, auditis quæsitorum & partium postulatis, jus dixit sedulò & integrè. Regressus in Turingiam, legem tulit Erfurti, ne quis Magistratuum intra suæ jurisdictionis fines privatarum causarum patronum ageret, tametsi in aliorum præfecturis idipsum eorum nemini prohiberetur. Demum redux in Boicam, sacras Christi nascentis ferias egit Reginoburgi, ubi Erchenfrido Antistiti rebus humanis exempto Embrichus successit.

AN.CHRIST. DCCCLIII. XI. Ex diligenti Reipublicæ procuratione, annis superioribus, Ludovicus famam adeò secundam sibi comparavit, ut Aquitani Pipino Rege destituti, de committendis illi regni Aquitanici habenis consilia agitârint. Ordines enim ejusce nationis, occupatæ per vim à Carolo Calvo dominationis injurias exosi, crebris legatio-

tionibus à Ludovico contendebant, vellet afflictis regni rebus, quâ posset ope, succurrere. Carolum etenim, ejectis Aquitaniæ hæredibus, nihilo melioribus artibus rempublicam gerere, quàm invaserat: prona esse gentis studia ad jugum excutiendum, ducem tantùm deesse, cujus industriâ Aquitanorum arma regantur. Is sive Ludovicus esse velit, sive malit filium solio admovere, vires reperturum, quibus regnum occupet & tueatur. Cùm Ludovicus, ut in re perplexâ, cunctaretur, veritus certam Caroli amicitiam incerto rei difficilis eventu mutare, Legati disertè renunciârunt, fore, ut si ipse rebus usque eò deploratis non opituletur, Aquitani externorum auxilia respiciant, ne habitâ quidem Sacrorum ratione: quòd Caroli Magni nepotibus futurum esset perquam inhonestum, si apud posteros dicantur, regnum per oscitantiam, impiorum potestati permisisse. Et verò haud parùm urgebat proximum à Nortmannis discrimen, qui vecti fluvio Ligeri, Turonum fines ultimis sævitiæ exemplis deformabant. Jam enim ipsâ urbe potiti D. Martini basilicam, sanctitate & populorum religione famosam, redegerant in cineres, Francis ad spectaculi atrocitatem stupentibus, & nemine auso arma barbaris opponere. Hæc dum ultrò citróque agitantur, quod anni fuit reliquum, abijt, & sensim Aquitanorum ardor refrixit.

Aquitani Ludovico regnum offerunt.

Nortmanni in Turonibus sæviunt.

Quare cùm Rex anno postero Ludovicum filium sibi cognominem præclaris quidem mandatis, sed modicis instructum copijs, ad Aquitanos misisset, hos mutato consilio reperit, non esse adeò à Carolo alienos, ut pro novo Principe vellent belli discrimen adire, sed satius ducerent, Regem malum pacati tolerare, quàm per vim quærere meliorem. Unica supererat inter Aquitanos Gotzbertinorum familia, quæ Carolo, qui ejusce sanguinis Principem interfecerat, erat infensa, & rerum novandarum studio tenebatur, cæteris nihil tale cogitantibus. Quocirca Ludovicus junior à totâ penè gente desertus, cùm paucorum conspiratione bellum non censeret consultò posse accendi, quod restingui nisi multorum sanguine nequibat, sub autumnum reversus in Germaniam, languida Aquitanorum, & malè cohærentia studia apud parentem sic damnavit, ut tamen ostenderet, ijs motuum causas non defuisse, nec sine ratione fecisse, quòd à prioribus consilijs descivissent. Cùm enim non solo Calvi odio, sed Nortmannorum metu auxilia Germanorum optâssent, illos timere desierant, quòd in patriam revocati, sese bello Danico implicuissent. Exarserat enim inter Godurum Danorum Regem, ejúsque ex fratre nepotem Godurmum, implacabile dissidium, traxerátque Nortmannos in partes, supremámque dimicationem, in quâ furore tam pertinaci concurrerunt, ut ex innumerorum strage, unus duntaxat è stirpe regiâ puer fuerit superstes, in spem regni ad posteros propagandi. Sic Gallia istâ hominum colluvie aliquantum levata, paulùm respirabat, neque sibi videbatur exterorum armis egere.

An. Christi DCCCLIV. XII.

Aquitani mutant sententiam.

Ludovicus junior in Boicam revertitur.

Ingens Nortmannorum strages.

Secundum hæc cœlestis iræ signa Ludovici regnum terruêre. Tricies terra apud Wirceburgum (alij Moguntiam scribunt) horrendum tremuit, anno quinquagesimo quinto. Aër ventorum turbinibus, grandine, fulminibus, flagellatione messis, mortalibus mirè fuit infestus. D. Kiliani martyris basilica nonis Junij de cœlo tacta, pars conflagravit, pars terræ motu procubuit. Ne tamen Martyris ossa abirent in cineres, donec templo efferrentur, divina manus cœlestem flammam, hàc illac sub laqueari volitantem, sine noxa continuit. Octobri mense, visi per noctem igniculi, formâ spiculorum, qui haud sublimes per auras versus Occidentem ferebantur. Quibus portentis fides adstrui credita est, quando Rastices Moravorum Regulus, is ipse, qui Ludovici beneficio gentis Principatum adierat, immemor officij, facere imperata recusavit. Ludovico magnâ bellatorum mole Provinciam aggresso, cùm Moravi castris opere munitis protecti, sui copiam non facerent, visum non est, in ijs expugnandis virorum fortium facere jacturam, ne acceptæ nuper in Bohæmiâ ignominiæ exemplum repeteretur. Datum tamen militi, regionem latè populationibus, cædibus, alijsque belli injurijs vastare. Hostis factâ eruptione nostrorum castris ausus insultare, cum insigni clade rejectui

An. Christi DCCCLV.

Graves tempestates.

Rasticis Moravi rebellio.

Vastantur Moravi, clade afficiuntur.

ctus est. Ludovicus exercitum prædâ locupletem vix domum reduxerat, cùm Moravi abeuntis vestigia secuti, trajecto Danubio, agrique parte deformatâ, suum dolorem ulti sunt.

Lib. Tradit. Frising. apud Hund. pag. 39. n. 8. Hoc anno Annonem Frisingensem Episcopum Hildeschalco Tridentino Antistiti litem movisse reperio, de vinetis in agro Pisonensi, sive Bozanensi, quæ ille querebatur præter jus fásque Ecclesiæ Frisingensi auferri. Ludovicus de controversiâ sententiam rogatus, Aiblingæ in conventu Procerum, datis causæ cognitoribus, secundum Annonem pronuntiavit.

LOTHARIUS I. SPONTE FIT MONACHUS.

XIII. Lotharius Imperator geminâ morte defunctus est: alterâ, quâ rebus caducis tempestivè salutaritérque nuntium remisit: alterâ, quâ naturæ debitum exolvit. Etenim tum præsentis vitæ tædio, tum præteritæ pœnitudine, rerúmque meliorum desiderio, regna omnémque imperantis majestatem Monasticâ simplicitate mutavit. Indictis regnorum Comitijs, Provincias in filios partitus, Ludovico Italiam cum Imperij titulis, Lothario Austrasiam, Carolo natu minimo Burgundiam cum parte Saluviæ, quam Provinciam vocant, reliquit: tum constitutâ Republicâ, in Prumiense Trevericæ ditionis Monasterium secedens, comâ positâ, vitam religiosam, regiâ longè tutiorem, est professus: quæ tametsi illi brevis fuit, fuit tamen ad salutem verámque laudem peropportuna. Eam finijt 3. calend. Octob. non autem quarto, ut vult author Annalium Ecclesiasticorum, vel sexto ex aliorum sententiâ, quos refutat Cæsareum Epitaphium, quod extat in pervetusto codice Bibliothecæ Fuldensis, inter Rabani poëmata, his versibus:

MORITUR. *Annal. Fuld. Regino. Herman.*

CONTINET HIC TUMULUS VENERANDI CÆSARIS OSSA
HLOTHARII MAGNI PRINCIPIS ATQUE PII.
QUI FRANCIS, ITALIS, ROMANIS PRÆFUIT IPSIS,
OMNIA SED SPREVIT, PAUPER ET HINC ABIIT.
NAM BIS TRICENOS MONACHUM SIC ATTIGIT ANNOS,
ET SE MUTAVIT AC BENE POST OBIIT
III. KL. OCTOBRIS.

Ejus corpus compositum in basilicâ Prumiensi ante Aram, animarum memoriæ ex ejus voto dicatam, tymbo humili & rarâ modestiâ. Lotharius filius Regni Austrasiæ possessionem non priùs inijt, quàm Ludovici patrui eâ super re voluntatem exploràsset. Et verò id è re ipsius esse censuerunt regni Optimates, qui tum demum ei sacramento dixerunt, cùm Ludovico id fore gratum Francofurti, ubi agebat id temporis, intellexissent; quòd nôssent permultùm interesse tali fautore & amico firmari regnum adversus quosvis casus, eos maximè, quos defuncti patris exemplo Lotharij fratres potuissent excitare.

AN. CHRIST. DCCCLVI. DALMATÆ FACTI VECTIGALES.

XIV. Prosperè cessit anno sequenti Ludovici in Dalmatas expeditio. Quæ causa ad eam suscipiendam illum moverit, annalibus tacentibus, non est promptum dicere: Principibus raró desunt qualescunque bellorum rationes. Id saltem constat, Dalmatas prælio superatos, ínque fidem receptos, annuam tributi pensitationem pactos esse victori, & dedisse insuper obsides. In pugnâ, cum permultis Ludovicianis occubuêre bini Comites, Bardo & Erpfus, genere rebúsque præclarè gestis illustres.

Cùm exercitus per Bohæmiam reverteretur, nonnulli gentis Dynastæ se Ludovico dediderunt, vi, an ultrò, incertum: credibile tamen est, eos rebus privatis consultum voluisse adversus civiles turbas, quæ Bohæmos distrahebant in factiones, unde & natum Ludovico bellum, anno, qui proximè secutus est.

AN. CHRIST. DCCC. LVII. Id antè quàm aggrederetur, mense Februario ad Rheni & Mosellæ Confluentes cum Lothario nepote collocutus, indéque regressus, apud Vangiones Senatum juri dicundo aperuit: tum expeditis ejusce Provinciæ negotijs, curas ad Bohæ-

Bohæmiæ ſedandos motus convertit. Orta fuerat inter binos Wiztrahi, viri in eâ natione potentis, filios contentio de bonis paternis, præſertim de civitate, quam juris communione acceperant indiviſam, in quâ rebellis parens jam diu ſuum dominatum Ludovici ingratiis firmaverat. Sclavitagus fratrum alter, ſive armis, ſeu favore civium potentior, arreptâ tyrannide germanum hæreditate excluſum, ſolo patrio expulerat, coactum ad Cziztibori Soraborum reguli patrocinium confugere, & tolerare exilij ærumnas, donec fortuna, quæ miſeris aliquando clemens eſt, rebus benignior adſpiraret. Amoto æmulo, Sclavitagus cœpit pro libidine omnia ſurſum deorſum vertere, nihil agere moderatè, cives acerbis imperijs, privatorum fortunas avaritiâ, vetera civitatis inſtituta novis decretis evertere, plebis iras ad vindictam, & continenti rebellione arma Ludovici protervè provocare. Regi non erat integrum in Bohæmiam proficiſci, ſatis fuit Otgarium mitratum Ductorem, Rudolfum palatij magiſtrum, & Erneſtum Nariſcorum Comitis filium, cum legatorum poteſtate mittere. Hi delati in Bohæmiam, Tyrannum nuſquam prodeuntem, in urbe, quam rerum ſuarum ſpoliarium à patre acceperat, obſident, & denique redigunt in ſuam poteſtatem. Tyrannum fuga ſervavit, quem Raſtices Moravus tecto recepit. Exulis frater domum revocatus, plaudente vulgo, Ludovici juſſu Dynaſtiæ reſtitutus, ſuam fidem moderationémque probavit. MOTUS BOHÆMICI COMPRESSI.

Quæ ſequuntur, Ludovicum vehementer diſtraxêre, bellis diverſo agmine varijs ex locis emergentibus, cum tantâ rerum perturbatione, ut ad interitum omnia inclinare viderentur. Præceſsêre, ut anno abhinc tertio, vehementes terræ agitationes, quæ Germaniam paſſim concuſſerunt. Ipſis Januarij calendis, tanta vis Moguntiam perculit, ut parietes, alioqui firmi, rimas agerent. D. Albani templum ſolidi operis nondúmque vetuſti, excuſſo faſtigio, vicinum D. Michaëlis oratorium, gemináṁque ejus teſtudinem, ſolo æquavit. Præmiſſa tamen bello pacata conſilia, tum Forchemij, tum Ulmæ, quæ id temporis villæ nuncupatione cenſebatur. Hic Ludovicus Bojus Ludovici Cæſaris, nepotis ſui, Legatos Notingum Epiſcopum & Eberhardum Comitem benignè audijt, & ſuos ex Auſtraſiâ reduces Francofurti, renuntiantes, Lotharium nepotem oppidò probare, ut ad diem dictam Confluentiæ magnis de rebus colloquium inſtitueretur. Eò cùm Ludovicus veniſſet, nec promiſſis ſtaret Lotharius, non obſcurè advertit, inde texi fraudes, unde Reipublicæ ſalus erat expectanda. Etenim nepos uterque Carolus & Lotharius in eum, nihil ejuſmodi cogitantem, conſpiraverant, doli architecto Carolo, pudendâ ſtirpis Carolinæ labe. Reverſus Francofurtum, accepit longè triſtiora. Tumultuari denuo Moravos Raſtice concitatore: Obotritos & Livones eſſe in armis, Sorabos detrectare imperia. Arduum tot ſimul hoſtibus occurrere. Moravis objecit Carolomannum, Obotritis Ludovicum, filios, Sorabis Tracolfum. Et jam tergemini exercitus erant in procinctu, cùm repentè è Galliâ Legati Adehardus Cœnobiarcha & Otho Comes, Francofurti adfuêre, communi Francorum nomine rogantes opem patriæ ad exitium ruenti, quæ niſi maturaretur, manus ſupplices tendi oportere hoſtibus nominis Chriſtiani, petique exitium, niſi ſalus aliunde veniret. Caroli tyrannidem eò uſque evadere intolerabilem, ut à gente liberâ ferri diutiùs non poſſit. Barbaros quidem in Galliæ fines cædibus & incendijs atrociter eſſe graſſatos, ſed longè atrociora patrari à Carolo ſæviente in ipſa regni viſcera, & nepotando abliguriente ſpes ultimas miſerandæ nationis. Nihil tam pravum abs ullo regum poſſe deſignari, quod æquare poſſit ejus immanitatem. Vafrum illi eſſe ingenium, flexibile ad omnem auram, varium ac multiplex, pudendam conſiliorum actionúmque inconſtantiam, quódque dedecus omne ſuperet, tam nullam fidem, ut nemo Francus ſit, qui vel jurato aráſque tangenti hilum ſit crediturus: non poſſe verbis exprimi immanitatem in ſontes juxtà ac innocentes: nullum eſſe reſpectum æquitatis, publici nullam curam: quibus rebus eum, omnium Franciæ Ordinum inexpiabile odium & execrationem incurriſſe. Quæ quidem, illi aſſeverabant, ſe totius nationis nomine juſſúque adferre.

AN. CHRIST. DCCCLIIX
XV.
TERRÆ MOTUS.
NEPOTES CONSPIRANT IN LUDOVICUM.
BELLA VARIA EODEM TEMPORE.
FRANCI ROGANT AUXILIUM ADVERSUS CAROLUM CALVUM.
XVI.

Hæc tametsi erant gravissima, diu tamen Ludovicus explicare consilia non potuit, memor tolerati nuper ab Aquitanis ludibrij: & ipsius magnopere referebat, collectam dudum justitiæ famam non temerare. Grave quoque ipsi videbatur ac indecorum, pro re exterâ bellum suscipere adversus fratrem, cui suam fidem olim tam sanctè addixisset. Attamen à suis se passus est induci, ut Oratoribus auxilia promitteret.

LUDOVICUS MOVET IN CAROLUM. *Baron. ad hunc ann.*

Maturo jam Sextili apud Wormatiam convenêre legiones: indéque per Alsatiam in Galliam, ad Pontigonam villam regiam moverunt. Isthic complures Galli Proceres Ludovico, honoris causâ, obviam processêre: multi Carolo ad Ligerim, adversus Nortmannos denuo regressos, navabant operam. Ludovicus Episcoporum Galliæ conventum indixit (ne quid eorum ingratijs tentaret) ad 8. cal. Decemb. sed illi prolixis litteris suas ærumnas & temporis iniquitatem excusantes, gravissimâ illum oratione à regno alieno per vim invadendo sunt dehortati, rogantes, ut, qui specie ferendi rebus afflictis auxilij venisset, saltem licentiæ militaris maleficia coërceret.

CALVUS PROFUGIT.

Carolus ubi de Ludovici adventu fuit factus certior, in eum signa vertit, omissis Nortmannis. Locus prælio delectus ad Briacum. Instructâ utrinque acie, Carolus, suorum paucitati adversus Germanorum & Gallorum, qui frequentes ad Ludovicum defecerant, multitudinem, diffisus; relictis in arenâ legionibus,

XVII.

occultè cum paucis profugit. Miles Duce & Rege destitutus, totis mox castris transijt ad signa Ludovici. Poterat Carolus ex fugâ retrahi, idque poscebant Ludovici ductores; sed amor fraterni sanguinis vetuit quemquam instare fugienti, ne duplici eum, deserti exercitûs & captivitatis, infamiâ notaret. Gallos videlicet, ut erat ipse candidi pectoris, suo pede metiebatur, credere facilis, haud facilis cuiquam diffidere, ex vultu & sermone animum æstimare.

GALLI IN LUDOVICUM CONSPIRANT.

Illi palam dissimulare insidias, odium habere in occulto, inter hæc illum colere, gratulari successum prosperum, venditare sua obsequia, ad nauseam assentari, ut ipse nihil à Rege, omnis periculi securo, sibi differre videretur. Atqui fallaces ostentationes, quibus nemo, nisi deceptus, credit, eò spectabant, ut simul se Caroli metu liberarent, simul suum liberatorem fraudibus irretirent. Itaque persuaso, sat supérque fore virium ex Gallicâ nobilitate & Francorum legionibus, quæ transitionem fecerant, cohibendis motibus, si qui à Carolo orirentur; quod multò erat inconsultissimum, impetrant, ut militem Germanicum velut supervacaneum, & exhaustæ aliàs Galliæ onerosum, ad res Germaniæ tutandas, reprimendásque finitimorum molitiones, domum remitteret. Ergo ijs nudatus, statuit nihilominus in Franciâ hibernare, uti per otium regni negotia componeret, nihil pensi habens, quòd vitam, famam, opes, infidis fratris desertoribus, fallendi peritissimis, committeret. Quod imprudentis consilij caput fuit, Conradi Comitis filios, egregios fraudum architectos, credebat ex omni Gallicæ nobilitatis delectu

PRODITIONE CIRCUMVENIUNT.

sibi fidissimos & amicissimos. Hos (quod peius fuit) misit ad consilia Caroli exploranda, qui, simul ac eum convenerant, authores fuerunt, regios spiritus sceptrúmque magno animo resumendi. Enimvero esse circa Ludovicum Germanorum insignem solitudinem, plerosque Gallos nullâ esse, vel ambiguâ fide, plebem mutatâ voluntate veterem dominum suspirare: ita Ludovicum incogitantem nullo negotio posse opprimi, ut qui nihil parati haberet, præter paucos stipatores,

LUDOVICUS REDIT IN GERMANIAM, AD SORABOS COMPESCENDOS.

& de cætero gregem perfidorum. Et verò vir candidæ mentis hac fraude occubuisset, nisi Soraborum, qui Ezistoborum limiti præfectum interfecerant, defectione subitò fuisset in Germaniam revocatus. Ejus discessus omnia Carolo ad pristinam dignitatem prona reddidit. Expeditionis Gallicæ fructus nullus, præter brevissimi temporis, velut personatum imperium, & veram invidiam, quâ apud Ni-

XIIX. MALE AUDIT APUD ROM. PONTIFICEM.

colaum Pontificem, Carolo faces subdente, & apud orbis Christiani Principes, de fratris injuriâ quiritante, conflagravit. Unde suscepto causæ patrocinio, graviter cum Ludovico expostulatum, quasi solâ dominatûs proferendi cupiditate, rei Christianæ tranquillitatem & jura germanitatis violâsset. Accesêre ex urbe litteræ, quibus rogabatur, ne fessis Franciæ rebus ultimam calamitatem inferret.

Sed

Sed & Galliæ Episcopi metu soluti, factique ejus absentiâ fidentiores, cùm Germanorum reliquias primo vere in patriam retraxisset, datis ad eum litteris, admonuerunt, piaculum susciperet eorum, quæ perperam in Galliâ gessisset; & illata damna sarciret. Respondit, nihil injussu Germaniæ Episcoporum fecisse; eorum se judicium non aversari; ut verò ijs inconsultis hac in parte Gallos audiat, nunquam inducturum animum. Attamen ne simultates, quæ paulatim gliscebant in majus, irrumperent in odia graviora; per alios oratores, dolos, quibus fuerat circumventus, aperuit, omnémque movit lapidem, quo fratrem nepotémque sibi reconciliaret. Demum eò rem adduxit, ut ad dictam diem prope Anternacum, in Insulâ, medio Rheno, agerent de amicitiæ instauratione. Isthic cùm ancipiti disceptatione nihil statueretur, causa in alium congressum est rejecta. AN. CHRIST. DCCCLIX. GALLIÆ EPISCOPORŨ POSTULATA A LUDOVICO REJECTA. COLLOQUIŨ PROPE ANTERNACUM.

Inter hæc Theodonem Fuldensem Abbatem misit ad summum Pontificem & Ludovicum Imperatorem, qui rerum à se in Galliâ gestarum rationem redderet. Se videlicet nullo ambitu, neque ultrò, istam expeditionem suscepisse, sed infimis oratorum precibus, & regni periculo, quod intestinis, juxtà ac externis penè oppressum dicebant. Theodo legatione pro voto perfunctus, ex urbe rediens, Ludovicum apud lacum Brigantinum offendit Basileâ reducem, ubi ex composito cum fratre de concordiâ fuerat collocuturus, nisi Carolus vadimonium deseruisset. Huic enim faciebant animos Galliæ Episcopi, qui nupero Ludovici responso commotiores, omnino urgebant, ut priùs quàm à noxâ solveretur, majorum more susceptâ pœnâ expiaretur. Quam ad rem Hincmarum Remensem, Gontharium Coloniensem, Venilonem Rotomagensem, Archiepiscopos, inter ejusce nationis Præsules, doctrinæ & prudentiæ famâ facilè principes, mandatis severissimis instructos, misêre, quibus si Ludovicus detulisset, ejus causa fuisset ad eorum arbitrium revocanda: verùm ille, ne latum quidem unguem à Germaniæ Antistitum authoritate se discessurum, neque suspectis arbitris litem ingressurum, respondit. LEGATIO AD PONTIFICEM ET CÆSAREM. LEGATIO EPISCOPORUM GALLIÆ FRUSTRANEA.

Gravior fuit Venilonis Senonensis Archiepiscopi controversia, tum ob adversarij potentiam, tum criminis atrocitatem. Eum Carolus perduellionis arcessebat, quòd se Gallis defectionis authorem præstitisset. Quâ de re graviter actum est in Concilio Tullensi, Carolo in factiosos inexorabili; donec eum Ludovicus Confluentiæ ad clementiam inflexit. Illuc convenerunt cum nepote Lothario, in splendido virorum illustrissimorum comitatu, tandémque 8. Idus Julias amicitiam integrârunt. Primùm omnium inducta præteritarum offensionum memoria, bellis obnuntiatum, sancita pax, promissa invicem auxilia, ijdem omnibus destinati hostes & amici, addicta Ecclesiæ & religioni defensio, singula capita jurejurando firmata, cujus formam pro reverentia vetustatis hoc loco subijcio. AN. CHRIST. DCCCLX. INTEGRATUR CUM CALVO AMICITIA. XIX.

Ludovicus ante alios, tactis Divorum reliquijs, sic juravit: *Amodo, & quamdiu vixero, istum fratrem meum Karlum, & nepotes meos, Ludovicum & Lutharium atque Karlum, ad DEI voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ statum & honorem atque defensionem, & ad nostram communem salutem & honorem, & ad populi Christiani nobis commissi salvamentum & pacem, & ad legis ac justitiæ & rectæ rationis conservationem, quantum mihi Dominus scire & posse donaverit, & ipsi me obaudierint, & à me ipsi quæsierint, vero consilio, & secundum quod rationabiliter & salubriter possibile fuerit, sincero auxilio adjutor ero, ad regnum illorum continendum, & nec in vita, nec in membris, neque in regno illorum eos forconsiliabo (aliàs foris consiliabo) in hoc, ut ipsi erga me similem promissionem faciant & conservent: sic me DEVS adjuvet, & sanctæ reliquiæ.* Carolus cæterique ordine eandem formulam recitârunt, mutatis duntaxat nominibus. Solutus est conventus magnâ, uti quidem videbatur, omnium lætitiâ. Hiems fuit hoc anno tam rigida & longa, ut mare Jonium Venetiam usque conglaciatum, jumentis carpentisque se meabile præbuerit. Pacem, quam recensui, tum sanctè sancitam, non multò pòst renatæ simultates turbaverunt, nondum expletâ libidine dominandi, quâ Rex Carolus mox ab inito fœdere, alie- FORMULA FOEDERIS. HIEMS ASPERA. *Herman.* PAX RURSUS INTER REGES TURBATA.

alienos subditos cœpit ad defectionem allicere, sibique munire viam ad Regni sui fines prolatandos. Quâ de re cæteri Reges apud Nicolaum Pontificem per Legatos, additâ Episcoporum commendatione, gravissimè sunt conquesti, rogantes, ut exemplo priorum Pontificum, in rem præsentem venire, & gliscenti malo ne differret dictare remedium.

An. Christ. DCCCLXI. XX. Castigata quorundam perfidia.

Jam tum Ludovicus Germanicus, inter regni sui Optimates aliquos deprehenderat, cum Carolo perfidè consilia miscuisse. Eos ne damnaret inauditos, tertiâ post ferias Paschales hebdomade conventum egit Reginoburgi, ubi ex Ordinum sententiâ Ernestum, quem magnis affectum beneficijs, omnibus regni proceribus prætulerat, perduellionis damnatum, honoribus omnibus exuit. Qui contacti erant eâdem conspiratione, Uto & Berengarius Comites, Valdo Fuldensis Cœnobiarcha, & Sichardus Comes, in ordinem fuêre redacti. Ex ijs Ernestus & Sichardus vitâ privatâ contenti, patriam exilio prætulerunt, cæteri ad Carolum se receperunt.

Quâ animadversione maturè quidem provisum, ne ex paucorum contagione factio ad plures propagaretur, sed, quod in regnis longè diffusis proclive est, dum partibus propioribus invigilatur, in remotioribus se prodiderunt defectionum incentiva, quorum ne umbræ quidem ulli Regum sunt negligendæ. Id vitium eò periculosius, quòd Carolomannus Ludovici filius, à susurronibus, quibus aulæ solent scatere, apud patrem traduceretur, quasi paterni imperij diuturnitatem pertæsus, præcoci imperandi cupiditate laboraret. Secundæ suspicioni occasionem fecit Rasticis Moravorum reguli nova defectio, & excursio hostilis in vicinos. Defectioni causam dedisse ferebantur, Engelschalcus, Wilhelmus & Barbo, præfecti utriusque Pannoniæ & Carantani limitis, quòd, cùm mutuis inter se odijs certarent, suas quique provincias segniùs, ut fit inter discordes, tuerentur, indéque Rastices ad audendum animatus, eorum negligentiâ in rem suam fuisset abusus. Carolomannus, (quod accusationis caput erat) usus vicariâ, quam à patre in eorum provincias acceperat, potestate, illos, Ludovico inconsulto, loco movit, alióśque suffecit ex suis familiaribus. Hæc apud patrem miris argutijs inflabantur: enimverò filium videri in parentis jura involâsse: ad eum non pertinuisse, patris injussu, præfectos è Provincijs abigere, novos inducere; id certè esse, non precario imperio, sed pro arbitrio, regni habenas moderari: nihil esse propius, quàm ut spreto parentis senio, nomen regium, purpuram, regni denique munia & insignia rapiat. Ludovicus suomet fratrúmque exemplo non nescius, quàm insidiosa sit filiorum in parentes æmulatio, ut suspiciosa sunt Principum ingenia, delationes in deterius interpretans, credidit, Carolomannum prætmaturè cupiditatis oculos regno adjecisse, eóque præfecturas hominibus factis ad ejus ingenium detulisse: simul verebatur, ne, qualem ipse se Pio parenti præstiterat, Deo vindice, talem filium experiretur. Et hæc quidem tam occultè non poterant in aulâ agitari, quin rumore nuntio ad Carolomannum deferrentur.

Ludovici turbæ domesticæ in Carolomannum F.

An. Christ. DCCC. LXII. *Annal. Fuld.* XXI. Carolomannus refellit æmulorum calumnias. Ludovicus opprimit Obotritorum motus.

Quamobrem suâ fretus innocentiâ, ultrò advolat Reginoburgum. Ubi propiùs ad rem ventum; criminatores, Ludovico judice (quod omnino fieri oportebat) jubentur accusationis causas adferre: cùm præter meras imposturæ vanitates nihil adducerent, cognitorum judicio Carolomannus ad dicendam causam admittitur, nullo negotio impactam calumniam refellit, solidisque rationibus ostendit, nullius se in patrem culpæ esse affinem; denique ne quis esset ambigendi locus, vel de ipsius fide ac pietate dubitari posset in posterum, non modò suam defensionem juramento firmavit, sed pari etiam religione spopondit, se in patris potestate deinceps futurum, nihílque dolo malo contra eum sensurum, nedum moliturum. Abstersâ suspicione, in provinciam remissus est: Ludovicus verò parens Moguntiam profectus, & cum Lothario nepote collocutus, arma vertit in Obotritos Transalbianos, quos cùm celeritate oppressisset, Tabamvizilem eorum regulum, res novas molientem, ac demum imperata facere pollicitum, dare filium obsidem coëgit.

Ludo-

Ludovicus vix eo bello erat perfunctus, cùm à Carolo fratre & Lothario nepote, filio tertio Lotharij Imperatoris, nova illi nata est solicitudo. Uterque fœderis initi immemor, malo Domui Carolinæ velut hæreditario, in gravissimas simultates exarserant. Ex Lothario causa potissima, quòd in suis ditionibus facinorosos homines foveret, Carolo vehementer suspectos, quasi nepotem ad res novas incitarent. Simul patruum urebat Lotharij infamia, ob Theutpergæ repudium, & Waldradam regio thoro superinductam. Erat in isto factiosorum grege Balduinus, vir genere nobilis, è piorum cœtu Nicolai Pontificis execratione depulsus, quòd Juditham Regis Anglorum viduam, Calvi filiam, tametsi cliens, rapuisset, & nihilominus Lotharij tutelâ frueretur: quæ res spectabant ad magnos motus. Ludovicus magnopere veritus, ne veniretur ad arma, Carolo author fuit, ut bello tantisper abstinens, causam pateretur apud arbitros disceptari; quod ipsum Lothario persuasit. Locus disceptationi dictus villa Sablonaria, ad quam frequens Episcoporum Principúmque cœtus convenit ad 3. Non. Novembris. Adfuêre simul ex condicto tres Reges. Causâ ordine discussâ, pax confecta est eâ lege, ut Lotharius promitteret, se gesturum morem patrui monitis, si divinæ legi consentanea suaderet. Concordiâ in speciem instauratâ discessum; cùm mox Lotharius Romani Pontificis tribunal appellans, omnem abrupit pactorum consensionem. Secundum hæc obtinuit à Pontifice, ut legati sedis Apostolicæ Metim ad Synodum mitterentur, causam repudiatæ Theutpergæ recognituri, qui simul in vagam Engeltrudis, flagitiosissimæ Matfridi Comitis filiæ, quæ à Bosone viro perillustri malè diverterat, libidinem animadverterent.

LOTHARII CUM WALDRADA ADULTERINÆ NUPTIÆ.

PAX INTER CALVUM ET LOTHARIUM MALE COHÆRENS.

Franc. Chronic. edit. à Pythao. Anastas. in Nicolao. Regino.

XXII. AN. CHRIST. DCCC. LXIII.

Id factum anno sequenti, sed eo successu, qui pontifici neutiquam satisfecit. Nam acta Synodi in Concilio Lateranensi, quòd faverent adulteris, damnata, & notata infami nomine prostibuli. Guntherus Archiepiscopus Agrippinensis, Waldradæ germanus, unà cum Theutgaudo Trevirensi, loco moti, quòd gemini flagitij patrocinium obstinatè suscepissent: Episcopi ejusdem culpæ participes simili pœnâ damnati, nisi quamprimum resipiscerent; Engeltrudis diris iteratò devota. Pontifex nunquam adduci potuit, ut Waldradam bene nuptam diceret: certè eas nuptias Lothario fuisse exitiales, manifesta Numinis ira denique ostendit. Et verò mirum est, quo fato in Caroli Magni, Regis optimi, posteritate, verum apparuerit vulgare diverbium: Filij heroum noxæ; sic enim magnam partem ejus nepotes ab ejus virtute degenerârunt, ut complures ab animi corporisve vitijs nomen sibi fecerint. Uni nata Calvi appellatio, alij Balbi, Simplicis alij, alij Crudelis, Sterilis & Ignavi alij: omnibus ferè adhæsit nescio quæ lacinia parùm laudabilis.

Iurisconf. in 2. q. 1. c. scelus & 2. q. 3. c. Theutgaldum. & 27. q. 2. c. scripsit nobis. & dist. 61. c. porrò scias.

SYNODUS METENSIS, ET EPISCOPI FAVENTES LOTHARII DIVORTIO DAMNATI.

Ludovicus noster, tametsi parùm esset, quod in ejus moribus jure posset improbari, tamen eum felicitatis modum non est assecutus, ut ne cum Pio parente & cum filijs collideretur. Res cum Carolomanno ad æquitatem redactæ videbantur, cùm hoc anno assiduis assentatorum flabellis in fraudem rursus est inductus, quasi ille turbas in Carantanis conflaret. Quâ criminatione sic excanduit, ut eum, tametsi inauditum, palàm, velut Majestatis compertum, in magnâ populi frequentiâ sit detestatus, omnique dejectum dignitate, vetuerit Reipublicæ unquam admoveri. Nec verò offensio inter verba stetit, sed parentem, coacto mox exercitu, ad filij exitium armavit, sparso tamen rumore, agi de domando Rastice Moravo, qui Bulgarorum auxilio, ferebatur novas turbas meditari. Hæc quidem publicè, sed in arcano consilium erat, Carolomannum incogitantem opprimere. Hic expeditionis prorsus inexpectatæ famâ territus, dum inter metum & conscientiæ securitatem fluctuat, incertus sitne consultius, cedendo patris iras evitare, an se ad defendendam vim comparare, denique iter ad parentem ingreditur, innocentiæ patrocinium, si quis supersit agendi locus, quæsiturus. Verùm ubi de viâ per certos homines accepit, patris aures animúmque ab æmulis sic obsideri, ut non nisi cum præsenti capitis discrimine posset adiri, eo nuntio perculsus, regressus ad Carantanos, quantas potuit Provincialium vires, non

LUDOVICI IN CAROLOMANNUM IRÆ.

XXIII.

BELLUM.

 tam

tam ad excipiendam belli molem, quàm retardandos patris impetus, dum morâ languescerent, contraxit, ratus fore, ut paulatim factus pacatior, secum agi ratione pateretur. Ludovicus bellum artibus temperare cupiens, Gundacarum Comitem, cujus maximè virtute Carolomannus nitebatur, magnificâ præmiorum pollicitatione corrumpit, adjectâ Carantanorum præfecturâ. Cum nihil tale Carolomannus suspicaretur, homini perfido primum copiarum agmen committit, jusso, patrem propinquantem transitu fluminis, quod utrumque exercitum dirimebat, prohibere. Verùm is transituro, ne objecit quidem legiones, sed ad unum omnes, ad defectionem & Ludovici castra pertraxit. Carolomannus Legati proditione exarmatus, amicorum, qui ejus sortem miserabantur, hortatu orat à parente, impetrátque publicâ fide commeandi facultatem, ad causam, nullo patrono, sed solâ innocentiæ fiduciâ, Rege judice, dicendam. Progressus in patris conspectum, neglecto reorum squalore, fronte ad hilaritatem explicatâ, hanc ad patrem orationem habuit.

Dolus.

Gundacari perfidia.

Carolomannus imposturam diluit.

Bene sapientérque humanæ genti provisum est, quòd neque sola accusatio sontem faciat, neque criminum inficiatio innocentem. Mihi verò inprimis optimè consultum à Deo immortali, qui mihi judicem dedit officio justissimum, sapientiâ perspicacem; sanguinis nexu, quo nullus potest esse strictior aut benignior, parentem. Veritus fuissem, pater, ad tuum tribunal prodire, nisi me mea conscientia prius absolvisset, quàm tu me reum videres. Accusatores quidem non video, quos, mirum non est, latere velle in fœdissimâ accusatione, cujus capita me adhuc laterent, nisi fama, & tua recens arma mihi ostendissent atrox esse quippiam, quod mitissimum alioquin patris ingenium adversus filium, & eum quidem prorsus inauditum, tam graviter concitâsset. Nisi me rumor fefellit, renovatæ sunt anni superioris calumniæ: certè nihil video aliud, quod speciosius tui potiùs quàm mei hostes potuerint ad me perdendum comminisci: si tamen quid subsit novi vaframenti, non ægrè
XXIV. *intelligam, neque gravatè refutabo. Credebam, me nupero congressu tibi, & Ordinibus tuorum Regnorum universis, abundè satisfecisse, ut deinceps tu mihi fidere, & ego tutò tibi servire, possemus. Sed refossa est impostura, suspicionum cicatrix, eodem, quo nuper læsus ungue fuisti, denuò est aperta. Feruntur tibi persuasisse homines perfidi, me rerum summæ præpropero ambitu imminere: argumento esse tuam senectutem, dominatûs diuturnitatem, meam juventam, quæ avi tui exitum expectare non possit, & si quæ sunt similis generis criminationes. Verùm eos dixisse oportuisset, quibus unquam modis tuæ canitiei, quam summâ semper veneratione colui, insultârim, quibus rebus monstrârim, me tibi regnum, quod Dei hominúmque consensu datum summa cum laude, totiúsque domûs nostræ gloriâ, meáque lætitiâ gessisti, invidisse. Quasi verò mentem, ipsúmque naturæ instinctum mihi vesanus ambitus sic eripuerit, ut ignorârim, debere me divina dona in tuo capite venerari, regni majestatem, si quo possim obsequio, tueri, tibíque in amore respondere, à quò tot sum beneficijs provocatus: cui me totum meásque omnes spes debeo, quémque (ita mihi meus animus totúsque orbis testis est) nullo unquam facto in me concitavi. Reginoburgi tibi sanctissimâ jurisjurandi religione addixi, cælitibus testibus, te audiente, proceribus adstipulantibus, fore me perpetuò in tuâ potestate: Quid obsecro vel ex eo tempore, vel aliàs, designavi, quo videri potuerim fidem, tam sanctè, tam sincerè datam, ullo pacto violâsse? volui regnum tuis ingratijs involare: sed quibus armis, quibus opibus, quânam fœderum consociatione, quibus amicis, quo apparatu? Dicat Gundacarus consiliorum meorum particeps, ex amico factus transfuga; non hostis tamen, quia ad te, quem nunquam pro hoste habui, confugit, suóque Regi morem gessit; dicat, inquam, neque enim quicquam eo clam, aut sine eo, deliberavi, nunquidnam in me notârit, quod vel è longinquo visum sit, minimæ contra tuam majestatem conspirationis speciem præ se tulisse? Cùm nihil quicquam sit ejusmodi, quod ex omnibus meis actionibus, vel à malignissimis calumniatoribus possit exsculpi, non possum non ægrè ferre, te eorum fraudibus fuisse circum-*
XXV. *ventum, ut crederes, me scelus fovisse animo, quod nullis patuit indicijs, quod nullâ unquam cogitatione molitus sum, à qua semper abhorrui, quod perpetua mea in te obsequia apertè refutant. O propitium Numen, tibi, mi pater, indulgeas annos Nestoreos*

conti-

continuámque regnandi felicitatem, quæ me (Cælites nôrunt, me loqui ex animo) eò reddent feliciorem, quò erit futura diuturnior. Hæc dicentem parens vultu ad lenitatem mutato, frequentes Proceres gaudio sublevabant: nemo unus ex ijs fuit, ABSOLVITUR. quin pronunciaret innocentem, & delatorum insidias, immanémque imposturæ atrocitatem diris omnibus configeret. Cùm receptus in flagrantem patris gratiam, ad Carantanos rediret, Gundacarus, urgente conscientiâ, ad Rasticem confugit, cui suffectus est Hezilo. Eodem tempore arx Mosaburgia constructa, in qua Adalbinus Salisburgensis Archiepiscopus templum dedicavit.

Interim castra regia mota protinus in Marahenses, renovatos à Rastice tumultus singulari facilitate compresserunt. Etenim Ludovicus mense Sextili trans Danubium profectus, anniversarium Reipub. turbatorem, Dovuinæ oppido deprehensum, circumsedit, qui cùm viribus diffidens, non auderet cum Regijs copijs congredi, sublatâ evadendi facultate, brevi in eas angustias redactus est, ut, cùm ipsi nullum, nisi in Ludovici clementiâ præsidium superesset, pacem precatus, ijs legibus fecerit, quas datis obsidibus & repetito clientelaris fidei sacramento, coactus est accipere, quas tamen homo mirè perfidus, reversus ad ingenium, non servavit. Secundum hæc Ludovicus Septembri mense Duciaci, oppido supra Jvodium ad Charem amnem, amicè cum Carolo fratre congressus, semina simultatum, quæ se denuo prodebant, oblitteratis offensiunculis, ex integro sustulit. Non enim deerant, quæ fuit istius ævi corruptela, qui nimiâ Regum abusi credulitate, LUDOVICI ET CALVI COLLOQUIUM DUCIACI. assentationibus, serendis discordijs, eorum amicitiam non verebantur labefactare. Et hoc quidem præcipuum Annales memorant colloquendi argumentum: verùm si fas est dare locum conjecturæ, à vero non abludit, Ludovicum Carolo collocutum de dissolvendis Lotharij insanis cum Waldradâ amoribus, nullo tamen operæ pretio. Eo congressu ad perpetuandam animorum contentionem, delectu ex Pontificibus & primâ nobilitate, arbitri & monitores, qui Regibus, si quid adversus pacta committerent, liberè admonitis, legis fœdera in memoriam utrimque revocarent. *Annal. Pith. Servar. Antiq. Mogunt. l. 4.* Ludovicus Hincmarum Remensem Archiepiscopum, & Engilramum Comitem, Caroli hortatores; Carolus Ludovico Lintbertum Moguntinum Archiepiscopum, & Altfridum Hildesiensem Episcopum nominavit.

Inter hæc Nicolaus Pontifex Maximus Arsenium Episcopum & Apocrisiarium, magno rerum usu, & præclarâ in rebus agendis dexteritate, sedis Apostolicæ Legatum, ad firmandam Regum concordiam, quemadmodum non ita pridem postulârant, misit in Galliam. AN. CHRIST. DCCC. LXV. XXVI. Francofurti ex itinere divertit ad Ludovicum, à quo cultus regijs muneribus, impetravit, ut condiceret, se Agrippinensi Comitio, quod Pontifex pro rei Catholicæ salute volebat haberi, interfuturum. CONVENTUS COLONIENSIS. Idem addixit Carolus Rex Franciæ; sed Lotharius ut interesset, sibi non est passus persuaderi, quòd nôsset, se sine rubore non adfuturum, propter fœdam Waldradæ societatem, à quâ nullis adhuc machinis poterat avelli: territus tamen est denique, ubi, propositâ dirarum interminatione, animadvertit, se per frustraneas tergiversationes deinceps ab Apostolico fulmine tutum non fore. LOTHARIUS WALDRADAM DIMITTIT. Quare Theutbergam, uxorem justam, recepit in thorum, pellice dimissâ, quæ jussa est Romam proficisci ad reddendam sui pellicatûs rationem. Addit Regino, inductam Engeltrudem Bosonis desertricem, ut juraret, se ad sacra Apostolorum limina piacularem peregrinationem, & scelerum pœnas subituram, sed, ut in flagitiorum obstinatione amat fieri, rem stetisse inter itineris ingressum, & inanem promissionem. Coloniensi Comitio adfuêre Ludovicus & Carolus, grandi pacis stabilitæ pretio, de quâ PAX CONFIRMATA. extant Nicolai Pontificis ad ipsos, & subjectarum ditionum Episcopos, Apostolicæ litteræ. *Ep. 25. 26. 27.*

AN. CHRIST. DCCC. LXVI.

Ne unquam sæculo inquietissimo turbæ deessent, dum Ludovicus alienæ quieti dat operam, domestico tumultu se sensit implicatum, unde minimè debuisset. LUDOVICI IUNIORIS CONIURATIO IN PARENTEM. Ludovicus filius, stimulante invidiâ, auctor fuit nefariæ in eum perduellionis. Sumpta turbandi occasio ex Carolomanni magnitudine, quæ post gratiam cum patre reconciliatam, creverat ex nonnullis, quæ Ludovici natu minoris

noris fortunis parens detraxerat. Quamobrem ille vindictam meditari, moliri
XXVII. defectionem, adsciscere in sceleris conscientiam homines à Rege alienos, clàm habere delectus, Saxones, Turingos, per emissarios in partes solicitare, exulibus ostentare spem recuperandi patriam, opes atque dignitates, quibus à Rege fuerant exuti. In his fuit Werinharius è Francorum nobili sanguine, quem Ludovicus hoc anno, majestatis compertum, quasi Rasticem ad bellum incitâsset, publicis depulsum muneribus proscripserat. Accessêre Vto & Berengarius Comites, ante quinquennium redacti in ordinem, qui ad eam diem in Franciâ degebant extorres, ad ineundam factionem, delendámque ignominiam apprimè irritabiles. Et jam missus erat Henricus copiarum Præfectus ad Rasticem, quo nullus erat hostis Regi capitalior, qui eum perduellibus adjungeret. Vix dubium, Numen ex his malis id boni voluisse elicere, ut ejusmodi turbis expiaret, quæ Ludovicus olim adversus pietatis jura peccârat, promeritus eousque ærumnarum rapi, quò Pium parentem raptârat. Compertâ per certos homines conspiratione, non suæ magis fortunæ, quàm filij impietati ingemiscens, contractis, ut in re subitariâ, popularium centurijs, Francofurtum advolat, nascentem flammam celeritate oppressurus. Quacunque proficiscebatur, tanti ad eum fiebant virorum fortium concursus, pugnam & quævis discrimina, adversus parricidiales humanitatis hostes, deposcentium, ut brevi multitudo, non modò justi exercitûs speciem æquaret, sed etiam multò superaret. Inter hæc, Boicæ procurationem demandârat Carolomanno, qui ne ipse quidem fuit extra periculum, quasi fata ad sumendas pœnas ex condicto armarentur. Erat enim in turmâ Prætorianorum Guntpoldus, homo ferox, & venalis ad omne facinus, qui adlectâ sicariorum manu, ausus est ex improviso ferrum stringere, hausturus Principis latus, nisi prohibitus à stipatoribus, profligatis socijs, fuisset conjectus in fugam, quâ promeritas pœnas evasit quidem, sed non evasit infamiam, in quâ vitæ reliquum, cœlo terráque detestabilis, exegit.

Carolomannus à sicario periclitatur.

Ludovicus junior resipiscit,

Opinione mitior fuit exitus Ludovicianæ rebellionis. Ut malè sartæ sunt ac timidæ factiosorum coitiones, Ludovicus junior, remittente sensim protervia, suam ipse causam cœpit damnare, suspectare sceleris socios, ne, quâ perfidiâ arma in patrem induerat, eâdem illi fidem exuerent. Si Martem adversum pate-
XXIIX. retur, parentem meritò fore devicto inexorabilem; sin haberet obsequentem, victoriam tamen fore impiam & infamem. Nondum eò ventum desperationis, quin venia possit exorari, & à placato parente fortunæ detrimenta reparari. Iras in filios, nec facilè suscipi, neque, si causa cesset, pertinaciter retineri. Hæc secum reputanti, oblatus est bonus interpres Luitbertus Episcopus, qui Wormatiæ in aulâ, unà cum alijs Regi erant authores pacis integrandæ, si filius posset ad æquitatem inflecti. Ille neque gravatè, neque segniter pacificatoris partes amplexus, tam dextrè lenivit patris animum, ut, factâ criminis veniâ, sine cunctatione filium in priorem gratiæ locum reposuerit.

Recipitur in gratiam.

Bulgarorum ad fidem conversio.

Mensis November agebatur, cùm ad cumulandam reconciliatæ benevolentiæ lætitiam Reginoburgum advenerunt Bulgarorum legati, nuntiantes, Michaëlem suæ gentis Principem, cum totâ ferè popularium multitudine Christo dedisse manus: simul orabant, vellet Ludovicus divinæ legis magistros mittere, qui rudes adhuc tirones, explicatiore mysteriorum doctrinâ imbuerent. Quam ad rem Ermenricus Antistes cum sacrorum administris missus, multum quidem animi ad excolendam gentem, sed exiguum operæ fructum tulit. Nam Nicolaus Pontifex Maximus, Michaëlis rogatu, alios institutores miserat, Paulum Populoniensem, & Formosum Portuensem, magnâ sanctitatis famâ Episcopos, quibus Ermenricus, ne falcem mitteret in messem alienam, omnem Bulgariæ curam reliquit. Jam dudum ea natio per intervalla cœperat admittere divinæ cognitionis, & pietatis in verum Deum, igniculos. Eorum Rex Teleritus bellis adversus Copronymum exercitus, abdicato regno, Christianæ religionis amore, anno DCCLXXVII. se Constantinopolim contulerat, ubi suscepto baptismo, à Leone Imperatore

crea-

creatus Patritius, & contractis cum Augustæ consobrinâ nuptijs, magno fuit genti suæ, ad legem Christi clariùs addiscendam, incitamento. Theodora quoque Augusta anno DCCXLV. gentem bella meditantem, ad pacem & Sacra Christiana aliquam partem adduxerat. Ex eo tempore tametsi cæteris nonnulla lux veritatis intermicuerit, tum ex popularium consuetudine, tum etiam ex usu captivorum Christianorum, quorum multos viderunt mortem pro fide fortiter oppetentes, tamen tum vel maximè aperuêre oculos, cùm is, quem diximus, Michaël, ad Christum, miro divinæ bonitatis instinctu, fuit adductus. Nomen illi, gentilitijs superstitionibus irretito, Bogor fuit. Salutis primordia ex sororis captivitate & probâ institutione in aulâ Theodoræ Augustæ Constantinopolitanæ, ubi combibit fidem Christianam. Permutata soror Bogoris cum Theodoro Cuphara, viro apud Græcos rebus præclarè gestis celebri, qui in Bulgarorum manus venerat, domum reversa, fratri identidem Christianorum virtutes, & legis puritatem ingerebat: sed ejus labor incurrebat in animum malè subactum & sterilem, donec soli Bulgarici cœlive malignitas, frugum inopiam cum ultimâ fame invexit. Et tum demum Bogorus cœpit, necessitate & commiseratione publicæ calamitatis, mollescere. Revocans etenim in animum, quæ ex sorore de Christi in miseros clementiâ, & supremâ in res omnes potestate audiverat, spopondit, se cum totâ gente, ad ejus sacra, proscriptis Idolis, transiturum, si inediam propitius depulisset, certus, tale beneficium esse in unius divinæ mentis arbitrio. Sublatâ inopiâ, voti damnatus, cùm nondum promissa præstaret, ad ea præstanda, per Methodium Monachum, hac ratione est inductus. Delectabatur ferarum imaginibus bellè depictis, earúmque agitationes & certamina, per omnes aulæ parietes, curabat eleganti penicillo adumbrari. Fortè evenit, ut Methodio, arte pingendi in primis excellenti, tabulam bene amplam committeret, in quâ manum probaret quocunque vellet argumento, si modò triste quid, truculentum, maximéque tremendum pingeret. Cùm pio pictori inter terribilissima nihil occurreret terribilius supremo severissimóque mortalium omnium judicio; justissimi tribunalis iras, reorum ora trementia, dæmonum horribiles species, Æthnæas fornaces, flammarum erumpentes globos, ignea sub incudibus scelestorum corpora, flagitiosorum carnificinas, injustorum patibula, crudelium crurifragia, invidorum laniatus, cæterásque tartareorum suppliciorum diritates atque truculentiam, dedit sub formidabilem aspectum, quàm funesto licuit penicillo. Cùm lugubri spectaculo tabulam implevisset, denique Bogorum admisit; quem formidabilis imago rei omnium miserabilissimæ penè de mentis sede dimovit. Verùm ubi Methodium audijt, de totâ rei olim certissimè futuræ historiâ, scitè atque ordine disserentem, longéque plura, quàm coloribus expresserat, explicantem; *Quid fiet*, ajebat, *quidve erit animi homini criminoso, qui ne umbram quidem irati judicis & mæstissimam reorum formam in tabellâ ferre potest, quando res ipsa oculis, animo, corporis omnibus sensibus, etiam ab invitis debebit usurpari? Placabo verò tempestivè judicem, ejus gratiam conabor demereri; me, dum licet, ipsi reum sistam, impetratáque criminum veniâ, ad ipsius partes accedam.* Nec verò secus fecit, ac dixit. Accersijt enim mox (quod antè dicebamus) legis sanctæ doctores, voluit tingi undis expiatricibus, & Michaëlis nomine, ad Imperatoris imitationem, appellari. Tum nationem universam ad Christiana castra traducturus, cùm eatenus militare vexillum, caudâ equinâ notatum, fuisset in usu, deinceps eo mutato, Crucis salutiferæ signum triumphale, Constantini Imperatoris exemplo, voluit legionibus præferri, eóque munitus, memorabiles victorias reportavit adversus numerosissimas suorum popularium copias, qui à veri Dei cultu alieni, in aciem prodire ausi, à paucis fusi profligatíque, cladis acceptæ miraculo mutati, demum Christo, suóque Principi manus dederunt. Tantos hic deinceps in virtute fecit progressus, ut purpuram veste religiosâ, fastum regium Monasticâ paupertate mutârit. Sceptrum filio transcripsit, qui cùm animi levitate, & malè feriatorum suasionibus, ad pristinas superstitiones redijsset, parens arma rursus induit, gessitque, donec filium

Theophan. in Leon.

Curopalat.

XXIX.

MICHAELIS REGIS MUTATIO IN MELIUS.

METHODII PICTURA TERRIBILIS.

XXX.

lium in potestatem redactum, & orbatum luminibus è Regiâ in carcerem detrusit. Hæc de Bulgaris, & submissis à Ludovico Rege divini magisterij suppetijs: quem, credibile est, à Nicolao Pontifice impetrâsse Epistolam, insigni plenam sapientiâ & pietate, quam anno sequente dedit ad Carolomannum, Ludovicum & Carolum, qui postea Crassi cognomen accepit, fratres germanos. Eos magnopere hortatus est, ut officij in patrem memores, omnem illi amorem ac reverentiam obsequenter exhiberent, rati, naturæ leges, ipsúmque naturæ authorem Deum id ab ipsis exigere. Haud dubiè præter Ludovici petitionem, causam dedit Pontificiæ scriptioni facinus, quod anno superiore perperam à Ludovico filio meditatum fuisse recensuimus.

An. Christ. DCCC. LXVII.

Quæ Adrianus Pontifex, Nicolao suffectus, ad Ludovicum Regem anno superiore scripsit, de Ludovici Imperatoris virtute, rebúsque gestis contra Saracenos, fusè recensentur in Ecclesiasticis Annalibus. Eum præterea monuit, pacem coleret; si bellum optaret, inferret hostibus à Deo cœlitibúsque alienis: caveret verò, ne Imperatoris, vel Lotharij ejus fratris fines invaderet, eo præsertim tempore, quo ille sacrâ, adversus impios, expeditione occuparetur. Laudabilis est opera, quam Ludovicus noster præstitit in Synodo Wormatiensi, quam mense Majo suâ præsentiâ honestavit. In eâ multa præclarè ad bonos Ecclesiarum usus constituta; refutatæ Græcorum ineptiæ, de quibus Nicolaus Pontifex anno superiore, Galliæ Episcopos monuerat. Fœdus fuit hic annus fontium fluviorúmque insolenti eluvione; quæ passim frugibus, ædificijs magnam calamitatem intulit: unde nata fames, totam Germaniam Galliámque vehementer afflixit. Istorum malorum nuntius creditus fuit Cometes, qui per noctes aliquot horridâ specie mortales terruit. Famem anno sequenti more suo pestilitas est secuta.

An. Christ. DCCC. LXIIX.
Monita Adriani Pont. ad Regem.
XXXI.
Annal. Fuld. Herman.
Aquarum eluviones.
Cometes formidabilis.

Accesfêre agminatim tumultus, seditiones, perduelliones rebellantium. Correptis furore populari armis, Bohæmi primi omnium signa extulerunt, grassati sub belli initium levibus excursionibus, tum successu audaciores, propiores Bojorum villas incendijs & populatione, abactis hominum armentorúmque gregibus, vastârunt. Ludovicus limitum custodes vim jussit latrocinijs objicere, cæterum bellum demandavit Carolomanno. Non abludit à vero, quod Brunnerus observavit; Bojemos, animadversò, sibi non fore impune, si in Boicam, numeroso milite infessam redirent; accitis in belli societatem Sorabis, Suisolis, qui alijs dicuntur Siusli, cæterisque fœderatis in Turingiam irrupisse: isthic cùm incidissent in imparatos, numerum aliquem colonorum, qui ad finium defensionem incautiùs concurrerant, occidione deleverunt.

An. Christ. DCCC. LXIX.

Alia ex parte Gundacarus Carolomanni proditor, qui è Carantanis metu supplicij ad Rasticem confugerat, Moravos ad arma concivit, ratus, Ludovicum bello alibi implicatum, non fore resistendo. Jussus est cum legati potestate bellum administrare, quod gesturus cum fide credebatur, desperatione reconciliationis; qui enim nihil sperat, nihil desperat. Carolomanno Ludovicus suas vices commiserat. Cùm utrinque instructæ starent acies, manus Gundacaro divinitus injecta est evidenti prodigio, quod ne potuit quidem, quamlibet peritus fingendi artifex, dissimulare. Tantus illum subitò pavor incessit, & mentis hebetudo; ut neque imperare legionibus, nec ordines movere in hostem, neque ullâ posset ratione ad animum revocari. Hoc illi duntaxat rationis superfuit, ut sua fata & Cœli vindictam pro concione aperiret, sic trepidè affatus commilitones: *Memini, quis ad vos venerim, & quo voto: qualis subitò effectus sim, nescio: non, quod casum reformidem, ut qui aliàs sum expertus sortem adversam, sed quia non sum ampliùs, qui fui. Non accuso fata, quæ justa sunt, sed meum scelus, quod me reddidit infelicem. Magnus ille Emmerammus, ad cujus cineres Ludovico sacramentum dixi, ultor est meæ perfidiæ. Non recusarem pro vestrâ libertate in acie fortiter occumbere, sed ne hoc quidem licet. Dicam quod res est; Emmerammus, magnum inter Divos nomen, me non sinit ferrum stringere, ita torpore ineluctabili manus, pedes revinctum, & velut debitam furijs victimam, supremæ ultionis aris me admovet. Sed agite Commilitones, vestris au-*

Gundacarus transfuga occiditur.
XXXII.

spicijs

spicijs ite in hostem, vestrâque virtute vosmet servate: si qua me fata neci eripiant, me vobis debebo: sin vili hoc capite superi vestram salutem paciscentur, nihil obsistam, vos modò superestis felices. Hæc lamentabiliter vociferantem interrupit Carolomanni acies, quæ disjectis momento Moravis, stragem veriùs, quàm cædem fecit Barbarorum, quibus consternati ducis oratio mentem lacertósque eripuerat. Ille mactatus inter primos, pœnas dedit rebellionis. Grassatum deinde in agros ultimis hostilitatis exemplis. Quibus fuit fortuna benignior, in loca munimentis defensa evaserunt: cæteroqui nulli parsum est sexui, vel ætati. Carolomannus Deo victoriam gratulatus, litteras laureatas dedit ad parentem, qui Reginoburgi, per omnia Divorum templa, publicâ supplicatione, DEO & D. Emmerammo grates jussit persolvi. CAROLOMANNUS MORAVOS PROFLIGAT.

Cæterùm, tam frequenti suorum rebellione irritatus, recenti clade turbatos, supremis viribus putavit esse insectandos, ut viribus imminutis, de cætero, ad res novandas ægriùs conspirarent. Mense Sextili, copias trifariam partitus, Ludovicum natu secundum primis, quas è Turingis Saxonibúsque legerat, præfecit, jussitque mox adversus Sorabos educi in Turingiam. Secundas è Boicâ commisit Carolomanno, adversus Zuentibaldum Rasticis nepotem, qui collectas recentis cladis reliquias in campum eduxerat: tertium agmen è Francis & Alemannis, sibi retinuit, primo quoque tempore in Rasticem, belli caput, moturus. Verùm cùm jam esset in procinctu, Reginoburgi morbo cœpit conflictari, lectóque affixus, Carolo natu minimo, belli Moravici summam imposuit non sine faustâ apprecatione. Et hic quidem primus omnium signa movit in Moraviam. Rastices, dolis, quàm virtute melior, certus bellum ducere, &, quod aliàs fecerat, se munimentis & cunctatione tueri, modis omnibus detrectabat supremam belli aleam, objectis passim propugnaculis, quæ non videbantur, nisi longâ molitione posse superari. Carolus moræ impatiens, rem magno animo aggressus, moles opere munitas disjecit, claustra perrupit, occupavitque plerosque Rasticis receptus, qui cùm sui copiam non faceret, omnia passim populationi, ferro, flammis, patuerunt. Mirum, quantum prædæ, domi & in agris conditæ, fuerit repertum. Militi cessit, quicquid agi ducique potuit. Victoribus defuit Rastices, præcipuum belli momentum. Is arreptâ fugâ ad intimas saltûs Hercinij latebras tempestivè elapsus, omnem exploratorum diligentiam elusit, servatus ad fata tristiora. TRIPLEX LUDOVICI EXERCITUS. XXXIII. MORAVIA VASTATUR. FUGA RASTICIS.

Carolomannus inter hæc Zuentibaldum, vastatis, quàm latè patebant, agris, eò necessitatis adegit, ut, cùm nulla ei superesset ratio salutis expediendæ, sui universæque provinciæ fecerit deditionem, cum juramento, se deinceps imperata facturum, Regi filiísque fidem sanctè servaturum. Quibus rebus eodem propè tempore in Moraviâ confectis, Carolomannus & Carolus venère in mutuos amplexus, fausta Cœlitibus, sibíque gratulantes, copiásque domum incolumes reduxerunt. ZUENTIBALDUS RASTICIS NEPOS FACIT DEDITIONEM MORAVIÆ.

Ludovici virtus haud obscurioribus factis inclaruit. Geminâ potitus est victoriâ: primâ adversus solos Sorabos, quos, Martem tentare ausos, acie superavit. Alterâ adversus Bohæmos, qui Sorabis juncti, dimicationem fecerunt, priore multò difficiliorem. Certatum etenim, ut in ultimâ rerum desperatione, ingenti pertinaciâ, cum magnâ utrinque cæde; stetit tamen, cruenta licèt, victoria penes Ludovicum, quam Soraborum deditio est subsecuta. Bohæmi auxiliares, vel occidione deleti, vel fugâ recepti in patriæ munimenta. Prosperos rerum successus, publicámque lætitiam, haud mediocriter turbavit graviter affecta Ludovici Regis valetudo, quæ augescens in horas, artem curásque medentium ita superabat, ut vix ulla spes vitæ longioris bono seni superesset. Quare conclamatâ salute, cùm humana deficerent, confugiendum fuit ad divina. Conciliatores adhibiti religiosi comprecatores, & profusus in miseros thesaurus. Quicquid habuit aureæ argenteæque supellectilis, in virorum virginúmque sacra domicilia distribuit, & felici pretio vitam, reparatâ sanitate, redemit. LUDOVICUS IUNIOR SORABOS VINCIT. *Aimoin. l. 5. c. 23.* MORBUS LUDOVICI SENIORIS DEPULSUS.

Lotharii II. Imp. excessus. XXXIV.

E diverso, Placentiæ Lotharius Augusto mense è vivis excessit: quo comperto, Carolus Galliæ Rex, defuncti regnum ex asse solus invasit. Qui facto obnisi sunt, pars exuti bonis & honoribus, pars coacti solum vertere. Ex ijs complures venerunt ad Ludovicum opem exposcentes. Missi ab eo ad Carolum legati, qui de injuriâ expostularent, quòd à communi hæreditate fratrem excluderet, & verò etiam in privatorum possessiones involaret: cederet itaque regno, quoad æquâ lege à justis hæredibus cerneretur. Verùm Carolus prid. Id. Septemb. apud Mediomatricos in æde D. Stephani, votis Austrasiæ Antistitum, Hincmaro Remensi inauguratore, regni Lothariensis insignia munitionésque occupaverat, & validiore opus erat telo, quàm per oratores adferebatur, ad excuneandum invasorem.

Calvi et Ludovici Regis discordiæ.

Quæ res magnis postea partium studijs est agitata. Nam & Ludovicus Imperator, utpote sanguine proximus, demortui fratris regnum ad se pertinere dicebat, & habebat Pontificem suffragatorem, qui dirarum denunciatione ipsius causam tuebatur. Crescentibus indies inter fratres simultatibus, alia discordiarum semina accesserunt. Calvus, Ludovico Rege neglecto, Bertolfum Abbatem Mediolanensem, Adventij Metensium Episcopi propinquum, cujus præcipuè studio factum, ut Carolus Austrasiæ Rex diceretur, ad Trevirensem sedem evexit. Ludovicus contrà Waltoni Monacho Trevirensi, ex quo Cœnobio, incertum, promissis auxilijs, fit author invadendi muneris Metropolitani, reclamante Hincmaro Remensi, Remigio Lugdunensi, aliisque Galliæ præcipuæ authoritatis Episcopis. Sed & Carolus Gunthero, qui ob susceptum Waldradæ patrocinium, sede Coloniensi à Summo Pontifice fuerat depulsus, Hilduinum sufficere, injussu Ludovici, omni ope laborabat. Ludovicus vicissim, adjuvante Luitberto Moguntiæ Archiepiscopo Willibertum, Cleri totius & populi votis in locum Guntheri cooptatum, Coloniensibus Antistitem dedit, curavítque solennibus cæremonijs consecrandum. Quod ubi rescivit Carolus, dira quæque volvens animo, Coloniam accurrit, in novum Pontificem ejúsque fautores animadversurus, nisi Rheno maturè trajecto, rebúsque in tuto locatis, furentis iras elusissent: quas ipse demum posuit, ubi nemine apud Agrippinenses, in quem sæviret, reperto, paulò, quàm venerat, sedatior discessit.

Aimoin. l. 5. c. 24. Ep. Adrian. apud Baron. n. 94.

Flodoard. Remen. lib. 3. c. 21. Hincm. Ep. ad Lud.

An. Christ. DCCC. LXX.

Ludovici factum Hadrianus Pontifex tulit ægerrimè, & non modò per litteras, sed etiam per legatos acriter conquestus est, quòd in jus pontificium involâsset, quippe cujus esset in locum ejus, quem ritè atque ordine proscripsisset, alium sufficere.

Ep. Hadr. apud Baron. a. 870. n. 12.

Ludovicus nihilominus perstitit in sententiâ, nixus authoritate regiâ, & Episcoporum suffragijs (quâ de re, nec immeritò, queritur Baronius) & alterâ legatione Carolo bellum indixit, nî protinus Lotharij regno excederet. Legationis principes fuerunt, Luitbertus Moguntinus & Altfridus Hildesiensis, Antistites, rarâ uterque sapientiâ, & in tractandis negotijs dexteritate. Hi singulari animi constantiâ, rationúmque pondere aggressi Carolum, eò denique gravium malorum denunciatione perpulerunt, ut polliceretur, se ex æquo & bono secum agi passurum, & ad diem, quæ ex compacto disceptationi diceretur, adfuturum. Locus pacificationi decretus Marsana ad Mosam.

Ludovicus Calvo bellum indicit. XXXV.

Carolus sub hæc tempora, ad edendum aliquod specimen pietatis, libellum precatorium aureis exaratum litteris, auro, argento, unionibus, eburneis anaglyphis insignem, curavit concinnari, quem religiosi affectûs non vulgare monimentum, Felicianus Scalensis Episcopus Nuntius Apostolicus, anno M. D. LXXXIII. typis Sartorianis editum, Serenifs. Maximiliano, Bavaricæ juventutis eâ tempestate Principi, pôst S. R. I. Electori, dedicavit. Archetypus in Tigurino illustrium virginum Cœnobio, ab Hildegarde fundatoris filiâ, primáque loci Antistitâ, depositus, & à Zwinglianis, multis pôst sæculis, eversâ Tiguri religione, distractus, tandem venit in manus Serenissimi Guilielmi, utriusque Bavariæ Ducis pientissimi.

Liber precatorius Caroli Calvi.

Ludovicus ex morbo, DEI benignitate restitutus, mense Februario Francofurtum adijt, ubi à frequenti coronâ virorum nobilium, qui adacti Caroli injurijs, ad ejus patrocinium confugerant, avidè expectabatur, quos omnes, antequam de regni controversiâ ageretur, voluit restitui ablatis facultatibus & pristinæ dignitati, ne tanquam minutiores privatorum lites, gravioribus Regum negotijs obrutæ, neglectim agerentur, vel longis comperendinationibus interirent. Dein mense Junio ad conventum, rebus cum Carolo componendis, proficiscens, grave vitæ periculum adijt in villâ Ripuaria Flammersheimij. Erat in ejus diversorio solarium ligneum, quod vetustâ carie, ruptis trabibus repentè, magno fragore à Ludovici comitatu depressum, corruit, Regémque graviter collisum solo afflixit, unde illi costæ geminæ suâ compage solutæ. Pressit tamen dolorem, & vultu nihil mutato, ad suos se retulit, neglexítque sanguinis in vomicam coëuntis suppurationem, nascénsq; ex eâ periculum, ne quam moram, corporis curatione, rebus adferret. Die proinde postero se dedit in iter, ne gemitu quidem testatus, quàm ex pridiano casu incommodè haberet. Habuit in comitatu Episcopos quatuor, in quibus Luitbertus Moguntinus, & Willibertus Agrippinensis, decem consiliarios, & triginta ministros palatinos, quorum operâ usus est ad sortiendam Lothariensis regni partitionem. Ergo cum fratre congressus, obtinuit, ut Mosa fluvius, Austrasias ditiones interfluens, statueretur terminus finium regundorum. Quod citra amnem in Treviros, versus Austrum Orientémque spectat, Ludovico obvenit, Aquisgranum, Colonia, Treviris, Trajectum, Mediomatrices, Argentina, Basilea, cum locis monasteriisque interjacentibus: Comitatus item Mosellanus, Saræ profluentis tractus infra supráque Salmense territorium, Arduenna secundum lapsum Urtæ fluvij versus Septentrionem. Transmosana cum nonnullis cis Mosam Carolus sortitione accepit.

LUDOVICUS SENIOR PERICLITATUR EX SOLARII RUINA.

XXXVI.

AUSTRASII REGNI DIVISIO.

Aimoin. l. 5. c. 25.
Sigebert.

Divisâ in hunc modum Lotharij hæreditate, Ludovicus Aquas Graneas se recepit, ubi primùm malè affectam ex nupero casu valetudinem medicis dedit curandam. Natus erat ex vehementi costarum cæterique corporis contusione dolor lateris, sanguine inter costas & succingentem membranam collecto, & phlegmone in tabum maturatâ: unde illi non ingentes modò cruciatus, interpellato anhelitu & acutis punctionibus, sed haud mediocre simul vitæ periculum. Fuit proinde Chirurgorum ferro abscessus aperiendus, quo deterso, restitutus viribus integris, Legatos Adriani Pontificis & Ludovici Imperatoris, qui se in fraterni regni partitione neglectum querebatur, audijt, & benignè habitos ad Carolum fratrem remisit, qui cùm in Carolomannum filium implacabiles iras gereret, Ludovici tamen operâ ad mentem aliquantò mansuetiorem fuit reductus.

Fuêre quidem Carolomanno maligni mores, & ad audendum projecti. Cùm à puero præ se ferret indolem freni impatientem, eum parens domandum in religiosorum virorum septa conjecit, qui, vel ratione, vel furcâ, æstus naturæ immoderatos subigerent. Cùm severitate nihil proficeretur, & instar avis clausæ caveâ, omnes ex odiosis angustijs evolandi vias rimaretur, ut illi spes omnis evadendi evanesceret, Carolus invitum (quod nulli unquam profuit) sacro Diaconatûs ordine curavit initiari, & Episcopo divinis operanti, aulâ inspectante, ministrare. Adjecit pedicas ex opimis Cœnobiorum proventibus & præfecturis, pessimo publico: neque enim cujusvis est tractare sacrorum domiciliorum habenas, & quævis, aurea licèt, vincula, si captivitatis speciem habeant, ferrea redduntur aversanti. Denique Carolomannus excusso jugo elapsus, vela in omnem licentiam (quod religionum improbis desertoribus non est infrequens) explicavit. Ne quid vulgare tentaret, sibi adscivit numerosam prædonum turbam, cum quibus instititit Belgicam lacerare, Monasteria diripere, infestare sacras ædes, grassari in quæque obvia, nihil eorum omittere, quæ facere solent flagitiosi. Carolus infamiæ dolore excandescens, oblitus propè humanitatis, in vincula conjectum, orbatúmque luminibus (quod ipsi Adrianus Pontifex exprobravit) velut

Sigeb.

CAROLOMANNI CALVI FILII MALI MORES.

XXXVII.

GRASSATIONES.

Ep. Adrian. quæ extat in Biblioth. Trevir.

 reijcu-

Exoculatio. reijculum ejecit regni finibus. Quid ageret miserrimus, & vix ulli miserabilis, qui mortales Superósque, hostes patiebatur? Affulsit tamen cœco lux aliqua. Ludovicum patruum (quod quidam in annum abhinc quartum reijciunt) adijt, à quo, luctuosâ suarum ærumnarum deploratione, obtinuit, ut, quod misero vitæ supererat, toleraret ex D. Willibrordi Epternacensis Monasterij sportulâ, quo loco non multo pôst fecit finem vivendi, & conditorium est adeptus: quamquam non desunt, qui eum scribunt à Luitberto Moguntinensi Archiepiscopo ad D. Albani fuisse sustentatum, addito tamen subsidio ex proventu Epternacensi.

Mors.

Serar. lib. 4. in Luitbert.

Zuentibaldus Rasticem captivum tradit Carolomanno Boio.

Ludovicus porrò, confirmatâ valetudine Reginoburgum se retulit, ubi Rasticem, causam ex vinculis dicentem, audijt. Zuentibaldus ejusdem nepos, turbulentum avi pertæsus ingenium, se suáque Carolomanni Boij fidei dediderat. Id avus, velut indignam suo genere ignaviam, execratus, statuit parricidio vindicare. Structæ erant inter geniales epulas innocenti capiti ferales insidiæ, jámque percussores expectabantur, cùm Zuentibaldus à conscio admonitus, simulatâ ventriculi nauseâ, impetravit ab avo, liceret, relictis paulùm mensis, fastidium levare. Dimissus è conspectu convivarum, mentitur, sibi faciendam esse aucupio & equitatione, languenti stomacho medicinam, jubétque mox adesse ordinarios stipatores, séque in agrum comitari. Rastices illum, detectâ fraude, fugam inivisse odoratus, repentè globo equitum insequitur, retracturus ad necem. Verùm ipse virtute inferior, victus vinctúsque à Nepote, traditus est Carolomanno, & servatus, donec Ludovicus redux in Boicam, de ejus capite decerneret. Cognitores, in quibus Franci, Slavi, Boij, toties reum majestatis, ultimo supplicio addixerunt: verùm Ludovicus mitior satis habuit, eum oculis minutum, Monasterio clausum attineri, &, quoad viveret, patrata scelera lamentari.

An. Christ. DCCC. LXXI.

Ludovici filiorum dividia.

XXXIIX.

Liberatum hoste anniversario, repentè (quæ fata erant stirpis Carolinæ) domestica dissidia exceperunt. Minores Ludovici filios urebat Carolomanni natu majoris gloria, & præcipua in eum patris beneficentia, quam, stimulante invidiâ, ferre cùm non possent, patri perinde atque fratri irascebantur. Nata est discordia ex Ludovici testamento. Provincias inter filios diviserat eâ primùm æquitate, ut eorum nemo de tabulis quereretur: verùm uxoris importunitate, apud quam filius adultior plurimùm poterat, aliqua de minorum portione detraxit, vertítque ad majoris incrementum. Id magnanimi Principes, qui nihil in patrem peccârant, rati esse infra suos natales & merita, per vim rescindere posteriores tabulas, priorésque in integrum revocare, constituunt. Palàm quiritabantur, se rebus gestis, partísque de hoste triumphis, nihilo esse inferiores: ætatis prærogativam ejus non esse pretij, ut imminuto patrimonio mulctari debeant innocentes, qui virtute & sanguine non essent minores. Talibus initijs præludi suæ exhæredationi, quæ, nisi maturè caveatur, proximè sit secutura, & prolem regiam sit factura Codro pauperiorem, ut duorum exuvijs unus albæ gallinæ filius vestiatur. Iras acuebant improbi consultores, quorum flabris accensa regiorum juvenum ferocia, parricidialis belli sedem Spiræ Nemetum jam fixerat, traxerátque in partes homines turbulentos. Ludovicus primo rei prorsus inexpectatæ nuntio mirè affectus, nascente Februario Francofurtum abijt, unde filiorum animos mollire aggressus, misit viros idoneos, qui belli consilia blanditijs discuterent. Nihil enimverò extare causæ, cur arma corriperent adversus patrem, qui suo jure usus sit, citra cujusquam injuriam: nullâ ratione posse excusari filios, qui bellum ordiantur, in quo nec hostem, nec hostile quicquam possint ex vero nominare. Cùm fervente juvenum indignatione per legatos, semel iterúmque missos, nihil proficeretur, demum constituto partium consensu die, locóque futuri colloquij, pactisque jurejurando inducijs, ab armis est temperatum.

Zuentibaldus accusatur.

Exinde parens redux in Boicam, difficilium bellorum materiam, Carolomanni errore paratam, reperit. Faciliùs ex amicis hostes, quàm ex hostibus amici conciliantur. Zuentibaldus Rasticis exoculati nepos, æmulorum iniquitate, an

rerum

rerum novarum, & meditatæ defectionis conscientiâ delatus, jussus à Carolomanno causâ indictâ vinciri. Vinctus, ut sunt iræ Principum diuturnæ, indignam suis meritis injuriam altiùs demisit in animum, quàm ut momento posset placari. Pressit tamen in præsens vindictæ cupidinem comparatâ forensi defensione. Moravi suum regulum interfectum arbitrati, Sclagamarum sacerdotem principalis sanguinis, tumultuari comitio, Ducem creant, necem minati, si principatum abnueret: tum jubent regijs præfectis Engelschalco & Wilhelmo, qui curabant Moraviæ præsidia, inferre bellum, & oppida redigere in suam potestatem. Non fuit arduum hominis imbelliam frangere: populares, qui ad signa confluxerant, nullo propè negotio profligati. Jussus interea Zuentibaldus è vinculis causam dicere. Cùm inficiatione objecta dilueret, nec accusatio rationibus, idoneisve testibus, aut indicijs firmaretur, à Carolomanno absolutus, magnisque cultus muneribus, datis Bojorum copijs, quibus Sclagamaro bellum faceret, in patriam remittitur. Non debebat armari, recenti injuriâ irritatus. Mox, ut in Moraviam redierat, suos cives ad arma concivit, vímque omnem convertit in Bojos. Tendebant hi sub pellibus insidiarum securi, nihilque minùs, quàm Zuentibaldi dolum suspectantes. At ille, collectâ ex veteri Rasticis urbe pugnatorum manu, inopinantes aggressus, expugnat castra, devictos profligat, partim cæsos, partim conjectos in vincula, partim fugâ elapsos. Tum patuit nimia Carolomanni facilitas & imprudentia, quâ re partam nuperis victorijs gloriam labefecit. E captivis unum Ratbodonem, eúmque semineccem, cum insigni ludibrio redemit, permutatione Moravorum obsidum, quos undique conquisitos Zuentibaldo remiserat. Hæc primordia belli recrudescentis, unde paterna Ludovici benevolentia in Carolomannum insigniter fuit imminuta, aucta fratrum audacia lætantium, sibi ex fortunæ malignitate provenisse causam fraternæ ignominiæ insultandi.

Tumultus Moravorum. XXXIX.

Zuentibaldus absolutus rebellat.

Bojos cædit.

Ludovicus ex condicto Triburiam pacis faciendæ bono quidem, sed irrito consilio, venit, utroque filiorum ejus congressum aversante. Causabantur, se in ipsius conspectum tutò prodire non posse, quòd ejus iras suspectarent. Sumebant obtentui, quòd Saxonem quempiam, Henrici Comitis clientem, recens exoculâsset, quòdque manus eâ severitate imbutas formidarent: quamquam id supplicij Ludovicus homini facinoroso justè inflixerat. Pax propè pro desperatâ habebatur, cùm infelix parens longè se demisit infra suam majestatem, empturus quietem nonnullo honoris sui detrimento. Cùm protervi filij ejus colloquium pergerent refugere, seséque Gerisheimium recepissent, eos officiosè prosecutus (quod miretur posteritas) blanditijs & promissorum amplitudine sic emollijt, ut, irâ utcunque sedatâ, ostenderent, se deinceps in officio futuros: sic placuit verba dare bono seni. Nam cùm is Sextili mense Carolum fratrem ad Mosam convenisset, filij, larvâ positâ, colloquium detrectârunt, patrem accusantes, quòd cunctando, datam recens promissorum fidem, nondum exsolvisset. Quos nondum ad officium revocaverat effusior patris indulgentia, revocârunt fallaces ex Italiâ nuntij, qui Ludovicum Imperatorem, Italiæ Regem, ab Adalgiso Duce Beneventano per insidias necatum esse referebant. Si conjecturæ locus est, propior sum opinanti, credidisse eos, ex patruelis morte rem amplissimam patri obvenisse, quam in filios partiretur, cujus & ipsi bonam partem decerperent, si priùs in ejus gratiam redijssent. Spei avaræ munera, quàm donantis manus amórque, sunt potiora. Cùm Ludovicus, eo mœstus nuntio, Aquas abijsset, ultrò filij properârant in ejus amplexum, séque tandem benefactis passi sunt expugnari, cùm omnia ex animi sententiâ impetrâssent. Verùm eos fefellit rumor Italicus. Ludovicus Germaniam repetens, Tridentum excurrit, ubi obviam habuit Engelbergam Augustam, famam, quæ de mariti nece prodierat, refutantem, reposcentémque Cæsaris nomine partem Regni Austrasiæ, quam Ludovicus erat sortitus. Qui rem ad annum sequentem referunt, memorant, Ludovicum nihil esse tergiversaturum, si modò Carolus frater eâdem, quâ ipse, lubentiâ ad rescindendam sortitionem animum induxisset.

Juniores Ludovici filii patris conspectum refugiunt.

Vana spe mitigantur.

Engelberga Austrasiæ regnum repetit.

Tri-

XL. An. Christ. DCCC. LXXII. Legatio Basilii Imp. orientis. Conventus Forchemiensis.

Tridento Ratisbonam reversus sub id tempus, quo Christi à Magis adorati memoria recurrit, excepit legatos Basilij Imperatoris, qui dono attulerunt res præstantissimas, in quibus palmam tulit pars ligni triumphalis, in quo Christus moriens mortem superavit, inclusam crystallo miræ magnitudinis, affabre elaborato, & magni pretij gemmis exornato.

Celebertimum fuit hoc anno Forchemiense Comitium omnium Ordinum frequentiâ. In eo præcipuè decretum, ut nova provinciarum divisio relata in publicas tabulas, singulis filiorum documento foret, quantum singuli post patris fata essent possessuri, in quo maximè spectabatur, ne, uti aliàs, inter eos dissidia de regundis finibus, & ditionum amplitudine orirentur: quod an fuerit impetratum, ex ijs, quæ mox describam, facilè apparebit. In eo conventu, Ludovicus Ludovicum & Carolum filios, audiente exercitu, sacramento adegit, nihil ipsos per omnem vitam contra patrem moturos, neque turbaturos Reipublicæ tranquillitatem. Peractis comitijs, redijt in Bojariam sub ferias Paschales, ubi de belli summâ, quod adversus Bojæmos & Moravos parabatur, fuerunt habitæ deliberationes.

XLI. Expeditio Moravica improspera.

Mense Majo prima vis conversa in Marahenses, collecto ex Saxonibus & Turingis exercitu, qui adversâ fortunâ conflictatus, partim occidione deletus est, partim cum ignominiâ rejectus. Cladis causam Annales adferunt, quòd ductores regij, absente Rege, contrarijs studijs in diversa distracti, neque militem uno animo regerent, neque ipsi satis cordatè à Legato regerentur. Quibus ferrum pepercit, probrosè à popularibus sunt habiti non modò manipulares, sed etiam Comites, quorum aliqui à fœminis bene delumbati, alij de jumentis proturbati, turpes ignaviæ pœnas dederunt, quòd se viros obliti, muliebres animos induissent.

Boii cæsi.

Res Carolomanno nihilo fuêre secundiores. Is acceptis è Franconiâ per Arnonem Episcopum Wirceburgensem, & Sighardum Abbatem Fuldensem suppetijs (sic enim ista ætas ferebat, ut animarum custodes pedum jaculo mutarent) Moravorum agros latè populatus, vicissim à Zuentibaldo cladem accepit. Stabant ad Istri ripam illius naves, quas miles Boicus tuebatur. Stationem Moravus aggressus ex improviso, Bojos ferro magnam partem concidit, plurimos flumen tranare conatos, gurgites hausêre: reliqui in vinculis abducti. Embrico Ratisbonensis Episcopus cum paucis fugâ suæ saluti consuluit. Alij è Franconiâ educti in Bohæmos, usi sunt Marte secundiore. Eos sub signis habuit Luitbertus Moguntinus Antistes. Hic fortunæ an causæ bonitate potiùs, quàm ordinis sui decoro, ingentem Boiæmorum multitudinem concidit, alios egit in Multavam præcipites, cepit quinque gentis regulos rebellionis authores, alios avertit in fugam, denique miserorum agros depopulatus, cum incolumi exercitu domum revertit. Fabulæ quàm vero affinius est, quod sine teste scripsit Aventinus de Bohæmorum clade, sponsam unius è Regulis filiam nuptum in Moraviam ducentium, qui compulsi in Taborinas angustias, armis & sexcentis equis exuti, nudi rebus omnibus, in Hercinij saltûs avia sese abdiderint.

Sub Luitberto Moguntino postea victores.

Annal Franc. Aimoin. l. 5. c. 30. An. Christ. DCCC. LXXIII. Carolus Crassus insessus a dæmone. XLII. *Annal. Fuld.*

Certius est, quod Francorum Annales recensent de Carolo, Ludovici filiorum natu postremo, quem à mole corporis, Crassi cognomento inter Imperatores in loco numerabimus. Ludovicus parens anno ad exitum præcipiti, posteaquam Bojariæ res ordinaverat, Francofurtum abijt, ubi regni Comitia indixerat. Ingressus frequentem senatum sexto & vigesimo die Januarij, duos è filijs voluit interesse. Adfuêre Ludovicus & Carolus. Hic derepente insolentibus intemperijs agitatus, nihil pro homine agere, vultum, oculos, furiosè torquere, horrendum vociferari, obstupescente cœtu, & notante indicia tartarei Insessoris, nec dubitante illum inferorum larvis agitari, quarum tanta erat immanitas, ut sex viros, quamlibet lacertosos, luctando concutiendóque fatigarent. Nemo erat, qui ad eam spectaculi diritatem veris lachrymis non manaret, pater præsertim, quem propiùs spectabat filij calamitas. Hic cùm ad sacram ædem traheretur, cœpit dentibus in ductores sævire, clamore debacchari, furere serpentinis sibilis, resistere

in

in vestigio, manifestè prodens, cujus stimulis ageretur ad refugiendum sacerdotum expiatorias precationes. Ludovicus, inter eundum filium sibi cognominem gravi oratione officij admonuit. *En*, inquiebat, *quali Tyranno, tu fraterque tuus vos mancipaveritis, quoties in vestrum patrem conspirâstis! Idem ille, qui germanum torquet, vobis author fuit parricidialium consiliorum, quorum insaniam DEVS hodiè producit in apertum. Si Stygius veterator tam est in corpus crudelis ac truculentus, quantò est immanior in animum, cujus tyrannidem invasit? Insanit tuus frater; sed uterque dudum longè fœdiùs in me insanijstis. Mihi crede, quæ bella, quas injuriarum atrocitates estis meditati, hujus omnem furorem superârunt. Paucorum hominum labore contineri potest ejus furor atque sævities; sed vestra vacordia totam Germaniam ad arma concivit, & tamen ægrè potuit cohiberi. Fratri tuo omnes illachrimantur, atqui nemo bonus fuit, qui vestram temeritatem diris non devoveret; certè cœlum, omnésque Cœlites detestati sunt vestram insaniam. Si me audis, suadeo, temet respiciás, fratris supplicio discas sapere, neque differre sacram peccatorum, more Christiano, exomologesim, quâ, si quid restat morbi pristini, seriâ pœnitudine castiges. Ad me quod attinet, quicquid in me peccâsti, id ego tibi libens ex animo condono, Deúmque precor, ut & ipse tibi ignoscat.* Ut ventum est ad templum, Luitbertus Archiepiscopus, amictus cultu Pontificio, Sacris cœpit operari. Cùm de more recitaretur Evangelium, Carolus voce terribili; *Væ, væ, meo capiti!* ad finem usque sacrificij inclamavit. Ductus deinde ad aras Sanctorum Martyrum conditorijs venerabiles, & Pontificum exorcismis adjuratus, à Remberto Hamburgensi (veriùs Bremensi, ut vult Brunnerus) Antistite, mira aliàs patrare solito, depulsis larvis, menti est redditus. Et tum quidem palàm est professus, se similibus intemperijs fuisse agitatum, quoties consilium cepisset patris infestandi. Addidit, sibi nuper specie Angeli apparuisse cacodæmonem, & in hæc verba monuisse: *Parens in Carolomanni gratiam, cui uni, te neglecto, addictus est, te vult omnino perditum; quamobrem ipse Deo exosus est, idque malè ipsi vertet; nam propediem regno excidet; tu verò ad supremum fastigium eveheris.* Asserebat, se territum his vocibus, confugisse ad Ecclesiam contubernio contiguam; sed formâ aspectabili cacodæmonem secutum, quæsisse; quid metueret, quorsum fugeret? hortatum esse prætereà, ne de suo vaticinio ambigeret, nedum de vatis authoritate, qui Dei domum non fuisset ingressurus, nisi ad Regis æterni familiam pertineret. Pòst, ubi istiusmodi commentis fidei aliquid erat eblanditus, deluso persuasit, ut buccellam, quam nequissimus impostor porrexit, sumeret. Et sumpsit quidem, sed simul admisit in pectus feralem incubatorem. Valuit portentosa tragœdia ad coërcendos tantisper filios, quos hoc anno Weistadij, prope Wormatiam, unà cum parente, jus dixisse Provincialibus, reperio. Causæ magnam partem à filijs cognoscebantur; in quibus hærebant dubij, referebant ad patrem: quæ minoris erant momenti, vel aperti juris, stabant eorum sententiâ, quo fiebat, magno temporis compendio, satis litigantium postulatis.

Crantz. Metrop. lib. 2. c. 2. & 9.

XLIII. DÆMONIS PRÆSTIGIÆ.

Annal Franc. Avent. lib. 4. pag. 432. post med. edit. Ingolst.

Cæterùm habuit Ludovicus Idib. Septemb. quo sibimet jus diceret, impulsu Joannis VIII. Pontificis, qui Hadriano ante annum, decimo quarto Decembris, successerat. Agebat tum Rex in villâ Gundulfi (Ganusti malè habet Spondanus) cùm ad eum Româ missi oratores, Pontificis nomine, Formosus Portuensis & Jadericus (alijs Gaudericus) Velitrensis, Præsules, unà cum Engilbergâ Augustâ Ludovici pactionem cum Carolo Calvo, de regno Lotharij improbantes. Cessit tantæ authoritati, propter sedis Apostolicæ reverentiam, ut pactis rescissis, Carolo fratre longè exorabilior, Lothariensis Regni partem abdicaret; ratâ apud Reges abstinentiâ & moderatione, & (quod bene est observandum) exiguo Ludovici detrimento. Deus enim istam æquitatem, non multò pòst, abundè est remuneratus, reductâ ad eum ejúsque posteros Austrasiæ possessione, uti in loco videbitur, post mortem Ludovici Imperatoris. Sub idem tempus, cùm Wormatiæ daret operam publicæ rei negotijs, à Sigefrido & Halbdeno Danorum Regibus, qui fratres, æquâ potestate, regno potiebantur, ad eum venêre legati, rogantes, vellet inter ipsos & Saxones pacis esse sequester. Alterum erat legationis caput; ut Ludo-

LUDOVICUS LOTHARIENSIS REGNI PARTEM ABDICAT.

DANIÆ REGES LUDOVICI AMICITIAM AFFECTANT.

Ludovicus fœdus inter utroſque conciliaret, quo terrâ maríque, pari fide atque libertate, commeantes, rerum venalium commercia ultrò citróque exercerent. Tertium, ut Danos fratres in ſuam clientelam reciperet, haberétque loco filiorum, ipſi viciſſim Ludovicum, perinde atque patrem, reſpicerent & venerarentur. Ita

XLIV. Deus geminæ ſobolis inſolentiam, externorum humanitate, & ultrò delatis honoribus, damnabat, ſolabatúrque boni ſenis continuos propè mœrores, quos domeſticæ contentiones mirum in modum acuebant.

IDEM FACIT ZUENTIBALDUS.

Fuit quoque ſolatio, eodem propè tempore, Moraviam videre ſolito quietiorem. Anno ſuperiore venerat in Marahenſium manus Berthramus natione Suevus. Zuentibaldus viri prudentiam per otium arbitratus, ſe conſultò facturum credidit, ſi ejus operâ, in pacando Ludovico, uteretur. Dimiſſum è cuſtodiâ, & adactum ſacramento, fore ut cum fide poſtulata referret, legatum miſit ad Regem. Non retulit quidem Scriptor, quæ ſigillatim fuerit ſumma legationis; promptum tamen eſt opinari, Zuentibaldum, gratiâ cum Ludovico nondum integratâ, aſſiduâ belli expectatione ſuſpenſum, ac metuentem, ne propediem Ludovicus in eum arma produceret, pacis conditiones obtuliſſe, quibus publicum otium deinceps ſanciretur.

NORTMANNI IN FRISIA CLADE AFFECTI.

Proſperè etiam res illi cecidêre in Friſiâ. Menſe Junio Nortmanni, Rudolfo ductore, viro regij ſanguinis, in Friſiæ littora claſſe appulſi, viribus oſtentatis, tributum ab incolis exigebant, qui certi libertatem tueri, cenſuerunt, injuriam pio bello defendi oportere. Igitur imploratâ Numinis ope, non dubitârunt cum hoſte manus conſerere. Rudolfus inter primos occubuit, præter ipſum octingenti in loco ceciderunt: cæteri, quibus via ad naves erat intercluſa, vitam pecuniâ, quam ex prædis corraſerant, redemerunt, nec fuêre priùs abire permiſſi, quàm ſacramento dediſſent fidem, ſe Ludovici fines inpoſterum non ingreſſuros.

RORICI NORTMANNORUM REGIS FOEDUS CUM LUDOVICO. *Regino. Herman. Sigeb. Ann. Fuld.*

Non multò antè, cùm Ludovicus Aquiſgrani Rempublicam ordinaret, Roricus Nortmannorum Regulus, datâ ultrò fide & obſidibus, in illius clientelam conceſſit. Eodem ferè tempore Agathon Metropolites, Baſilij Imperatoris ex Oriente legatus, fœdere renovato, & cultus regiâ liberalitate, ad ſuos remiſſus eſt. Dum hæc à bonæ fidei viris gererentur, Reginoburgi deprehenſi ſunt Bohæmi, qui, cùm ſpecie legationis in Boicam irrepſiſſent, gnaviter agebant exploratorum partes: quamobrem fraude detectâ, in carcerem fuêre conjecti. Iſta utcunque læta Ludovico; ne tamen nihil admiſceretur triſtium, locuſtæ Germaniam, Galliam, Italiam depaſtæ, famem invexerunt & peſtilitatem, quæ tertiam propè mortalium partem retulit in cenſum Libitinæ. Iſta locuſtarum illuvies ex Oriente in Occidentem irrupit inſtar grandis exercitûs. Senæ erant alæ ſingulis, totidémque pedes, ſi Reginoni credimus, Annales Fuldenſes quaternos pedes numerant. Æquabant mole longitudinem craſſitiémq; virilis pollicis: trahebant fœdè diſtentam alvum: gemini ſingulis dentes, tam duri, ut ſilices arroderent, incideréntque quamlibet duros arborum cortices, multa ſolo contactu adurentes. Volabant turmatim tam patenti denſóque agmine, ut unius milliaris ſpatio, ſolis aſpectum adimerent, & ubi conſederant, intra horam centum agri jugera omni ſemente, & herbarum viriditate nudarent longè deteriùs, quàm quævis tempeſtas. Tam monſtroſa illis erat ingluvies, ut in quibuſdam ſpicæ integræ, cum fruge & ariſtis, reperirentur. Duos omnino menſes tenuit earum migratio. Diverſis caſtris, in dies ſingulos, aliæ alijs ſuccedebant non ſine ordine, qui velut aliquam militiæ formam æmulabatur. Nam pridie quàm ſtationes caperent, paucæ inſtar metatricum prævolantes, ſegetem explorabant, ſignabántque ſpatia paſtûs diei poſteræ. Perſarum more, nunquam ante ſolis ortum cœlo ſe committebant. Cùm humanis viribus non eſſent ſuperabiles, ad divinas fuit recurrendum. Denique, opitulante Numine, iſtam peſtem ventus in Britannicum Oceanum abſtulit, unde refundente maris æſtu extinctarum cumuli in littora refundebantur, quæ in tabum putorémque reſolutæ, peſtem invexerunt, quæ ingentem mortalium vim confecit.

LOCUSTARUM ILLUVIES. XLV.

PESTILITAS.

fecit. Credibile est, exitiabili istarum bestiolarum illuvie, DEUM istius ævi castigâsse scelera, vetere priorum sæculorum exemplo, uti videre est apud Varronem & Plinium, qui civitatem in Africâ abs locustis expugnatam, civésq; non mœnibus modò, sed agris etiam exactos, quos illæ contaminaverant, testatur. Unde apud Cyrenæos lex erat, ter eas quotannis debellare, primùm ova obterendo, deinde fœtum, pòst adultas. Syri pariter, velut in militiam conducti, eas cogebantur oppugnare, pœnâ constitutâ in cessatores. Eam pestem secuta est hiems, glacie, nivibus, & Aquilonibus extra modum sæva. *Plin lib. 8. c. 29. & lib. 11. c. 29.*

Non tamen ideo bella refrixerunt. Traculfus Sorabico limiti præfectus, Sextili mense nuper è vivis excesserat, finium tutelâ Ratulfo relictâ. Soraborum & Suislorum populi, hanc nacti rebellandi opportunitatem, cœpêre tumultuari. Ijs compescendis Ludovicus negotium dedit Luitberto, multarum palmarum Archiepiscopo, &, quem nominavi, Ratulfo. Operosum erat brumâ asperrimâ militem sub signa cogere, vel habere sub pellibus: veriti tamen ductores, ne hostis sese morâ & finitimorum auxilio firmaret, per acerrima Januarij frigora, trans Salam amnem plenis castris profecti, cùm nemo aciem objiceret, agrum omnem depopulando, aliisque hostilitatis exemplis, tantum terrorem incussêre perduellibus, ut, ne tentatâ quidem propugnatione, pacem exorârint, polliciti, se deinceps in officio futuros.

AN. CHRIST. DCCC. LXXIV.

SORABI ET SUISLI REBELLANT.

XLVI.

DOMANTUR.

Inter hæc, dum motus remotiores componuntur, in ipsis regni visceribus se prodiderunt consilia rerum novandarum. Ludovico Regis filio recens fraterni supplicij ferale spectaculum memoriâ exciderat. Agitabat ad SS. Petri & Marcelli ædem cum nonnullis parentis consultoribus arcanas coitiones, quæ Ludovico fecêre conjecturam, quasi secessionem moliretur. Quæ res importunissimo tempore cum sub calendas Februarias Francofurtum excivit, ut, adhibitis in consilium Proceribus, modum exquireret, glíscenti malo faciendi medicinam. Visum est, celeritate filium occupare: verùm remittente sensim conjuratorum apparatu, nullo propè negotio, cœlo parentis consilijs adspirante, nubes illa novæ tempestatis fuit dissipata.

SEMINA DOMESTICÆ CONSPIRATIONIS ADVERSUS LUDOVICUM.

OPPRIMUNTUR.

Grandius est, quod multorum litteris ad posteros transmissum est, de Ludovico Pio, opem è piacularibus flammis implorante, post annos quatuor supra triginta, qui ab ejus morte abierant. Agebatur vernum jejunium, cùm Ludovicus Rex Pij filius, Reipublicæ curis paulùm sepositis, se dabat studio rerum cœlestium, & ardentiori precationi. Sub nocturnam quietem, precanti adfuêre patris manes, serum saltem auxilium rogantes voce lachrymabili. Religioni ducerem ipsa verba, quæ notârunt Annales, non reddere: *Adjuro te* (inquiebat) *per Dominum nostrum IESUM Christum, & per trium majestatem, ut me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, ut tandem aliquando vitam possim habere æternam.* Verba horroris plena, eò maximè, quòd essent Imperatoris, cujus pietatem pauci æquârunt, pauciores superârunt, illius inquam Imperatoris, cui si quid adhæsit humanæ labis, continens propè malorum patientia, toleratæ filiorum injuriæ, incomparabilis mansuetudo, religionis studium, vitæ exitus Sanctis simillimus, videri possent omnis piaculi loco fuisse. Et fuêre tamen ista Ludovici, orbis Christiani judicio, Pij lamenta: ut subeat vehementer mirari, quid tandem criminum fuerit, tam longis & inexplicabilibus pœnis expiandum. Verùm illum, qui *scrutatur Ierusalem* in lucernis, *& cujus oculi sunt multò plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in omnes partes*, non latuerunt noxæ, in quas justissimè animadverteret. Non abs re jubentur Reges *Domino servire in timore. Iudicium enim durissimum his, qui præsunt, fiet, & potentes potenter tormenta patientur: non enim subtrahet personam cujusque Deus, qui est omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cujusquam.* Accusatur quidem Ludovicus à Sigeberto, & Scriptore Annalium Fuldensium, factis laudabilibus complura intermiscuisse sequiora, neglectu monitorum, quæ ab Einhardo (vel ab Emarcho) acceperat, unde factum, ut Nicolaitarum sordes, multa alia flagitia

Herm. Sigeb. Annal. Fuld.

LUDOVICI PII MANES IN FLAMMIS EXPIATORIIS.

XLVII.

Sophon. 1. 12. Eccl. 23. 28.

Ps. 2. 10. Sap. 6. 8.

per ejus oscitantiam ebullierint. Sed cùm hæc aliáque id generis, divinando potiùs, quàm certâ fide adferantur, præstat ignorantiam fateri, & latentia DEI judicia pertimescere, adorare & mirari. Certè Ludovicus filius ad Numen paternis manibus propitiandum, per regnum universum, piorum omnium, præsertim instituti sanctioris, sacrificia, preces, aliáque mortuorum solatia poposcit, séque ipsum per solennes Christi redivivi ferias in Fuldense monasterium abdidit, tum ut opitularetur patri, tum ut semet ad vitam inposterum sanctiùs agendam, feriâ divinæ justitiæ meditatione stimularet.

Serar. Mogunt. rer. lib. 1. c. 23.

PAX CUM MORAVIS.

Post eum secessum, in Triburiensi Regiâ urbi Moguntinæ viciná, Regni Comitia habuit, quibus finitis, Noricas Alpes transgressus, Joannem Pontificem haud procul Veronâ convenit, quæ fuerit causa colloquendi, scriptorum, quem nôrim, nemo prodidit. Reduci ex Italiâ præstò fuêre Carolomannus & Ludovicus filij, & Oratores de pace missi à Zuentibaldo, in quibus Joannes presbyter, Venetijs oriundus, juravit, Zuentibaldum citra omnem fraudem, vectigal annuum in omnem vitam paratum esse pendere, séque pro cliente gerere, modò citra belli metum tranquillè sibi liceret, quod ævi reliquum erat, exigere: quibus legibus pax non modò cum Moravis, sed etiam cum Bohæmis fuit confecta. Rebus in Boica cæterísque provincijs rite compositis, Ludovicus 13. cal. Janu. ad D. Lamberti, Carolo fratri collocutus, Francofurti Christi natalitia celebravit.

AN. CHRIST. DCCC. LXXV. XLIIX.

TRIBURIENSE COMITIUM. TUMULTUS.

Inter hæc, Hemma ipsius conjunx, resolutis nervis, motum corporis, ipsius adeò linguæ usum amiserat, quam decumbentem, in Bojariam reversus, invisit. Calendis inde Junijs Triburiæ rursus egit regni conventum, in quo propè abfuit, quin pessimo exemplo Saxones cum Franconibus tumultuantes, armis civilibus concurrerent. Cùm in mutuam cædem jam jam essent ituri, Ludovicus junior quà dehortando, quà terrendo seditionem compescuit, quæ alioqui citra nobilissimi sanguinis jacturam non fuisset composita.

LUDOVICI IMP. OBITUS. *Annal Franc. Aimoin. lib. 5. c. 32. Regin.*

CONTROVERSIÆ DE EIUS HÆREDITATE ET IMPERIO.

Cæterùm Ludovicus Imperator supremâ corporis ægritudine laborabat, quâ demum Mediolani mense Augusto extinctus est. Princeps justitiâ & religione clarissimus, cui si tantum opulentiæ & facultatum, quantum studij pro Ecclesiæ & fortunæ Italicæ amplificatione fuisset, rari essent, qui cum eo de magnificentiâ possent certare. Ex ejus decessu magnæ sunt exortæ contentiones. Cùm enim sine virili sobole diem obijsset, mox Regum Franciæ & Germaniæ contraria studia ad capessendum imperium exarserunt. Nec defuêre sanguinis Italici Principes, Dynastæ præsertim Tusculani, qui ad fastigium aspirabant, rati, antiquam Imperij majestatem, post tot sæculorum lapsum, ad gentem, Orbis olim dominatricem, postliminio redijsse. Caroli Calvi & Ludovici fratrum præcipua fuit prensatio, quòd nemo potentior, vel jure propior esset, qui defuncti locum capesseret. Ludovicus ætatis prærogativâ potior erat; sed Carolus celeritate antevertit. Is

CAROLUS CALVUS ITALIAM INVADIT.

accepto apud Duciacum, Augustum fato concessisse, contractis undique copijs, mense Septembri per montem Jovium in Italiam descendit. Urbium plerísque in fidem acceptis, Pontificis studium per legationem & amplissima promissa sibi demeruit, pollicitus, se Romanam Ecclesiam, omni, quâ posset, ope defensurum, cunctásque ejus ditiones sedi Pontificiæ liberas integrásque redditurum. Cura deinde fuit, omne demortui Cæsaris aurum, & quicquid gazæ reliquerat, redigere in suam potestatem, ne excepto quidem ære, quod Engilberga Cæsaris vidua in Brixinensi cœnobio abdiderat; quâ de re Joannes Pontifex, scriptis ad eum litteris, graviter est conquestus; ut immeritò Baronius aliíque, id facinus Carolo, Regis Ludovici filio adscribant, id neutiquam facturi, si litteras Carolo Regi (qualis Carolus Crassus nondum erat) inscriptas, simul Hermannum Contractum & Francorum Annales rite expendissent.

Ioan. Pont. Ep. 42. Aimoin. lib. 5. c. 32.

CAROLUS CRASSUS ET CAROLOMANNUS FRUSTRA OBIECTUS.

Ludovicus de fratris in Italiam excursione factus certior, illuc Carolum Crassum, ad ejus intercipiendos conatus, jussit properare; sed cùm militem eo numero non adduxisset, quo à Calvo metueretur, nullum fecit operæ pretium. Carolomannus cum validiore exercitu subsecutus, plus quidem terroris attulit, sed nihil boni

boni conatus: unde notatus est infamiâ, quòd se auro & promissis inanibus passus esset corrumpi. Prospera illi fuerant initia. Calvus cum frustra nisus est Italiæ ingressu prohibere. Igitur posteaquam perruptis Alpium faucibus in plana camporum evaserat, Calvus non nescius, quem hostem esset experturus, non est ausus adire supremæ dimicationis discrimen, ratus, se securiùs auro, quàm ferro certaturum. Narrat quidem Adelmus, vel quisquis Aimoino fecit appendicem, Carolomannum patrui congressum, virésque reformidantem, oratores ad eum de pace misisse, datisque dextris, revertisse in Bojariam: sed potior est Hermanni fides, & Francicorum Annalium, qui loco atque tempore rem, ut gesta est, propiùs attigerunt. Hi Carolum Galliæ Regem ajunt timentem bello congredi, dolis, pecunijs, mendacijsque Carolomannum Italiâ abegisse. Dolus certè fuit, quòd Carolus juratus nepoti imposuerit, se ex Italiâ quoque discessurum, mox ubi foret abs Ludovici Regis armis libera, & fratri vacuam relicturum: quod tantum abfuit, ut præstaret, ut post Carolomanni abitum Romam 16. Cal. Januarias, die, qui DEO ex Virgine nascenti sacer est, in Basilicâ Vaticanâ Imperij insignia, ac pauló pòst, nonis Januarij, Italici regni coronam, ab Ansberto Mediolanensi Archiepiscopo, Papiæ acceperit, minimè responsurus Pontificis & Italiæ expectationi; quod non dissimulavit Baronius, ipsæque res ostenderunt, Carolum Ecclesiæ Romanæ non profuisse.

Annal Franc. Herman. XLIX.

CAROLUS CALVUS ROMÆ ET PAPIÆ INAUGURATUR.

Interim Ludovicus Rex, ut eum ex Italiâ ad domestica pericula in Franciam retraheret, unà cum Ludovico filio absentis fines ingressus, terrorem vastitatémq; latè circumtulit. In ejus partes concessit Engilramus domi potens, qui Richildis Reginæ insidijs nuper Calvi gratiâ dejectus, arreptâ ulciscendæ ignominiæ occasione, nonnihil suppetiarum Ludovico sociavit. Rebus vehementer turbatis, Franciæ nonnulli proceres, tametsi à suo Rege non defecerant, prædas tamen de suis civibus agebant, sive metu Ludovici, quasi ejus partes sequerentur, sive respectu privatæ utilitatis. Copiæ Germanicæ nihilo Francicis abstinentiores, omnia licentiâ militari miscebant, cum eâ miserorum desperatione, ut ab Hincmaro fuerint, datâ ad Provinciæ Remensis Antistites epistolâ, ad opis divinæ fiduciam, & publicas comprecationes excitandi, pio sanè & sapienti consilio. Nam supplicum orationibus placatum fuisse Numen, eventus ostendit. Ludovicus enim, velut infusâ è cœlo frigidâ, sensímque remittente ulciscendi cupiditate, innocentis populi vicem miseratus, cujus partes multorum intercessionibus agebantur, acto Natali Christi die, in villâ Attiniacâ, principio anni subsequentis exercitum in Germaniam reduxit.

RES IN FRANCIÂ TURBATÆ. L.

PACATÆ PIORUM ORATIONIBUS.

Frisingæ 7. Id. Octob. Anno moriens, sedem Arnolpho reliquit, posteaquam secundâ virtutum famâ Episcopatum rexerat, & annos viginti unum luculento patrimonio locupletârat. Quas memoravi turbas, & consequentis anni funera, visus est Cometa horrido aspectu portendisse. Ejusce sideris malignitatem Ludovicus noster sensit inter primos. Cùm Francofurti nonnihil à bello respiraret, tristes accepit nuntios de Hemmæ Reginæ obitu, quæ 7. Cal. Februá. è vivis excesserat. Ejus morte non potuit non gravissimè affici; tantæ in eâ fuère virtutes & fidei conjugalis exempla. Eam laudat Regino à clarissimâ generis nobilitate, & mentis claritudine longè illustriorem. Aventinus domo Hispanam, Selenderus regio Francorum sanguine nobilissimam, prædicant. Reginoburgi, Cœnobium, quod superius nuncupant, in augustiorem formam redactum, multis prædijs ditavit ad alendas Virgines. Erat effusè in pauperes liberalis, quibus suâ manu stipem consueverat elargiri. Certos fundos, ad sacrarum largitionum perpetuos usus, Monasterio attribuit, jussitque quotannis, ubi ejus anniversaria funebria repeterentur, Virginum Antistitam (quoad per valetudinem liceret) nudis pedibus (forte ad Reginæ exemplum) panum carniúmque sportulas erogare. Corpus illatum in Sanctimonialium, quod ipsa construxit Ratisbonæ, sepulchrum, quod Caroli Crassi ejus filij tabulæ demonstrant, contrà ac sentiunt Fuldenses Annales, qui eam volunt sepultam ad D. Emmerammi. Ex eâ tulit Ludovicus qua-

Catal. M. S. Episc. Frising. apud Hund. Herman. Sigeb. an. seq.

AN. CHRIST. DCCC. LXXVI.

HEMMÆ REGINÆ OBITUS.

ternam prolem, Carolomannum, Ludovicum, Carolum Imperatorem, & Irmengardem, Chiemensis Parthenonis Antistitam.

CAROLI CALVI ARROGANTIA. L I.

Quod conjugi Ludovico reliquum temporis fuit post ejus fata, Carolus Calvus, se ipso jam ex novis Imperij titulis elatior, fecit inquietum. Tametsi enim, ut loquitur Sigebertus, sub augustali cultu esset *lepore timidior*, *& hostes fugere, quam fugare paratior*, jactabat tamen inter amicos, se tantam vim armatorum producturum, quæ fluvios exsorberet, iisque exhaustis, per aridos alveos in Germaniæ regnum penetraret. Inanis erat ferociæ tumentis ostentatio, meræque minaciæ, quas Ludovicus solâ armorum famâ, momento discussit. Ubi enim primùm auditum est in Franciâ, Germaniam ad signa concurrere, Carolus legatos de pace misit ad fratrem. Et jam Williberto Coloniensi Antistite, Adalardo & Meginardo Comitibus pactorum sequestribus, eò res inclinabat, ut quies æquis conditionibus sanciretur, cùm fata 5. Cal. Septemb. Ludovicum rebus mortalium subtraxerunt, ætatis (si Aventino credimus) anno septuagesimo. Ejus funus regiâ magnificentiâ compositum, in Monasterio S. Nazarij Laurisheimensi, ubi ejus tumulus hodiéque visitur. Fuit dubio procul Princeps regijs virtutibus cultissimus, comprimis religiosus, juris non civilis modò, sed Ecclesiastici quoque bene peritus, studiosissimus justitiæ, pacis bellíque artibus excellens, ferri, quàm auri tractandi avidior, osor ignaviæ: apud eum, pro nobilitate habebatur fortitudo, pro vilitate generis, inertia.

LUDOVICI REGIS EXCESSUS. *Regino.* VIRTUTES.



BOICÆ



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER. XII.

Caroli Calvi bellum in Ludovici Germanici hæredes : clade affectus ad Anternacum : pellitur ex Italiâ : quâ Carolomannus potitur, & Carolo Crasso moriens relinquit. Ludovici Germanici filij paternas ditiones partiuntur. Carolomannus paralysi extinctus. Ei succedit Ludovicus frater. Caroli Crassi varia fortuna: extrema in fine inopia. Arnulfus viventi subrogatur: Nortmannos vincit ad Lovanium. Ludovicum filium, successorem dicit. Romam capit. Formosi Pont. injurias ulciscitur. Zuentibaldum nothum inauspicatò Lotharingiæ admovet. Bella in Bojæmos, Moravos, Nortmannos, Italos. Godefridus Nortmannus Christo adjunctus, dolo occisus. Arnulfus potione soporiferâ, pòst venenatâ appetitus, moritur.

LUdovico Rege è vivis sublato, Carolus Imperator, metu, quàm antè, solutior, quia pax nondum coaluerat, mox cœpit immensæ dominandi cupiditati frena laxare, ratus, se in demortui ditiones, quæ ad plura capita pertinerent, haud operosè involaturum. Segniùs enim curantur, quæ possidentur in commune, & distractæ vires, unitis multò sunt infirmiores. Credebat verò, fraterna hæredum studia malè cohæsura, quòd apud eos vigeret adhuc memoria veterum discordiarum. Ergo, quantâ potest celeritate, cogit exercitum, in quo fuerunt supra quinquaginta pugnatorum millia. Placuit nihilominus, antè quàm vim admoveret, Germaniæ Proceres per legatos tentare, si quo modo possent à Ludovici hæredibus alienari. Et jam Carisiaco Satanacum moverat, velut profecturus ad Mediomatricos, ubi Germanicæ nobilitatis adventum opperiretur; cùm desperans, rem arte processuram, mutato repentè consilio, per Aquas Coloniam Agrippinam contendit, ratus, occiduam Rheni oram ilico daturam manus. Ter-

I. CAROLUS CALVUS ARMA MOVET IN LUDOVICI BOII HÆREDES. *Annal. Fuld.*

Tergemini fratres, comperto, bellum à patruo esse expectandum, communi consilio curas inter se partiuntur. Carolomanno ad distrahendas hostium vires commissa in Italos expeditio: Carolo commendata Alemannia: Ludovico relicta tutela limitum, quâ parte vis à Carolo Imperatore immineret. Ille nihil cunctatus, lectis, ut in re subitâ, tenuibus copijs, è Saxonibus, Turingis & Franciâ Orientali, citatis itineribus, ad Rhenum festinat, & castra Calvo objicit in Rheni ripâ citeriore. Vastabantur interim à Gallis ulteriora ad cæterorum terrorem, quibus dira omnia denuntiabantur, nî sponte supplices occurrerent Imperatori.

Ludovicus pacem quibuscunque belli eventis ducens potiorem, è castris legatos mittit ad patruum, orantes, ut fœderum non immemor, à proximi sanguinis injuriâ temperaret. Meminisset, Superos, quorum aras tetigisset, & Deum, quem juratus appellâsset, pactorum vindices futuros: ne speraret, sibi ad famam fore honestum, vel ad fortunam prosperum, quicquid cœlo adversante moliretur. Regnorum fines, ipsius & fratris consensu non ita pridem constitutos, nefas esse movere: maneret suâ sorte contentus, neque tot fortissimorum virorum sanguinem suæ cupiditati litaret. Verùm aures hominis ambitiosi tumor & ferocia occupârant. Jubet legatos Ludovico renuntiare, se, cum Ludovico fratre, non cum liberis, fœdus pepigisse: ad se pertinere, jure ætatis & Cæsareæ majestatis, arbitrium cernendæ hæreditatis, quod, nisi ultrò admittatur, armis sit occupandum. Recentem esse memoriam exempli, quod ipse Ludovicus in Austrasiani regni aditione, adversus nepotem edidisset: eandem legem ejus filij hodie contra se paterentur, quam pater pro se tulisset, nec ipsi improbâssent, eò quòd ad rem suam facere credidissent.

Ludovicus e Boicis fratribus secundus Calvo objicitur.

His acceptis, Ludovicus pace desperatâ totus in bellum incubuit, ne veritus quidem captare supremi certaminis opportunitatem. Rheno interfluente, castra latè dirimebantur, nec modus erat confligendi, nisi, amne transmisso, ipse aciem explicaret: Carolum ex hostico prædas agentem, & suo pavidum ingenio, non moliturum fluvij trajectum, donec oram Gallicam sibi ex asse vindicâsset. Ergo motis silentio castris, Anternaci copias transmittit, Carolo nihil tale suspicante. Hic ad primum generosi facti nuntium trepidare, spem facere mittendæ legationis, simulare animum, paci multò, quàm antè, propiorem. Ista palàm; ex arcano meditabatur Ludovicum, castris nondum firmatis, subitâ impressione obruere. Talia designantem, Willibertus Coloniensis Antistes intrepidè germanitatis admonuit, útque positâ ferociâ, pacem à nepote oblatam ne respueret. Verùm ubi advertit, eum non posse ratione mitigari, per Hartwicum sacerdotem Ludovico significat, in noctem proximam ingens imminere discrimen: Carolum supremo conatu castra oppugnaturum. Pauci Ludovico erant ad manum, multis pabulatum egressis, & per vicina palantibus, qui tam properè non poterant ad signa revocari, ut tempori hostibus objicerentur. Nihilo tamen minùs Deo fretus, & causæ bonitate, statuit Carolo, acie explicatâ, tendere obviam. Ut legiones se per tenebras internoscerent, militem jussit ad signa coire candidatum. Carolus quasi certus victoriæ, adfuit nocte intempestâ, ratus fore rem cum hoste prorsus imparato. Verùm, ubi in primum Ludovici agmen inciderat, & non posset sine clade & ignominiâ referre pedem, coactus est Martem experiri. Saxones, qui in aciei fronte pro Ludovico curabant, inito certamine, nutare cœperunt, & prælium inclinare, donec erecti fuêre per Francones; & Caroli legiones, à fronte & utroque latere fortiter impulsæ disjectǽque, confudêre aciem. Hinc non cædes jam, sed strages fugientium, quæ propagata ad posterius agmen, innumeros confecit. Reginarius Comes, amisso legionis prætoriæ vexillo, inter primos cæsus, victoriam ad Ludovicum inflexit, legionibus ejus casu perculsis. Carolus suorum trepidatione consternatus, accusansque suam dementiam, fugam injit tempestivè, relictis impedimentis, omni gazâ regiâ, & captivis quamplurimis è Gallicâ nobilitate, in quos Ludovicus, memor humanæ sortis, passus non est duriùs animadverti. Victoribus cessit ingens præda auri, argenti, equorum, cæteríque

Calvi trepidatio.

II.

Ingens clades.

que apparatus. Cœlum pro Ludovico pugnâsse, captivi testabantur, affirmantes, Caroli militem, ad primum hostis conspectum, tantopere trepidâsse, ut priùs victoriam desperârit, quàm cœptum esset dimicari; usque eò enim vigorem vel audacissimo cuique fuisse ereptum.

Quod prodigio momentum addidit; equi stupore defixi immotíque, in primo congressu, ne admotis quidem calcaribus poterant excitari, ipsáque arma, retusâ velut acie, pugnatorum arguebant imbelliam; ita vix quisquam è Ludovicianis sauciabatur. Pugnatum est 8. Idus Octob. non septimo, uti habet Brunnerus, contra fidem plurium Annalium. Clades ad Richildem Caroli conjugem etiam pertinuit. Illa postridie, quàm pugnatum erat, tristi nuntio territa, gravi licèt utero, se Heristallo proripuit; cúmque totâ nocte fugiens, vehementiùs agitaretur, sub auroram, partum effudit, nec priùs miserabilis puerpera fecit fugiendi finem, quàm attigisset Anternacum, sic destituta humanis auxilijs, ut, quem erat enixa filium, anteambulonis sinu fuerit gestandus, donec se mater in tutum recepisset. Filio immaturè excusso, vita brevis fuit. A Bosone avunculo de sacro fonte susceptus, accepto Caroli nomine, Carisiaci fuit extinctus, & ad D. Dionysij tumulatus. *Regino. Herman. Aventin. pag. 445.* RICHILDIS AUGUSTA FACIT ABORTUM. III. *Aimoin.*

Ludovicus, partâ victoriâ, Aquisgranum abijt, rebúsque id loci compositis, triumphans ingressus est Francofurtum. Mense, qui pugnam proximè secutus est, Carolomannus, Ludovicus & Carolus, paternum imperium, sive ex defuncti parentis tabulis, sive consensu, sunt partiti in pago Reciensi; Regino scribit Saulifeldum. Carolomannus Bojariam, Pannones, partem Australiæ, Carantanos, Bohæmos & Moravos est sortitus; Ludovicus Franconiam, Saxones, Frisios, Turingos, cum parte Lotharingiæ: Carolo Alemannia, & nonnullæ Lotharingiæ civitates obvenêre. Omnes fœdere, & mutuâ juramenti religione partitionem firmaverunt. LUDOVICI HÆREDES HÆREDITARIAS DITIONES PARTIUNTUR. CAROLOMANNUS BOIARIAM SORTITUR.

Boica novum sortita regem Carolomannum, anno sæculi septimo supra septuagesimum, copiarum partem suppeditavit, quæ usui fuerunt Italiæ, & augustalibus honoribus occupandis. Accesserunt è Slavis suppetiæ, quibus Rex instructus, superatis alpibus, Insubrum fines ingressus, invasit Galliam Cisalpinam, veterem Bojorum sedem, priùs quàm Joannes Pontifex Maximus & Carolus Imperator, qui Ticini, de ratione belli adversus Saracenos tributum ab Ecclesiâ Romanâ exigentes, consilia agitabant, essent facti de ejus profectione certiores. Calvus comperto, eum cum infesto agmine, cui magno numero Longobardi accesserant, imminere; tametsi vires non deessent, quas opponeret, suo tamen usus ingenio, fugam prætulit; quòd Carolomanni virtutem fortunámque, bellis, contra Slavos aliásque barbari nominis nationes, cum insigni gloriâ exercitam, formidaret. Urgebat suspecta militis fides, qui non vanis indicijs, tædio immoderati dominatûs, ferebatur in suum Imperatorem conspirâsse. Quare, ne rebus dubijs belli aleam tentaret, statuit Italiam deserere. Richildem cum gazâ potiore jussit in Galliam abire, è vestigio secuturus. Jam propinquabat alpium faucibus, cùm alvi profluvio & febri, quæ morbi comes erat, debilis, Sedechiâ quopiam ex Hebræorum natione medico inprimis charo, ad depellendam ægritudinem usus est. An hujus perfidiâ & propinato veneno, (quod fama tulit) an vi grassantis acrimoniæ, non sine immani viscerum animique cruciatu, undecimo, post acceptam pestem, die, in loco, cui Brios nomen (Mantuæ dicunt Gallici Scriptores) pridie nonas Octobris, vitam finijt. Dudum sibi ad S. Dionysij prope Parisios Mausolæum, in quo regio more conderetur, comparaverat: sed cùm odor funeris vespillonibus, juxtà ac comitatui foret intolerabilis, Vercellis ad D. Eusebij fuit depositum, & post annos septem, in Dionysianum illatum. Francorum Annales ajunt, in Burgundiâ tantisper hæsisse, contrà ac scripsit Aimoini continuator. AN. CHRIST. DCCC. LXXVII. CAROLOMANNUS INVADIT ITALIAM. CALVUS ITALIAM DESERIT. *Æmilius. Sigon. Baron.* IV. MORITUR.

Joannes Pontifex Max. post Caroli discessum, Romam est regressus. Ad Carolomannum venerunt ultrò plerique Italiæ Proceres, obsequia fidémque professi, sive tempori, sive Imperij Majestati servientes. Ille, postquam res Italicas ordi- CAROLOMANNO ITALI FIDEM ADDICUNT.

Eiusdem ægritudo. ordinaverat, in Bojariam se recepit. Redeuntem comitata est gravis pulmonum affectio, quæ tussi immodicâ,& ulcere magis magísque serpente, plurimis animam extudit, & halitûs contagione labefactavit imprudentes. Ipse Carolomannus eâdem ægritudine contactus, lecticâ domum revehendus fuit, & danda opera, ne tabe invalescente consumeretur, calórque adventitius nativum solveret, quod fit in hujusmodi affectibus, præsertim cùm (quod notavit Hippocrates) à sanguinis egestione exoritur puris sputatio, malum magnis, juxtà ac parvis exitiale, cui nec

Depulsa. sceptra, nec arma resistunt, quando mors æquo pulsat pede pauperum tabernas regúmque turres. Evasit tamen Carolomannus hoc periculum. Malè Aimoini continuator eum memorat panico correptum metu, ex famâ, quasi Pontifex & Carolus Imperator cum maximis copijs imminerent, in Germaniam refugisse. Neque enim illi habenda fides, qui trecentis ferè annis post Calvi mortem scripsit, habétque adversantes, Hermannum, Annales Fuldenses, & Reginonem. Idem author perperam scripsit, Ludovicum Balbum Caroli filium, ab Hincmaro Remensi octavâ Decembris, unà cum Regni Francici insignibus, augustalia accepisse Compendij, quod refellit Sigonius, ex veteribus Carolomanni tabulis ostendens, eum à morte Calvi Italiâ esse potitum. Primæ datæ sunt in Rantersdorff (hodie

Regnum Italicum accipit. Ranshoven, ubi nobile Cœnobium) anno tertio regni Boici, primi in Italiâ, indictione undecimâ: alteræ Reginoburgi asservantur apud D. Emmerammum, quibus donationes factæ sacris ædibus asseruntur, anno regni Italici secundo, 12. Octob. Idem Sigonius ostendit ex varijs Diplomatis, quæ Carolomanni Italiæ atque Bojariæ regis nomen præferunt, datis per triennium; confirmata fuisse Ecclesijs Lombardiæ & Italiæ beneficia, quæ Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Lo-

Tom. 3. Epist. Pontif. tharius & Ludovicus concesserant. Sed longè locupletissimus testis est Joannes Pontifex in Epistola ad Carolomannum, quâ disertè asserit, eum ad Imperialia proavorum sceptra evectum, hortatúrque, ut Romanæ Ecclesiæ laboranti, quam *super omnes Imperatores atque Reges, qui ante ipsum fuerant, se exaltaturum, atque beatificaturum promiserat*, opem adferret.

V.

Captivi Franci remissi in Galliam. Cæterùm, Ludovicus Carolomanni germanus sub hujus anni ingressum, Francofurti, in publicis regni Comitijs, præclarum edidit specimen humanitatis & regiæ clementiæ. Captivos enim omnes, quos anno superiori fortuna destituerat, accuratè conquisitos remisit in Galliam. In ijs Ortulfus Episcopus, Goslinus Abbas, Aledrannus, Bernardus, Adalardus, Ebroinus, Comites. Quâ benignitate captus Ludovicus Balbus, non dubitavit honorificâ legatione ejus amicitiam ambire, ratus, eum in sanciendâ pace fidum fore ac liberalem, qui in ho-

Ludovicus Balbus amicitiam Ludovici Boii exambit. stes tam fuisset munificus. Et verò timor suberat non vanus, ne Ludovicus cum victore exercitu in Franciam irrumperet tempore alienissimo, nondum satis stabilitâ Francici regni possessione, quam Balbus à Richilde novercâ eblanditus, 6. Idus Novembris adierat, non sine quorundam Principum offensione, quos minùs habebat addictos ob Calvi superbum & impotens imperium, metúmque, ne filius in patris mores abiret: unde proclive erat, eorum studia ad benignius Ludovici Germanici ingenium, & intempestivas rerum novarum molitiones deficere. Fecit tamen sanguinis propinquitas, & Balbi modestia, ne summo jure, belli arbitrio veteres offensiones permitterentur: esse enim satius, ijs condonatis, consanguinitatis jura renovari, &, quantum posset fieri, ex cognatis regnis, unam velut potentiam ad cæterarum gentium terrorem renasci: quæ potissima erat ratio Legatorum, dictu, quàm creditu facilior, quam voverant multi, nemo implevit.

Slavi aliqui in officio retinentur. Carolomanni liberalitas in fratres. Per idem tempus duæ Slavorum gentes, Linones & Siusli, defectionem meditantes, per Ludovici legatos compositi, ad officium redierunt. Sed & illud raræ inter fratres moderationis fuit, quâ Carolomannus redux ex Italiâ, partem regni Austrasiæ, quam in nuperâ sortitione acceperat, Ludovico & Carolo lubens volens concessit, æquâ lance dividendam.

Ejusce facti fama, Carolomanno magnam passim æquitatis existimationem conciliavit, eò secundiorem, quòd nuptias nactus steriles, nihil haberet causæ, cur

vel

vel ambiret majora, vel fratrum insidias metueret, vel exterorum vim, Regum eâ tempestate florentissimus, haberet suspectam. Verùm, ut in rebus humanis nulla est ex omni parte sincera felicitas; quod ipse sibi nomen virtute quæsierat, Principum Italicorum invidiâ in sequiorem interpretationem traductum, gravi exinde odio laboravit. Lambertus Comes Spoletanus, & Adelbertus Marchio Tusciæ, adscitis è Tarento in sceleris societatem Saracenis, auditâ Caroli Calvi Imperatoris morte, post vastatum Ecclesiæ Romanæ territorium, arreptâ tyrannide, cum innumerâ latronum multitudine, Romam, quà vi, quà fraude ingressi, portis occlusis, occupatis urbis stationibus, Romanos Proceres, Episcopos, Joannis Pontificis familiares, sacerdotes omnes, ipsúmque Pontificem in eas redegerunt angustias, ut neque inter se miscere consilia, neque annonam communicare, nisi precariò, sinerentur: prohibiti adeò sunt sacros cœtus frequentare. Unde rebus omnibus urbe totâ confusis, mœstissimum in basilicis silentium atque solitudo, obducta cilicijs altaria, tristissima, ut in captâ civitate, facies. Ut facinori fucus fieret, jussus est Senatus populúsque Romanus in Carolomanni verba jurare, famâque diditâ, ejus auspicijs ac voluntate rem geri. Pontifex indignatus, urbem deserit, implorat opem Ludovici Balbi datis ad eum litteris lamentabilibus. Et verò antea fuerat, erátque adhuc in res Gallicas, quàm Germaniæ Regum pronior, à quibus tamen, quasi serviret tempori, auxilia rogavit, præsertim à Carolomanno datis ex urbe Genuâ litteris, quò jam evaserat è conjuratorum insidijs, abducto in vinculis Formoso Episcopo Portuensi, quòd cum Spoletano conspirâsset. Ludovicum verò & Carolum, Reges, officij in Romanam Ecclesiam admonitos, unà cum Carolomanno ad Synodum, quam Trecis indixerat, invitavit, sed frustra: neque enim ignorabant ejus in Balbum studium, quippe quem Imperij coronâ donavit, nullâ Regum Germaniæ habitâ ratione. Noverant etiam, quæ consilia cum Bosone Arduennæ Comite agitâsset de Regno Italiæ in eum transferendo, ubi primùm eò veniret. Obtentui sumpserat, quòd Boso in Italiâ complures urbes, dotis nomine, ex Hermingardis conjugio sibi debitas, in suam potestatem esset redacturus. Et eum jam Regis Arelatensis titulo, & affinitate Regis Galliæ tumidum, Pontifex in filium adoptaverat. Hæc jactabantur in vulgus, sed causa præcipua celabatur; quòd Franci Bosonem exosi, metuentésque, ne, quâ erat populi demerendi solertiâ, in Franciâ turbas moveret, eum vellent adversario potenti objicere, hoc saltem habituri commodum, ut, si in Italiâ prævaleret, Carolomannus minor fieret; sin succumberet, minùs foret in Galliâ formidandus. Pontifex verò rebus necessarijs urgebatur, ut, quorum se fidei permiserat, eorum fortunam, quâ posset rerum dignitatúmque accessione, firmaret. Verbo, sua cuique commoda in præcipuis, aliorum detrimenta in postremis.

An. Christ DCCC. LXXIIX.
VI.
Itali ipsi infensi. Lambertus et Adalbertus Romam cum Saracenis invadunt.
Ep. Ioan. ad Raven. Archiep. 4. cal. May.
Joannes Pontifex profugit.
VII.
Rebus Gallicis addictior.

Gesta hæc nihilominus immotâ Ludovici Germanici, & Balbi, Regum concordiâ, quæ ad Marsuam fœdere demum est sancita, eâ lege, ut, quæ Ludovicus Imperator in Italiâ tenuerat, quæque nulli adhuc hæredum erant contributa, penes eos manerent, qui ea in præsens possessione tenerent, donec communi Regum consilio atque consensu, de ijs aliud statueretur. De Imperio nulli fas fore uspiam, quàm in Italiâ bellare: neutra enim partium juris sui rationem negligere constituerat. Quia verò ad 8. Id. Febru. anni sequentis ex condicto rursus erant congressuri, utrique visum, Carolomannum & Carolum, Reges, ad colloquium invitare, ut eorum quoque votis & voluntate res tota conficeretur.

Fœdus inter Ludovicum Germanicum et Balbum.
Aimoin. l. 5. c. 38. §. 3.

Sapienter ista quidem, sed bene meditata Ludovici Balbi morbus, ac denique mors Idib. Aprilis Compendij intercepit, cùm sesquiannum regnâsset. Princeps mitis, tractabilis, antiquâ fide, religionisque studio præclarus. Duxerat in ætatis flore Ansgardem puellam nobili sanguine, ex quâ duo filij, Ludovicus & Carolomannus, formæ elegantiâ & animi magnitudine dignâ imperio. Quia tamen patris injussu eam duxerat, eodem adigente, facto divortio, superinduxit Adelhaidem, quam moriens gravi utero reliquit. Ventris spem Odoni, Roberti Andium Ducis filio, cujus genus referunt ad Saxonicam Witichindi stirpem, com-

Balbi mors An. Christ. DCCC. LXXIX.
Herman. Annal Franc. Regino.

Turbæ Gallicæ.

mendavit: unde rege nondum nato, & regente partûs expectatione, per Galliam multæ turbæ. Boso à Lugdunensi Præsule sacratus, Regis Provinciæ & Burgundiæ, conjugis Irmingardis instinctu, Ludovico & Carolomanno, ob dubios natales, nomen abripuit. Richardus, quòd Augustodunum, principem Heduorum urbem, ditione teneret, se Burgundionum Regem dixit. Balbus sub extremam vitæ lineam, per fidos homines Odonem Episcopum, & Albuinum Comitem, regni insignia Ludovico, ex Ansgarde filio, curârat perferenda: Carolomannus ejusdem germanus, natalium obtentu, unà cum ipso se Regem ferebat, & erant viribus sociatis formidabiles, & commendati nonnullorum Episcoporum suffragatione, qui eos solenni more Reges initiârant. Eos sublevabat Nortmannorum studium, cum quibus fecerant duodecim annorum inducias.

VIII.

Ludovicus Germ. Galliam armatus ingreditur.

Hæc in Galliæ visceribus; ubi Principes in diversa scissi, suæ quisque magnitudini dabant operam. Major metus è Germaniâ. Goslinus Abbas SS. Vincentij & Germani, homo factiosus, tracto in partes Conrado Parisiensi Comite, aliisque non paucis regni Optimatibus, memor humanitatis, quâ à Ludovico Germaniæ Rege, post Anternacensem cladem fuerat redditus libertati, ut æmulis, quorum odio premebatur, ægrè faceret, & spe suam fortunam augendi per Ludovici gratiam & liberalitatem, eum speciosâ auxiliorum Gallicorum ostentatione ad invadendam Franciam incitavit. Et hic quidem jam per Mediomatricos in fines Virdunensium penetrârat, cùm Ludovicus & Carolomannus Balbi filij, cum expedito Gallorum exercitu adfuêre. Ne veniretur ad supremum certamen, effecerunt pacis sequestres, qui ultrò citróque commeantes, rem ijs legibus composuerunt, ut Ludovicus Germanicus portionem Regni Lothariensis, quam avus tenuerat, ex integro capesseret, unà cum S. Vedasti Atrebatum Abbatiâ. Tantillum fuit magnæ operæ pretium. Aliud dedit fortuna aliquantò gloriosius in Germaniam revertenti. Castra moverat Thynnium, haud procul à saltu Carbonario, cùm Nortmannorum ingens multitudo, quæ prædis onusta, iter ad classem, in Scaldi hærentem, relegebat, sese ipsi offert obviam. Nec mora: signis utrinque explicatis, acerrimè confligitur, Nortmanni potissimam partem cæduntur: reliqui fugâ dilapsi, ex intervallo se communiunt, & majore, quàm antè, nisu pugnam instaurant in seram noctem, quando Ludovicus signum dedit receptui. In posteriore conflictu Hugo, ipsius ex pellice filius, pugnans incautiùs, ab hoste est oppressus, haud mediocri patris dolore, qui cadaver inter cæsos repertum, in Laurisheimensi cœnobio jussit honorificè tumulari. Inter hæc Ludovicus & Carolomannus, rebus cum Germanico compositis, in Galliam rediêre, magnâ spe regni retinendi.

Pax composita.

Germanicus Nortmannos profligat. *Regino.*

Carolomanni paralysis.

IX.

Cæteroqui in Boicâ tristia non defuerunt. Carolomannus Rex sensu hebescente, motúque paulatim torpente, cœpit nervorum dissolutione laborare, pituitæ crassitie tenaciter impactâ, spiritus influentis distributionem interpellante. Quæ res Ludovicum à bello recentem in Boicam evocavit, solicitum, ne, si quid fratri humanitus contingeret, res publica aliquid caperet turbarum. Carolomanno thorus infœcundus, justam sobolem non dederat: ex Litowindâ pellice, gente Charinâ, genere & formâ prænobili, Arnulphum sustulerat, in quo, præter labem natalium, nihil erat indignum imperio, ad cujus denique fastigium, uti in loco referemus, fuit evectus. Quare Ludovicus, quem fratris hæreditas proximè spectabat, ægro salutato, ut quoscunque casus præveniret, Regni Boici Optimates sacramento adegit, non admissuros ullius, præterquam proximi hæredis legitimum imperium, si Carolomanno foret superstes. Arnulpho ad tuendam dignitatem, parens Carantanorum præfecturam demandavit, quæ illi à Ludovico fuit confirmata.

Querimoniæ in Arnulfum Carolomanni nothum.

Cùm res in eo essent, Ludovico è Boicâ digresso, venêre nuntij, Arnulphum res novas moliri. Querebantur videlicet Erambertus Comes aliique complures, quos ille, patris vice, ob graves noxas proscripserat, non modò se injustè patriâ exutos, sed etiam à Tyranno, præcoci ambitione, regnum invadi, à quâ profectæ

sint

ſint tot nobiliſſimorum virorum deportationes, qui viſi eſſent, injuſtam regni uſurpationem homini ſpurio non permiſſuri. Se fortunis omnibus everſos, non tam deplorare privatas injurias, quàm juſtiſſimas Ludovici ſpes, ab iniquo incubatore paulatim occupari, unde ſit naſcitura exitialis publicæ rei calamitas. Hæc ſi impunè liceant in præſens, poſtea ſeram fore diligentiam, ubi homo profundi ambitûs, reipublicæ clavum arripuerit. Si fidiſſimi quique ſinantur vel procul ejici, vel metu ſubigi, Ludovicum fruſtra à Boijs requiſiturum regnandi ſubſidia, & præcipua regni ornamenta. Eam ob rem totius nationis ordines Ludovici opem implorare, ut, qui ſuam ipſi fidem ſanctiſſimè nuper obſtrinxerint, ſe viciſſim ſentiant in eâ ſervandâ defendi. Ut ſuſpicionibus ſunt obnoxia regnantium ingenia, Ludovicus inductus in fraudem, confeſtim in Bojariam contendit. Verùm, ubi venit in rem præſentem, longè alia comperit, quàm erant à vafris hominibus excogitata: Arnulfum videlicet ſuâ ſorte contentum, de regno invadendo, ne per ſomnium quidem cogitâſſe. Carolomannus, qui morbo omnes corporis partes, ipsámque motionis arcem inſidente, loquendi uſum amiſerat, ſcripto ſe, ſuáque, atque inprimis filium, Ludovici fidei commendavit, nec quicquam retulit in tabulas, quo juberet regni ſucceſſionem aliò, quàm ad Ludovicum fratrem derivari. DILUUNTUR.

Anno ſequenti vivendi finem fecit II. cal. Aprilis, juxta Reginonem vitiosè 7. Non. Aprilis. Oetingæ, uti juſſerat, in templo, quod D. Benedicti familiæ ſtruxerat, ditârátque magnis opibus, tum Boicis tum Italicis, eſt tumulatus. Fuit inter ævi ſui Principes laudatiſſimus, præſtanti corporis forma, mirando robore, belli pacisque artibus, ut qui maximè, inſtructus, non minùs ingenio, quàm manu promptus, litteris cultus inſigniter, multis clarus triumphis, Slavorum domitor, terror hoſtium quocunque arma verterat, civium amor, tutor amplificatórque religionis. Juſtis funebribus regiâ pompâ perſolutis, Ludovicus Bojariæ regnum ſibi adjunxit, pronâ Ordinum voluntate, nihil obſtante fratre Carolo, quem ſpes longè maximæ ad capeſſendam Italiam, ipsúmque imperium evocabant. Transgreſſum alpes, Italici Proceres, urbesque honorificè exceptum, magno conſenſu Regem renuntiârunt, curârúntque regni inſignibus de more inaugurari, qui gradus illi fuit ad Auguſtales honores, quos hoc ipſo anno à Joanne Pontifice, ipſis Chriſti Natalibus, eſt conſecutus. Lætitiam turbavit caſus triſtiſſimus, qui omnem illi poſteritatis ſpem extinxit. Ex Luitgarde conjuge filium unicum tulerat ſibi cognominem. Cùm puer Reginoburgi gerulis inobſervatus, feneſtræ adrepens, exerto in ſubjectam aream capite, cæterorúmque membrorum pondere actus in præceps, vertice in pavimentum alliſo, cervicem fregiſſet, miſerabile ſpectaculum præbuit, quo nullum potuiſſet parentibus funeſtius evenire.

AN. CHRIST. DCCC. LXXX. *Herman. Annal. Fuld.* CAROLOMANNUS MORITUR. X. LUDOVICUS IN REGNUM SUCCEDIT. CAROLUS CRASSUS OCCUPAT ITALIAM: CÆSAR RENUNCIATUR: UNICUM FILIOLUM CASU OBTRITUM AMITTIT.

Inter hæc, in Galliâ recruduerunt Goslini Abbatis, Conradi Comitis, aliorúmque molitiones, qui per nuperam pactionem à Ludovico Imperatore deſerti, patentésque æmulorum injurijs, cogebantur externa auxilia reſpicere. Reſciverant, Luitgardem Reginam Ludovici conjugem, cùm pacto fœdere è Galliâ rediiſſet, aculeato ipſum excepiſſe dicterio, quaſi nimiâ facilitate arma poſuiſſet, reportâſsétque dimidium operæ pretium, cùm habere totum potuiſſet. Et erat fœminæ acre & ambitioſum ingenium, quod facilè accendi poſſet, & flammam marito ſedatiori ſubdere, ad ſpes Galliæ de integro repetendas. Ad eam proinde factioſi confugiunt, Goslino legationis antesignano. Non defuêre verba, quibus illa per ſe prona ad eorum vota inclinaretur. Suus cuique affectus orator impetrabilis. Eam in ſuam ſententiam pertraxerunt, fallaci magnarum rerum oſtentatione. Balbi hæredem juſto thoro natum, adhuc crepundijs affixum, gubernari à gerulis; nihil proinde eſſe, cur timeretur. Anſgardis filios rem ſuam precariò gerere, paucorum aſſentatorum auxilijs, plurimorum invidiâ, quibus labes natalium eſſet inviſa. Magnatum populique ſtudia in tot lacerata eſſe factiones, ut ne integræ quidem familiæ in eadem vota conſpirent. Regni majeſtatem,

XI. LUDOVICUS GERMANICUS COPIAS PARAT AD INVADENDAM GALLIAM.

jura legésque eò duntaxat tendere, ut è Carolina stirpe sit quispiam, qui labescentem rempublicam ulnis excipiat. In Ludovico Germanico esse omnia, regium sanguinem, authoritatem, præcellentem famam, populorum æstimationem, arma fortunata, moderationem: si voluntas regni capessendi accesserit, nihil prorsus defuturum, quin ad fastigium evadat. Id nuper eum cum bono DEO fuisse experturum, si bene cœpta meliùs fuisset prosecutus. Multos esse, inter Principes Francicámque nobilitatem, qui sint lubentes in ejus fidem concessuri, modò se ab eis non ostendat alienum. Luitgarda, avidè auditos bono jussit esse animo, nec ambigere, quin Ludovicus tam bellas conditiones sit amplexurus. Foverent interim legati studia suarum partium, & spe propediem adfuturi Regis erigerent. Eo responso, & Ludovici assensu, animati, reversi in Franciam, arma palàm induunt, collectâque seditiosorum manu, prædas instituunt agere, conjuratos armare, passim jactare, è Germaniâ mox validissimas copias auxilio venturas. Ludovicus re ipsâ, magnis toto regno delectibus, justum parat exercitum, Aquisgrano movet unà cum uxore, quæ comes esse voluit expeditionis, ut languentem identidem incitaret. Ad Duciacum venêre obviam Goslinus, & Parisiorum Comes, ingentia promittentes. Castra inde mota per Attiniacum, Harcuriacum, usque ad Ribodi montem. Balbi filij, castris haud procul inde positis, legatos de pace mittunt, fœdus anni superioris memorantes, quod nequiret, nisi pessimâ famâ, cœlóque adversante violari. Et jam apparebat, vana fuisse factiosorum promissa, multis indies deficientibus: etiam Ludovico cœperant honesta certáque præ utilibus dubiisque placere. Ergo temperatum est ab hostilitate, & integratâ amicitiâ, quicquid erat dividiæ, rejectum ad congressum in villa Gundulfi mense Junio futurum. Hæc composita non sine Ludovici sugillatione, quòd se uxorijs suasionibus in fraudem passus esset induci. Certè intempestivum consilium visus est DEUS ulcisci per Nortmannos, qui factâ in Saxoniam irruptione, ingentem ex eâ multitudinem, quæ ad signa concurrerat, prælio superatam, concidêre. Occubuit pleraque nobilitas, Episcopi duo, Comites duodecim, Regiæ cohortis primipili octodecim, cum suis singuli subsidiarijs: innumeri in captivitatem abrepti.

In fraudem ab uxore inductus.

Pactæ induciæ.

Nortmanni Saxones magna clade afficiunt.

XII. Iste barbarorum successus, Dalmatas, Bohæmos, Sorabos, in spem rei faciendæ erexit. Infida semper coactæ servitutis patientia, quæ, ubi metus desijt, redit ad vota recuperandæ libertatis. Illi ad arma coorti, Turingos, &, qui illis ad amnem Salam erant obnoxij, Slavos, nituntur opprimere, quòd dedissent effectum, nisi Popponis limitum Præfecti virtute fuissent retusi tantâ clade, ut ne unus quidem de numerosissimis copijs superfuerit, quod prodigio simile victores censuerunt.

Dalmatæ, Bohemi, cæduntur.

Ludovicus morbo impeditus, nepotum colloquio in Gundulfi villâ adesse non potuit, nisi per legatos. Misit tamen utrique suppetias, Henrico & Adelberto, ductoribus, adversus Hugonem Lotharij ex Waldradâ filium, qui Galliam populatione vexabat. Tum viribus restitutus, movit in Nortmannos, qui mari trajecto, appetente hieme, ingentem armatorum colluviem per Rheni ostia in continentem exposuerant, indéque subitâ excursione Remos, Ambianos, Atrebates, Morinos, Menapios, Cameracenses, Teroannam, Corbeiam, Frisones, omnésque circa Scaldim populos incessentes, perculsis undique incolis, miserabile spectaculum ediderant, villis passim incensis, eversis templis, immani cæde mortalium. Tum Neomago potiti, locum operibus sic firmârant, ut Rheno frenato, omníque circùm regione trepidante, sedes bello perpetuando, & spoliarium prædis recipiendis, constituta esse crederetur. Eo comperto, Ludovicus properè exercitum eduxit certus, prælio decernere, si hostis sui copiam faceret. Verùm Barbari munitionibus se tenuêre, levibus subinde conflictibus varium Martem experti. E Ludovici ductoribus captus Eberhardus filius Reginardi Comitis, quem magno redemptum pretio, Enessa mater recepit incolumem. Ludovicus, ratus, iniquissimâ anni tempestate oppugnationem fore difficilem, nec esse

Ludovicus auxilia mittit in Franciam contra Hugonem.

Nortmannorum grassationes.

esse consultum, copias assidendo consumere, cùm hostis deditionem offerret, citra omnem injuriam, si Rex obsidionem prior solveret, conditionem accepit. Verùm, ubi copias abduxerat, Nortmanni, contra datam fidem, cùm essent in procinctu, Regiæ nobilissimæ flammas subdiderunt, corruptísque munimentis, secundo Rheno mare repetiverunt, relictis barbaræ sævitiei altis vestigijs.

NOVIOMAGUM A BARBARIS CONTRA DATAM FIDEM, EVERSA REGIA, ET MUNIMENTIS SOLO ÆQUATIS, VASTATUM.

In Galliâ Henricus & Adalbertus cum Theobaldo Hugonis legato, penes quem belli summa & robur exercitûs, pugnam inierunt utrinque cruentam: stetit tamen penes nostros victoria, Theobaldo profligato. Victores se mox junxerunt Balbi filijs, ad quos simul Carolus Crassus ex Italiâ suppetias adduxerat, qui, converso adversus Bosonem bello, Matisconem, ejecto præsidio, injectisque Bernardo vinculis, capiunt: Bosonem ultra Rhodanum intra Viennæ mœnia conjiciunt, indéque pulsum, reijciunt in montium Helviorum latebras. Quibus ex voto confectis, Carolus se in Italiam retulit. Atque hæc ferè sunt, quæ istum annum fecêre memorabilem.

IN GALLIA HUGONIS COPIÆ PROFLIGATÆ. BOSO FUGATUS.

XIII.
AN. CHRIST. DCCC. LXXXI.

Insequens, qui fuit primus supra octogesimum, sterilitate fuit infamis. Cùm enim ad prioris anni præparcum annonæ proventum insolens hiemis asperitas accessisset, frigore in ipsam propè æstatem producto, exusta rigore sementis, fuit extincta, squalénsque terra armento pastum negavit: unde passim greges algore & fame enecti. Moguntiæ 3. Cal. Janu. terra horrendum tremuit. Hugo, Lotharij malè nata soboles, & turbator otij publici, cùm ei, fatiscente fortunâ, fractisque bello superiore viribus, in Franciâ tuto esse non liceret, ad Ludovici Boij clementiam confugit, post Christi resurgentis ferias, orans, ne se ab hostibus undique appetitum, supremæ necessitati permitteret. Eum Ludovicus benignè habitum, sacerdotiorum proventibus, clientelis, præfecturis, aliísque beneficijs honestatum, conatus est ad frugem revocare. Sed proterviâ depravatum ingenium nemo lenitate sanaverit. Ille non multò pòst, improborum dolis, vitǽque privatæ tædio transversum actus, ad genium redijt, conquisitis ad invadendam tyrannidem auxilijs. Cùm verò se in conatu deprehensum sensisset, fugâ in Burgundiam evasit. Ludovicus in Gundulfi villâ cum Galliæ Rege Ludovico, Balbi filio, collocutus, æstatis reliquum quietus exegit, curandæ corporis infirmitati intentus.

STERILITAS. HUGO FRUSTRA AD FRUGEM INVITATUR.

Cæterùm, Galliæ intestinis adhuc turbis laboranti, quies à Nortmannis non fuit. Eos magnis copijs in terram effusos, Ludovicus Balbi filius, memorabili affectos clade, repulit. Scribuntur novem equitum millia in acie cecidisse, peditatûs cæsi numerus non est relatus in chartas. At illi acceptâ ignominiâ ferociores, lectis subitò supplementis, & instaurato equitatu, mense Novembri, duorum Regum Godefridi & Sigefridi, Wurmionionis præterea & Hulsi ductorum, auspicijs appulsi ad Rheni ostia, adverso Mosâ ad quatuordecim circiter passuum millia progressi, Hasalum oppidum expugnant, vallóque circumdatum, belli sedem faciunt. Inde furentis instar procellæ in Ripuarios Ludovici Boij fines irrumpunt ex improviso: primo impetu Leodium invadunt: Tungros, Trajectum igne deformant. Tum converso ad Rhenum agmine, Novesio, Coloniâ Agrippinâ, Tulpiaco, Bonnâ potiti, ædes sacras, profana tecta concremant, omnia promiscuè ferro & vastitate fœdant: Indense, Malmundariense, Stabulense, nobilissima monasteria, pariter incendunt. Regia Aquisgranensis, Basilica, Caroli Magni monumentum, versa in stabula jumentorum. Ludovicus eâ calamitate excitatus, tametsi debili adhuc valetudine, Francofordiam delatus, justum mox exercitum ad signa raptim coëgit, dux ipse futurus contra Barbaros, & vitæ reliquum Reipublicæ saluti daturus, si per vires licuisset. Ejus frater Carolus Crassus, pronis Italiæ studijs, ad capienda Imperij insignia erectus, lubente Joanne Pontifice, Romam unà cum Richardâ conjuge profectus, & totius urbis plausu exceptus, Christi nascentis festo Augusti titulis insignitus, fastos Romanos nominis sui majestate cohonestavit, summo Pontifice sacris ritibus operante, & Augustam solennibus ceremonijs honorante.

NORTMANNORUM CLADES.

XIV.

IIDEM SÆVIUNT IN AUSTRASIOS.

CAROLI CRASSI ET CONIUGIS ROMANA INAUGURATIO.

Ejusce

An. Christ. DCCC. LXXXII.

Ludovici Bojariæ et Germaniæ Regis obitus.

Annal. Fuld. Herman. Avent.

Ejusce diei lætitiam minuit sidus apprimè minax & infaustum, quod comâ latè porrectâ mortales suspensos tenuit 15. Cal. Februarij, non inani malorum impendentium conjecturâ. Tertio enim pòst die, Ludovicus Bojariæ, cæteræ Germaniæ & Lotharingiæ Rex, Francofurti mortuus, portento fidem asseruit. Fuit domi militiæque præclarus, lenitate, consilio bonus, dignúsque, qui inter optimos Caroli Magni nepotes commendetur, nisi illi Carolinæ genti insita macula, læsæ in patrem pietatis, adhæsisset. Unde est, cur meritò Aimoini Continuatori veritas succenseat, quòd eum *inutiliter sibi, ac regno viventem morti succubuisse* commentus est. Ejus funus compositum in Laurisheimensi Majorum conditorio. Decessit certè alienissimo Reipublicæ tempore: nam exercitus, quem contra Barbaros miserat, ejus auditâ morte, velut sacramento solutus, dilapso à signis milite, domum redijt cum incredibili Austrasiæ detrimento. Nortmanni enim quaquaversum, nemine, qui prohiberet, effusi, obvia quæque omni calamitatum exemplo corruperunt.

XV.

Nortmanni sæviunt in agrestes et urbem Trevirorum.

Pervagati Arduennam, & ipso dominicæ Epiphaniæ die, Prumiense Monasterium, insignibus regum beneficijs locuples, ingressi, dum eò loci habent stationem prætoriam, omnem circà provinciam sunt depopulati. Magna agrestium turba, desperatione, simul & ruentis patriæ dolore provocata, correptis, quæ sors & ira offerebant, telis, ausa palantes primùm carpere, pòst elata successu, temerè, nullóque ordine, prout cuique furor, ruere in conglobatos, tantâ strage cæsa est, ut campos latè interfectorum cadavera operiret. Prumia, neglectis focis, ab hoste abeunte, correpta flammis, in cineres abijt. Exinde propagata in Trevirorum agrum vastitas, ipsáque urbs, civibus quà fugatis, quà trucidatis, Nonis Aprilibus incensa.

Vita S. Modoal. M. S. Surr. in Augusto.

Sanctimonialium servata pudicitia prope Treviros.

Illud interim in eâ temporum acerbitate accidit memorabile. Stabat Sanctimonialium asceterium D. Symphoriano sacrum, cujus nonnullæ visuntur parietinæ ad Mosellæ ripam, quod Severa D. Modoaldi soror excitârat, excoluerátque sanctioris disciplinæ institutis. Ejusce loci virgines territæ famâ flagitiorum, quibus Nortmanni passim dicatas Deo feminas incestabant, solicitæ, ne pari ludibrio & Numinis injuriâ eadem ipsæ paterentur, communibus votis egêre, ne ullam ex sodalibus, barbarâ nefariorum hominum petulantiâ Deus sineret temerari. Id cùm advolutæ D. Modoaldi sepulchro, magno ardore verisque lachrymis orâssent, voti factæ compotes, intra trigesimum diem, ad unam omnes, annuente cœlo, incolumi pudicitiâ, vitâ excesserunt.

Prodigiosa D. Paulini in aere libero sustentatio.

Sed & illud mirabile, & dignum omnium Annalium memoriâ. Posteaquam Barbari Christiani nominis odio, in omnem Trevirorum ordinem, sexum, ætatémque crudelissimè sævierant, debacchati simul in Basilicas & sacrorum hominum contubernia; Furorem propagârunt in D. Paulini ædem. Divi corpus, ferreis catenis suspensum, dum vi tentant avellere, & ferrum quidem diffringunt, sed urnam in aëre suspensam, hærentémque sine omni prorsus sustentaculo, magno stupore conspicati, non sunt ausi ultrà, adversante Numinis dextrâ, tentare. Audaciores aliqui, omnes, varijs piaculis sunt cœlitus extincti. Miraculum multis pòst annis Trevirenses, aliique grato spectaculo, religiosè usurpârunt, donec, languescente in posteris priscæ pietatis fervore, ultrò monumentum subsedit.

Sigebard. Monach. in vita S. Maximin.

Eâdem in æde Barbari vivum hominem, omnis auræ usu intercepto, sarcophago incluserunt, qui tamen D. Paulini suffragatione servatus est, vivúsque repertus, post hostis, ab urbis funditus eversæ busto, discessum.

XVI.

Cruentum prælium ad Mosellam.

Inde conversus impetus in Mediomatricos. Walo ejus urbis Episcopus, pro civium salute, lectis copijs, se hosti truculento obijcere non dubitavit. Auxilio accessêre Bertolfus Trevirorum Præsul cum fugitivorum manu, & Adalhardus Comes. Acie certatum apud Remichium vicum quarto, à Treviris ad superum Mosellam, milliari. Walo pugnans ardentiùs, occubuit. Bertolfus & Adalhardus protritâ acie, cùm immanem pugnæ molem non sustinerent, fugâ sibi consuluerunt. Nortmanni Lotharienisium virtutem experti, cruentam victoriam reportârunt: mutatâ tamen expeditionis ratione, ne, si fortuna alternaret, iterato

certa-

certamine facerent nominis & prædæ jacturam, properè ad spoliaria, quæ ad Mosæ ripam munierant, classémque reversi, cæterâ Austrasiâ in præsens abstinuerunt. Id à pijs rerum æstimatoribus datum D. Glodesindæ virginis, cujus cineres in illustri Virginum contubernio Metis honorificè servantur, suffragijs. Ante Nortmannorum adventum, sacrum illius corpus, oleum, formâ lachrymarum, fudit, quasi DEUM urbi propitiaret, & imminentem cladem deprecaretur, quod eam impetrâsse, certis de cœlo indicijs vulgò fuit persuasum. D. GLODESINDÆ IN MEDIOMATRICES COMMISERATIO.

Cùm Gallia cladibus anniversarijs fatigata, & Germania metuens similium calamitatum, nullum viderent continentium malorum exitum, crebris legationibus Carolum Crassum Imperatorem ex Italiâ revocabant, per patriæ decus, & avitam Francici nominis gloriam obtestantes, ut utrique auxilia properaret: Id nî faceret, regnum fratris excessu desertum, abjecturum animos, Francos intestinis factionibus malè cohærentes, venturos in Barbarorum potestatem: tot regnis amissis, parùm in Italia fore præsidij adversus feram nationem, continuo victoriarum cursu insolentem. Carolus excitus periculi magnitudine, festinatis, quantâ licuit celeritate, itineribus, in Galliam, ubi graviùs laborabatur, accurrit. Eum trans alpes secuti sunt multi Longobardici nominis, cæterorum Italorum vix ulli. Conventu apud Vangiones de belli ratione habito, fraternorum regnorum possessionem adijt: moturus in hostem, copias trifariam partitus, Boijs Arnulfum ex Carolomanno nepotem præfecit: Longobardos, Suevos, Turingos, Saxones, Frisios sibi retinuit. Qui ex Francis ad signa confluxerant, Henrico relicti, jussique trans Rhenum cæterarum copiarum adventum opperiri. Motis castris, Imperator occiduam Rheni oram legit: Boij per orientalem progressi, Anternaci amnem transmissi, se Francis junxerunt. Hostis exiguo inde intervallo, visus est posse opprimi subitâ impressione, diversis tamen agminibus. Eventum alioqui præstabilem frustrata est perfidia: Francorum nonneminem ajunt hosti consilium prodidisse. Consertæ tamen manus, sed nullo ferè operæ pretio: etenim paucis Barbarorum interemptis, reditum ad castra. CAROLUS CRASSUS IMP. MOVET IN NORTMANNOS.

Nortmanni nostrorum virtute, simul ac numero territi, bellum ducere, & ultimæ dimicationis aleam certi devitare, se munitione tutabantur. In eâ, quos nominavi, bini Reges Godefridus & Sigefridus, totidémq; Duces. Carolus, tempori ne deesset suorúmq; alacritati; eos instituit obsidione premere. Jam oppugnatio ad duodecimum diem processerat, cùm repentè ad 12. Cal. sextiles, post meridiem, cœlum belli arbitrium occupâsse visum est. Prædensæ nubes primùm obtendi, & diem offusâ caligine minuere: tum æther horrendum mugire, deinde, perruptis atri vaporis lateribus, micare fulgetris, ardere fulminibus, crebris circùm ictibus, mortem obsessis, juxtà ac obsidentibus intentare: demum grandinis procellam tantâ ventorum vi excutere, ut universis hora fatalis videretur impendere. Grandinis forma scrupis aspera, acuminata cuspidibus, tanto pondere, & inusitatæ magnitudinis horrore, ut tot tubera faceret & apertas plagas, quot impetus in nudos artus, non hominum modò, sed etiam jumentorum, quæ acta in rabiem, ruptis habenis, intra extráque castra, quacunque ferebat œstrum, siderata ferebantur. Nec mitior erat fortuna Nortmannorum: ipsa adeò turbinis violentia mœnium cinctum aperuit eâ latitudine, ut, nisi vallum & fossa obstarent, integris turmis pateret ingressus in arcem. Malum subinde intendit calor æstivus, qui, cùm non paucos languore deijceret, denique tabo cadaverum, & inductâ in militem lue, quam Boij secum in patriam retulêre, innumeros propè, tum in castris, tum domi, confecit. Quare rarescentibus ad insignem paucitatem copijs, utrinque ineluctabilem cœli vim formidantes, animos ad consilia pacis adjecerunt. Biduum, non amplius, collocutio tenuit. Sigefridus, datis acceptísque obsidibus, ad Caroli tentorium admissus, jutejurando pactus est, se nunquam, vivo Carolo, militem ducturum in ejus ditiones. Sic auro argentóque donatus, cum omnibus copijs, Cæsaris finibus excessit. Godefridus collegâ sapientior, non egit modò de fœdere, sed etiam de Sacris Christianis & nuptiarum affinitate. Ablutus undis expia- XVII. SIGEFRIDUS ET GODEFRIDUS NORTMANNI OBSESSI. GRAVIS PRÆTER SOLITUM TEMPESTAS. PAX CUM SIGEFRIDO. GODEFRIDUS AD CHRISTUM CONVERSUS.

Regino. Sigeb. Aimoin. Sifrid. Baron. Sigon.

expiatorijs Carolo susceptore, Gisalam Lotharij Cæsaris patruelis filiam duxit, cúmque eâ dotalem Frisiæ Ducatum (ita scripserunt notati ad marginem) contra Francorum Annales & Hermannum, qui asserunt, Sigefridum Christo se adjunxisse.

An. Christ. DCCC. LXXXIII.

XIIX.

Bellum inter Turingos et Saxones.

Secundùm hæc, Saxones & Turingi bello civili collisi, concitatoribus Poppone & Eginone Comitibus. Prælio lis dirempta, Turingi superati. Popponis fortunam Henricus frater æmulatus, ingentem Nortmannorum multitudinem ad Prumiam internecione delevit. Ludovicus, Galliæ pro Carolo Balbi posthumo rector, fato Parisijs concessit. Eum Franciæ monimenta ferunt extinctum mœrore, quòd adverso Marte in Nortmannos pugnâsset, & amisso exercitu ægrè subductus cladi, populi invidiam, non sine dedecore, incurrisset. Æmilius scribit, intorto, incertum unde, telo confossum, cùm aprum in venatione urgeret. Plures silentio premunt genus mortis, quâ Carolo Crasso Imperatori via ad Franciæ gubernationem parabatur.

Ludovicus Galliæ Rector moritur.

Carolomanni Balbi F. interitus.

Nam anno proximè secuto, Carolomannus Balbi filius, qui cum Ludovico fratre rerum potiebatur, flumine Ligeri utriusque imperium dirimente, vivere desijt, letho, ob scriptorum dissensionem, ancipiti. Quidam volunt, sublimem equo, dum ludens puellam insequitur domum refugientem, in ostij superum limen impactum, fregisse cervicem: alij ab apro laceratum: alij, dum feram sectatur avidiùs, è rupe corruisse. Is paulò ante casum, Irmengardem Bosonis conjugem, quæ eatenus Viennæ mœnibus bellum defenderat, urbe expugnatâ, in suam potestatem redegerat. Supererat Ludovicus Carolomanni (uti vero est similius) proles, cognomento Ignavus, quem nonnulli ferunt Neustriâ contentum, Franciæ gubernaculo abstinuisse. Saltem à patris obitu nomen implevit brevi & inerte vitâ, Crasso totum ex asse regnum mox relicturus.

Ludovicus Ignavus.

Hic rebus necessarijs in Germaniam reversus, primùm Moravorum aliarúmque gentium legatos Wormatiæ audijt, inde abijt in Alemanniam, ubi Christi natali peracto, ad Bojos se retulit, & Pascha Reginoburgi anno sequenti celebravit.

Sigon.

Turbæ Romanæ.

XIX.

Romæ Joanni Pontifici sub exeuntem Decembrem defuncto, suffectus erat Marinus Gallesianus (vocis similitudine decepti quidam Martinum II. nominârunt) operâ Comitum Tusculanorum, quorum præcipua potentia in urbe, quâ in duas factiones distractâ, gliscebant inter Italiæ Principes suspectæ coitiones, nec aliæ causæ deerant, quibus componendis Caroli præsentia desideraretur. Egebat quoque Pontifex Imperatoris ope, inter assidua certamina, adversus degeneres quorundam è clero mores, eorum præsertim, qui sacrilegam sacerdotiorum nundinationem, & nefarios pellicatus tutabantur. Carolus de hisce factus certior, Nonis Maij Veronam, quarto Idus ejusdem mensis Mantuam appulit. Pòst Nonantulæ Pontifici collocutus, causam Vidonis Spoletani Ducis cognovit: qui cùm majestatis arcessitus, testium factorúmque indicio premeretur, deserto vadimonio, causæ diffidens, supplicium evitavit, útque ope alienâ firmaret arma domestica, impium fœdus inijt cum Saracenis. Carolus ejus persequendi negotium dedit Berengario Forojuliensi. Quam in rem gnaviter incumbenti, cùm se prosperè darent initia, insignes conatus lues pestifera discussit. Ea fœdè grassata in exercitum, sævijt in ipsam Caroli Regiam, qui ipse eâ contactus, propè aberat ab exitio, nisi voto concepto, ad D. Alexandri preces confugisset. Sentiens se ejus ope levatum, se ipsius aræ Bergomi stitit, & sacros ipsius cineres deveneratus, in accepti beneficij memoriam, regiæ munificentiæ adjecit 3. Cal. Augusti, confirmationem omnium privilegiorum, quæ sancti Martyris Ecclesiæ quondam fuerant à Regibus Longobardis & Francis indulta. Inde Papiam divertens, per mensem Octobrem in publicis, juxtà ac privatorum causis leges exercuit.

Vido Spoletanus reus maiestatis.

Herman.

Carolus Crassus peste contactus, servatur ope D. Alexandri.

An. Christ. DCCC. LXXXIV.

Misera rerum conditio.

Erat inter hæc misera rerum ubique facies. Franciam, Odone Regis pueritiam intestinis dissidijs appetitam languidè moderante, Nortmanni per Sequanam invecti lacerabant, & mortuo Carolomanno, qui ab eis duodecim millibus argenti pondo, totidem annorum inducias emerat, rursus se in regnum infuderant,

causati

causati se Carolomanno, nulli alteri obligâsse fidem, nec voluntate abituros, nisi successor altero tanto pacem mercaretur. Ijdem ingressi Austrasiam, positis castris ad Lovanium, Francos, juxtà ac Lotharienses incursabant. Saraceni Vidoni Spoletano fœderati, imminebant Italiæ è Gariliano, quod valido præsidio tenebant. Inde egressi, celeberrimum Cassinense Monasterium incenderant; Bertario Abbate ad D. Martini aram crudelissimè obtruncato, Monachos omnes abegerant. Quod omnium teterrimum, Itali, præsertim Romani, sive fessi malis, sive crebrâ Cæsaris absentiâ, veteres induti spiritus, ad majorum dominationem aspirabant: omnium erat una vox, quando Carolus Crassus justâ sobole careret, brevi tempus adfore, quo sibi, excusso jugo exterorum, suo Marte consulerent. Nondum adeo Italiam à priscæ virtutis indole degenerâsse, quin repertura sit aliquem, qui avorum gloriam, bene fortitérque imperando, excitaret. Cui enim bono habere Cæsarem, qui rebus externis continenter implicitus, vix unquam in arce Imperij, nisi ad captandos plausus augustales, appareat? Neminem, ne centimanum quidem, tot regnorum curas unum posse complecti. E longinquo, post rem, venire consilia, & seras malorum medicinas. Hadrianus Pontifex, qui Marino erat surrogatus, in eandem sententiam conspirârat, edito duplici decreto, quorum alterum spectabat urbis Romanæ libertatem, ut Pontifex designatus, citra Regis, aut regij legati præsentiam, inposterum posset consecrari: alterum pertinebat ad dignitatem Italiæ, ut, si quid Carolo humanitus contingeret, nullo relicto filio, regnum, unà cum Imperij titulis, esset penes vota Principum Italiæ.

ITALORUM CONSPIRATIO.

XX.

DECRETUM PONTIFICIS HADRIANI DUPLEX PRO URBIS ET ITALIÆ LIBERTATE.

Hæc cùm minimè negligenda viderentur, Carolus ad compescendos Vidonis & Saracenorum motus, in Alemanniæ Comitijs Bojos armavit, ipse, cùm primùm per Pannonicos tumultus liceret, in Italiam transmissurus. Eorum originem & processum, Scriptor Annalium Fuldensium, præter suum morem, fusè in hanc sententiam est executus. Wilhelmus & Engelschalcus, bonus uterque manu atque consilio, tutandis Boicæ limitibus, quâ parte spectat Orientem, à Ludovico, Crassi parente, impositi, cum fide & egregiâ justitiæ famâ omnem proborum præsidum laudem erant assecuti, & rebus pro patriâ præclarè gestis immortui. Grata eorum apud populares, honesta apud finitimos recordatio, & æstimatio æquitatis, quæ vel apud hostes suum habet honorem. Inter eorum laudes non postrema, quòd Moravos, nunquam antè quietos, in officio continuissent. Engelschalcus tres reliquit filios, Megingothum, Werinharium & Papponem. Spes erat, ut, quâ erant à parente diligentiâ instituti, in ejus dignitatem migrarent. Sed fluxa benefactorum memoria: & verò initia novi dominatûs, sunt ustrina conflatoria novorum ministrorum. Præteritis optimi viri filijs, Aribo visus est Carolo Imperatori melior: quæ res ab adolescentibus, eorúmque propinquis indignissimè accepta, potentis familiæ universas clientelas, magnámque partem Pannonicæ nobilitatis ad arma, adversus Aribonem jungenda, concivit. Ille exutus præsidijs domesticis, & coactus solum vertere, cum Zuentibaldo Moravo conspirat in ultimam fratrum perniciem, fœdere opportuno, ad instaurandas veteris in Bojos odij injurias. Ergo homo vafer, specie belli socialis, & vindicandæ Caroli majestatis, arma vertit in victores, primóque statim certamine Werinharium, Vezillonémque Comitem ejus consanguineum, redigit in suam potestatem, quódque triste dictu, factúque crudele, præcisis dextris, linguâ radicitus evulsâ, utrumque evirat, & captivos, bono numero dextrâ mutilatos, domum remittit, testes acceptæ cladis & ignominiæ. Accensus furor rarò in uno gradu resistit.

TUMULTUS PANNONICI.

ZUENTIBALDI SÆVITIA.

XXI.

Sævus homo signa victricia, trajecto mox Danubio, infert in confines agros, actáque latè prædâ, tecta flammis, libera corpora ferro exscindit, furitque maximè in hostes Aribonis, qui inprimis petebantur. Miseri hærebant consilij inopes. Si Imperatoris opem implorarent, apud iratum nihil spei perduellibus: veteres amici & patria universa, arma, hostium metu, abjecerant. Pannoniam vicario regebat imperio Arnulfus, Carolomanni nothus. Ad hujus commiserationem tutelámque confugiunt. Tecto recepti, cœperant aliquantum respirare, cùm

 Zuen-

Zuentibaldus novi belli telam orsurus, per legatos cum Arnulfo expostulat, hostes ab eo foveri, minatúrque, se illos, quocunque lateant solo, armis insectaturum. Arnulfus, offensus hominis insolentiâ, respondit, nullam esse apud viros fortes minantium authoritatem; ne credat Barbarus, se metu quicquam expressurum ab eo, cui certum sit, jura humanitatis in miserorum gratiam tueri: pluris sibi esse famam, quàm indecorem quietem. Hæc fortiùs dicta, quàm segniùs comparata præsidia in furentem. Exarmata Pannonia, nulla tamen cura militis contrahendi. Ne Cæsar ingrederetur in causam, præter offensionem in rebelles, vetuit recens Zuentibaldi commentum. Enimvero mirum non esse, quòd Arnulfus hospitio tegat perduelles, qui in eadem cum illis sit navi: quippe cujus, si non jussu, at saltem conscientiâ, Bulgari cum Pannonibus, Germani Imperij hostibus, sociato fœdere conspirârint anno superiore: id si Arnulfus inficietur, non aliter, quàm jurato habendam fidem. Hic conditionem, libero Principe indignam, aspernatus, quietus, & hoste contempto præsidens, se domi continuit. Eam nactus occasionem Zuentibaldus, cum validâ Slavorum manu Pannoniam ingreditur, populatione, incendijs, cædibus, latè vastat omnia, & opulentum rapinis exercitum in Moraviam reducit. Nondum satiato miserorum spolijs & sanguine, crevit habendi & sæviendi profunda libido. Eodem, quem recensemus, anno, rursus irrumpit in Pannoniam cum tantâ armatorum multitudine, ut gradu viáque militari, agmina unius diei iter implerent, ut, quo loco primi se, orto sole, moverant, eodem postremi, luce ad noctem vergente, pertingerent. Immensa hæc prædonum turba, dies duodecim in evastandâ Pannoniâ, nemine auso prodire obviam, consumpsit, & manubiarum locuples, digressa domum, mox remisit alios, qui calamitosorum ultimas reliquias, instar racemi à vindemiatore neglecti, colligerent. Megingothus & Pappo, quorum clientibus tempestas inprimis incumbebat, ausi cum tenui pugnatorum globo prodire in apertum, profligati, dum fugam intendunt per flumen Arrabonem, aquis abrepti, vitam finierunt. Captivorum sors durissima, inter quos Bertholdi Comitis germanus. Calamitas Pannoniæ, quà ab Arrabone ad Orientem porrigitur, nullis verbis potest æquari. Servi contrucidati nullo sexûs discrimine, vel ætatis; Nobilitas pars interfecta, pars servata ad ludibrium notásque barbaræ immanitatis, linguâ, dextris, virilibúsque amputatis. Ea sævities sex menses supra biennium tenuit, cùm tandem Carolus ad ejus famam, & exulum lamenta excitatus, arma corripuit, motísque ad amnem Tullinam castris, Zuentibaldo collocutus in monte Comageno, eum, renovato sacramento, fidem pacémque in posterum pollicentem, in gratiam recepit, eâ lege, ut suis contentus finibus, ab invadendis Pannonijs, aliísque Imperij clientibus abstineret. Risit Barbarus in sinum, se tam levi pretio, tot scelerum pœnas solvisse. Carolus antequam copias abduceret, Brazlavum Provinciæ, quæ Dravo Savóque fluminibus alluitur, Prætorem, sacramentum militare dicentem audijt, indéque per Carantanos in Italiam profectus, Christi natalem Papiæ celebravit.

VASTATUR PANNONIA. XXII.

PAX CUM ZUENTIBALDO.

AN. CHRIST. DCCC. LXXXV. XXIII. VIDO SPOLETANUS ABSOLVITUR

Eodem loci sub anni sequentis initium, ne res Italicas, quod vulgò accusabatur, videretur habere contemptui, conventum egit, ad quem Vido Spoletanus accersitus, remittente æmulorum invidiâ, & Crasso æquiore, securior, causam dixit, & tot rationum momentis, interpositâ simul jurisjurandi religione, crimen majestatis, cujus postulabatur, diluit, ut omnium judicum suffragijs absolutus, in pristinum gratiæ dignitatísque locum fuerit restitutus.

Carolus Imperator, inter hæc extincto in Galliâ Carolomanno, ad regni procurationem vocabatur, fortunâ, quæ in rebus humanis ludos facit, eum ad tot regnorum fastigia invitante, unde tertio pòst anno, tantò graviore lapsu, in miserandæ paupertatis ærumnas rueret. Speciosa nactus est Gallicæ gubernationis initia, (inest quædam rerum florentium novitati amœnitas) progressum sequiorem, tragicum exitum. Idem illi fuit ritus léxque inaugurationis, quæ fuerant fratribus Ludovico & Carolomanno. Corona illi imposita Regentis titulo, donec Carolus, Ludovici Balbi posthumus, ad regni curas maturesceret. Id datum

san-

ſanguini, quem Craſſus ducebat à Carolo Magno proavo, Ludovico Pio avo, & Ludovico Germanico parente. Ita omnis potentia ſtirpis Carolinæ, quæ fuerat per quadraginta amplius annos diſtracta in multos Principatus, ad unius Craſſi manum juraque, nullo repugnante, redijt. Quas ob res Franci Principes, Ordines, non ſecùs atque datum cœlitus Gallici imperij inſtauratorem reſpicere, nihil non ſperare, à tantâ opum & hactenus exploratæ felicitatis magnitudine. Invitantibus adfuit in Gundolfi villa, paſſúſque eſt ingentem rerum confuſarum molem in ſuos numeros reclinari, non futurus infelix, ſi, quem mutabile hominum ingenium initio adoravit, in fine non devoràſſet, redegiſſétque ad eam conditionem, quæ ne mediocri quidem eſſet expetenda. Id quo pacto contigerit, ordine exequemur.

CAROLUS CRASSUS GALLIÆ RECTOR.

XXIV.

Rebus in Galliâ utcunque compoſitis, Wormatiam ad Comitia diſceſſit, quò Marinus Pontifex ſe venturum condixerat: ſed venientem medio itinere, anno ſuperiori 15. cal. Februarij mors occupaverat, ſede Hadriano III. relictâ. Subinde cœperunt Caroli curæ indies augeri. Hugo Lotharij ex Waldradâ pellice filius, Godefridum Nortmannorum Regem, ſororis ſuæ matrimonio conjunctum, clàm miſsâ in Friſiam Legatione ſolicitavit, ut ad Lotharingiæ regnum occupandum, quod æquis inter ſe partibus, ſi fortuna daret, partirentur, auxilia ſociaret. Arduum conſilium, de feræ, nondum captæ, exuvijs paciſci. Godefridus fervente juventâ, & rei grandis fiduciâ, ut bello cauſam prætexeret, extemplo oratores mittit Gerolfum & Gordolfum, ab Auguſto petituros, vellet novo aliquo beneficio Friſiæ dominatum prolatare: enimvero in tantis exigui ſoli fortunarúmque anguſtijs, regium nomen ſine dedecore non poſſe tolerari. Non petere ſe amplas ditiones; ſatis fore homini cætera abſtinenti, ſi terræ fœcundioris aliqua latifundia, dotis beneficiario additamento, concedantur. Imperatori omnium opulentiſſimo, nihil, aut parùm deceſſurum, ſi fido clienti, qui patriæ charitatem ejus amicitiæ poſthabuerit, permittat modicum Rheni & Moſellæ tractum, qui Confluentes, Anternacum, Sinzichum, aliáque nonnulla Cæſareo fiſco obnoxia, comp'ectitur, largiatur. Inde fore aliquem ſaltem vini proventum, cujus nulla ſit in Friſiâ facultas. Hæc petebat, ut, ſi fors impetraret, iter ipſi cum copijs in Lotharingiam foret expeditum; ſin repulſam pateretur, haberet ſpeciem aliquam rebellandi.

Paul. Æmil. in Carolo Craſſo.

HUGONIS CUM GODEFRIDO NORTMANNO CONIURATIO.

Fraudem ſenſit Imperator. Quare adhibito in conſilium Henrico Comite, viro multo rerum uſu præſtanti, modos veſtigat, fraudulentum interpellatorem tollendi è medio. Ne vis aperta fieret, prohibebant Friſiæ loca, fluvijs paludibúſque inacceſſa, quibus Nortmannus poſſet, nullo propè negotio, non modò bellum defendere, ſed etiam accitis gentis ſuæ ſuppetijs, pernicioſam Imperio tempeſtatem invehere. Arte potiùs, quàm aperto Marte placuit experiri. Oratores regiè habiti, cum benigno reſponſo & ſpe ambiguâ ad Godefridum remiſſi: propediem ſecuturos, qui bonam Cæſaris mentem planiùs coràm explicent. Conſilio exequendo nemo aptior viſus eſt, quàm qui dederat. Henricus Willibertum Pontificem Agrippinenſem jubetur ſpecie legationis in Bataviam comitari, præmiſſi manipulatim, diverſis itineribus, milites, qui ad diem dictam præſtò eſſent, ſi quis fortè tumultus oriretur. Godefridus, compertâ legatorum profectione, occurrit ad Rheni & Vahalis divortia; locum vocant Heriſpichum, unde fluvius uterque, diverſo flexu, Bataviam Inſulam allambit cingítque. Eam ingreſſi, de Godefridi poſtulatis ex profeſſo ſermones protrahunt in veſperum, ad colloquium die poſtero redituri, quo Willibertus, ne paratæ cædi adeſſet, Giſalam Godefridi conjugem extra inſulam convenit, ſpecie ſuadendi, ut ipſa mariti animum ad æquas conditiones induceret. Interim Henricus, Eberhardo Comiti, quem Godefridus fortunis everterat, fit author, ut de injuriâ expoſtularet, júſque ab eo palàm, velut pro tribunali, repeteret: &, ſi quid reſponderet durius, ſtricto mox ferro obloquentis caput, quanto poſſet niſu, feriret, proſterneréтque ferocientem: virum modò ſe præſtaret, cætera ſibi curæ futura. Eberhardus pollicitus, ſe tam bellæ occaſioni non defuturum, conclave, in quo inſtaurabatur heſternum colloquium

GODEFRIDUS OPPRIMITUR.

XXV.

quium ingressus, Godefridum spoliorum lege audacter arcessit, & Nortmannum dedecoris impatientem, multáque in accusatorem contumeliosè regerentem, impacto in verticem ferro, terræ affigit. Eo vulnere seminecem satellites confecerunt. Tum in Nortmannos sontes, insontes, truculentè grassatum: editum facinus, quod neque dictâsset æquitas, nec probâsset lenitas Christiana. Paucis pòst diebus, Hugo, conjurationis author, splendidis promissis ad Gundolfi villam pellectus, ex insidiis in vincula conjectus, jussu Cæsaris spoliatus utroque lumine, in S. Galli Monasterium deportatur, ac denique in patriam reductus, Prumiæ, manu Reginonis, ex quo ista descripsimus, attonsus, quod ævi reliquum habuit, inter ærumnas exegit, & sepulchrum est adeptus. Carolus hostis gemini curis expeditus, posteaquam Ratisbonæ hiemem exegerat, pace inter Arnulphum & Zuentibaldum compositâ, anno sequenti Summi Pontificis invitatu, in Italiam profectus, finem rebus secundis, initium fecit magnis calamitatibus.

Hugo exoculatur.

An. Christ. DCCC. LXXXVI. Annal. Fuld. Herman.

Caroli Crassi fortuna ruens in præceps.

XXVI.

Seditio Papiensis.

Male bis pugnatur in Nortmannos.

Papiæ diversans ipso Palmarum die, quo Christi patientis præludia celebrantur, suorum ipse malorum prolusionem spectavit. Exortâ inter ejus prætorianos & cives seditione, multi utrinque cæsi, sauciati plurimi, haud pauci è plebe urbanâ, Caroli metu dilapsi, vixdum obligatis vulneribus, in viâ periêre. Aberat ipse tum in villâ suburbanâ. Tumultu composito, in civitatem reversus, post ferias Paschales comitia habuit, quibus finitis, eum recrudescentes turbæ in Galliam revocaverunt. Nortmanni in Atrebatibus, in Neustriâ, locis maritimis, totâ ferè Belgicâ, Lovanij inprimis sedem belli fixerant, omni circùm viciniæ infesti: quibus reprimendis, Caroli auxilia à Gallis flagitabantur. Illuc accurrens per Burgundiam, lectum confestim exercitum grassatoribus objecit, adverso Marte. Clades tametsi ad paucos pertinuit, ejus tamen fama, quæ belli initijs in utramque partem valet plurimùm, vulgo fuit ominosa. Hostis successu animosior, Lutetiæ Parisiorum obsidium admovit. Hinc majoris mali metus, quòd Francici imperij suprema velut arx peteretur. Sed neque hîc favit fortuna. Carolus urbi periclitanti Henricum Neustriæ Marchionem, virum multarum palmarum, & magnæ apud hostes existimationis, cum validâ pugnatorum manu subsidio mittit, eventu improspero. Henrico, sive fraude, quod Regino notavit, sive apertâ vi sublato, exercitus, amisso duce, re infectâ discessit. Cùm ab hoste, supremo conatu urgerentur obsessi, multique viri fortes, inter quos Goslinus Parisiorum Episcopus, caderent (jam enim Hugo Abbas, cujus virtute adhuc propugnatio steterat, Aurelias ad curandam valetudinem delatus, è vivis excesserat) ipse Cæsar cum auxilio copiosiore, rebus ad desperationem inclinatis, advolat. Sed neque illi sors fuit æquior, Nortmannis imperterritis, & urbis expugnationem pertinaci labore obstinantibus. Castra illi sic communierant, ut, nisi aleâ iniquissimâ, non viderentur posse expugnari, &, si æquo Marte signa conferrentur, res non esset futura extra grande discrimen. Ergo Carolus sibi patitur persuaderi, ut ad pacis consilia descendat. Pactorum leges, primâ fronte, non admodum iniquæ, Parisios quidem servârunt, sed Carolo denique fuerunt exitiales. Nortmanni se ab obsidione discessuros, & pacatè deinceps acturos pollicebantur, si ipsis, Caroli beneficio, Neustriæ possessio quieta, coloniæ specie, permitteretur. Quod enim possent poscere tot victoriarum tenuius præmium, quàm non amplam pro colonorum innoxiâ multitudine provinciam, quam jam ipsi tenerent, nec essent passuri sibi unquam per vim extorqueri? Enimvero nullam esse rei jam dudum amissæ jacturam. Carolus, ut cæteris Galliæ Provincijs otium redimeret, genti importunissimæ Neustriam, de quâ Franci desperârant, permisit incolendam, quam illi, gentis suæ nomine, Nortmanniam appellârunt. Pactum, populo, qui privatis commodis ducitur, non inamabile, Franciæ Proceribus improbatum: non quòd dicerent regno esse inutile, sed quia Carolus inierat regni Ordinibus inconsultis, quorum crederetur authoritas ejusmodi conventione imminuta, concussáque legum regni fundamenta, quæ vetant quicquam regiarum provinciarum membratim scindere, & citra Ordinum conscientiam assensúmque, alieno juri mancipare. Nihil

Pax cum Nortmannis in Neustriam receptis.

Unde Nortmanniæ appellatio.

XXVII.

Carolus Crassus conflagrat Gallorum odio.

Nihil magnum quidem coronæ decesserat, sed aucta est jactura, quando Nortmanni in fidem recepti, Neustriam, non ut coloni, sed jure fiduciario acceperunt. Sed & hoc supra modum odiosum, quòd provincia regium imperium detrectans, ultra Sequanam, Nortmannorum prædationi fuit concessa. Quibus ex rebus, immensum quantum exarsit Francorum odium. Gliscebant simul mutua inter Caroli familiares odia, pestis nocentissima consiliorum. Berengarius Dux Forojuliensis à Luitwardo Vercellensi Episcopo, sine quo nihil ferè magni à Carolo decernebatur, implacabili odio dissidebat, stimulante invidiâ & ambitione, cui perinde est, malo, an bono publico suæ cupiditati obsequatur. Hinc Vercellæ direptæ cum ingenti damno Antistitis, dissimulante Carolo, tandémque tolerante, ut Luitwardus, cujus sapientiâ Cæsaris magnitudo sustentabatur, ab ejus latere divelleretur, qui fuit alter gradus ad majestatis contemptum, & interitum Imperatoris. *Regino.* BERENGARII FOROIULIENSIS ET LUITWARDI EPISCOPI VERCELLENSIS SIMULTAS.

Cæterùm, Autumnus hoc anno fœdus fuit aquarum inusitatâ eluvie, quæ passim colonorum tecta evertit, vias montanas aggestu lapidum obstruxit, plurima mortalium corpora subitâ inundatione, in vastos fluviorum gurgites abripuit.

Eam tempestatem tenuis modò fortunæ homines senserunt: longè fœdior Imperatorem evertit, exemplo, Regibus inprimis obstupescendo. Ejus fortuna paulò antè labascens, hoc demum anno, velut solutâ omnis subsidij compage, & malis undique, facto agmine, irruentibus, devoluta est in præceps. Nulla est miseria sine comite. Ad incredibilem populorum aversionem accessit, non corporis modò, sed etiam animi ægritudo, ob suspectam Augustæ fidem. Eum morbus in Alsatiâ lecto affixit, cúmque tristes curæ mentem aberrantem, accenso cerebro, suâ sede movissent, medicorum judicio, ad temperandam biliosorum spirituum acrimoniam caput malè affectum, chirurgicâ terebellâ fuit aperiendum. Eo remedio nonnihil convalescens, secessit in Sueviam, & in Welingensi conventu, Berengarij in Luitwardum criminationes, datis cognitoribus, jussit examinari. Accusator deditiius lege talionis, eum Cæsarei thori, impudicè violati, reum egit. In quæsitorum consessu, primas ferebant Suevi Proceres, Luitwardo ob nimiam potentiam infensi. Carolus zelotypiâ demens judex, & suffragiorum arbiter. Actionis firmamentum familiarior Episcopi cum Richarde Augustâ consuetudo: & hinc ficta adulterij conjectura. Argumenta ex ipsis Luitwardi virtutibus deprompta, cùm nihil esset vitij, quod ex vero posset objici. Erant viro sapienti sedati mores, magna in omnes comitas, studium æquitatis, nullo summorum infimorúmque discrimine, quibus sibi bonorum animos mirè demerebatur. Iisdem virtuti bus utebatur apud Augustam: quam rem æmuli apud Carolum odiosissimè interpretati, calumnijs implere aures, animum dementare suspicionibus, hortari, haberet aliquam saltem majestatis rationem, dispiceret, ipsene, an Luitwardus imperaret, qui unus augustalia munera occuparet, & verò etiam crederetur ejus thorum invasisse. Id si compertum vellet, inquireret de famâ, indicijs & licentiâ intimæ creberrimæque familiaritatis. Ea fuêre satis homini ad insaniam melancholico, &, quod huic proximum, suspicioso, sibi ut pateretur imponi. Quia tamen calumnia non liquebat, nihil statuit gravius in Luitwardum, quam ut ab aulâ publicísque muneribus proscriptus, redigeretur in ordinem, quod perinde erat, atque si Carolus sibi mentem omnem, præcipuáque regnandi instrumenta præscinderet. Hoc ipsum accusatori erat in votis, læto se eum è conspectu submovisse, qui suis luminibus hactenus obstruxisset. AN. CHRIST. DCCC. LXXXVII. CAROLI CRASSI DELIRIUM EX ZELOTYPIA. XXIIX. LUITWARDUS EX AULA PROSCRIBITUR.

Sed vide fraudem longè profundiorem. Calumniatores, quasi solaturi Cæsaris orbitatem, quippe cui nullus ex justis nuptijs hæres obtigerat, re ipsâ ut eum ad Richardis repudium inclinarent, quâ salvâ se nunquam fore tutos videbant, nutanti, & à cordatis viris deserto, obtrudunt Ludovicum Bosone natum, & maternâ stirpe nobilissimos natales ad Ludovici II. Imperatoris sanguinem referentem, persuadéntque, ut eum in filium adoptionis arrogatione cooptet. Exinde tem- CAROLUS LUDOVICUM BOSONIS F. ADOPTAT. XXIX.

RICHARDIS AUGUSTÆ REPUDIUM. *Regino.*

tempeſtas omnis verſa in Auguſtam, concitatore, ſimul & arbitratore Carolo. Profeſſus eſt publicè, ſe toto, quo convixerant, decennio (annos duodecim ſcribit Hermannus) nullum maritalis officij uſum cum eâ habuiſſe. Ergò palàm & pertinaciter eam averſari, repellere, urgere divortium: illa conteſtari innocentiam, divina humanáque jura appellare, ad ferrum candens provocare, offerre pugilem integræ fidei defenſorem. Cùm fruſtra eſſent omnia in præpotentem mariti contumaciam, denique inimicorum violentiæ fuit ſuccumbendum. Antequam aſſentiretur divortio, pudicitiæ vindicias, diſerta in tantæ injuriæ dolore patrona, pro ſe egit, in hanc ſententiam. *Mihi nunquam antehac in mentem venerat, tantam in me fore irati cœli acerbitatem, quæ in te, Carole Imperator, vel ultimâ fatorum neceſſitate me poſſet commovere. Te enim ſemper unicè dilexi, & ſummè, quoad mortalem decuit, colui, cujus tu ipſe, ſi te ſolum conſulas, teſtis es. Certè niſi te dilexiſſem, & tuâ quidem causâ, diuturnum connubium, ſine ſpe voti, quod nuptijs primum eſt, jam dudum accuſâſſem, vel non toleràſſem abſque faſtidio. Tu jurejurando aſſeruiſti, me hactenus eſſe à te intactam, & hoc quidem aſſeruiſti ſanctè atque ex vero. Tuóne vitio hoc contigerit, judex eſto; nemo enim id meliùs novit, quàm tu ipſe. In te ſunt perfidi, in me verò crudeles, qui tuæ credulitati, meæ autem innocentiæ impoſuerunt ſcelus tibi ignominioſum, mihi per omnem vitam execratum. DEUM ſuperóſque omnes conteſtor, eóſque poſco vindices, ſi ſciens fallo, ſcio autem me non fallere, me pudicitiâ prorſus illæsâ ad hoc temporis momentum provixiſſe. Eam ſedulò ſervavi, tibi marito ne eſſem perfida; DEO, ne caſtiſſimis ejus oculis diſplicerem. Tu te mihi ſubtrahis, & quidem illubenti; nihil ideo de meâ in te charitate decedet. Patieris tamen (ſpero) me in alterius manum convenire, ſed ſine tuâ injuriâ. Conveniam autem, idque glorioſè, & majore gaudio, quàm in tuam conveni. Sponſum mihi conſtantiſſimo, eóque perpetuo voto delegi Regem omnium imperatorum, meæ virginitatis optimè conſcium. Is me ſponſam (ita me ſperare jubet ſumma ipſius benignitas) non dedignabitur. Tales nuptias poſteritas omnis probabit, túque ipſe (ita confido) non averſaberis. Certè eas mihi duco omni diademate honorificentiores.* Ad eum modum Heroina maximis æquanda Reginis, ſanctimoniale peplum in Cœnobio Andalavienſi, quod ipſa in ſuo fundo, ſuóque ære conſtruxerat, aſſumpſit, geſtavítque quàm coronam auguſtalem longè jucundiùs, & quod mirere, vitam in ſpontaneâ paupertate egit longè, quàm maritus, opulentiorem, uti paulò pòſt videbitur. Nata erat regio Scotorum ſanguine.

XXX.

COLLAPSA CAROLI FORTUNA.

Ex eo tempore Carolo mentis corporíſque vires lapſæ in deterius. Miniſtris oſcitanter publica gerentibus, cùm nemo eſſet, qui tot regnorum procurationem ex æquo dirigeret, tanto cœpit, apud non modò Gallos Italóſque, ſed Germanos quoque odio laborare, ut de eo abdicando, ſecretò primùm inter paucos, deinde palàm in conventibus conſilia cœperint agitari. Initio quidem ſumma ipſius authoritas audaciores in officio continuit, & ſedatiores morbum excuſaverunt; ſed tandem omnes mirabili fato inceſſit incredile Principis faſtidium, quòd foret publicæ rei inutilis. Ille ſui periculi neſcius, Comitia ſub anni finem indixit Triburiam, niſi veriùs Annales Fuldenſes & Hermannus nominent, Francofurtum, locum miſero Craſſo fatalem. Hic Franci, Saxones, Turingi omnium primi in eum conſpirant. Bojarij dein in partes attracti: Alemanni fidem ultimi exuunt, tandémque conſpirantibus ſententijs, illo exauctorato, Arnulfum, ipſius ex Carolomanno fratre nepotem, Carantanorum & Pannoniæ regulum evocant, &, nullâ injuſtorum natalium habitâ ratione, Regem ſalutant.

Regino.

ARNULFUS REX SALUTATUR.

CAROLI PAUPERTAS.

Intra triduum tanta circa Carolum facta eſt ſolitudo, nemo ut eſſet, qui ulla ipſi humanitatis officia, nedum ſervitia præſtaret, præter Luitbertum Moguntinum, cujus ſumptibus vitam, non regiè, ſed in privati morem, tenuiter ſuſtentabat: quæ illum inopia eò tandem neceſſitatis adegit, ut Bernardum filium, quem extra connubium ſuſtulerat, ad Arnulfum mitteret, oratum, ut certæ ſaltem ſportulæ, quæ ſtipis loco foret, ex immenſis, quas poſſederat, fortunis, particulam addiceret, nec ſineret patruum, Carolo Magno potentiâ opibúſque

nuper

nuper supparem, inter mendicabulorum sordes inediâ confici. Arnulfus, ex regijs vectigalibus, Neidingæ in Sueviâ, supplici jussit annonam suppeditari, quâ propediem abituram animam retineret. Paucas enim hebdomades supervixit, Idib. Januarij anno sequenti ærumnis absumptus: nisi verum habeat Hermannus, qui scribit, fuisse famam, esse eum à suis famulis strangulatum, fato supra omnem modum miserabili. Neque defleto, neque pro mediocritate composito, sed velut inopi atque deserto, dives Augia cippum ad D. Virginis matris aram liberaliter indulsit. Cœlum longè quàm mortales æquius, neglecto honorem habuit, quando suas illi fores pandisse, & demortui cadaver lumine collustrâsse à multis visum est: quod si verum habet, haud dubiè Cœlites duxerunt exequias, & ingratorum hominum officia occupârunt. Regino Prumiensis Abbas nobilissimum funeri panegyricum, serò quidem, vigesimo scilicet & ampliùs post mortem anno, conscripsit, quo eum nuncupat religione Christianissimum, sacrarum sanctionum retinentissimum, divinis laudibus insatiabiliter addictum, comprecationibus, hymnodijs indesinenter intentum, pietate Dei, legúmque divinarum toto pectore observantem, cœlestis providentiæ & Numinis voluntati ex asse devinctum, profusâ in miseros charitate, cœlitus lectum, ut universa majorum imperia in quiescentis sinum, nullo obsistente, sine sanguine, sine ullâ contentione confluerent. Addit, acrem quidem fuisse, sed brevem tamen maximarum virtutum, in vitæ ejus exitu probationem, sive ad meritorum augmentum, sive ad noxarum expiationem. Certè posteris clarissimum transmisit exemplum, ex quo fortunæ ludibria, non pro vulgi opinione, sed altioribus principijs metiantur, discántque, Deum esse, cujus nutu dantur & auferuntur imperia, nec ullum esse tam sublime felicitatis humanæ fastigium, cui non adsit proximè infimæ miseriæ præcipitium, monitórque perpetuus, in cœlo duntaxat veram gloriam, veras opes, sapienti esse reponendas.

Otho Frising. An. Christ. DCCC. LXXXIIX. *Herman. Regin.* Caroli Crassi laudes. XXXI.

Carolo solijs, & mortalium rebus exempto, regna, quæ in uno capite coaluerant, cœpêre dissociari, & scisso sparsim imperij vigore, distrahi in plures dominatus. Iidem, qui Carolum gubernaculo dimoverant, scindendi principatûs authores fuerunt. Berengarij Forojuliensis fraudes, expugnato Luitwardo, altius quid spectabant, quàm imbellis Episcopi eversionem. Eo dejecto, viam sibi sperabat fore facilem ad Italiæ diadema. Arnulfus, arrepto Principatu, mox in Bojariam se recepit, & Ratisbonæ hiemem inerti desidiâ, publici incuriosus, consumpsit, prorsus ut otium negotijs videretur inposterum præhabiturus, malis initijs ad colligendam famam, quæ industriâ, vigilijs, rerum agendarum solertiâ, animi promptitudine, comparatur. Segnitiei speciem ambitioni peropportunam multi principes rerum novandarum causam fecêre. In Italia citeriore opibus atque clientelis præstabant, Berengarius, Forojuliensi & Veronensi ditione, regum Franciæ beneficio, potitus, & Vido Dux Spoletanus. His proximi duo Marchiones, Lucensis & Eporædiensis, qui omnes nupero Hadriani Pontificis decreto excitati, fœdus inierant, ut Crasso sine filio moriente, regnum Italiæ, communi consensu, Italo principi deferrent: sed quæ erat cupido dominandi, pro se quisque nitebantur. Berengarius cæteris felicior ac astutior, Carolo defuncto, clientum & amicorum ope, nemine obsistente, regnum invadit, & Papiam, pacato agmine, ingressus, ab Anselmo Mediolanensi Archiepiscopo inauguratur. Vido spe regni Italici exclusus, hortante Stephano Pontifice, invitante Fulcone Remensi Antistite, Odonis odio, profectus ad capessendum Franciæ imperium, irritus delusúsque in Italiam rediit, Odone à Francis anno superiori summæ rei, ex Ludovici Balbi tabulis præfecto, donec Carolus posthumus per ætatem regno aptaretur. Ex Vidonis repulsâ natæ inter Italos internecinæ contentiones, gente in odia tótque factiones diductâ, prorsus ut nemo sine hoste esset. Gallia quoque in partes lacerata. Vocabatur Arnulfus Rex à Gallis, ut Carolo Crasso in curas succederet, sed onus recusabat. Rudolfus, nepos Hugonis Abbatis, cujus antè meminimus, occupatâ ditione, quæ Juræ monti & Penninis alpibus interjacet, ad D. Mauritij,

Arnulfus otiatur. Foedus principum Italorum pro recuperando imperio. Berengarius regnum Italiæ occupat. Vido Franciæ regno inhiat. XXXII. *Epist. Fulcon. Remen.* Rudolfus regios titulos usurpat.

Ludovicus, Vido, Odo, singuli provincias sibi decerpunt. *Herman. Æmil. Annal. Franc.* nonnullorum Antistitum & Optimatum voluntate, coronam titulósque regios invasit. Ludovicus Bosone ex Irmentrude Ludovici II. Imperatoris filiâ procreatus, in magnas spes erectus, & Vido Lamberti filius, Galliæ Belgicæ & Saluviæ manus injecerunt. Odoni Comiti Parisiensi ex Witechindi Saxonis progenie, præter regni tutelam, concessum in Aquitanos, & Ligeris, in Galliâ Lugdunensi, accolas, à Franciæ proceribus imperium.

Comitium Francofurtense. *Annal. Fuld. Herman.* Arnulfi cum Odone concordia. Tantâ regnorum convulsione, Arnulfus, velut è veterno experrectus, ad conventum, Francofurti indictum, profectus, rebus pro temporis ratione constitutis, Wormatiam abiit. Isthic agentem (ita volunt Germani Scriptores) Odo Galliæ rector, fide publicâ, convenit, &, quâ valebat eloquentiâ, grandibúsque promissis, obtinuit; ut cum bonâ ipsius veniâ, quos occupabat titulos provinciásque, retineret. Inde Arnulfus castra movit in Alsatiam, adversus Rudolfum, quem invadendæ Lotharingiæ spes stimulabat, missis oratoribus, qui Antistitum nobilitatísque studia, pollicitationibus, speciosâque rerum magnarum ostentatione eblandirentur. Verùm non ausus cum Arnulfo signa conferre, per angusta montium dilapsus, faucibus præsidio occupatis, in jugis avijs se est tutatus, donec regresso in Bojariam Arnulfo, & Suevorum copijs paulò pòst secutis, exoratâ commeandi facultate, se ultrò ejus clementiæ stitit, impetravitque, ut quâ venerat conditione, eâdem in occupatas provincias reverteretur. Arnulfus Rudolfum persequitur. Et admittit in provincias occupatas. Quâ provinciarum regnorúmque profusione, Arnulfus, immensum quantum minuebat imperij vires, spargebátque, quæ collecta, ab uno capite fortiùs poterant sustentari. Nihilo meliùs consultum rebus Italiæ. Berengarius, qui paulò antè cum Vidone adverso Marte conflixerat, legatos obviam misit Arnulfo venienti, poscentes fide publicâ colloquium, quod cùm impetrassent, Tridenti obtinuit precarium Italiæ imperium, paucis exceptis, quæ facerent tenue saltem indicium formæ pristini dominatûs. Berengarius Italiæ regnum precario ab Arnulfo impetrat. Exinde Arnulfus, dimisso à signis exercitu, abijt in Carantanos. Lues in redeuntium jumenta sævum in modum grassata, propè delevit equitatum.

XXX. III.

Synodus Moguntina. *Tom. 3. Concil. part. 2.* Eodem anno celebrata est Synodus Moguntina, cui, tum nupera Arnulfi electio, tum ingentia Germaniæ mala causam præbuerunt. Ex decretis sex & viginti tres primi, ad Arnulfum pertinuerunt, ex quibus colligeret, quibus virtutibus eum oporteret labantem Rempublicam sustentare. Misera facies Ecclesiarum. Quæ verò tum esset Ecclesiarum facies, patres in Synodi proœmio describunt: Sacra nimirum Dei servorum ædificia æquata solo; altaria eversa; Basilicarum ornatus direptos, igne exustos: Episcopos, sacerdotes ferro concisos, aliísque tormentorum generibus extinctos: Monasticæ vitæ cultores, viros, paritérque fœminas, suis pulsos sedibus, omníque destitutos ope, hac illac errantes sine pastore: cæteros piorum cœtus, nullâ sexûs ætatísve differentiâ, miserè dispersos, laceratos Normannorum metu & immanitate. Sed quod erat lamentabilius, è Christianis prodijsse raptores & latrones, qui perinde crudeliter atque pagani involabant in opes sacras, juxtà ac profanas, ínque libera amicorum corpora ferro, flammis, omníque diritate sæviebant. Quæ calamitas, non modò Episcopos, sed etiam cœnobiorum Antistites sic exacerbaverat, ut, ordinis sui legúmque sacrarum immemores, prodirent ad bellum, hostem cæderent, & ipsi cæderentur: quódque erat turpius, ab istius ævi Scriptoribus bellicæ fortitudinis laude celebrarentur: unde mirum non est, Barbaros in sacrum ordinem, quem sævum experiebantur, pariter sævijsse.

An. Christ. DCCC. LXXXIX.

Hunni erumpunt in Pannoniam. *Luitprand. lib. 1. c. 3. Regino.* Tot malis accessit nova ab Hunnis calamitas. Aliqui eos volunt erupisse è Sarmatiâ Asiaticâ, & posteaquam Leonem Orientis Imperatorem obiter adversus Bulgaros juverant, transisse in Pannonias, eásque magnam partem occupâsse: tum pererratâ Avarum solitudine, Carantanorum, Moravorum & Bulgarorum fines crebris incursionibus infestâsse. Eorum origo. *Ammian. lib. 31.* Alij volunt, eos emersisse è Mœoticis paludibus, & ab ijs traxisse originem, quos Sextus Aurelius Victor in Epitome vocat Hunnos *omni pernicie atrociores*: Ammianus, *glacialem Oceanum accolentes, parúmque notos vetustioribus scriptoribus*, ait omnem feritatis modum excessisse, ijsdem propè moribus & institutis, quibus Tartari hodie utuntur. Alij credunt, eos

fuisse ex eâ gente Hunnorum, qui Pipino rerum in Franciâ potiente, venêre è Scythiâ, & pulsis è Pannoniâ Slavis ac Polonis, anno DCCXLIV. sedes bello occupatas, Hungariam dixisse: eos deinde à Carolo Magno domitos, jussos sacra Christiana suscipere, non longè pòst rebellavisse, & à Ludovico Pio rursus subactos, hoc anno demum, excusso jugo, Germaniam & Franciam immaniter vastâsse. Regino eos vocat, gentem ferocissimam, omni belluâ crudeliorem, & omnibus retrò sæculis inauditam; quod Brunnerum induxit, ut crederet, hoc primùm anno Hungarorum nomen fuisse auditum. Jornandes Reginone antiquior; nam sub Justiniano Imperatore anno Christi DXXX. sesquitertio, & suprà seculo, ante Reginonem scripsit, eorum nomen, unicâ litterâ (nisi in typo mendum est) variatum, non ignoravit: *Hunugari autem* (inquit) *inde sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium.* Tum diversas eorum sedes descripsit, & primas quidem in Scythiâ juxta paludem Mæotidem; secundas in Mœsiâ Thraciâque & Daciâ; tertias supra mare Ponticum. Quæ de ijs scripsit Witichindus, pleraque fabulis, quàm historiæ sunt propiora, quæ proinde ad ipsum, aliósque, qui descripserunt, remittimus.

XXX IV.
Gordon. in hunc an.
Bonfin.
Naucler.
Genebrard.
Brun. lib. 7. pag. 781.
Jornand. lib. de reb. Geticis.

An Ungarorum nobilissima natio, virtute militari, prudentiâ & optimis artibus, hodie, multisque retrò sæculis cultissima, à ferocissimis istis, quas commemoravi, gentibus propagata sit, mihi non est integrum judicare. Eos malim referri ad Pannones, qui hoc anno ab Ungaris magna tulêre incommoda, & sensim mutato nomine (quod alijs quoque nationibus contigit) nomen & sermonem à victoribus acceperunt. Si mercatoribus fides est, quidam apud Sigonium retulerunt, ad Tanaim esse Scythas, quibus sit lingua cum Ungaris communis. Cæterùm Carantanorum, Moravorum, & Bulgarorum multa millia ab Ungaris fuisse intercepta, Regino, in hunc annum, author est: quem annum Hermannus fame, pestilitate, bellis civilibus, aquarum eluvionibus, ait funestum extitisse. In Turingiâ, nivibus solutis, tumefactus torrens momento tres pagos evertit cum trecentis hominibus, & numerosis gregibus armentorum.

UNDE SINT UNGARI.

Inter eas reipublicæ calamitates, Arnulfum Regem, duorum filiorum Zuentibaldi & Ratoldi, quos præter legem tulerat, cura solicitabat; ne pro conditione injustorum natalium, quæ ipsum à fastigio non prohibuerat, indignè haberentur. Quamobrem egit cum Boijs, ut jurati fidem addicerent, fore ut, si quid humanitus ipsi contingeret, uterque filius regio honore colerentur. Id quò foret stabilius, Forchemij Comitia indixit, in quibus Francones ægrè sunt assensi, eámque legem addiderunt, non aliter se spurijs fidem servaturos, quàm si ex Utâ justâ conjuge nullus Arnulfo hæres nasceretur. Ijsdem Comitijs fœdus cum aliqua Nortmannorum parte factum. Susceptum inde bellum adversus Obotritos, qui Megalopolensium fines tenuisse feruntur. Famosæ expeditionis exiguum pretium. Etenim Arnulfus, nullâ re memorabili, numerosissimum exercitum domum reduxit.

ARNULFI NOTHI QUIBUS LEGIBUS AD REGNI SUCCESSIONEM ADMISSI.
FOEDUS CUM NORTMANNORUM PARTE.
BELLUM IN OBOTRITOS.

Exactis Ratisbonæ hibernis, sub tempus verni jejunij profectus in Pannoniam, egit comitia Omuntespergi, ubi, suo an aliorum errore, circumventus, Zuentibaldo, perpetuo hosti Boici nominis, vires auxit, quibus hostilia aliquot annis intermissa exercuit. Homo ex fraude consutus, & proferendis finibus perpetuò inhians, post pacem ante quinquennium, Carolo Crasso Imperatore, nobilissimis Bojorum conciliatoribus compositam, in Arnulfi, nondum Regis, familiaritatem irrepserat, tantâ versutiâ & amicitiæ simulatione, ut Arnulfus pro suo candore, eum sponsorem lustricum Zuentibaldo filio, cùm sacro fonte tingeretur, adhibuerit. Ille tantâ, post hæc, dexteritate & officiorum ostentatione tegebat odia, prorsus ut crederetur iras pristinas sincerâ amicitiâ commutâsse: re ipsâ insidiabatur occasioni nocendi, quam ei dedit in manus Arnulfi improvida facilitas, neutiquam cogitantis, fidem hostis inveterati & ambitiosi debere semper esse suspectam. In Comitijs Omuntespergensibus, cùm de Pannoniâ ordinandâ firmandáque ageretur, bonum factu visum est, quò illa foret adversus finitimos

AN. CHRIST. DCCCXC.
XXX V.
Regin.
Annal. Fuld.
Herman.
ARNULFUS ZUENTIBALDUM AUGET BOHEMIÆ PRINCIPATU.

 tutior,

tutior, si Moravus insigni aliquâ liberalitate delineretur. Deliberantibus occurrit Bohœmiæ principatus. Bohœmi, Regum assensu, Principem rectorésque è suâ gente antea habuerant, utcunque fideles, & eo beneficio quieti; quamquam subinde tumultus aliqui intercesserant: decretum tamen fuit, experiri vel semel, quâ essent mente futuri sub externo dominatu. Ea res Bohœmos, exterorum imperijs infensos, magnopere alienavit. Igitur admovetur Zuentibaldus, in sinum ridens, sibi crevisse facultates ab Arnulfo deficiendi, quibus quidem gnaviter usus est. Nondum enim annus abierat, quum eâ virium accessione præfidens, redijt ad genium, & crimen perduellionis. Jam non obscurè, lecto exercitu, prodebat defectionem; cùm Arnulfus copijs, subitario delectu contractis, movit in Moraviam. Nondum tunc Zuentibaldus eo numero se armaverat, ut sui copiam facere auderet. Quare Arnulfus longè latéque effusus in agros, tantam universæ provinciæ vastitatem invexit, ut Zuentibaldo pax, dato filio obside, fuerit exoranda. Hoc ferè est, quod iste annus habuit inter res Arnulfi memorabile: cæteræ minoris momenti; nisi & illud inter parùm consulta referatur; quòd à Stephano Romano Pontifice enixè rogatus, ut urbi sub Vidonis jugo, & Berengarij factione gementi, succurreret; domesticas turbas excusans, distulit expeditionem, tametsi non nesciret, se magnam à Pontifice gratiam initurum, quæ ipsi viam ad augustales honores aperiret.

Zuentibaldi rebellio.

Moraviæ devastatio.

Stephanus Pont. Arnulfi opem postulat.

XXXVI.

Arnulfus Ludovici Bosonis F. tutelam suscipit.

Solutum Pannoniæ conventum secutus Forchemiensis, in quo Arnulfus Bosonis Regis Arelatensis, in Provinciâ anno superiore defuncti, viduam, quæ cum muneribus ad conciliandam Ludovico filio benevolentiam venerat, benignè audijt, filiúmque in tutelam recepit, eò libentiùs, quòd Stephanus Pontifex & Richardus Burgundiæ regulus, Ludovici causam commendâssent. Quod anni superfuit, datum pietati, tum in Augiâ divite, tum Constantiæ, ubi precationis causâ Arnulfus quievit. Inde reversus est Reginoburgum, principem Boicæ regum sedem, quod anno postero totum conflagravit mense Augusto, ipsis D. Laurentij ferijs, tam funesto incendio, ut præter DD. Emmerammi & Cassiani martyrum ædes, flamma omnia sacra profanáque sit depasta.

Ratisbonæ conflagratio.

An. Christ. DCCCXCI.

Bellum in Nortmannos.

Inter hæc Nortmanni bis cæsi à Britonibus, reparato exercitu, moverunt in Austrasiam. Arnulfus, cujus res potissimùm agebatur, cùm Moravi infidum suspectaret ingenium, neque consultò à Boicâ posset abesse, Sunderoldo Moguntinorum Antistiti suas vices demandat, jubétque cum justo exercitu in hostem proficisci. Habuêre quoque in mandatis limitis Lotharingici Comites, occupatis Mosæ trajectibus, Nortmannos arcere à citeriore ripâ. Verùm tantâ celeritate res confici non potuit, quin Nortmanni festinatis itineribus, per Eburonum fines, transmisso Mosâ, in Aquisgranensium agros evaderent, antequam Sunderoldus ad Trajectum, qui locus erat dictus nostrorum copijs sociandis, suos posset lustrare. Nortmanni interea insessis Aquensium paludibus, dispositisque per vicinos saltus præsidijs, nostros pabulatores cœperunt carpere, incessere palantem militem, & castra prohibere commeatu. Dies D. Joanni Baptistæ sacer agebatur, cùm ad Sunderoldi signa omnes legiones nondum coiverant, & frequentes veniebant nuntij hostem à tergo imminere: unde solicitudo, quòd de ratione belli nihil adhuc esset constitutum. Die ad vesperum inclinante, in senatu militari disceptatum, itérne hosti esset obstruendum, an signis explicatis eundum obviam. Cùm abeuntibus in diversa opinationibus nihil certi decerneretur, eò maximè, quòd hostis consilia nondum satis essent explorata, & nonnulli disputarent, hostem ingressurum Ripuariorum fines, pérque Ubios & Prumiam moturum in agrum Trevirorum: alij ominarentur, eum, compertâ nostrorum multitudine, retrò, unde venerat, trans Mosam abiturum, manè postero pugna decreta est, sublatisque signis itum rectà in hostem, ducto secundum Mosam agmine. Ventum erat trans amnem Guliam (Gulid dicitur Reginoni) cùm visum est, tantisper pedem figere, dum exploratores, è singulis legionibus duodeni, ad vestigandum hostem mitterentur. Hæc agentibus, subitò apparuerunt Nortmannorum antecursores.

XXXVII.

Iustus Lipsius Lovan. lib. 1. suspicatur esse in Falckenburgensi tractu, paulò infra Trajectum.

Eos

Eos noſtri conſpicati, moræ impatientes, ardore pugnæ ilicò vocem tollere, & ne expectato quidem ductorum imperio, nullâ re ſatis provisâ, incompoſito agmine procurrere, paucos premere, donec ventum ad quandam villam, pone quam Nortmannorum peditatus aciem inſtruxerat. Hic coortâ pugnâ, noſtri neglectis ordinibus reſtitantes, pedem referre nullo negotio coacti ſunt. Alijs tamen ſupervenientibus integrata pugna, & concurſum Marte vario. Verùm ubi hoſtilis equitatus noſtris incubuit, prægravante impetu, turbatæ legiones paulatim fluctuare, & verti denique cœpêre in effuſam fugam. Cecidêre multi in veſtigio, plures hac illac diſpalati. Cæſorum incertus numerus. Summi Duces, Sunderoldus Archiepiſcopus, quem nonnulli Comitum Lengenfeldenſium familiæ adſcribunt, & Arnulfus Comes cum magnâ nobilitatis parte interempti: captivi ad unum omnes, immani truculentiæ exemplo, obtruncati. Pugnatum 6. Cal. Julij. Nortmanni victores, opimis onuſti ſpolijs, ad caſtra redierunt.

Nortmanni victores.

Verùm illis non fuit diuturna ejuſce victoriæ lætitia. Arnulfus acceptæ cladis nuntio, & tot virorum fortiſſimorum jacturâ mœſtus, confeſtim ex regnis Orientalibus acres delectus habuit: tum Rheno mox transmiſſo, caſtra locavit ad Tiliam, eâ parte Brabantiæ, quâ ſe fluvius Lovanium verſus provolvit. Suevis magnam partem à ſignis dilapſis, Francorum virtuti potiſſima gloria parabatur. Ad eum, quem dixi, fluvium, Nortmannus aggere ſepimentóque validè communitus conſederat, haud longè ab Arnulfi caſtris. Operoſum erat per ſolum uliginoſum hoſtes intra vallum aggredi; operoſius, prolicere ad pugnam. Ipſi verò dicterijs vernilibus, ut fit inter gregarios, pro aggere noſtros inceſſebant, identidem objectantes nuperam Gulicæ cladis ignominiam. Quæ ludibria cùm virorum fortium animos vehementer pungerent, Arnulfus inſpecto caſtrorum ſitu, in quorum oppugnatione equitatus uſui eſſe non poterat, obſtante paluſtri ſolo, Francis perſuaſit, ut demiſſi in pedes, inter legionarios rem fortiter aggrederentur, & improbam hoſtis dicacitatem vindicarent. Tum proviſo, ne hoſtis à tergo, vel ex inſidijs quicquam impunè moliretur, ſignum dat concurrendi, ductor ipſe & hortator. Primus impetus in ſepimenta, tanto ardore, ut ijs poſt certamen acre ſuperatis, fulminis inſtar in vallum invecti, hoſte nequicquam obſiſtente, caſtra irrumperent. Horrendi utrinque clamores tollebantur: hærebat viro vir, ſigna fulgetrarum more promicabant, donec ſuperatus hoſtis, ne obtutum quidem tulit incurſantium. Hinc non tam cædes, quàm ſtrages, prorſus ut ex innumerâ multitudine vix ullus fuerit reliquus, qui cladis nuntium ad claſſem referret. Tilia amnis, qui Nortmannorum caſtra ex adverſo latere firmaverat, fugientibus exitio: nam fractus confuſusque miles, cùm ſalutis alia via non ſupereſſet, confertus ruebat in profluentem, tanto numero, ut alij alijs ſuperfuſi in acervos, mutuâ ſe mole obruerent, mergerentque hærentibus in complexu morientium corporibus. Habent Annales Francorum, centena demerſorum cadavera in unum aggeſta, ſuperioris fluminis alveum intercepiſſe, vadúmque infrà ſiccâſſe. Dani, præcipuum robur hoſtilis exercitûs, invicti hactenus, interemptorum numerum auxerunt. Eo prælio occubuêre duo Reges, Sigefridus & Godefridus, alteri Godefrido nuper extincto ſuppar, niſi nos fallunt Francorum Annales & Hermannus. Relata victoriæ inſignia, vexilla ſedecim, quæ Arnulfus juſſit deferri in Bojariam, & palàm exponi ad rei geſtæ monimentum. Quod dictu penè eſt incredibile, ne unus quidem è noſtris deſideratus eſt. Arnulfus beneficium Deo gratulatus, decretâ in caſtris ſupplicatione, triumphanti ſimilis in Boicam reverſus eſt. Iſtius pugnæ memoriam, hodiéque anniverſariâ celebritate, calendis Septembribus, Lovanij renovari, eruditorum habent ſcriptiones. Hic annus Embrichoni Reginoburgenſium Epiſcopo ultimus fuit, cùm grandi ætate ad præmia magnarum virtutum, patientiæ præſertim, modeſtiæ verè Chriſtianæ, ſobrietatis & ſpectatæ in ſuum gregem fidei, fuit evocatus.

Nortmanni victi ad Lovanium. XXXIIX.

Embricho Ratisbon. Episc. moritur. XXXIX.

Sigonius in hunc annum contulit ſuppetias, ab Arnulfo miſſas in Italiam, ductore filio Zuentibaldo: quod factum quidem memorat Luitprandus, ſed abſque deſi-

Sigon. lib. 6. Hiſt. Ital. Luitprand. lib. 1. c. 7.

ARNULFUS BERENGARIO PER FILIUM MITTIT AUXILIA IN CASSUM.

designatione temporis, alij minùs commodè ad annum DCCCXCIII. referunt. Berengarius semel iterum à Vidone profligatus, ad Arnulfum confugerat, quæsiturus afflictæ fortunæ levamen. Pollicebatur, se Italiam ab Arnulfo, clientelæ nomine, accepturum, si ejus auxilio contingeret Vidonem exturbari. Zuentibaldus, transcensis alpibus, ad Papiam pervenit justo seriùs. Nam Vido territus advenientis famâ, fidam civitatem, valido insessam præsidio, fixisque propè castris sic munierat, ut nihil esset, cur sibi quicquam timeret à milite peregrino. Castra quidem castris fuêre objecta, sed quæ Vervarolo fluvio dirimebantur. Sessitatum illic per dies viginti & unum, nullo operæ pretio. Fertur, obsidio languida, levi momento fuisse soluta. Bojus eques singulari certamine ab Hubaldo Italo superatus, Italis alacritatem, Germanis torporem injecit, de rei summâ malè ominantibus. Accessit telum haud paulò validius. Vido Zuentibaldum auro, quo nulla est hasta potentior, corrupit, impulitque, ut inglorius patriam repeteret. Quæ res Berengarium in Germaniam reduxit (uti in loco videbimus) & Vidoni spatium fecit stabiliendi dominatûs.

SINGULARE BOII CUM ITALO CERTAMEN.

ZUENTIBALDUS ARNULFI F. AURO CORRUPTUS.

AN. CHRIST. DCCC. XCII.

Accessêre simul novi è Moravia motus, qui Arnulfo propiores, eum ab Italicis abstraxerunt. Vixdum in Boicam, devictis ad Lovanium Nortmannis, redierat, cùm per certos nuntios accepit, Zuentibaldum haud obscurè moliri denuo rebellionem. Cùm tamen nondum se apertè hominis perfidia proderet, ne quid in eum temere moveretur, Arnulfo visum, adire propiùs, unde faciliùs capi posset fidei experimentum, & si res posceret, rebellis opprimi. Arnulfus igitur extremos Boicæ fines, quà spectat Orientem, ingressus, Zuentibaldum de suo adventu monitum, non modò pro more obvium nusquam habuit, sed expertus est, palàm ejus imperia, & conspectum aversantem. Id manifestam perduellionem interpretans, illum Reipublicæ hostem declaravit, & indicto bello, de ejus gerendi ratione, cum Brazlavone secundæ Pannoniæ Duce deliberavit. Decretum, agmine triplici in Moravos irrumpere. In primo Franci Orientales, in secundo Boij, in tertio Suevi. Vocati etiam in auxilium Ungari, sed pessimo consilio, quo genti feroci & assuetæ rapinis via monstrata est ad futuras Italiæ, Germaniæ & Galliæ calamitates. Primum rapacitatis specimen in hoc bello, quod mense Julio cœptum est, ediderunt. Totum mensem impenderunt Moraviæ, truculentum in modum, deformandæ, non rapinis modò, sed etiam incendijs & cæde promiscuâ miserorum. Eodem tempore Arnulfus legatos misit ad renovandam cum Bulgaris amicitiam, qui à Ludovico Rege honorificè excepti, inter cætera egerunt, ut salis commercium, quod ille cum Moravis exercebat, abrumperet, quod an impetrârint, nemo historicorum prodidit, quæ fuit istius ævi negligentia. Ijdem scripsêre quidem, Poponem Turingiæ Ducem omni dignitate, ab Arnulfo per id tempus fuisse eversum, sed causam presserunt silentio, nisi crimen fuerit, hortatu inauspicato eum Arnonem Wurceburgensem Episcopum ad suscipiendum contra Bohœmos bellum impulisse. Regino, bonum Episcopum, ait, in pugnâ cecidisse: Ditmarus contrà eum vult in pago Cutizio ad Caminizum amnem, cùm ab expeditione Bohœmicâ reverteretur, Sacris sub tentorio operantem, ab hostibus circumventum, occisúmque ad aram, sanctè mortem oppetijsse, cúmque suis martyrij palmam esse consecutum. Atque ejusce quidem rei testes fuisse, sæpe visa, ipso Ditmari ævo, divinitus accensa lumina in loco cædis, & consentientem Slavorum fuisse fidem, qui id decus Arnoni asserebant.

MORAVUS REBELLAT.

XL.

UNGARI INCONSULTO VOCATI IN AUXILIUM VASTANT MORAVIAM.

Annal. Fuld. Herman.

FOEDUS CUM BULGARIS RENOVATUM.

Ditmar. lib. 1. ad init.

ARNO EPISCOPUS WIRCEBURGENSIS OCCISUS.

AN. CHRIST. DCCC. XCIII.

Arnulfus interea temporis, de filio Zuentibaldo Lotharingiæ rebus imponendo, apprimè solicitus, ejusce voti explendi bellam occasionem arripuit ex turbis Franciæ, quâ pacatâ, difficiliùs rem confecisset. Eum quidem, Fuldenses Annales ajunt, votivæ precationis causâ, totam occidentalium Francorum provinciam, Episcopatus omnes & Monasteria obivisse: sed Regino paulò disertiùs asserit, eum Bojariâ egressum venisse Francofurtum, & transmisso Rheno, regni Lothariensis potiorem partem circumivisse, & magnis muneribus abs locorum Episcopis fuisse donatum. Expertus est inter cætera, Ratbodi Trevirorum Archie-

chiepiscopi propensam in se voluntatem, quâ in Synodo provinciali, quæ id temporis apud Mediomatricos agebatur, pro Arnulfi regnique totius incolumitate, tridui jejunium & publicam supplicationem indixit. Quicquid demum de obitis per eum sacrorum domicilijs sentiamus, eventus ostendit, eum in istâ peregrinatione, vota Lotharienſium Antistitum pro Zuentibaldo prensâsse, more, qui Principibus est satis familiaris, ut per hujusmodi congressus, aliud palàm præferant, aliud ex arcano moliantur. Unde sequenti anno Wormatiæ, in Comitijs, suam de Zuentibaldo mentem proceribus aperuit, quando venêre ad eum Caroli Simplicis Franciæ Regis legati, auxilia poscentes adversus Odonem, qui correptis adversus Regem armis, nullo eum loco consistere patiebatur. Suppetias addidit Arnulfus, quas jussit conscribi à Lothariensis regni Episcopis & Comitibus, exiguo operæ pretio. Odo enim comperto, eas adventare, castris ad Ararim locatis, non est passus in Franciæ fines penetrare, paratus ad supremam dimicationem, quam Arnulfi legati non ausi tentare, nullâ re memorabili domum irriti redierunt. Ita Carolus se recepit in Burgundiam, quæ in ejus fide adhuc perstabat: Odo Parisios secessit, unde mutuæ inter partiarios hostilitates. XLI. ARNULFUS ZUENTIBALDO F. REGNUM LOTHARINGIÆ CONCILIARE NITITUR. CAROLO SIMPICI AUXILIA MITTIT.

Hæc dum in eo sunt, bellum in Moravos recruduit ex causâ parùm honestâ, quæ initium accepit ab Arnulfi Regis domo. Engischalcus, insigni temeritate juvenis, puellam, quam Rex è concubinâ tulerat, volentem, an invitam, è paternâ Regiâ in Moraviam abduxit, amores insanos præferens patriæ charitati. Arnulfus pro eo, ac debuit, dedecus ægerrimè tulit. Simul irascebatur Zuentibaldo, quòd raptori perfugium concessisset: irâ tamen dissimulatâ, Engischalcum, promissâ facinoris impunitate, in Pannoniam reduxit, & quò eum magis irretiret, provinciæ præfecit, non necturus occasionem sumendi supplicij, quam, non dubitabat, ab insolenti adolescentis audaciâ brevi nascituram. Et verò nata est. Nam homo effrenis, suique impotens, abusus concessâ potestate, cœpit multa protervè agere, præter legum & moris instituta, haud pauca peccare in Bojariæ proceres, ratus, se soceri favore satis esse securum. Verùm ubi ad aulam redijt, omnia alia est expertus. Mox enim à Magnatibus injuriarum postulatus, Regi sistitur, causamque jussus dicere, cùm nihil magis deesset, quàm innocentiæ argumenta, oculorum effossione mulctatur. Occultè interea faba cudebatur in Moravum, quem jam olim Boicæ Reges, ut sudem in oculo ferentes, oppressum voluissent. Ambigua impotentiorum sors, cui è vicino potentiores insidiantur. Ad priores offensiones, accessit alia ex Wilhelmo Engischalci patruele. Habebat hic cum Zuentibaldo occultum litterarum & consiliorum commercium, quod ex nuncijs, ultrò citróq; commeantibus, denique deprehensum, illi, juxtà ac Moravo fuit exitiale. Vix aliter hujusmodi opertaneæ communicationes, quàm proditorum exitio finiuntur. Wilhelmo perduellionis lege damnato, supererat ira in Zuentibaldum, eò flagrantior, quòd Wilhelmi germanus, contactus criminis fraterni conscientiâ, metúque supplicij, in Moraviam profugerat. Suspicionem quidem Zuentibaldus conatus est eluere cæde profugi, quem unà cum permultis alijs Boicæ exulibus interfecit. Verùm quæcunque præterea fuerint occultarum factionum argumenta, bellum in Moravum decretum est. Pro manifestâ bellandi causâ fuit, quòd Zuentibaldus Regi tributum negaret, & quòd, plus æquo, Orientis Imperatori foret addictus. Belli is fuit eventus, quo Zuentibaldus victus profligatúsque, regium fastum humili secessûs solitarij silentio mutavit. RAPTUS FILIÆ ARNULFI. RAPTOR EXOCULATUR. XLII. ZUENTIBALDUS MORAVUS SE IN SOLITUDINEM RECIPIT. *Æneas Sylv. de Bohem. c. 13. Dubrav. hist. Bohem. lib. 4.*

Clades ad patrem, an ad filium ei cognominem pertinuerit, dubium faciunt Scriptores. Sylvius tamen (quem vocat Suatocopum) vult prælio superatum, in eremum se recepisse rerum desperatione, quódque Methodium Episcopum ad aram facientem violâsset, & tribus ejusdem instituti ascetis addictum, vitam sanctè finivisse, & in fine, cùm fata sibi sentiret imminere, pristinum nomen fortunámque edixisse. Dubravius narrat, Zuentibaldi majorem natu filium, defuncto parente, diadema regium sumpsisse, & recrudescentibus familiæ simultatibus, Noricum involâsse, & passim esse depopulatum. Exinde Arnulfum vehementer offensum,

Mo-

Moraviæ regnum edicto publicâsse, & dedisse Ungaris, Polonis, Austriacis, viciniśque gentibus diripiendum: eam verò partem, quæ hodie Moraviæ nomen retinet, se Bohæmorum fidei permisisse. Eam narrationem breviùs habent Annales Fuldenses, dum memorant, Arnulfum per se bellum hoc administrâsse, eóque confecto, remeantem in Bojariam, ægrè per dispositas à Moravis insidias evasisse. Porrò Zuentibaldus, si Dubravio credimus, plerasque ditiones, quas prisci Marcomanni insederant, possedit, unde mirum non est, Moravos tot tantáque bella adversus finitimos gerere potuisse.

VETERES MORAVIÆ FINES AMPLISSIMI.

XLIII.

LUDOVICUS FILIUS ARNULFO NASCITUR.
Flodoard. Remen. hist. l. 4.
Baron. in hunc an.

Arnulfo ex Moraviâ reduci, Oetingæ natus est, in spem regni, filius Ludovicus, quem Adalbero Augustanus Antistes sacro lavacro abluit, & Hatto Moguntinus de fonte levavit. Quod Franciæ Annales & Hermannus scribunt, & ex ijs Brunnerus, de Formosi Pontificis ad Arnulfum legatione, pro impetrandis adversus Vidonem auxilijs, inducor, ut neutiquam credam, eo potissimum argumento, quòd Formosus Vidoni anno superiore, ejusdémque filio Lamberto imperij insignia contulit, & gravem invidiam in se concitavit, non Arnulfi modò, sed aliorum etiam Principum, Berengarij præsertim Vidonis inimici capitalis, immo & odium Romanorum civium, à quibus eum multa indigna tulisse, vel inde constat, quòd injuriæ Formoso illatæ, anno abhinc quarto, multorum Romanorum capitibus fuerint vindicatæ. Quare non est verisimile, Berengarium Formosi legatis, si quos misisset, fuisse adfuturum; unde Luitprandus Scriptor eorum temporum, nullam illorum facit mentionem. Adductas tamen Berengario suppetias ab Arnulfo, consentiens est historiæ memoria. Sigonius ait, senescente autumno, motas esse, per montes Tridentinos, omnes peditum equitúmque copias, Berengario Arnulfi latus, specie clientelaris obsequij, stipante, ejúsque rei testes esse litteras Veronæ datas, postquam ista civitas deditione venerat in Arnulfi potestatem.

ARNULFUS BERENGARIO DUCIT SUPPETIAS.
Luitprand. lib. 1. c. 1.

AN. CHRIST. DCCC. XCIV.

BERGOMUM EXPUGNATUM.
AMBROSIUS COMES IN FURCAM ACTUS.
MEDIOLANUM, TICINUM, IMPERATA FACIUNT.
ARNULFUS MOVET IN RUDOLFUM BURGUNDUM.
VIDO REPENTE EXTINGUITUR.

Ventum inde Bergomum novo anno ineunte. Cùm cives mœnium firmitate confisi, negarent, se imperata facturos, Arnulfus eos obsidione cinxit, & ad initium Februarij expugnavit, cum ingenti propugnantium strage: Ambrosium verò Comitem, qui resistentibus animos fecerat, baltheo, armillis, cæteróque cultu militari indutum, ante urbis portam jussit in furcam agi, fractáque gulâ ad aliorum terrorem necari. Mediolanenses, Ticinenses, & Placentini, severitatis exemplo terrefacti, adventantis iram, missis legationibus, prævenerunt, & ad gratiam aucupandam, venienti iverunt obviam, & per modum triumphi fausta acclamantes, mœnibus receperunt. Ottonem, Magni Ottonis avum, rebus ordinandis Mediolanum misit cum validâ suorum manu: ipse verò cum reliquo exercitu Papiam contendit, & restituto Berengario, Vidoni & Lamberto filio unà cum uxore Camerinum, indéque Spoletum fugientibus, institit. Jam Placentiam venerat, castellis, quæ de viâ occurrerant, debellatis, cùm rebus necessarijs trans alpes revocatus, movit in Burgundiam, Rudolfo Regi, veteri inimico, bellum facturus. Unde Vido nactus spatium vires animósque colligendi, obversâ fronte pressit abeuntis vestigia, donec ad Jarum, agri Placentini amnem, repentino sanguinis vomitu oppressus est, Lamberto filio imperij successore relicto. Vidonis obitum authore Sigeberto (qui chronismum valde confundit) & Luitprando, quidam reijciunt in annum DCCCCI. habéntque suffragantem Baronium.

XLIV.

LOTHARINGI ZUENTIBALDUM ARNULFI F. AVERSANTUR.

Arnulfi conatus Burgundiæ Rex, vitato certamine, ad nota montium munimenta dilapsus, elusit, effecítque, ut illi re infectâ fuerit ab incœpto desistendum. Exinde concessit Wormatiam, ubi in Ordinum Germaniæ & Austrasiæ conventu, Zuentibaldum filium Lotharingis regem conatus est imponere, sed irrito conatu, quòd proceres, spurij imperium aversarentur. Solutis comitijs, secessit in Laurisheimense cœnobium, ubi Ludovico Bosonis filio, quem non ita pridem in fidem receperat, quædam Burgundiæ oppida, cum villis connexis, largus ex alieno, concessit, agente Irmengarde Ludovici matre: verùm in ventos abijt malè sarta donatio, Rudolfo Rege obsistente. Hoc item anno Hildegardis filia Regis Ludovici, quem superiùs Carolomanni & Caroli Crassi fratrem diximus,

mus, quæ consilijs & intercessione multum opis Arnulfo, ad regnum impetrandum, attulerat, à quibusdam accusata, exutaque regijs possessionibus, in Chiemensem Parthenonem est relegata, unde paulò post, sive detectis accusatorum calumnijs, sive mitigatâ Arnulfi voluntate, ad pristinam fortunam est revocata. Regino in hunc annum confert decessum Zuentibaldi Moravi, & filiorum successionem, quos, ait, exiguo tempore regnum tenuisse, graviter afflictum Ungarorum incursionibus, & miserabili totius ditionis devastatione.

HILDEGARDIS AB ARNULFO RELEGATA ET PAULO POST RESTITUTA.

Mense Majo anni insequentis, Triburiæ celebris fuit habita Synodus, quam Arnulfus suâ præsentiâ cohonestavit. Præter Cœnobiarchas interfuerunt viginti sex Episcopi, in quibus Valdo Frisingensis, Erchenbaldus Eistettensis, Tuto Ratisbonensis, & Adalbero Augustanus. In eâ salubriter multa sunt decreta, adversus rerum DEO dicatarum, & sacræ potestatis injustos usurpatores, qui nobilitatis & temporis licentiâ abusi, Episcoporum jura, & opes Ecclesiæ involabant. Arnulfus Synodi legibus multum authoritatis conciliâsset, nisi eas ipse violâsset. Quâ de re questus est Theodoricus in exactissimis Epternacensis Monasterij commentarijs, quibus ostendit, Arnulfum ad cohibendas Nortmannorum irruptiones, ex D. Willibrordi possessionibus auxisse Luzelburgi, tunc emergentem, Comitatum, & Ecclesijs multa in Batavis detraxisse. Gravius est, quod Sigehardus, ejus sæculi scriptor integerrimus, litteris commendavit. Hac tempestate D. Maximini perantiquum & nobile Trevirorum Monasterium à Nortmannis laceratum, vix apparebat inter rudera & parietinas. Ejus opes à profanis hominibus abliguriebantur, vixque supererat, unde pauci cœnobitæ vitam tenuiter tuerentur. Miseri, Abbate extincto, ab Arnulfo rogârunt facultatem, quem vellent ex suo cœtu eligendi Antistitem, nec impetrârunt; eò quòd Rex opes Monasterij Megingaudo Comiti profanâ liberalitate, & neutiquam laudabili istius ævi licentiâ, malè esset largitus. Sed Comiti res malè vertit. Is opimo spolio ab Arnulfo circumdatus, vernili joco, apud uxorem, D. Maximino illudens; Nostin', inquit, quanto me Rex beneficio auxerit? Cùm ipsa negaret; Sistam tibi, ait, si libet, prædivitem Maximinum, qui in meam concessit clientelam. Illa damnans impium dicterium, marito indignari, execrari facinus: maritus immani morbo corripi, atque humi prosterni, prorsus ut è vestigio contortis, ac velut in glomum deformatis artubus, jam non vultu, non ore, cæteráque membrorum figurâ hominem, sed globum referret. Mansit tamen deformi monstro sensus, & tantum mentis, ut D. Maximini, cujus nomen antea tam vile habuerat, opem veniámque supplex oraret, juberétque, se ad ejus aram deportari, ut ei se mancipij nexu devoveret. Valuit abjectio tempestiva, & homini salutem reddidit, suffragatoribus Monachis, qui ejus sortem miserabantur. Ille recuperatæ sanitatis soteria Divo & Ultori & Sospitali relaturus, impensè laboravit apud Arnulfum Regem, ut antiquum suffragiorum jus Cœnobitis restitueret; sed frustra: usque eò tenaciter affiguntur, quæ semel potentiorum manibus adhæserunt: ut tamen species aliqua foret minutulæ compensationis, Arnulfus demum primo Imperij anno, Reveniacum villam, quod perantiquæ tabulæ loquuntur, & Monasterij diarium ad 16. Cal. Septem. D. Maximino donavit, retentis Monasterij justis possessionibus, subtractóque jure Antistitis eligendi: ita promptius fuit Synodi Triburiensis leges probare, quàm observare. Concilij tabulæ prisci rigoris indices fuerunt, sex vix habuerunt, qui indices sequerentur: tanta fuit pravitas ejusce tempestatis, quæ certè nihil habuit, (contrà ac vult Brunnerus) quod hodie prijs orthodoxorum moribus exprobraret. Ferenda tunc erant Regum ingenia, quod in tantâ licentiâ ferè censeretur æquius, quod validius.

AN. CHRIST. DCCC. XCV.

SYNODUS TRIBURIENSIS.

XLV.

ARNULFUS D. WILLIBRORDI EPTERNACENSIS OPES DISTRAHIT.

D. MAXIMINO TREVIRENSI PERINDE INIQUUS.

MEGINGAUDI SUPPLICIUM.

Hoc ipsum patuit in proximo Wormatiæ conventu, quando pertinacis Arnulfi postulationis magis, quàm boni publici respectu, Proceres denique fuêre adducti, ut, quod anno superiore constanter negaverant, Zuentibaldus Regis nothus Lothariensi regno imponeretur, cujus gubernationem principio inauspicatam, pro-

TANDEM ZUENTIBALDUS LOTHARINGIÆ PRÆFICITUR.

XLVI.

processu malignam, exitu funestam, infamis avaritia crudelitásque fœdârunt. Prima post initum regnum expeditio non inanis modò, sed turpis etiam fuit. Carolus Simplex, ab Arnulfo (qui ex eventu & utilitate, more humano, sua consilia metiebatur) desertus, Zuentibaldum filium sibi adjunxit, grandi scilicet spe, de novi regis auxilijs. Sed qui in Italiâ, non ita pridem, rem ignavè adversus Vidonem gesserat, inertiâ & animi levitate in Franciâ corrupit. Collecto ex gente Lotharensium milite numerosissimo, ut Odonis vires distraheret, Lugduno obsidionem admovit, imprudenti consilio, quòd & hostem haberet generosum, & ab initio valde difficili, famæ viriúmque periculum faceret. Cives agri direptione irritati, urbis defensionem cœptam magnis animis, supremo conatu perseverârunt, nihil veriti, crebris eruptionibus hostem fatigare. Cùm acris oppugnatio plures dies tenuisset, fama Odonis ex Aquitaniâ suppetias properantis, non obsidionem modò, sed etiam totam magni apparatûs molem discussit, retudítque Zuentibaldum in Austrasiam.

Zuentibaldus Lugdunum irritus obsidet.

Nihilo plus decoris Arnulfo contulit mutata fides in Carolum, non sine aliquâ notâ avaritiæ & animi inconstantis. Odo, quem paulò antè jusserat armis Lothariensium invadi, eum Wormatiæ convenit, ubi tam dextrè causam egit, ut muneribus potiùs, quàm ratione expugnatum, traxerit in suas partes. Carolus ijsdem quidem artibus conatus est Odonem evertere, misso per Fulconem Remensem Episcopum & Adolongum Comitem, splendido munificentiæ apparatu: verùm legati, quod sors adversa tulit, medio in itinere ab Odone oppressi, rebus omnibus spoliati, & Adolongus quidem lethali vulnere confossus, opes operámque luserunt. Fulco, arreptâ fugâ, ægrè vitam servavit.

Arnulfus Odonis partes sequitur. *Regino.*

XLVII. Laborabat interim intestinis discordijs Italia. Berengarius post Vidonis obitum, confestim Papiam, regni sedem, deditione accepit. Principes alij, Vidonis partiarij, infensi Berengario, Lamberto Vidonis filio studijs armisque sociati, depulso Berengario, Papiam recuperant. Romæ, Sergiana factio Formosum Pontificem continentibus injurijs vexabat, connivente, immo & adjuvante Lamberto; tam fluxa brevísque tituli Cæsarei, quem erat beneficio Pontificis adeptus, recordatio. Formosus tot malis fractus, confugit ad Arnulfum, tametsi non leviter offensum, ejúsque defensionem semel iterum implorat, orátque, ut Romam ocyus cum exercitu veniret. Hic, re cum Episcopis probè expensâ, lectísque ex Franconia & Alemanniâ copijs, castra movet Octobri mense, & ad usque Padum progreditur. Berengarius, simulatâ fide, venienti occurrit, æger tamen animi, quòd contrà, ac homo versutus, & ambitiosus animo destinaverat, se à summo regni fastigio Arnulfi adventu sentiret prohiberi. Ibant copiæ bifariam divisæ. Primum Alemannorum agmen, Waltfredo & Meginfredo ductoribus, cis Padum movens, fœdam agris vastitatem intulit, licentiâ militari: tum transmittens Apenninum, in cujus trajectu magna jumentorum pars perijt, Florentiam contendit. Agmen alterum Rex ipse ducebat per oram maris Ligustici atque Thyrreni, Lunam usque, ubi Christi nascentis ferias exegit.

Turbæ Italicæ.

Formosus Pont. auxilia ab Arnulfo impetrat. *Annal Franc.*

An. Christ. DCCC. XCVI. Incœptum iter anni sequentis initio prosecutus, trajecit Apenninum, gravibus jactatus aëris viarúmque incommodis & equorum pestilitate, quæ tot confecit, ut boves, subvehendis impedimentis, jumentis sarcinarijs fuerint substituendi. Accessit malum longè molestius. Berengarius detractâ larvâ, Adelberto Tusciæ Marchioni, Sergianæ factionis antesignano, desultoriam fidem addixit, séque est Arnulfo hostem professus. Lambertus Romanis mœnibus, & instabilis populi studijs diffisus, urbe relictâ, & Agiltrudæ matris curæ commendatâ, se receperat in tutum. Ventum denique, per ingentes itineris difficultates & rerum inopiam, in urbis conspectum. Agiltruda vidua cives ad propugnationem hortata, Camerinum abijt. Arnulfus, cognito, Romanos ingressum in urbem voluntate non permissuros, vim facere instituit, indictâ priùs exercitui noxiarum, per sacram confessionem, expiatione, uniúsque diei comprecatione atque jejunio, ut sibi, copiísque Deum propitiaret. Cœpta deinde oppugnatio, protractáque ad dies plusculos, Romanis se egregiè tutantibus. Cùm adhuc frustra fuissent incursiones, præter omnium

Arnulfus Romam obsidet.

opi-

opinionem, se casus obtulit ridiculus quidem, sed re ipsâ peropportunus. Lepusculum, qui è latibulis ad urbis mœnia citato cursu fugam intendebat, militum manus, sublato clamore, per ludum insectans, Romanæ stationi, quæ pro muro excubabat, metum injecit, quasi totis castris reliquus exercitus ad generalem impressionem immineret. Quare vigiliæ momento dilapsæ, nudato muro, urbi trepidationem, hosti invadendi audaciam intulerunt. Ergo Germani ad mœnia convolantes, alij coacervatâ omnis generis materiâ tantum cumulum substernunt, quantum erat satis ad conscensionem: alij, scalis admotis, evadunt ad pinnas, alij per apertas ruinas, portámque ariete dejectam, turmatim ingrediuntur, & Transtiberinos metu consternatos, ut in re improvisâ, cogunt ad deditionem, totâque demum urbe potiuntur. Sergiani, nullâ ætatis, sexûs, ordinisve habitâ ratione producti ad supplicium, ferro concisi, DEO Pontificis injurias vindicante. Sergius fugâ sibi consuluit. Constantinus & Stephanus, qui populum ad propugnationem incitaverant, conjecti in vincula, & deportati in Bojariam. Arnulfo Senatus universus, prælatis vexillis, & Græcorum scholâ, cum crucibus, honoris causâ præeunte, ad pontem Milvium occurrens, triumphale carmen, non secus atque libertatis suæ vindici accinens, ad Principis Apostolorum ædem, pompam duxit, cúmque verbis solennibus Imperatorem salutavit. Formosus pro D. Petri gradibus excepit venientem, deductúmque honorificè in ædem, sacris cæremonijs, & insignibus augustalibus initiavit, populo de more fausta acclamante. Multitudo, quæ ad D. Pauli Basilicam confluxerat, eidem sacramentum dixit in hæc verba: *Testor Deum omnésque Divos, & per divina mysteria juro, me, quoad vivam, fore in potestate Imperatoris Arnulfi, neque Lamberti, aut ejus matris rebus fauturum, neque ut dignitatem aliquam adipiscatur, aut hanc urbem servitute premant, operam daturum.*

CAPIT CASU MIRABILI XLIIX.

VINDICATÆ PONTIFICIS INIURIÆ.

ARNULFUS IMPERATOR SALUTATUS.

Ann. Franc. Herman. Sigon.

Quindecim diebus datis Romanæ rei ordinandæ, Imperator Faroldum Urbi præfecit, indéque digressus, Agiltrudam Vidonis viduam, in castro, loci naturâ operibúsque munitissimo, arctissimè obsedit. Obsidionem solvit potio soporifera, quam ipsa pharmaco temperatam, Arnulfo propinandam curavit per ejus pincernam auro corruptum, persuasúmque philtrum esse, quo sibi Imperatoris clementiam amorémque pararet. Continuus tridui veternus tantam conciliavit gravedinem, ut, cùm experrectus Cæsar, diu nihil pro sano homine loqueretur, aut ageret, accedente aëris inclementiâ, Procerum consilio, obsidione omissâ, neglectóque Lamberto, in Longobardiam, atque inde in Germaniam per montem Jovium fuerit abeundum. Ex itinere, Arnulfus Ratholdum nothum Mediolano præfecit: Berengarium in gratiam denuo receptum, viæ comitem habuit, donec ille, mutatâ rursus voluntate, Veronam refugit, tótque calumnijs Imperatoris famam laceravit, ut, cùm passim flagranti Italorum odio appeteretur, Ticinenses, ausi tumultum, authore Anscario, concitare, non sint veriti ejus copias incessere tantâ strage, ut se milites in publicas cloacas abdere cogerentur. Quam quidem injuriam Arnulfus omnino certum habebat severè ulcisci, & coronâ septos tamdiu premere, donec Anscarium, seditionis facem, in suam potestatem redegisset: verùm comperto, illum ex oppido profugisse, ab obsidione aversus, iter ad alpes est prosecutus. Eas vix erat transgressus, cùm totâ passim Italiâ, urbes ac Principes ejus nomen imperiúmque exosi, fidem exuerunt, pars Berengario addicti, pars Lamberto, in cujus gratiam, Germanorum odio, Mediolanenses in Meginfredum, virum alioqui præstanti in Arnulfum fide, ejúsque filium & generum, crudeliter sævierunt. Illum necârunt; duobus posterioribus oculos effoderunt. Romæ Sergiani Formosi defuncti corpus tumulo extractum, raptatúmque, effuderunt in Tiberim, Stephano successore non invito. Ratoldus Cæsaris filius, aliorum casibus admonitus, desertâ in tempore statione, per lacum Larium se periculo subduxit, profugiens ad parentem. Berengarius usque ad flumen Abduam omnia fecit suæ ditionis, Arnulfo, quem animi vigor defecerat, nihil contrà movente.

XLIX.

ARNULFO SOPORIFERA POTIO PROPINATA.

BERENGARII PERFIDIA.

ITALIÆ DEFECTIO.

L.

Eum inter hæc convenit Reginoburgi, nomine Constantinopolitani Imperatoris Leonis, Lazarus Episcopus, qui allatis splendidæ munificentiæ donis, infelici

imperio, felicia auspicia est apprecatus. Per idem tempus, Arnulfum cura incessit tutandæ Pannoniæ adversus Ungaros. Quam ad rem limitis præfecturam Brazlavoni cum urbe Paludarum, quam hodie Moseburgum dicunt, commendavit. Metus erat, ne, Bulgaris sæpius profligatis, Ungari per eorum fines in Pannoniam irrumperent, Græcis omissis, qui, ut illos à se diverterent, cum ipsis pacem inivefant. Quo fœdere Bulgari offensi, quòd se à Græcis desertos, viderent Barbarorum armis exponi, subitâ in Græciam irruptione, omnia latè ad portas usque Constantinopolitanas sunt depopulati. Ut ad domestica pericula revocarentur, Græci Ungaros navibus impositos, transmittunt in Bulgariam, qui cùm cædibus & incendijs omnia miscerent, Bulgari confestim domum reversi, acie explicatâ, semel iterúmque devicti sunt. Rebus ad desperationem propè redactis, consilij inopes, Michaëlem Regem, qui regnò abdicato, sanctitatis famam collegerat, consulunt, quid tali re judicet esse faciendum. Ille divino monitu respondet, nihil esse, cur meliora expectent, nisi ante omnia DEUM, qui Barbaros ad peccatorum vindictam armâsset, propitiarent. Evocandum esse è cœlo auxilium, præmisso tridui jejunio, & seriâ admissorum scelerum castigatione: id ubi fecerint, concipiendam de cœlesti auxilio fiduciam. Durum quidem & cruentum fore in Ungaros certamen, sed exitu tamen prosperum & salutare. Vaticinium probavit eventus. Bulgari collectis animis, adversus hostem congressi, non sine multo suorum sanguine memorabilem victoriam reportârunt. Utrinque cæsorum numerus vel hinc potest colligi, quòd victores viginti pugnatorum millia desiderârunt, Ungari multò plures: ita factum, ut non Bulgariæ modò, sed etiam confini Pannoniæ licuerit tantisper ab infestissimâ gente respirare. Arnulfum istâ curarum parte levatum, humanæ sortis admonuit casus, quo propè abfuit ab interitu. Domus, in quam cum familiaribus diverterat, subitò collapsa, eum vehementer afflixit, & multos attrivit è domesticis.

Ungari sæviunt in Bulgaros semel iterúmque devictos.

Michaelis Regis vaticinium.

Bulgari Ungaros profligant.

Arnulfus ruina diversorii afflictus.

An. Christ. DCCC. XCVII.

Ingens fames.

Herman.

LI.

Annum sæculi septimum supra nonagesimum, fames, Boijs præter modum sævâ, infamavit. Tanta ejus fuit immanitas, ut demortuorum hominum corpora, & obscœna quæque verterit in cibos. Arnulfus, confirmatâ valetudine, quam recens ædium ruina, & Italica potio vehementer depresserat, mense Majo, se regni negotijs reddidit & audiendis legationibus. Illi adfuêre Moravi, rogantes, ne quem receptum spémve impunitatis, suis popularibus, qui ob turbatam reipublicæ quietem erant in exilium ejecti, præberet. Bohœmis quoque & Sorabis Salzæ datus est senatus. Utrique graviter de Moravis querebantur, quòd ab horum ducibus insolenter premerentur, esśetque periculum, ne, affecti continentibus injurijs, vel arma capere, vel, si id non liceret, solum vertere cogerentur. Benignè auditos, Arnulfus jussit bono esse animo, & ne porrò Moravi eos pergerent infestare, in Bohœmiæ confinio autumnum armatus exegit, habuítque ad Danubium & Reginum vires expeditas, quibus utrosque in officio contineret.

Jam antè bina Comitia egerat, Wormatiæ alterum, alterum Triburiæ. Isthic potissimùm acta causa filij Ludovici vix quatriennis, quem unicum ex justo thoro sustulerat. Verebatur nimirum, ne, ut erat ætate jam inclinatâ, & viribus indies fatiscentibus, si quid ipsi fatali necessitate contingeret, pro arbitratu, ex alienâ stirpe Regem cooptarent. Et verò erant nonnulli, quorum fidem habebat suspectam. Quamobrem re in Senatu rursus agitatâ, impetravit, ut novo se sacramento omnes obligarent, fore ut, quod de successore jam antè fuerat constitutum, accuratè servarent. Hæc in gratiam Ludovici pueri. Supererat longè gravior contentio de Zuentibaldo Rege Lothariensium. Is, ut erat turbulentus, & in subjectos immitis, grande sibi odium consciverat non civium modò, sed etiam plerorumque Comitum, in quibus præcipui, Stephanus, Odoacer, Gerardus & Matfridus, viri & præfecturis, & clientelis potentes, nec non apud Imperatorem, ob præclara merita fidémque singularem, gratiâ & authoritate non vulgari. Illi Zuentibaldo fuerant delati, quasi ejus capiti, initâ conspiratione, insidias struxissent. Ita Regi inprimis irritabili, ira præceps & implacabilis, quâ nihil in Principe perniciosius, pro ratione & judicij forma fuit. Ergo subitò coortus ad ultionem, in Trevirorum fines irrum-

Ludovicus Arnulfi F. Rex designatus.

Zuentibaldi ira in quosdam Comites.

irrumpit, & Comites inauditos, fortunis & omni dignitate evertit, translatâ in alios publicorum munerum, quæ ipsi gerebant, administratione. Ut verò etiam pro suâ avaritiâ aliquid decerperet, duo Virginum monasteria, quibus Comites ejusce ætatis vitio potiebantur, in fiscum redegit. Eorum alterum fuit S. Irminæ Treviris, quod hodie est Horreum Dagoberti, quem illustres Sanctimoniales agnoscunt cœnobij fundatorem: alterum D. Petri admodum nobile, quod ex primâ sede, quam à sui primordio habuit in arcis Metensis areâ, translatum est in partem civitatis inferiorem ad Mosellæ profluentem. Præterea Fulco Remensis Antistes sapientiâ & authoritate præcipuus, quippe sine cujus consilio Carolus Simplex nihil propè gerebat, graviter Zuentibaldi duritiem, datis ad Stephanum Pontificem Romanum litteris, incessebat: verbo, hominum odia flagitijs irritantur, & nemo habet ex animo obsequentes, qui sibi ipse non novit imperare. Arnulfus appellatus à Comitibus, totius causæ gessit arbitrium, eámque ex æquo & bono sic composuit, ut illi loco pristino restituti, quietem sibi non aliam sperarent, quàm quæ ab homine feroci poterat expectari. *Flodoard. lib. 4. c. 4.*

An. Christ. DCCC. XCIIX.

LII.

Hisce rebus successit bellum civile Moravicum, quod Moymiri & Zuentibaldi, qui parenti successerant, fraternâ discordiâ, & Aribonis Norici Comitis, & Isanrici filij fraudibus excitatum, dissidentes graviter inter se collisit. Arnulfus Cæsar à Zuentibaldo invocatus, Luitpaldum Marchionem subsidio misit, cùm exercitu è Boijs collecto, cui cùm Moymirus par non esset, sui copiam non est ausus facere. Cùm se munimentis teneret, nihil gestum est memorabile, sed tota tempestas miserorum fortunis incubuit, quibus direptis, Boij prædâ graves in Boicam sunt reversi, Aribo ejúsque filius comperti malis artibus dissociâsse Fratrum concordiam, & bello causam dedisse, pro merito pœnas dederunt. Præterquam, quòd utriusque nomen notatum fuit infamiâ, pater, ut publicis indignus honoribus, redactus est in ordinem: filius perduellione crimen exaggeravit: cùm enim Mataram Norici urbem insedisset, indéque viciniam infestaret, anno sequenti, hostis Reipublicæ ab Imperatore renunciatus, & extortâ per vim Mataræ deditione, abreptus in Ratisbonensem custodiam, ut capitis supplicium evaderet, deceptis excubijs ad Moravos profugus, infame toleravit exilium.

Bellum Moravicum inter fratres. Arnulfus alterum iuvat. Moraviæ direptio. Aribo et Isanricus belli concitatores puniti. Isanricus perduellis.

Istiusmodi facinorosorum hominum ferax hoc ævum fuit. Erimbertus Bojus, sanguine fortunisque illustris, judice Arnulfo causam dixit in vinculis, ut crimen dilueret, quo res moliri novas insimulabatur. Agebat id temporis Imperator Ranshovij, nobili Boicæ prætorio, quod hoc anno ab Hundio scribitur cœpisse in sacros usus converti, tenuibus quidem initijs, sed quæ in amplum cœnobium evaserunt. Arnulfus (uti videre est ex ejus tabulis, anno imperij tertio, datis) eò loci ædiculam D. Pancratij cultui dedicavit, quam à primâ sui origine Cæsar Ellenbrechto sacerdoti, (Ellembertum nuncupant alij) regendam dedit. Ejusce ædificij authorem produnt Wichingum Bataviensem Episcopum, Arnulfi Cancellarium, virum magni nominis, & præcipuæ apud eum dignationis, quippe cujus prudentiâ potissima regni consilia & summa rerum agendarum vertebantur, sive res publica foret moderanda, sive privatorum gratiæ & bene meritorum præmia decernerentur. Hærebat continuò Regis lateri, & servabat sanctius sigillum, quo edicta legésque, & quicquid erat supremæ æstimationis, ex Regis voluntate solebant obsignari: Etenim jam inde abs Imperatoris Justiniani ævo, Cancellarij munus erat inter primos honores: unde Cassiodorus Marcellinum Comitem, adhuc patricium, perhibet, Justiniani Cancellis præfuisse. Quæ in hunc locum ea propter referre visum, ne ejus officij nomenclatio ad amanuensium operam, in publicis, aut privatis judicum excipiendis scribendisve, vel liturâ inducendis rescriptis, si quæ rei communi minùs essent accommodata, uti quidam Jurisconsulti volunt, reducatur. Wichingum eo munere cum laude functum, mitræ Bataviensi Arnulfus admovit: Theodomarus Archiepiscopus Salisburgensis tanquam vitio creatum, ex Provincialium Episcoporum sententiâ amovendum censuit, quod tamen Decretum non est datum executioni ante Arnulfi mortem, qui Wichingo rogante, hoc anno Batavum

Ranshovii Coenobii origo.

LIII.

Cancellarii unde dicti? Cassiod. Instit. divin. lib. 1. c. 17. Godefr. ad C. de assessor. Guid. Pancirol. alij.

tavum jam olim Ecclesiæ Bataviensi ab Otilone & Thassilone Boicæ regibus attributum, novis tabulis asseruit. Frisingensis princeps basilica igne hoc quoque anno conflagravit unà cum tabulario. Utriusque instaurationi, Arnulfus ejúsque filius regiâ liberalitate subvenerunt. In eum censum venit Veringa pagus ad Isaram nobilis, insigne munus Ludovici.

Ædis Cathedralis Frisingæ incendium.

Dum Arnulfus in DEO sibi demerendo, & transmittendâ ad æternitatem largitione occupatur, Zuentibaldus degener filius sibi parabat exitium. Usus erat domi militiæque consilio & fortitudine Reginari (Regnerum alij nominant) quo magis fidum, & ad res gerendas meliorem non erat expertus. Talem tantúmque virum, stimulatus malevolorum invidiâ, sibi sumpsit evertendum. Eum indictâ causâ jubet intra decimum quartum diem, Austrasiæ finibus excedere, neque venire deinceps in suum conspectum. Magnanimus vir & suæ existimationis studiosus, perculsus inopinato nuntio, sibi adjungit Ottocarum Comitem, simili æmulorum dolo appetitum. Uterque certus famam vindicare, vel perire fortiter, Durfos in Mosæ restagnantis æstuario invadunt, & arte sic muniunt, ut difficillimi esset aditûs, nedum expugnationis. Eum locum defensum idoneo præsidio, pro receptu tenebant, nihil ultrà tentantes, ne Zuentibaldi iras magis accenderent: verùm ubi ille se odij tenacem ostendit, cœpítque quà insidijs, quà apertis conatibus eos inde velle eijcere, Carolum Franciæ Regem, cui Odo, die Januarij tertio moriens, Galliam universam reliquerat, magnis promissis inducunt in spem regni Lothariensis occupandi. Nec mora: Lotharingiam ingressus cum validissimis copijs, tantum Zuentibaldo metum injecit, ut, cùm pares resistendo vires in tempore nequivisset expedire, rebus in magnam desperationem adductis, fugâ sibi consuluerit. Eâ rerum animorúmque consternatione, haud dubia regno pernicies creabatur, nisi Franco Tungrorum Episcopus fugitivum erexisset. Saluti fuit, eo suadente, transmisso repentè Mosâ, ad locum, cui Florenchæ nomen, iter vertisse. Isthic præter omnem spem offendit omnes ejusce Provinciæ Optimates in armis, subsidiariam manum promptámque operam offerentes. Cùm aliæ super alias turmæ ad signa magno numero confluxissent, efficeréntque speciem justi exercitûs, Zuentibaldus ausus est movere in hostem. Carolus ad Prumiam castra locaverat, certus, rem committere supremæ dimicationi. Zuentibaldus iam ferocior, aciem quoque in ejus conspectu explicuit, & signis infestis erat concurrendum, cùm ultrò citróque commeantes, pacis sequestres utriusque Regis animum sancito fœdere composuerunt. Verùm cùm eâ pactione Reginari & Ottocari defectionem complexi non essent, Zuentibaldus anno postero eos in Durfensi munitione arctè circumsessos supremo conatu oppugnavit. Cùm nihil armis contra viros fortissimos profecisset, à sacrorum Antistitibus magnâ contentione flagitavit, ut eos diris devotos piorum cœtu moverent. Verùm cùm nihil appareret culpæ, cur viri magnanimi tali fulmine peterentur, negaréntque præsules, se in illos iniquè pronunciaturos, Zuentibaldus furore amens, jactis in sacrum ordinem contumelijs, totum à se longè, quàm antè, vehementiùs alienavit, eò maximè, quòd Ratbodi Trevirensis Archiepiscopi caput, impacto fuste, per summam audaciam fuisset ausus ferire. Paulò antè ad fanum D. Goaris fuerat Arnulfi & Caroli Simplicis Legatis collocutus, frustráque tentatum, si quà ferox animus se suáque pericula respiciens ad tranquilliora consilia reduceretur. Sed ruenti ad interitum omnia in cassum fuerunt. Quæ post ejus discessum, de Lotharingiæ regno inter legatos acta, in apertam ejus perniciem postea eruperunt. Omnia vertunt in malum illi, quem fata ruinæ destinârunt.

Coniuratio in Zuentibaldum.

Carolus Simplex Lotharingiam invadit.

LIV.

Pacem facit cum Zuentibaldo. Regin. M.S.

An Christ. DCCC. XCIX.

Hoc ipso tempore Regino Prumiensis Abbas, officium, quo per septennium egregiè functus erat, Gerardi & Matfridi ambitione motus, Richario horum Comitum germano cedere coactus, privatam deinceps agens vitam, totum se pietati & scriptioni, quâ hodie fruimur, in D. Maximini Trevirorum asceterio, dedidit; quod nostrâ ætate extractum è sepulchro lapideo epitaphium ostendit. Eâdem tempestate Uta Arnulfi conjunx adulterij delata, septuaginta duorum Optimatum

Uta Arnulfi uxor adulterii accusata absolvitur

tum

rum judicio innocens est habita. Mirum, quanta fuerit hominum nefariorum in Principum famam, ipsámque vitam licentia. Vix evaserat Uta suorum accusatorum insidias, cùm suborti alij, qui maritum Imperatorem veneno appetiverunt. Rodburga poculum, quod nervos membrorúmque vigorem solveret, herbis temperavit, quod scelus, acta in furcam, luit Epilingæ. Garamus parricidij instigator Oetingæ obtruncatus, tertius aliquis fugâ se supplicio subduxit. Ea pestis Arnulfi jam antè afflictam valetudinem insigniter labefecit. ARNULFO TEMPERATUM VENENUM.

LV. Subinde recrudescente inter Moravos civili bello, ex fratrum Moymiri & Zuentibaldi odijs, Boij, fugato Moymiro, Zuentibaldum, cujus vita tuta non erat inter Moravos, in Boicam adduxerunt. Ea fuit rerum ab Arnulfo gestarum coronis, quam ejus vitæ varia fortuna imposuit. Tertio calend. Decembris Reginoburgi, morbo articulari (vel quod alij volunt) pediculari extinctus; quod mortis genus Luitprandus adscribit varijs delictis, violatarum præsertim Ecclesiæ legum & sacræ dignitatis. Exequiæ illi factæ regiâ pompâ apud D. Emmerammum: quanquam eum, Regino scribit, Oetingæ esse sepultum. Vero similius est, eum sibi ad D. Emmerammum conditorium elegisse, ne mortuus longè abesset ab ejus basilicâ, prope quam vivens Regiam construxerat, quâ præ quàm alijs libentissimè utebatur, ut ex eâ suas cum Divo tutelari curas religiosis precationibus supplex communicaret. Si quid peccavit in sacrorum hominum ordinem, id factum vitio temporis, quo vel ad Caroli Magni exemplum aliorúmqne Regum, complura, Cleri libertati parùm consentanea, in morem irrepserant: atque hoc ipsum videtur emaculâsse eximiâ in multas Germaniæ Ecclesias, publicis probatâ tabulis liberalitate, & præstitâ adversus violentos Romanæ sedis perturbatores defensione: quo nomine commendatur ab Arnulfo Comite Vohburgensi in vitâ S. Emmerammi, quem Divum, ut præcipuâ semper veneratione est prosecutus, ita eum sensit in varijs eventis beneficum. Quo in numero idem author, sine certo anni discrimine, reponit insignem victoriam, quam de Moravis reportavit. Asserit, in eo prælio visos esse ab hoste cœlestes Genios, ductantes Arnulfi legiones, donec inclinatâ Moravorum acie, globus hostium pugnam instauravit, ductore quodam, qui arrepto Zuentibaldi clypeo, cum prætorianâ cohorte ad Arnulfum penetravit, tanto ardore, ut Rex propè abfuerit à supremo vitæ discrimine: at verò periclitanti præstò fuisse, formâ supra mortalem augustiore senem, qui se dixerit Emmerammum, detractóque furenti clypeo, prætorianorum globum averterit in fugam. Inter præclara Arnulfi beneficia in Ratisbonenses, illud est minimè obscurum, quòd urbem, nupero incendio in parietinas & busta redactam, ad D. Emmerammi honorem, suo nitori restituere sit aggressus, operi supremam manum haud dubiè allaturus, nisi in fervente conatu eum vita destituisset. De translatis, ejus beneficio, ad D. Emmerammum reliquijs S. Dionysij Areopagitæ, ut de re, quæ inter diversarum partium Scriptores est admodum controversa, non est mihi promptum judicare.

ARNULFUS MORITUR.

Annal Franc. Herman.

Arnul. lib. 1. de S. Emmeram.

COELITES ARNULFO OPITULANTUR CONTRA MORAVOS.



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I. LIBER. XIII.

Zuentibaldi Arnulfi F. insolentia & interitus. Tumultus Moravici. Vngarorum grassationes, sævitia, clades. Berengarij ambitio, exilia, fluxa fides. Adalberti Babenbergensis turbæ, cædes. Mors & genus Luitpaldi Comitis. Maingoldus trucidatus claret famâ sanctitatis. Boij cæsi ad Augustam Vindelicorum. Ludovici Regis mors præmatura: ejus successor Conradus Franco, Othonis Saxonis suasu. Arnulfus Malus Boicæ Princeps, rebellis exulat, restituitur, vincit Vngaros, capit Veronam: ejus vindiciæ & laudes. Conradus Cæsar successorem nominat Henricum Aucupem Saxonem. Gallos prælio vincit ad Parisios. Ei succedit Otho filius. Augusta Vindelicorum servata adversus Nortmannos à D. Vdalrico. Defensa pudicitia Adelindæ Virginis. Lancea triumphalis Constantini Magni.

An. Christ. DCCCC.

Ludovicus Rex salutatus.



Rnulfus in regni spem, ex Uta Ludovicum filium ante septennium tulerat, à cunctis Ordinibus semel iterum sceptro destinatum. Reliquum erât, ut cum solenni ritu, regijs cultum insignibus, Regem salutarent. Id factum anno sæculari nongentesimo, Forchemij, oppido Bambergensis ditionis, ubi regni Germanici Optimates, coactis de more Comitijs, eum in solio locatum, communi consensu Regem esse jusserunt. Rebus moderandis admoti viri Principes, dignitate & sapientiâ præstantes. Valdoni Frisingensi Episcopo commissa regiæ pueritiæ institutio: tutela Hattoni Archiepiscopo Moguntino, & Ottoni
I. Duci Saxoniæ: Theodomaro Salisburgensi Archiepiscopo demandatum Cancellarij munus: Luitpaldo viro inprimis forti, & Principum propagatori, data præfectura limitis Boicæ Orientalis.

Hæc

Hæc agebantur in Germaniâ, cùm Zuentibaldus Rex Lotharienſium, indies ſeipſo crudelior, ad exitium properabat, ijs gradibus, qui citra ingens diſcrimen à Principibus non teruntur. Ille ſúſque déque habitâ populorum ſalute, totus erat in augendo aulæ luxu, exhauriendis, per nova tributorum nomina, privatorum opibus, proterendis Procerum facultatibus & dignitate, contemptu nobilitatis, Optimatum pleriſque de gradu movendis; extollendis nauci homuncionibus, quorum potiſſimùm conſilio, adjectis etiam ad conſultationes mulierculis, utebatur. Impune agebantur latrocinia, immo & ab ipſo jubebantur, civilis ſanguis largè fundebatur; & ſi quis eum auderet de triſti Reipublicæ conditione monere, nihil præter ſuperba reſponſa, contumelias, & maleficia referebat. Quibus rebus publicum in ſe totius gentis odium provocavit. Proceres indignè habiti, palàm ejus facta deteſtabantur, aſpernabantur imperia, tandémque in ejus perniciem cœtus agere, & de Regno ipſi adimendo deliberare cœperunt. Initâ inter ſe conjuratione, non fuit ipſis arduum, Lotharienſium populorum animos, continentibus injurijs exacerbatos, ad defectionem impellere: facilè ex malis præſentibus oritur rerum in melius novandarum cupiditas. Proximum fuit, ut Ludovicum Regem Zuentibaldi fratrem, quamlibet rebus gerendis valde immaturum, ſummæ rei imponerent. Id nullo negotio perſuaſum Ludovici tutoribus, quos honeſtiſſimâ legatione magníſque promiſſis pellexêre in ſuam ſententiam. Rebus ex compoſito decretis, Germaniæ Principes, ij præſertim, qui Regi continuò aderant, eum ſunt comitati in Lotharingiam. Venienti, uti convenerat, iêre obviam Lotharingi ad villam Theodonis, ubi ſolenni formâ ſe ſuáſque fortunas ejus imperio devoverunt. Nihil eo præſente auſus eſt movere Zuentibaldus, ſic, malè ſibi conſcius, obtorpuerat ad caſum inexpectatum. Verùm mox, ubi Ludovicus in Germaniam receſſerat, verſus in deſperationem, iras coquere in Optimates, queri, ſe ab ijs proditum, nefarium quemque pro ſe armare, iíſque circumdatus, flammis ferróque obvia quæque ſternere, ſævire immaniter; ratus, ſe factorum atrocitate, quæ peſſima eſt obſequij conciliatrix, rebelles ad officium retracturum. Verùm ut pareantur armis imperia, non retinentur tamen, niſi accedant imperantium beneficia & amor populorum. Ruebat videlicet homo væſanus & inſanabilis in præceps. Ludovicus cum juſto exercitu in Lotharingiam reverſus, adſcitis populariuim centurijs, Stephanum, Gerardum, Matfridum, Comites, Zuentibaldi odio imbutos, ſummæ belli præfecit. Commiſſa Idibus Auguſti, ad Moſam pugna: Zuentibaldus victus & obtruncatus, editâque immani pugnatorum cæde, regnum Ludovico aſſertum.

Zuentibaldi Lotharingiæ Regis prava gubernatio.

Herman.

Cædes.

Aucto tantâ potentiæ acceſſione, ſubortus in Moravis tumultus, ad quem compeſcendum, Boij ſociati Bohæmorum auxilijs, ingreſſi Moraviam, cùm hoſtis in præſidia receptus, nuſquam prodiret, tres omnino hebdomades populationibus, vaſtandiſque ſeditioſorum tectis, nullo præterea operæ pretio, impenderunt. Vix ea tempeſtas poſuerat, cùm mota eſt alia ab Ungaris. Jam paſſim malis omnibus vexaverant Italiam, & cæſis uno prælio viginti Italorum millibus, interemptíſque aliquot Epiſcopis, fœderis obtentu, exploratores miſerant in Boicam; quando reperto ejus invadendæ aditu, repentè, cum univerſis copijs, inobſervati, trajecto Anaſſo flumine, in eam ſe infuderunt, tanto numero & prædarum aviditate, ut per quinque leucarum ſpatia ſparſi, quaquaverſum, regionem direptione, flammis cædibúſque miſcuerint. Boij, tumultuario delectu ad arma coorti, quantum in re ſubitâ licuit, exercitum eduxerunt, certi pugnâ decernere. Verùm Barbari, ijs non expectatis, Danubium transmiſſi, prædas recipiunt in tutum, & Aquilonarem tractum, omnibus affectum maleficijs, diripiunt, nemine, qui inhiberet, occurrente. Aderant Luitpaldo, limitis Comiti, è Boicâ nobilitate complures, unà cum Richario Bataventi Epiſcopo, qui in militari ſenatu cenſuerunt, trans flumen eſſe movendum. Ungari comperto, Bojos adeſſe, contractâ ilicò ſuorum manu, accurrunt, pugna committitur proſpera Luitpaldo. E Barbaris mille ducenti, quà ferro deleti, quà Danubij vorticibus, in tranatu, abſorpti.

Tumultus in Moravia coercitus.

II.

Annal Franc. Herman.

Ungari in Boicam irrumpunt.

Ungari aliquot cæsi; demersi.

Opi divinæ attributum, quòd ne unus quidem è Boijs fuerit desideratus. Hoc fuit tragicæ calamitatis, quæ postea ab Ungaris invecta est, præludium.

Secundum hæc, cum Moravis non ferro, sed legibus fuit certandum. Illi, Moymiri principis instinctu, Romæ egerant, uti sibi aliunde quàm è Boicâ, quam implacabili odio, & anniversarijs ferè irruptionibus sentirent infestam, Sacra, Sacrorúmque Antistites habere liceret. Id quò promptiùs impetrarent, non aures modò Pontificis vanissimis in Bojos criminationibus impleverant, sed manus etiam quorundam Pontificiorum auri corruptelâ; id præcipuè commenti, Bojos, authores Ungaris fuisse nuperæ in Italiam expeditionis, ictóque cum ijs fœdere, in orbis Christiani perniciem conspirâsse, neque aversari Barbarorum numina, sed induxisse morem, per Canis & Lupi nomina dejerandi. Se proinde, tametsi hactenus à Batavensibus Episcopis sacerdotes & Divina accepissent, cupere tamen ab ijs liberari, quorum superstitiones, & religionis contemptum probare non possent.

Moravorum in Bojos calumniæ.

III. Jam in eo erat, ut alios Antistites à Pontifice impetrarent, & de interdicendo Boijs Sacrorum usu, Romæ seriò ageretur. Cujus rei fama, cùm ad Boicæ Episcopos manâsset, per litteras, Moravorum calumnias accuratè refutaverunt. Eò plurimùm contulit Hattonis Archiepiscopi Moguntini patrocinium, qui collaudatâ Bojorum pietate, & studio defendendæ religionis, scriptis ad Pontificem litteris, omnem illi dubitationem exemit, discussitque Moravorum imposturas, qui demum fessi bellis, sublatis odiorum causis, Regi Ludovico unà cum Isanrico Comite, quem ad eos profugisse paulò antè diximus, fuêre reconciliati.

Refutantur Romæ.

Secuta reconciliatio.

An. Christ. DCCCCI.

Gemina Ungarorũ clades.

Sed & illis annus insequens, longè quàm superiores, fuit fortunatior. Inter geminas Ungarorum clades, recenset Hermannus illam, quam acceperunt à Moravis, memorabili pugnâ superati: alteram pari fortunâ à Carantanis, quorum fines invaserant, retulerunt. Visa quoque pudicitia DEO devota, cœlo auspice, hoc anno triumphare. Adelinda sanguine illustris, Attoni Comiti nupta, Buchovianum Virginum domicilium à se constructum DD. Cornelio & Cypriano Martyribus in Sueviâ dedicaverat. In eo Adelinda, ejusdem filia, religionis studio, inter sanctimoniales vitam à turbis remotam agebat. Tergemini ejus fratres, Beringerus, Reginolfus, & Gerardus, hanc illi felicitatem invidentes, statuunt profanis eam nuptijs irretire. Quamobrem è monasterio invitam abducunt, nihil pensi habentes, quanto se scelere obstringerent. Verùm DEUS, ad quem potissimùm spectabat injuria, quippe cui illa publico ritu in manus convenerat, eam temeritatem severè ultus est. Cùm haud procul abessent à Parthenone, delati sunt in hostes capitales; pugnâ repentè coortâ, sacrilegi raptores interficiuntur, & virgo incolumis suis sodalibus reddita, eâ vixit pietate, ut matris sociarúmque judicio, visa sit idonea, quæ sacro isti cœtui, cum Antistitæ potestate, præficeretur.

Adelindæ virginis pudicitia defensa.

An. Christ. DCCCCII.

Ludovici in Ecclesiam Trevirensem beneficia.

Hæc in Sueviâ, cùm Ludovicus Rex non modò pro Boicâ, adversus Ungarorum irruptiones, per limitum Comites strenuè laboraret, sed studeret etiam amplificandis Ecclesiarum facultatibus extra Boicam. Extant ejus vetustissimæ tabulæ, anno, quem recensemus, datæ, 13. Calend. Septembris, in villa Wodegozzingâ ad Saram, haud longè ab oppido Walderfingâ. Illic visitur hodie celebre Monasterium ordinis Præmonstratensis. Illis tabulis Ludovicus principi urbis Trevericæ Basilicæ restituit jus antiquum monetæ cudendæ, telonium omnéque tributum, & agrorum decumas, intra & extra civitatis pomœrium, per omnem

IV. istius limitis Comitatum, quæ olim Archiepiscopi juribus obstricta, temporum hominúmque injuriâ in Comitum aliásque manus abierant. Fertur quoque, hoc anno Circium, quod hodie est Lotharingicæ ditionis, & pagum Orsivillum eidem Ecclesiæ donavisse.

Hepidan. in Annal. Tom. 1 rer. Aleman.

Ungari Berengario foederati.

Qui de Chussolo Ungarorum Rege, cum numeroso milite hoc anno à Boijs cæso, scribunt, id tam jejunè & levibus conjecturis faciunt, ut ipsâ scriptionis exilitate rem obscurent. Id paulò clariùs in hunc annum licet conijcere, quod Luitprandus de duobus eorum regibus, Dursaco & Bugato, scriptum reliquit. Eos videlicet Chussolo suffectos, Italiam atroci bello lacerâsse, junctósque Berengario,

malam navâsse operam. Et verò id temporis miserrima erat Italiæ conditio. Etenim cùm dira passim crudelitatis exempla, quæ ab Ungaris edebantur, Italos ad concordiam debuissent revocare, ij nihilominus Ludovicum Bosonis filium, posteaquam Arnulfus in Bojariam reverterat, semel iterúmque exciverunt, eo demum eventu, ut, cùm ille magnis viribus Berengarij fortunam capútque peteret, nec sineret ullo loco pedem figere, profugo tutela fuerit inter Bojos exoranda. Non deerant quidem Ludovico causæ, cur receptum negaret, memor non semel violatæ fidei; verùm sortis humanæ commiseratione, tutam illi exilij sedem præbuit, nolens (ut miti erat indole) tristibus exemplis regni primordia dehonestare. Quare Berengarius in omnem reparandæ fortunæ occasionem intentus, tam nullos injecit frenos inveteratæ regnandi cupiditati, ut etiam per certos homines clandestinas cum suis partiarijs conspirationes foveret, exploraret adversariorum consilia, & sensim vires colligeret, quibus ad repetendam Italiam uteretur. Ejus interim æmulus, omnis periculi securus, rerum in Lombardiâ & Tusciâ potiebatur, nihil providens in futuros casus, quod ipsi denique fuit exitiale, uti paulò pòst referemus. BERENGARIUS IN BOICAM CONFUGIT.

Non deerant etiam in Germaniâ civiles factiones. Adalbertus Henrici Franconiæ Ducis filius, Ottonis Saxonum Ducis ex filiâ nepos, multis implexus finitimorum simultatibus, quos arrogantiâ, quæ nobilitatis pestis est, offenderat, jam inde ab anno DCCCXCVII. ex inani contentione de majorum ceris & opum magnitudine, internecina, cum Rudolfo Herbipolensi Episcopo, qui & ipse avorum longam seriem jactabat insolentiùs, nec parem, priorémve pati poterat, gerebat odia; quæ utriusque consanguineos, amicos & affines inter se commiserant eâ pertinaciâ, ut, quæ fuit istius ævi cruda licentia, innumerorum propè virorum fortium vitam fortunásque exhauserint. Erant Adalberto fratres gemini, Adalhardus & Henricus, paris cum ipso temeritatis. Audaciam acuebat factiosorum multitudo, & arcis Bambenbergicæ firmitas, è quâ adversariorum castella, vicos, clientes, incursabant. Sed & Antistes paria reponebat. Inter varios conflictus, is fuit atrocissimus, cùm Adalbertus unáque fratres, validâ stipati armatorum manu, in Rudolfum, Eberhardum & Gebehardum fratres, manus adverso Marte conseruêre. Cùm primum ejus impetum Rudolfini fregissent, cæteram aciem averterunt in fugam. Cæsus fuit Henricus, captus Adalhardus, & Gebehardi jussu obtruncatus. Sed neque victoribus Mars fuit incruentus. Eberhardus multis affectus vulneribus, inter cæsorum cadavera repertus, paucis pòst diebus mortem oppetijt. Is fuit primus fructus inanis discordiæ, quæ sequenti anno, majore, quàm aliàs, furore repetita, irato numine, quem sanguinariæ Episcopi dimicationes non poterant non offendere. Sævitum in ejus ex fratre Eberhardo, securi non ita pridem occiso, nepotes, quos simul cum matre omnibus possessionibus exutos, Adalbertus ultra sylvam Herciniam, quæ inter Mœnum est & Bintium amnes, vulgò Speshartam, ejecit in exilium. CIVILES FACTIONES IN GERMANIA, INTER ADALBERTUM FRANCONEM ET RUDOLFUM EPISC. HERBIPOLEN. V. PRÆLIUM. AN. CHRIST. DCCCCIII.

In Italiâ res erant utcunque quietæ, Ludovico filio Bosonis, qui futuri securus Veronæ degebat, nihil minùs timente, quàm clancularias fraudes factiosorum. Illum Adelardus Papiensis Episcopus, qui occultè Berengarij partes sequebatur, dolo evertit, locutus in hanc sententiam. *Quod Cælites tibi, ô Rex, regnóque tuo fortunent, jam tandem es assecutus, quod à multis retrò annis, omnes ex animo suspiravimus. Pacatam sine rivali obtines Italiam. Berengarius perpetuo clausus exilio, & rerum inops, tam desijt timeri, quàm jam dudum fuerat odiosus. Debes tuæ virtuti, quòd ameris ab omnibus: nos cœlo debemus, quòd regem nobis dedit, qui nostrâ gaudet libertate, qui benignitate ac clementiâ temperat imperium, gratissimus subjectis, exteris formidandus. Hoc omnium animis altè insedit, te non dominationem & servos, sed rectorem & cives cogitare, nulláque re magis delectari, quam dandâ nobis incolumitate. Crede mihi, genius noster est, bonum Principem diligere, ejúsque suspicere virtutes, quæ gaudium generant & amorem. Experiris, opinor, quæ Procerum sit in te fides, quàm sincera charitas civitatum, quàm pronum omnium obsequium. Accepisti* AN. CHRIST. DCCCCIV. ADELARDI EPISC. DOLUS. VI.

 plau-

plausus vulgi, in quibus nihil fucatum; audisti acclamationes, quæ non habuêre fingendi tempus, in illo fervore popularis in te pietatis, quâ nullum habere potes firmius munimentum. Neminem enim unquam meliùs tutatæ sunt excubiæ, vel tela circumstantium, quàm populorum favor, qui sibi non timent, sed timent pro principe. Si dicere licet, quod sentio, certè sentio, te bis esse securum: semel, quia te fortissimi viri circumdant: iterum, quia neminem habes, quem timeas. Aliud est, quod subtimidè quidem, sed tamen sine fuco dixerim: te videlicet nullo deinceps exercitu indigere, quia nec superest, quem subigas, nec subactus est quisquam, qui se tibi subesse non lætetur. Id beneficij, si tuæ munificentiæ adjceres, ut neque cives militum contuberniis, neque hibernaculis coloni, neque nobilitas exterorum æmulatione, premerentur, jam te universi, non modò ut regem, sed ut numen aliquod de cœlo lapsum, amarent. Id an tuæ virtuti conveniat & majestati, tua sapientia est judicare. Certè, post tot bella, populi egerent aliquo levamento, & exhaustum stipendijs ærarium nullâ meliùs arte, quàm sublatis stipendijs potest suppleri. Ludovicus hisce captus delinimentis, copias, militari sacramento solutas, à signis dimisit. Mox Adelardus sociique conspirationis, Berengarium per occultos nuntios orant obsecrántque, ne cunctando, fortunam invitantem deserat. Ille compertâ clientum mente, Boicâ clàm excedens 12. Calend. Augusti, improvisus, Veronam (cujus fide maximè nitebatur) noctis silentio ingressus, nonnullos compertæ fortitudinis viros, Ludovico infensos, armat, & albescente die, in arcem evadit, & Ludovico, qui in D. Petri basilicam refugerat, exoculato, pronâ Italorum voluntate, recipit diadema.

BERENGARIUS VERONAM INVADIT.

LUDOVICUM EXOCULAT.

AN. CHRIST. DCCCCV.

Propiora hæc Ludovico Germaniæ & Lotharingiæ Regi. Gerardus & Matfridus Lothariensis regni Comites, debellato Zuentibaldo, insignia D. Maximini virorum, & D. Irminæ nobilium puellarum, monasteria occupaverant. Eam sacrarum possessionum usurpationem dolebant Conradus & Gebehardus Hassi fratres, uterque primæ admissionis apud Ludovicum Regem. Et simul erat Conrado alia causa exercitûs comparandi, crescens indies Adalberti Babenbergensis non modò potentia, sed etiam cupido augendarum opum ex vicinorum detrimentis.

VII. Quò occultius haberet belli consilium, quod Adalberto moliebatur, quasi copias legisset contra Gerardum & Matfridum, filio sibi cognomini negotium dedit recuperandi utriusque monasterij possessiones. Is vastatis utriusque clientelis, eos castro, in quod se receperant, inclusos, sub Paschales ferias, ad petendam pacem adegit. Ejus parens habebat tum sub signis in agro Frideslariensi non contemnendam vim armatorum, & suum fratrem Gerardum miserat in Weteraviam cum justo exercitu, quo Adalberti molitiones averteret. Nondum se Conradus junior parenti junxerat, cùm Adalbertus, Hassicas copias tribus dispersas locis, credens se facilè profligaturum, si seorsim singulas aggrederetur, Conradum Seniorem, belli caput, sibi putavit esse petendum. Tametsi belli ratio suaderet, cunctatione filij fratrísque auxilia præstolari, tamen, ut erat manu promptus ac fervens, majora viribus ausus, Adalberto occurrit, &, milite in tres phalanges diviso, prælij facit copiam 3. Cal. Martij. Ut ventum ad manus, duæ ex phalangibus, vim Adalberti non sustinentes, fugâ dilapsæ, nullâ Comitis adhortatione ad pugnam reduci potuerunt. Restabat tertia, quam metus accipiendi dedecoris, & undique circumfusus hostis, in officio retinebat, cum quâ Comes invectus in hostem, fortiter dimicans, inter primos confossus occubuit. Eo cadente mox dilapsæ turmæ, & qui in vestigio restiterant pedites, universi fugam arripiunt. Adalbertus suos spolijs locupletes Babenbergam, vastatis Conradi finibus, reduxit.

ADALBERTUS BABENBERGENSIS CONRADUM HASSIÆ COMITEM PRÆLIO VICTUM NECAT.

Otto Frising. lib. 6. c. 15.

Ludovicus, ad quem pacandi regni cura spectabat, casu Conradi Comitis, (quem nonnulli eodem cum ipso parente natum, plures Carolino sanguine oriundum prodiderunt) offensus, simul memor tot Adalberti facinorum, judicavit, hominis insolentiam neutiquam esse ultrà tolerandam. Quam ad rem, Triburiæ Comitia indixit. Eò vocatus Adalbertus, causæ diffisus, spreto vadimonio, adduci non potuit, ut se judicio sisteret. Quare hostis imperij à Ludovico declaratus, & velut contumax, Ordinum suffragatione, bello petendus esse decernitur. Ille cùm

cùm tantæ se moli imparem sentiret, bellum cunctando ducendum ratus, in arce, quam Terassam Regino, Otto Frisingensis Babenbergensem nominat, vim defendere constituit. Ludovicus arctè conclusum obsedit: sed cùm obsidio extraheretur, nec spes esset propinqua, arcis rebus omnibus instructæ, in potestatem redigendæ, Hattonis Moguntini Antistitis, cujus ductum Ludovicus sequebatur, instinctu, ad artes conversus, præsetulit, se obsessum recepturum in gratiam, si modò bonæ frugis & vitæ quietioris spem ostenderet. Adalbertus nihil suspicatus doli, non detrectavit oblatum de pace colloquium. Hatto, qui consilium dederat, ejus exequendi visus artifex aptissimus: quamquam & Luitpaldo limitis Boici Comiti, partes aliquas nectendæ fraudis, Hermannus & Urspergensis adscribunt. Hatto fide publicâ receptus in castrum, Adalberto prolixè omnia de Ludovici clementiâ pollicetur, si eam lubeat implorare; séque in eam rem, quantam liceret operam allaturum. Experiretur duntaxat benevolum Regis animum, & eâdem, quâ invitabatur, fide, præsentis genua prensaret. Cùm hæreret Adalbertus; Ego, inquit Hatto, in me recipio, me salvum te & incolumem, quicunque tandem sit futurus eventus, in arcem reducturum. Credit asseveranti homo priscæ credulitatis, séque accingit itineri. Paulùm ab arce processerant, nondum soluto jejunio, cùm Hatto simulans esuriem: Grave (inquit) erit, nullo cibo refectis, quod restat viæ, ad Regem, conficere: præstaret, si tibi quidem videretur, jentaculo saltem nos recreare. Idem, inquit ille, tecum sentio; revertamur in arcem, obsonij copiam habituri, cujus nulla est copia in popinis rusticanis. Regressi in castrum, curatis corporibus, rectà proficiscuntur ad Ludovicum. Vix aulam inierant, cùm Adalbertus custodiâ vinculisque circumdatus, cum Episcopo de fraude cœpit expostulare: Atqui, ait, fidem exolvi, cùm nihil præterea à me exegeris, quàm ut te salvum in arcem reducerem, & reduxi quidem: tu tuo periculo deinde me es ad Regem comitatus. Quicquid ille hominum divûmque fidem inclamaret, majestatis postulatus, judicum sententiâ, mox ad securim 5. Idus Septembris est abreptus. Hattonis vaframentum Annales, ut homine sacro indignum, sunt detestati. Regino dolum pressit silentio, scripsitque, Adalbertum obsidionis pertæsum, ultrò ad Regem, tentandæ clementiæ causâ, prodijsse. Ejus bona redacta in fiscum, Babenbergensem Ecclesiam postea locupletaverunt. Ex ejus stirpe volunt prodijsse Albertum, qui succedentibus annis, Pannoniam superiorem Ungaris ereptam, Romano imperio adjecit.

ADALBERTUS OBSIDETUR. DECIPITUR AB HATTONE MOGUNTINO. IIX.

Franciâ Orientali gravi turbatore liberatâ, Ludovicus ad Mediomatricos profectus, in publico Austrasiæ conventu, Gerardum & Matfridum, publicæ quieti infestos, proscripsit. Argentinæ concordiam inter Baltramum Episcopum & plebem sanxit: trajecto dein Rheno, se Germaniæ reddidit, & in Boicâ, per quæsitores, vectigalia & onera portoriorum, quæ immoderatè à publicanis exigebantur, ad eam rationem reduxit, quam olim Ludovicus Germanicus & Carolomannus certis legibus definierant, quas non pigebit ex Aventino referre. *Merces, naves improfessæ, publicæ sunto. Navis, quæ ab occidentali regno venit, posteaquam sylvam Batavensem prætergressa est, sive Rosdorfij, (fortè Kobelsdorff) sive alibi, venundandi causâ appellitur, semidrachmam, hoc est, scutatum unum pendat: si infra Linzium tendit, semimodios tres, hoc est, tres scaphulas salis solvat: copia postea sit cuique quolibet, versus Bohemiam, distrahendi gratiâ vehi. De mancipijs nihil penditur. Bojus salem domum transvehens nihil pendit: Boij, Slavi, bobus, caballis, clitellis, ut victum emant, commeantes, immunes sunt. Naves Tranorum nihil præstant. Carri clitellarij, qui Anassum transeunt, scaphulam præbent. Vendi, qui de Rugijs Bojemis mercandi gratiâ veniunt, de clitellâ scutatum unum tribuunt, de mancipio, caballis venditis, Saicam unam. Venedi verò in Bojariâ incolentes, ementes, vendentes, nihil tribuunt. Naves Salinariæ, Batavensem sylvam egressæ nil pendant, donec ad Ebersperg (ad Traun) veniant. Si quis ad Moraviam navigat, de nave solidum solvat. Mercatores Iudæi, undecunque sint, de rebus & mancipijs pendant justum vectigal.* Ungari, gens nata flagellandis Europæ sceleribus, ejusce

LEGES VECTIGALIUM ET PORTORIORUM. IX.

provisionis fructus magnam partem corruperunt bello perquam atroci, quod iis fuit secundum; nostris, irato cœlo, calamitosum, nec sopitum aliter, quàm pretio, quod Rex quotannis pendere, & pacem redimere est coactus. Et hoc quidem anno, Barbaris Boicam incursantibus, sese objecit Luitpaldus cum Bojorum exercitu. Illius virtute atque prudentiâ, res Boica, sub duobus Regibus, Arnulfo & Ludovico, hactenus steterat. Verùm fato pœnas exigente, malè pugnatum. Prælij ordinem solus Aventinus descripsit, sed sine teste, asserens, mense Sextili, triduo nostros continenter, adverso Marte, præliatos, cæsámque maximam partem Boicæ nobilitatis, cum undeviginti Dynastis. Addit, Ungaros, post vastata Anassi confinia, tranato flumine, Matichoviæ prætorium, Matseense Monasterium incendisse, diripuisse: vastâsse Oetingam, Chiemensem lacum afflictâsse, Tegernseense, Scheftlariense, Beuranum, Cochelense, Schlechdorfense, Polingense, Diessense, Munchmunsterense incendio corrupisse. Pari furore sævierunt in Novam Ratisbonam, in Sandavium, Siverstattum, Thierhauptense, Lycatiorum monasteria. Rectâ deinde Danubij ripâ ad Abudiam delati, ingentes hominum greges captivos abegerunt. Boij prælio rursus congressi, juxta Lengenfeldam superati sunt & cæsi immaniter. Osterhovium, ubi Monasterium, Regia Principum & Mausolæum, incendio deletum. Tum trajecto Danubio, Altaichum superius & interius spoliatum: Bojaria Bojæmo finitima, Narisci, aliáque loca devastata.

Male pugnatum cum Ungaris. — *Iterum infeliciter pugnatum.*

Quantæcunque clades fuerint, potuissent tamen videri tolerabiles, nisi Luitpaldus cecidisset, quo cadente, Boica credita est ad ruinam inclinâsse. Eum ad Caroli Magni stirpem pertinuisse, sunt, qui ex tabulis Ludovici Regis, quas descripserunt Hundius & Gevoldus, conantur ostendere, eò quòd à Rege dilectus propinquus nominetur. Eundem Serenissimorum Bavariæ Ducum, qui hodie supersunt, conditorem plerique agnoscunt, sed in assignandis ejus progenitoribus dissentiunt. Domestici Scriptores tradunt, Luitpaldi patrem fuisse Arnulphum Comitem, quem Regino scribit anno DCCCXCI. in pugnâ, à Nortmannis, cæsum: Arnolphi patrem Bernardum filium Pipini, qui Pipinus fuit filius majoris Bernardi, nepos Pipini Italiæ Regis, pronepos Caroli Magni. Et de Arnolpho quidem opinio videtur esse nata ex Reginone, & ejus Continuatore, qui non obscurè (ut notavit Joannes Pistorius) significant, Luitpaldum fuisse Arnolfi filium. In quam sententiam multi conspirant, contra Andream Presbyterum Ratisbonensem, Vitum Ebersspergensem, Lazium & alios, qui Luitpaldum, vel ejus filium Arnulfum, ex Arnulfo Imperatore genitum volunt, vel qui Henricum Comitem Babenbergensem origine ac ditione Franconem, Luitpaldi avum, patrem dicunt Adelberti, quod repugnat Hermanno Contracto, Mariano Scoto, & Abbati Urspergensi, qui Luitpaldum doli in Adelbertum struendi participem faciunt, quod fuisset parricidiale scelus pessimi filij in parentem, quale nemo prudens Luitpaldo bonis omnibus laudatissimo affinxerit.

Luitpaldi genus. Hund. to. 2. Metrop. pag. 249. §. 2.

X.

Avent. Ann. Boic. lib. 4. Kelner. M.S. & in Genealog. Regino. an. 891. Gevold. in Geneal. Pist. M.S. de origine Ducum Bavar. And. Presb. p. 31. & 33. Vit. Eberssp. in M.S. pag. 56. & 57. & in Geneal. operi præfixa. Laz. de migrat. gent. p. 329. §. 2.

Pistorius sic ratiocinatur. Quia nulla alia propagatio liberorum Caroli Magni, ex quâ nasci potuerit Luitpaldus, quam in Bernardi familiâ, vel alterius Caroli, qui Ludovici Pij ex Pipino nepos in Bavariam profugisse dicitur, quæri potest; Carolus verò ille Monachus ante fugam factus, nullas nuptias fecit; restat, ut ex Bernardo nepote Caroli Magni fluxisse familiam Luitpaldi putemus per patrem Arnulfum Comitem. Jam si in Bavariam adductum Pipinum cum filijs, & Comites factos esse in Lengenfeld, & nominatum Luitpaldum propinquum Ludovici Cæsaris, probaretur ex Bavaricis litteris, confecissemus negotium, & diceremus, certum esse, quòd ex posteris Pipini istius natus sit Arnulfus Comes, & quidem pro temporis ratione filius vel Pipini, vel Bernardi, nepos Pipini, pronepos Bernardi, abnepos Pipini, atnepos Caroli Magni. Ita Pistorius, cui si addas authoritatem diplomatis Regis Ludovici, quo Luitpaldum vocat suum propinquum, verosimillimum est, eum ad Caroli Magni legitimam progeniem posse referri. Certè doctissimus Lipsius, Bavariæ Duces à Carolo Martello, Caroli Magni patre descendere scribit. Cæterùm, Luitpaldum cum Adelhaide uxore, filiâ Ottonis Saxonici, Hen-

Lips. præfat. in Poliorcet.

Henrici I. Cæsaris filia, Melici, quod est D. Benedicti in Austriâ Cœnobium, esse tumulatum, sunt, qui affirmant.

Alium Carolini sanguinis Ducem sustulit, anno hujus sæculi octavo, privatorum crudelitas. Fuit is Maingoldus Dux Hoyensis, matre Bojâ, Carolomanni Bojariæ & Italiæ Regis filiâ, Arnulfi Imperatoris sorore, quo nomine venit in album Sanctorum Bavariæ. Acceperat ab Arnulfo, ad Hoyi & Mosæ confluentes, clientelas & latifundia, quæ circumfusa sunt oratorio DD. Timothei & Symphoriani Martyrum. Nuptias contraxerat cum Geilâ, viduâ Guilielmi Hannoniæ Comitis, quem Dux Albricus interfecerat. Geila ad Guilielmi vindicandam cædem, maritum, cæteroqui pacatum, impulit. Hinc odia inexpiabilia, rapinæ, incendia, bellum implacabile. Maingoldus, dum vim fortiter defendit, Balduinum, alijs Bevinum, Albrici emissarium & belli facem, tollit è medio, quódque iras asperavit, Richardus Maingoldi nepos, Ingolfredum, adversæ factionis, occidit. Viceversâ quatuor Balduini filij, dolore interempti patris amentes, in Maingoldi caput conjurant. Cùm indies cresceret hostium numerus & cædium atrocitas, Maingoldus, damnatâ sanguinariâ contentione, habitu moréque pœnitentis, admissorum homicidiorum aliarúmque noxarum voluntarias pœnas, armis positis, per septennium à semet exigit. Cùm, spontaneâ suppliciorum severitate, crederet se hostium iræ fecisse satis, secessit ad oratorium DD. Timothei & Symphoriani, ratus, se eò loci, velut in asylo, fore securum, & ipso vivendi modo arma excussurum inimicis, qui sine dedecore non possent incessere quietum & prorsus inermem. Verùm apud obstinatos plùs valuit furor, quàm decori & divini Numinis æstimatio. Ingolfredi amici, nondum pacati, omnem ejus vindicandi occasionem jam diu circumspectantes, cùm de tollendo Richardo, Ingolfredi percussore, frustra laborâssent, in Maingoldum patruum iras effundunt, & oratorium adeuntem immaniter trucidant. Ejus sepulchrum DEUS miraculis celebravit, cúmque homines opis egentes, faventem sunt experti, quando ejus patrocinium implorârunt. Quibus ex prodigijs, longè latéque manavit fama sanctitatis, quam est secuta piorum religio, concursus advenarum & fiducia supplicantium. Consentiens populorum veneratio, & Antistitum, seu diserta, seu connivens voluntas (qui mos per aliquot sæcula in Ecclesiâ tenuit) eum templo arísque dignum censuit. Hoyense Canonicorum collegium ejus natalem colit 6. Id. Februarij: ejusdem translationi decimus sextus Cal. Julij dedicatus est. Inter hæc Ungari Saxoniam & Turingiam, crudelem in modum, devastârunt.

An. Christi DCCCCIIX. XI. Maingoldus Dux Hoyensis.

Azor. part. 2. lib. 5. c. 6.

Annus proximus, Boijs, Franconibus, Alemannis fuit calamitosissimus, tantâque fortissimarum alioqui gentium consternatione funestus, ut, cùm nemo esset, qui furentibus Ungaris arma opponeret, quasi omnes pristinam virtutem formidine sepelissent, matres, pueros, puellas, viros, omnis ætatis innumeram multitudinem, passi sint abripi in servitutem. Nihil adeo tetrum ac infame, quod hostes non patrârint. Violârunt ingenuorum corpora, profanârunt Divorum templa, everterunt aras, exciderunt tecta miserorum, qui in sylvarum latibula, ínque montes profugi, vel in loca mœnibus defensa, suas in agris clades mœsti è longinquo spectare cogebantur. Melior erat fortuna urbium. Cùm enim Barbaris nec ars esset neque animus ad obsidendum, solis prædis & colonorum vinculis & sanguine pascebantur. Ut sese ad furendum accenderent, & majorem terrorem injicerent mortalibus, potabant occisorum cruorem, supra strues cadaverum epulas capiebant, scrutabantur viscera mortuorum, corda minutim concisa pro alexiterijs vorabant. Erat fœminis eadem, quæ viris, ferocia. Credebant, se post mortem habituros totidem ambactos & mancipia, quot mactâssent hostes. Ut suam prolem ad truculentiam & labores durarent, ab infantiâ, frigoribus, vultûs incisione, cæterarúmque acerbitatum tolerantiâ formabant. Sed quod longè terribilissimum; cœlum mortalibus iratum, videbatur cum crudelissimâ gente conspirâsse, & non modò fortunas ac vitam, sed etiam priscum animi vigorem, impietati dedisse in prædam. Ita gentes, cæteroqui pugnacissimæ, ad solum Ungarorum nomen exarmatæ, nihil præter fugam circumspectabant.

An. Christi DCCCCIX. XII. Ungarorum crudelitas.

Id

XIII. Id cùm Ludovicus Rex mœstus aspiceret, ne tota patria denique exscinderetur, suppliciorum metu conatus est suorum animos ad audendum revocare. Quare, ne quisquam detrectaret militiam, edicto sanxit, ut, quibus ætas viresque debiles missionem ab armis non darent, omnes omnino ad signa convolarent: qui secus faceret, ad restim malámque crucem raperetur. Formidata turpitudo neque vigorem restituit, nec abstulit terrorem. Acto per Franciam Orientalem & Sueviam acerrimo delectu, contracta quidem est ingens armatorum multitudo, sed adeò pusillanimis, ut, cùm mortem domi militiæque æqualiter metuerent, trepidatione priùs, quàm hostili manu devicti, ex solo vultûs pallore funestum belli omen ederent. Locatis ad Vindelicorum Augustam castris, visum est, hostem opperiri, qui adventu minimè exoptato, omnium animos complevit infaustissimi terroris. Jam die in vesperum præcipiti, cùm satis superesse temporis Barbaris non videretur ad faciendam lanienam, pugnam consultò differunt in posteram lucem. Vix diluxerat, cùm illi prælium, effusâ in nostros telorum procellâ, ineunt, & primo impetu sternunt complures, acie nondum instructâ. Qui è nostris nondum erant digesti in ordinem, promiscuo hostium nostrorúmque clamore excitati, ocyus concurrunt ad signa, animísque ex pavore utcunque collectis, irruentium agmen opinione fortiùs excipiunt, sustinéntque ad horam lucis usque septimam, prorsus ut aversis Barbaris, victoria in Ludovici manus venisse videretur. Verùm mera fuit fugæ simulatio. Disposuerant Ungari copiarum partem in insidijs. In eas nostri, incomposito agmine, præcipitantes, dum terga premunt recedentium, subitò telis obruuntur. Hic undique circumventis, iniquissimo Marte, prælium fuit integrandum. Ubi senserunt, se Barbarorum mole opprimi, arreptâ fugâ, instantibus terga cædenda dederunt. Cæsorum corpora agros passim operuerunt. Quibus fortuna non fuit infensissima, pars reversi ad suos lares, pars in saltus avios, pars in urbes evaserunt. Hostis usus victoriâ, Bojariam, Sueviam, & Franconiam immaniter vastavit. Ludovicus, cùm nec posset provincialium animos erigere, neque pacem extorquere ferro, quod erat proximum, brevem quietis usuram auro redemit.

Lex contra militiam detrectantes.

An. Christ. DCCCCX. Boii ad Augustam cæsi ab Ungaris.

Pax auro comparata.

An. Christ. DCCCCXI.

Anno sequente, Comes Ratholdus, Sighardi Comitis, qui castrum Eberspergense condidit, filius, D. Augustini Canonicos Regulares Ebersspergam induxit, eísque præfecit Hunfridum, virum prudentiæ & pietatis singularis, attributis proventibus, quos deinde Everhardus Ratholdi filius ampliavit. Cæterùm Ludovico à recenti clade vixdum respiranti, mors immatura, finem bellandi simul & vivendi fecit, mense Decembri, ut vult Sigonius, & Onuphrius: alij, sequente Januario, in ipso ætatis flore, cùm nondum annum decimum septimum superaret. Cum eo

Ludovici mors præmatura.

XIV. Caroli Magni soboles in Germaniâ imperare desijt. Cùm enim sine prole esset abreptus, nemo fuit reliquus ex stirpe regiâ, quæ centum & quatuordecim annos Boicam tenuerat, qui in ejus locum sumeretur. Quâ ex orbitate magni in imperio motus poterant exoriri. Vix enim rerum magnarum transitus sunt à periculosis jactationibus immunes. Tum enimvero multorum animi ad magnas spes sunt erecti. In hæreditariâ successione nihil est turbulentum, major est in hæredem, quàm ascititium charitas, jus regnandi certius, flagrantior subjectorum affectus, constantior ministrorum fides, quia nôrunt, sua præmia & honores, cum regnante non emoritura, sed mansura apud bonos successores. Contrà, qui suam fortunam in unius capite habent ad tempus constitutam, quia brevi crescendi spatio suam magnitudinem, opes, beneficia, vident circumscribi, fiunt in ambiendo præcipites, in cumulandis fortunis avidi. Eorum quoque, qui progeniti sunt à regibus, fundatior est authoritas & majestas, quæ prima sunt imperantium fundamenta. Quod si è diverso sceptra in novam domum transferantur, multi subnascuntur æmuli, quorum unusquisque ægrè sibi patitur præferri, quem aliquando parem vidit, aut inferiorem: inde tot comparent inter candidatos, non sine comitiorum corruptelis & repulsâ meliorum. Et eâ quidem tempestate regis constituendi rationem reddebat oppidò difficilem, quòd nondum satis erant explicatæ

suffra-

suffragationum leges, quæ, succedentibus temporibus, Cæsarum electiones fecêre sinceriores. Quibus ex causis, hoc rerum mutandarum initio, multa timeri poterant, quæ tamen Deo (in cujus manu sunt sceptra) consilia Procerum moderante, multò, quàm credebatur, benigniùs fuere discussa. Id altè insederat virorum sapientum animis, penes quos fuit potestas eligendi, quantamcunque potentiam magnis flagitijs pessundari, boni Principis virtute stare principatum, recreari populos, pacem foveri, jura temperari. Igitur in regni comitijs, visus est ad ejus habenas aptissimus, qui optimus. In talem conspirârunt vota eligentium, & eum quidem, qui natus sanguine Saxonico, & ex eâ familiâ, quæ olim pertinacissimis odijs cum Carolo Magno diutissimè contenderat. Ita fato alternante, qui aliàs victi bello fuerant, jam virtute superabant. Is verò fuit Otho frater Mathildæ Reginæ, uxoris Ludovici Regis, princeps pace bellóque clarissimus. Habebat idem Henricum filium, multarum palmarum juvenem, æquè dignum fastigio, cujus subsidio devexa parentis ætas, in rebus manu gerendis, egregiè poterat sublevari. Nemo erat, quin crederet, Othonem ambabus ulnis purpuram amplexurum, ut eam saltem in suam familiam transferret; quo factum, ut omnes pronâ voluntate eam illi deferrent. Verùm aliam longè mentem suggessit cana sapiénsque propositi honoris æstimatio, quæ ipsi ostendit, non id esse optimum, quod multos habet prensatores, sed quod ab optimis est expetendum. Et certè sapienti, qui res omnes revocat ad rationis bilancem, cogitandum est, non quid offeratur, sed quàm sapienter & opportunè. Otho Proceres sic est affatus. *Magna res est, viri Principes, imperium, sed magna, non felicitate, sed mole, quæ si incumbat in impares humeros, non extollit, sed obruit seipsam & evertit. Ferè magnifici tituli sunt fortunæ potiùs beneficia, quàm virtutis. Non sapit, qui se credit fortunæ, & temerarius est, qui aggreditur viribus & suâ virtute majora. Quisquis id agit, decus non colligit, sed ignominiam. Iudicâstis, viri præstantissimi, me parem esse curis Imperij, agnosco vestrum in me studium, cujus nulla me unquam capiet oblivio: atqui ego, qui paulò me penitiùs intueor, longè alia de me sentio. Vt nihil dicam de tenuitate, si qua in me sunt, virtutum. Cum meam ætatem expendo, quid magnum esse potest, quod seni effæto, & annis fesso allubescat? Abhorreo deinceps à grandibus rerum magnarum curis, quæ me vel solâ cogitatione perterrent. Et esto, nihil foret in gerendâ republicâ operosum, quid juvaret senem hodie sibi circumdare purpuram, quam dies crastina detraheret? Nolite, per Deum immortalem, diurna facere imperia, ne, qui incipiet imperare, priùs desinat, quàm bene imperârit. Senex non potest diu vivere, proinde nec imperare. Quid si languidè imperet? hanc de se famam transmittet ad posteros, bonum fuisse futurum imperatorem, si nunquam imperâsset. Viro bono non sufficit videri, quod non est, sed esse, quod videtur, si bonus esse videatur. Esse autem imperio bonus nemo potest, nisi si diutulè imperet, atque ipso usu discat esse bonus imperator. Horum cùm nihil mihi possim polliceri, ignoscite, optimi Principes, si, uti ex animo facio, vos rogo, ne me supra vires non tam honoretis, quàm oneretis. Sunt alij longè digniores istis honoribus: unum quempiam ex ijs eligite, non erit arduum eligere me multò meliorem.* Cùm constanter abnueret, à proceribus rogatus, quem igitur censeret dignissimum? filio (quod mirum est) præterito, Conradum Franconem, Conradi, quem ab Adalberto occisum diximus, filium, nominavit. Valuit tanti viri authoritas & modestia, ut Conradus Rex salutaretur: illius tamen virtuti datum est, ut Pater Patriæ, qui Augustorum pulcherrimus titulus est, nominaretur & esset, summámque Imperij suis consilijs moderaretur. Certè, quoad superfuit, pacem egregiè tutatus est, hoc ipso, quòd suâ authoritate Principes in officio contineret.

XV. Othonis Saxonis ad Senatum oratio.

Otho Conradum Franconem eligit in Cæsarem. *Abb. Vrsperg. Ditmar. Chron. lib. 1.*

Eo verò extincto, visa est tranquillitas exspirâsse. Discordiarum origo fuit ab Henrico ejus filio, veriùs à Conrado Rege, nisi nos fallunt Ditmarus, Urspergensis, & Witichindus, quorum hic author est, Conradum sæpe expertum Henrici virtutem, quæ impigro Principi & magnanimo, præaltos spiritus & modum posset suggerere, ad regnum affectandum, veritum esse, illi ex asse tradere simul Saxoniam & Franconiam, paternam hæreditatem, unde illi robur suppeteret ad rebel-

Conradus adversatur Henrico Othonis filio.

XVI.

landum. Et verò ille se egregiè fortem adversus Dalmatas & Ungaros, bellis difficilibus, præstiterat. Ne quid rerum novarum moliretur, Conradus jussit eum Saxoniæ dominatu esse contentum, & in posterum Franconiâ abstinere. Henricus eâ potentiæ diminutione vehementer uri, Saxoniæ legiones contra Regem fremere, ejus accusare inhumanitatem & accepti beneficij oblivionem, quâ in primo statim regni aditu familiæ de se optimè meritæ, à qua sceptrum de manu in manus acceperat, veteris fortunæ ornamenta detraheret, redigerétque in angustum ditiones, sine quibus ipse crescere non potuisset. Illúdne sit præmium factorum fortium & integerrimæ fidei, quibus hactenus Henricus excelluisset? Id si magno Principi tolerandum sit, quid futurum porrò sit Saxonum promiscuæ multitudini præter ludibria, bonorum direptionem, novásque indies compedes servitutis? Sensit Conradus Henrici Saxonúmque indignationem, quam in cassum nisus est, speciosis promissis, & amplissimâ Henrici commendatione discutere. Quare Henricus, quod Regis voluntate non poterat, decrevit armis impetrare. Principes alij, qui id exemplum ad se quoque pertinere arbitrabantur, fœdus armorúmque societatem cum ipso paciscuntur, & comparant bellum periculosum. Inter fœderatos fuêre, Arnoldus, alijs Arnulfus, Bojorum Dux, qui & ipse credebatur regno imminere: Burcardus Suevorum rector: Everardus princeps Franconum: Giselbertus Lotharingus, vis ingens & formidanda, quæ præter tot Germaniæ gentes, ipsam quoque Austrasiam trahebat in Henrici partes. Conradus periculi magnitudine haud mediocriter commotus, versare cœpit trepida consilia. Henricum, redditâ Franconiâ, mitigare mutatâ sententiâ, grave & indecorum erat majestati, & quædam metûs professio animíque inconstantis. Et verò ambiguum erat plenúmque discriminis, ne qui viribus imminutis cœperat irasci, ijsdem receptis, ex professo fureret. Armis ulcisci rebellionem non erat integrum, propter tot Principum factionem, quæ facilè dissui non poterat. Et apertè Saxonicæ legiones defecerant, ambigua erat cæterarum fides.

Sigeb. ad an. 914. Vrsperg. alij

XVII. Inter hos rerum rationúmque conflictus, Hatto Moguntinus Archiepiscopus, ingeniosus fallendi artifex, ille ipse, qui Adalbertum Babenbergensem in fraudem induxerat, modum fertur suggessisse belli finiendi. Sed eum Annales tam puerilem describunt, ut, qui hodie & olim fuêre paulò cordatiores, vix animum induxerint, ut crederent, consilium usque eò nefarium & stolidum incidisse ingenio tam excocto & veteratorio. Et sanè, si, quod aliqui asserunt, verum est, Hattonem vivo Ottone Henrici parente desijsse vivere, scelus meditari non potuit. Verùm Lambertus Schafnaburgensis, Regino, Marianus Scotus, Hattonem, scribunt, anno hujus sæculi duodecimo Moguntiæ obijsse. Moguntinum Manuscriptum, quo Serarius usus est, ponit annum DCCCCXIV. Bruschij Catalogus, Hermannus Contractus numerum uno anno minuit. Ditmarus, Urspergensis Abbas, ajunt, illum ante has turbas obijsse, & quidem 12. Cal. Decembris, uti quidem conijcio, anni DCCCCXII. Ut ut ista se habeant, stropha, quam ab Hattone adornatam ferunt, suâ se simplicitate videtur confutare. Ajunt, fuisse consilium, Henricum dolo tollere. Eam ad rem, si verum habent scriptores, Hatto curavit torquem auream apud artificem, quam Henrico, specie honoris, donaret. Locus tempúsque exequendi facinoris, ædes Hattonis & epulæ, ad quas Henricus erat invitatus. Rebus ita comparatis, Hatto, visendæ torquis causâ, ingressus ad aurificem, opere conspecto, altum ingemuit, rogatúsque causam mœroris, respondit, aurum, tam bellè concinnatum, sanguine humano debere tingi. Aurifex subodoratus fraudem, Henricum monuit, caveret convivium & aurum fatale. Henricus, compertis insidijs, cùm ad cœnam vocaretur, invitatori dixit, iret ad Hattonem, diceretque, Henricum cervicem habere, nihilo, quàm Adalbertum, rigidiorem: eum domi lætiùs epulaturum. Nec mora, Henricus Turingiam aliáque loca redegit in suam potestatem. Ista licet nihil, aut parùm persuadeant, adhæsit tamen Hattonis famæ labes vaframenti, quam nullus adhuc satis potuit eluere; ut proinde Mali cognomen, in Manuscripto minori Moguntino, in Chro-

Serar. in Hattone.

Ditm. lib. 1. Chron.

Chronico Monasteriorum apud Bruschium aliosque sit consecutus. Quidam scribunt, eum fulmine tactum perijsse; alij mœrore contabuisse; nonnulli, in Merceburgensi Martinopolitano conflictu, adversus Henricum proConrado pugnantem, occubuisse; alij denique, in Æthnæos ignes conjectum fuisse, auditámque in aëre, inter vehementes tonitrui fragores, feralem vocem,

Sic peccata lues, sicque ruendo rues.

In ista Scriptorum discrepantiâ, quid vero sit propius, meum non est decernere: id saltem est extra dubium, Henricum Conrado intulisse bellum, diuturnitate grave ac molestum, & fortunâ varium, in quo tamen Henrici virtus partes tulit potiores. Inter ejus fœderatos, primas gessit Arnulfus Princeps Bojariæ, quem Ludovicus Rex ex Luitpaldo natum, tum ob egregiam indolem, tum ob parentis merita, Boico limiti imposuerat. Eum Aventinus, sed sine teste idoneo, vult Regem fuisse creatum: verùm Aventino antiquiores, non Regem, sed Ducem, aut Principem Boicæ appellant, ídque meritò. Nam uti videre est ex annis præcedentibus, postquam Bojaria Germaniæ regno fuit contributa, hæsítque penes Caroli Magni stirpem, tametsi regni nomen retinuerit, ei tamen à Rege, perinde atque alijs provincijs, dabantur præfecti, cum vicariâ duntaxat authoritate, qualis erat Comitum limitaneorum. Fiebat proinde, ut, nisi subinde aliud à Rege statueretur, Comites ex regio beneficio præfecturas ad filios transmitterent. Unde res paulatim eò producta est, ut, si Comites populos benefactis & æquitate sibi devincirent, ij solos præfectorum filios ad gubernationem admitterent, & armis adversus Regem aliquando tuerentur: quo denique factum, ut Comites sibi suísque posteris perpetuum quoddam præfecturæ jus arrogârint. Id maximè contigit sub Ludovico Rege Arnulfi filio, quo puero, crevit Comitum provincialium magnitudo & fidentia, quæ Conrado Rege magis stabilita, beneficiariam clientelæ regiæ hæreditatem induxit. Id fuit sub Conrado pronius, quòd ipse præturæ perennis usurpationem in Franciam Orientalem invexisset. Crevit in majus ea res sub Henrico Rege, qui Conrado successit: nam & Otto ipsius parens (Witikindo teste) primus liberâ potestate regnavit in Saxoniâ, tametsi ab Hermanno Comes tantùm nominetur: sed enim Comitis, Ducis, Principis, Marchionis tituli, promiscuè ab istis scriptoribus usurpantur, ut idem significent. Ergo Henricus, Ottone defuncto, suis auspicijs Saxoniam & Turingiam invasit: Luitpaldus Dux fuit Bojariæ, cui anno DCCCCIIX. successit Arnulfus, ampliore dignitatis vocabulo, dictus Dux & Princeps Bojariæ, manente tamen penes Regem summâ, quam directam nuncupant, dominandi potestate. Nec verò crediderim, ex eo tempore, quo se Henrici factioni adversus Conradum adjunxerat, ita regis authoritatem esse aspernatum, aut exuisse reverentiam, ut ei se ferret æqualem; sed, quod in civilibus bellis usuvenit, nimiam Conradi in Principes licentiam, & publici injurias, unà cum suis asseclis obtentui habuisse. Fuit tamen haud paulò irarum retinentior quàm fœderati. Etenim Burchardus Suevus, Everhardus Franco, & Giselbertus Lotharingus, armis positis, in Conradi gratiam fuêre recepti: Arnulfus autem implacabilis, unà cum uxore & liberis ad Ungaros profugus, usque ad Conradi mortem vixit extorris. Ejus exemplum, non tamen exilium, secuti sunt, Erchangerus regij fisci apud Alemannos administrator, & Bertholdus ejus germanus, Arnulfi patrui, sive avunculi, qui dignitatis suæ fines egressi, titulos altiùs extulerunt; hoc, opinor, obtentu, quòd ipsi, cùm Caroli Magni stirpem attingerent, plus sibi deberi crederent, quàm alijs minùs illustribus, eò præsertim, quòd reliqui Proceres paulatim ad principatuum qualiacunque jura adreperent. Eos tamen formam aliquam novi dominatûs sibi sumpsisse, vel inde apparet, quòd, antequam Arnulfus in exilium abiret, communibus armis, gloriosam & salutarem operam Arnulfo sociati, suis auspicijs præstiterunt, anno sæculi tertiodecimo.

XIIX. Arnulfus Princeps Boiariæ.

XIX. *Sigebert. ad an. 914.* Arnulfus exulat.

An. Christ. DCCCC. XIII.

Ungari ex rapto, per id tempus, assueti vivere, tributum Ludovico Regi imposuerant. Eo rebus humanis erepto, Conradum successorem & Arnulfum Boicæ præfectum, per legatos adeunt, poscúntque annuam pensitationem, quæ si non

non repræsentaretur, fore, ut omnia longè latéque solo æquarent. Arnulfus, cui propiùs imminebat tempestas, negat, se quicquam ejusmodi pactum esse, nedum assuetum ferre minas, aut exterorum imperia: quòd si Ungaris incesserit prædandi libido, viros ferrúmque reperturos. Sub hæc jubet imbellem turbam cum liberis & re domesticâ migrare in urbes & loca tutiora. Ungari responso irritati, continuò in Boicam irrumpunt, & trajecto Anasso, per Norici fines secundum Oenum provecti, ingentem equitatum Oetingam usque, qui locus copijs universis dictus erat ad conveniendum, producunt. Arnulfus, adscitis in auxilium Erchangeri Alemanni, & fratris, unàque Udalrici Comitis, legionibus, è Boicis centurijs justum exercitum educit, ejúsque potissimam partem locat in insidijs, ut pugnam videretur detrectare, augerétque apud hostem periculi contemptum, immodicam sui fiduciam & excubiarum neglectum. Inter hæc ipse cum expedito paucorum equitatu, velut certaminis fugitans, subinde promicabat. Ubi processerant Ungari ad dispositas insidias, jámque erant ad Oeni trajectum comparati, subitò Arnulfus, eductis in apertum copijs, antè quàm coirent in aciem, à fronte, à tergo, & utroque latere sic eos agit in arctum, ut spatium non haberent equitatus explicandi. Tum facto ex omni parte impetu, conglobatos, & inopinata turbatione perculsos, jubet à turmis & legionibus impelli, & intercludi receptum, nisi quâ parte ad Oenum patebat aliquid effugij, quod ipsum, signo accepto, reddebant infestum Boij, qui adversam Oeni ripam occupabant. Fit igitur strages plurimorum, & fuga omnium. Qui fugam ad Oenum intenderant, pars obtruncati à tergo, pars hausti flumine, pars, dum amnem tranant, telis confixi. Est, qui scribit) omnes internecione fuisse deletos; alij, non ampliùs triginta, fugâ, vel Arnulfi clementiâ, servatos. Reginonis continuator scribit, Ungaros partem Alemanniæ vastâsse, quod factum oportuit, antequam ad Oenum cæderentur, & Erchangerus injuriâ concitatus, ulciscendi gratiâ suas copias Arnulfo conjunxisset.

Arnulfi de Ungaris victoria. XX.

Funesti fuerunt sacris Antistitibus anni aliquot. Hatto Moguntinus, si Hermanno fides est, hoc anno extinctus est. Anno superiore Otbertus Argentinensis ab hostibus interemptus, instinctu (ut apparet ex actis Synodi Altenheimensis, Richwini Episcopatûs invasoris. Everardus Spirensis ab Erenhardo & Conrado Comitibus orbatus oculis. Anno decimoquarto, Salomon Constantiæ Episcopus, idémque S. Galli Abbas, vir integerrimus, in vincula conjectus. Erckangerus ejúsque frater, cùm, victoriâ recens inflati, multa facerent improbè, habebant Salomonem obnitentem: quod cùm illis ægrè esset, eum traxêre in carcerem: quam injuriam visus est DEUS ulcisci, immissis in Alemanniam Ungaris, quam totam ferro flammísque, crudelem in modum, deformârunt, & Turingiam Saxoniámque pervagati, Fuldam usque direptiones & incendia protulerunt. Sed & Conradus Rex, Salomonis Episcopi sortem miseratus, veris eam lachrymis est prosecutus, negavítque in publico procerum comitio, quod egit Moguntiæ, tanti facinoris indignitatem aliter, quàm patratorum sanguine posse deleri.

Mors variorum Antistitum. An. Christ. DCCCC. XIV. *Salomon Constantiensis inique vexatus.* An. Christ. DCCCC. XV.

Quam sententiam ut sacrorum Principum assensu firmaret, anno decimo sexto, concilium Altenheimij, qui in Rhætiâ pagus est, jussu Joannis X. Pontificis Maximi ab Herigero Moguntinensi Archiepiscopo indictum frequentavit. Concilio adfuit legatus Pontificius Petrus Episcopus Ortonensis. Damnati capitis Erckangerus & complices, in quibus Luitfridus; affectíq; supplicio, anno sequenti, ad villam Adingam, 12. Cal. Februar. cùm se Conrado spe veniæ inconsultò stitissent, immemores, procul esse debere ab irato Jove, qui velit esse tutus à fulmine. Eorum bona in fiscum redacta.

An. Christ. DCCCC. XVI. *A Cæsare vindicatur.* XXI. An. Christ. DCCCC. XVII.

Conradus ad eum modum factiosos redigebat in eum statum, ut nocere non possent. Supererat Arnulfus Bojus, nondum redactus in ordinem. In eum oportuit validum exercitum educere. Prælio aggressum Conradus superavit, non sine tamen suo & suorum sanguine. Nam, accepto vulnere, victor tamen, Arnulfum fudit fugavítque. Ne in eum capitali pœnâ animadverteretur (quod antè

Regino. Witichind. pag. 12. *Arnufus Bojus profligatus.*

antè dixi) profugit ad Ungaros, cum quibus anno superiore fœdus inivérat, quod testantur tum Veterum, tum recentiorum monumenta. Aventinus (quo authore incertum) eum putat bis profugisse; semel Salisburgum, iterum ad alpes Noricas inque Carantanos; bisque reversum, Boicam, pulsis regijs, recepisse. Conradum item Reginoburgum, pulso Arnulfo, semel iterum ad deditionem adegisse: verùm ex Sigeberto constat, Arnulfum semel duntaxat ad Ungaros profugum, exilij mala, usque ad Conradi obitum, toleràsse. *Luitprand. Otho Frising. Vrspergen. Arenbeck. Staindel. Vitus Ebersp. Sigeb.*

EXULAT IN UNGARIA. AN. CHRISTI DCCCC. XIIX.

Dum abesset, Eberhardus Conradi frater Boicæ præfecturam gessit, parùm benevolis gentis studijs, quæ iniquè ferebat rectoris externi jugum. Conradus Rex, rebus utcunque apud Bojos ordinatis, in Hersfeldense Monasterium, afflictâ valetudine, concessit; Arnulfus Comes scribit, morbum illi divinitus fuisse immissum, in pœnam sacri spolij, quod memorat in hunc modum fuisse admissum. Cùm Reginoburgo abiturus, more priorum Regum, ad demerendum D. Emmerammi patrocinium, ejus basilicam adijsset, precibus absolutis, Arnulfi Imperatoris & Ludovici filij Mausolea visenti, è domesticis quispiam suggessit, esse in sacro Divi Martyris thesauro librum, ob scriptionis elegantiam, regijs oculis dignissimum. Regem incessit cupiditas, ejusce non videndi modò, sed etiam retinendi: nec defuêre assentatores, qui dubitanti, an fas esset rem, Divo sacram, auferre, omnem facti religionem abstergerent, quasi omnia forent in Regis potestate. Tuto urbis Episcopus, modis omnibus factum dissuasit, & Ministros, qui id auderent, diris devovit. Conradus ejus monita sùsque déque habens, cupiditate superatus, librum jussit auferri. Brevi pœna secuta est: immissi in viscera dolores acerbi adegerunt, ut crederet, Divum suas opes repetere. Restituit ille quidem, sed tormina non sustulit: eum enim viscerum tortores in Franconiam sunt comitati. Cùm sentiret, se ad extrema vi morbi properare, rem fecit rari prorsus exempli, quâ se ostendit Christianæ charitatis egregiè retinentem. Optimates, quos, suprema mandata editurus, accersiverat, in hanc sententiam, ægro quidem corpore, sed mente vegetâ compellavit. *Propè, viri amici, absum ab extremâ vitæ lineâ, ad quam properamus omnes. Ex quo mihi imposuistis diadema, vobis magis, quàm mihi consului: jam quando illius deponendi instat articulus, debeo quoque mihi & Reipublicæ consulere. Quò fio propior immortalitati, eò perspicatiùs video rerum momenta, animúsque supra se eminens, agnoscit se natum æternitati potius, quàm regno, quod sensi ac gessi varium, laboriosum, incertum, verbo, ærumnosum. Quòdsi bono publico non laboràssem, morerer anxius; sed, DEO laus, præ Republicâ me neglexi. Vos mihi testes estis, an quicquam periculi subterfugerim, an auxerim rem privatam, an sim insidiatus fortunæ alienæ. Fateor, regni jura tutatus sum, ne paterent privatorum injurijs. Hinc factiones, rebelliones, bella, quibus immorior, nec depono tamen curam rei communis, quam cuperem salvam, integram, fortunatam ad posteros transmittere. Id, credo, in meâ & vestrâ est manu. Qualem nos præstabimus, talem nobis famam rependet posteritas, quæ de nostro facto incorruptè judicabit. Eam ut gloriosam paremus, conspirato opus est, quod singulorum studia colliget vinculo publicæ felicitatis: quæ si viguerit, res privatorum sustentabit; si defecerit, & publica & privata ruent in exitium. Ne vos diu suspensos teneam, Rege bono opus est, qui fasces, quos, Othone, mortalium ævi sui sapientissimo, suadente, vos mihi detulistis, excipiat, gerátque eâ moderatione, justitiâ & fide, quam leges regnorúmque jura à regibus reposcunt. Nos ut talem citra errorem deligamus, seponendi sunt affectus sequiores, ne nos à patriæ charitate ad privatos sensus seducant. Henricus Othonis filius, vestrâ, haud dubiè, confessione, graves dedit causas, quamobrem me sentiret aversum, & in hodiernâ deliberatione alienum. Sed omen avertat DEUS, ne iræ, quamlibet justæ, in hoc temporis momento, indulgeam. Dono ex animo professas inimicitias DEO & saluti communi. Volo extare certum pignus gratiæ reconciliatæ. Repeto, quod dixi; Exuendus est animus pravis affectibus, respublica spectanda est. Utrumque vos hodie mecum facite. Henrici militarem virtutem, morum amœnitatem, prudentiam, felicitatem, regias dotes, vobis ante oculos ponite. Si quietem vultis, arma illi excutite, non vi, quâ nondum potuit superari, sed beneficentiâ, quâ solâ vincitur animus*

ARNUL. LIB. 1. DE S. EMMERAM. C. 6.

CONRADI CÆSARIS MORBUS IN POENAM SACRI SPOLII.

SUCCESSOREM LEGIT HENRICUM AUCUPEM. XXII.

mus

mus generosus: sentiat apud vos sui pretium & amorem. Ego sanè, quod mearum est partium, quamvis multi ex vestro cætu, immo plerique meo obversantur animo, perquam digni fastigio, tamen Henricum judico esse dignissimum, & talem, de quo vobis possitis optima quaque & privatim & publicè polliceri. Quòd si mecum sentitis, fateor, me meorum votorum supremum, & in rebus mortalibus gratissimum esse consecutum. Cùm talia germano candore dicenti nemo refragaretur, ad Everhardum fratrem conversus: *Non ægrè* (inquit) *accipies, mi frater, meum de Henrico judicium, te prætermisso, quem, si meum genium fuissem secutus, mortalibus omnibus prætulissem: sed fortunam tibi lego meliorem, quia pacatiorem, cujus cupio te esse architectum; quod facilè consequeris, si Henricum, quâ Regem decet observantiâ, colueris. Ego illum successorem iisdem rationibus deligo, quibus Otho ejus parens, filio præterito, me delegit ante septennium. Id meis verbis per te ipsi velim renuntiari, & in fidei certum pignus augustalia omnia deferri, cum totâ gazâ regiâ, quæ est in ærario. Si me amas, hoc tu officio fungitor, & Henrico regni, omniúmque, qui eum regem optant, salutem commenda.* Rebus ad eum modum compositis, spiritum cum regno posuit 14. Calend. Novembris, anni duodevigesimi. Regnavit annos septem, & Fuldæ Regio mausoleo est illatus. Fecit Everhardus imperata. Henricus, compertâ Conradi & procerum voluntate, animum in potestate sic habuit, ut, ne mutato quidem vultu, pro oblatæ dignitatis apparatu, hæserit ambiguus, velléte humeros purpuræ subjicere, quos nec subjecisset, nisi victus omnium procerum judicio, animum mutâsset. Ut verò se inungi & diademate redimiri pateretur, quòd eo se honore putaret indignum, adduci non potuit.

XXIII.

MORITUR.

HENRICUS NON SINIT SE INUNGI.

Vrspergen.

AN. CHRIST. DCCCC. XIX.

Ea modestia tantò visa mirabilior, quòd ejusmodi ritus inaugurationum valeant ad conciliandam in vulgus authoritatem, & reverentiam, &, quod caput est, ad exoranda propitij Numinis auxilia. Certè Henrici factum DEO non usque adeò placuisse, S. Udalrico, D. Afrâ, & S. Petro, internuncijs, est ostensum. Optimo Præsuli Princeps Apostorum duos gladios cœlesti viso exhibuit, quorum alter erat integer, alter carens capulo; cum dicto, referret Henrico, ensem mutilum, eum designare, qui sine unctione populo præesset, alterum capulatum, indicare eum, qui per sacræ benedictionis ordinationem divinitus esset consecratus. Otho Frisingensis, & alij quidam, ostentum ad Arnulfum Bojorum principem perperam & invidiosè detorquent.

Ditmar. lib. 1. c. 10.
Vita S. Vdalric. §. 13.
Baron. hoc. anno.
Otho Frising. lib. 6. c. 18.

AN. CHRIST. DCCCC. XX.

XXIV.

BURGHARDUS BELLATOR REDIT AD OFFICIUM.

Witichind.
Vrsperg.

Cæterùm Henricus, cognomento Auceps, summâ rei potitus, animum adjecit ad regni dissidia, eósque Principes coërcendos, qui res novas moliri videbantur. Anno superiore Burghardus Dux Alemanniæ, correptis armis adversus Rudolfum Regem Burgundiæ, qui olim ejus erat gener futurus, ad Winterthurum memorabilem victoriam retulerat, eóque fidentiùs desciverat ab Henrici obsequio, quòd Martem adhuc faventem esset expertus: unde illi ob eximiam rei militaris peritiam, nomen Bellatoris attributum. Hic tamen, quâ erat prudentiâ, ubi sensit, Henricum cum valido exercitu imminere, causæ & viribus diffidens, conversus ad consilia pacatiora, maluit Henrici clementiam, quàm arma experiri. Rex eum haud gravatè recepit in gratiam, cùm se suáque ejus arbitrio dedidisset.

ARNULFUS REDUX IN BOIARIAM.

Witiching.
Vrsperg.
Luitprand.

Arnulfus Bojus, inter hæc, compertâ Conradi morte, cum totâ familiâ in Boicam rediverat, itáque se ad excipiendas Henrici iras comparaverat, ut non obscurè præseferret animum vindicandæ veteris majorum dignitatis. Eum, quidam scribunt, ab Henrico Ratisbonæ obsessum, ad Regis colloquium venisse, & recuperatâ gratiâ, ipsius se fidei permisisse. Alij verò asserunt, Arnulfum non expectato Regis in Bojariam adventu, collectis undique copijs vim objecisse, supremæ dimicationis aleam non refugiturum. Cùm verò res in eo esset, ut veniretur ad manus, Regem pro suâ sapientiâ, revocato ad animum, quanta virorum fortissimorum jactura, quicunque demum foret pugnæ exitus, esset secutura, si signa committerentur: ultrò per caduceatorem postulâsse solitarium Arnulfi colloquium. Hic, cùm se crederet ad singulare certamen provocari, medio inter acies

spatio,

spatio, congressus cum Rege, cum nihil hostile, sed mutuam animorum consensionem suadentem sic audijt; ut damnatâ pertinaciâ, petitâ ad deliberandum morâ, rebellionem aversaretur. Renuntiavit Henrico, se atque unà exercitum fore in ejus potestate, si citra honoris, incolumitatis, priscorúmque jurium imminutionem in gratiam reciperetur, cum additamento antiquæ potestatis, quâ sibi posterísque foret integrum, Boicæ Pontifices in demortuorum locum cooptare, quod eâ tempestate inter jura regia habebatur. Henricus omnia benignè pollicitus, eum deinceps inter amicos habuit, permisso titulo principatûs. Id fœdus sacris nuptialibus firmatum. Herpirga Henrici filia, Arnulfi filio nuptum tradita: vicissim Henricus Junior, Othonis Magni frater, Juditham, Arnulfo natam, duxit. PACEM cum HENRICO COMPONIT.

Pacatâ Bojariâ, Arnulfus Reginoburgum cœpit eâ parte, quâ Arnulfus Imperator urbis pomœria ampliaverat, mœnibus circumplecti, & pro ævi istius ruditate, ædificijs exornare, eò maximè, quòd isthic Boicæ Duces ut plurimùm degerent, & comitia consuêssent agitare. Unde varia Pontificum & Magnatum prætoria, in quibus diversarentur, quo tempore Principis aulam, vel conventus frequentarent. Eâ tempestate D. Emmerammi Cœnobium, quod nondum urbani muri cinctu claudebatur, inclusum intra mœnia. AN. CHRISTI DCCCC. XXII. RATISBONA AMPLIATA. XXV.

Hoc anno habita Synodus Confluentina, in quâ, præter cætera, cognationis in contrahendo matrimonio vitandæ, leges, eo tempore satis incertæ atque solutæ, ad certos gradus sunt revocatæ. Henricus Germaniæ Rex, Carolo Simplici Francorum Regi Bonnæ est collocutus, obtinuitque, ut fœdere inito, Caroli voluntate Lothariense regnum obtineret. Eâ Regis facilitate offensus Heribertus Veromanduorum Comes, Roberti Andegavensium Ducis gener, Carolum, velut rei Francicæ negligentem, per speciem regni meliùs ordinandi, ab Henrici Regis congressu abstractum, conijcit in custodiam. Miser princeps, quisquis regitur alieno arbitrio. Aliâ ex parte, Wigericus Mediomatricorum Antistes, caput novæ factionis, author fit nonnullis Lotharienfium Optimatibus, Rudolfum Burgundiæ Regem, Lotharingiæ imponendi. Herveus Remorum Archiepiscopus, cujus magna erat apud Simplicem authoritas, sed fluxa fides, ad firmandam suam factionem, & prætexendum bello aliquod nomen, Robertum Andegavensem, pontificijs cæremonijs Regem renuntiat. Qui è Lotharienfibus Rudolfum Burgundum aversabantur, cognito, Wigericum illi honoris causâ processisse obviam, nihil cunctati, Henricum Aucupem è Germaniâ ad regni capessendâ possessionem evocant. Ita pessimo publico res sursum deorsum, per diversas conspirationes, velut navis sine nauclero, versabantur. Henricus nihil cunctatus, Wigericum, Metis obsessum, cogit ad deditionem & abjurandam Rudolfi factionem. Carolus Simplex, solo Rex nomine, quippe qui ne quidem liber esset, ab Heriberto in custodiâ tenebatur, donec à Rudolfo alienatus, & fide desultoriâ conciliatus Henrico, vela vertit, obtentu dirarum, quas Joannes Summus Pontifex erat interminatus, nisi Regem redderet libertati. Denique armatæ Francorum pro factiosis, & Germanorum pro Carolo Simplice, copiæ, venerunt ad ipsum Franciæ umbilicum. Magnum belli momentum, utri Parisios primi occuparent: magni utrinque animi: verùm Roberto Odonis, Franciæ nuper Rectoris, fratri, factionis antesignano, fata exitium properabant. Ejus ductu Francorum arma regebantur. Demum exercitus per Suessionensem agrum progressi, in conspectu Parisiorum acies instruxerunt, ut in eo velut theatro, Marte arbitro, causa omnium, eâ tempestate gravissima, decerneretur. Prælium animorum acerbitate cædibúsque committitur atrocissimum. Henrico Aucupi causæ æquitas, Caroli Simplicis innocentia & Roberti casus, victoriam addixit, eripuit factiosis. Dum enim Robertus, inter primos pugnans, hostem urget acriùs, incautus cum primis occumbit; parens Magni Hugonis, avus Hugonis Capeti, cui Numen Franciæ sceptrum destinaverat. Roberto occiso, devicti exercitûs reliquiæ manserunt in potestate Heriberti. Carolus Rex victoriâ in suam perniciem abusus, ultrò pacem offert Heriberto, sibique patitur persuaderi, ut citra obsides, aliúdve pignus securitatis, ad

SYNODUS CONFLUENTINA. TURBÆ GALLICÆ. XXVI. PRÆLIUM PARISIENSE. VICTORIA PENES AUCUPEM. CAROLUS SIMPLEX BIS CAPTIVUS.

ad D. Quintini fanum, inermis ad pacem conficiendam conveniat, Rex ad subditum, dominus ad perduellem. Convenit candida anima, rursúsque per summam perfidiam captivus attinetur, Suessionem trahitur, cogitúrque, Rudolfo Regi Burgundionum, regnum regnique titulos transcribere: quæ eum calamitas, mœrore confectum, Peronæ absumpsit, reliquitque exemplum, quod Principes possit sui periculi, & cavendi perfidorum ministrorum insidias, admonere. Filium reliquit Ludovicum Transmarinum.

An. Christ. DCCCCXXIV. XXVII. Augusta Vindelicorum servata a D. Udalrico.

Inter hæc, Arnulfum Boicæ Principem, muniendo Reginoburgo insudantem excepêre motus Ungarici, quibus devastatos Norici fines meminit Eccardus Junior, quos est credibile ab interiore Boicâ, propter fœdus cum Arnulfo initum, abstinuisse. Augustam Vindelicorum servavit D. Udalricus, è nobilissimâ Comitum Kyburgiorum familiâ oriundus, quem haustâ in S. Galli asceterio cœlestis vitæ sapientiâ, tametsi modis omnibus renitentem, Ordinis sacri populique suffragia, accedente Henrici Regis authoritate, isto anno ad ejusce civitatis Episcopatum rapuerunt. Urbem tutatus est non armis, sed castissimis teneræ infantiæ vagitibus. Jam mœnibus insultabant Barbari, cùm Udalricus infantes omnes, totâ civitate conquisitos, jussit in Basilicam comportari, & humi sparsos, lamentabile hominibus, Cœlitibus jucundum spectaculum exponi, ut suâ comploratione iratum Numen ad clementiam, & innocentis ætatulæ commiserationem inflecterent. Id factum non longè abludit ab eo, quod fortissimo Machabæo Duce editum, quando in domum orationis attulerunt *ornamenta sacerdotalia & primitias & decimas, & suscitaverunt Nazaræos, qui impleverant dies, & clamaverunt voce magnâ in Cælum dicentes: quid faciemus his, & quò eos ducemus?* Quemadmodum Machabæo numen propitium in summo discrimine adfuit, ita non deseruit Augustanos. Ungaris à muro submotis, eorum fortuna melior multò fuit, quàm cæteræ Alemanniæ, Franconiæ, Alsatiæ, Galliæ, in quas Barbari ferocissimè grassati, truculenta hostilitatis exempla ediderunt.

1. Machab. 3. 49.

An. Christ. DCCCCXXV. B. Wiborada Virgo ab Ungaris occisa: Rachildis servata divinitus.

Patuit illorum direptioni S. Galli Monasterium, apud quod B. Wiborada Virgo ante novem annos arctam ingressa cellam, post vitam sanctè peractam, ab illis crudeliter est trucidata, Rachilde Virgine, quæ eodem contubernio utebatur, divinitus servatâ. Wiboradam luxit Udalricus, quòd meminisset, se sapientissimis ipsius monitis magnos in virtute progressus fecisse. Acceperat, ad castimoniæ præsidium, Zonam ejus manu elaboratam, & pululillum setis horridum, quem capiti substernebat, quo, velut efficaci remedio, adversus impurissimi dæmonis insidias & carnis petulantiam utebatur.

XXIIX. Induciæ cum Ungaris. Belli apparatus.

Ungarorum procellam Henricus Auceps à Saxoniâ, pactis inducijs, avertit. Cùm enim eorum principem vivum cepisset, &, oblato lytro, negasset se eum dimissurum; illi, pactâ novem annorum pace, Ducem redemerunt. Tempus induciarum Henricus dedit muniendis urbibus, ædificandis ad fruges condendas horreis, cui labori locabat operam nonus quisque colonorum, dum, qui in agris terram exercebant, publicis operis cibaria præstare tenebantur. Conscripsit simul legionem ex fece facinorosorum hominum, quos furtum & latrocinia fecerant capitales. Horum operâ usus est contra Barbaros eò fructuosiùs, quòd non modò patriam nocentissimo hominum genere repurgaret, sed etiam arceret hostes è vicino alioqui nocituros.

An. Christ. DCCCCXXX. *Arenbeck, Staindel, Selender. Aventin.* Dedicatio Basilicæ D. Viti, Pragæ.

Anno trigesimo, Arnulfus Bojus in expeditione Bojæmicâ Henrico Regi auxiliares copias adjunxit. Nam gens à Boijs sæpius domita, regijs armis id temporis, incertum quâ causâ, petebatur. Quisnam eâ tempestate rerum apud Bojæmos potiretur, ambiguum fecit scriptorum dissensio, alijs Boleslaum, alijs Boleslai patrem, qui Sigeberto dicitur Vatizlaus, alijs Spitigneum Ducem D. Wenceslai patrem, nominantibus. Henricum Pragæ deditionis necessitatem imposuisse, & Bojæmiam reddidisse vectigalem; Tutonem quoque Ratisbonensem Episcopum, ajunt, Arnulfum in Bojæmiam esse comitatum, & ædem D. Vito positam sacro ritu dedicâsse. Quod si ita habet, ista dedicatio fuit inter postremas vitæ laudatissimæ actiones, quibus Tuto constantem pietatis famam est consecutus, eâ

cum

cum laude, ut inter optimos Antiſtites vivus mortuúsque vulgo habitus ſit. Sed quia ex Ratiſbonenſi Indiculo conſtat, Tutonem anno DCCCXCI. mitram accepiſſe, & triginta ſex annos geſtâſſe, non eſt vero ſimile, eum piam iſtam operam dediſſe baſilicæ Pragenſi. Coſmas Pragenſis ad Michaelis Antiſtitis, qui quintus à Tutone Ratiſbonenſem Eccleſiam rexit, differt D. Viti baſilicæ dedicationem. Eam alij reijciunt ad S. Wolfgangi pontificatum ex S. Wenceslai vitâ.

Cæterùm, Tuto fuit à ſecretis Arnulfo Regi Bojariæ, à quo munere acceptus eſt ad Epiſcopatum. Eum, ſcribunt, rerum abſentium & futurarum notitiâ cœlitus claruiſſe, &, cùm in ſupremâ ſenectâ oculorum caligine laboraret, cœli tamen arcana animo fuiſſe contuitum, támque non ægrè tuliſſe corporis cœcitatem, ut ſe diceret muſcis viſum non invidere. Eum, velut oraculum, conſilij causâ adibant viri apprimè oculati, neque dubitabant, ejus ductum ſequi in rebus agendis. Extat hodie ejus ſepulchrum apud D. Emmerammi tumulum. Sub ejus manu fertur Ratiſbonenſe Monaſterium Virginum, quod inferius vocant, conditum eſſe, ope Juthæ aviæ D. Henrici. *Arnulf. lib. 1. de S. Emmer. c. 6.* TUTO RATISPONENSIS EPISC.

Fluxerunt anni aliquot, rerum in Boicâ memorabilium, quæ ex profeſſo ad noſtrum pertineant inſtitutum, ſatis infœcundi. Neque enim huc propriè ſpectant contentiones Italorum, alium ſuper alios Reges, fortunæ & factionum ludibrio, producentium. Ut tamen, quo rerum ſucceſſu & cauſis Arnulfus Bojus in eundem ludum venerit, fiat planius, operæ pretium eſt, brevem mutationum ſynopſim ponere ſub aſpectum. Berengario, quem Boica bis exulem viderat, Italia bis regem receperat, Veronam pulſo, Rudolfus Rex Burgundionum regni Longobardici inſignia, Lamberto Mediolanenſi Antiſtite ſacris cæremonijs operante, Italis applaudentibus, induerat. Secuta Berengarij cædes fraude Flamberti proditoris. Eo ſublato, Longobardi mox à Rudolfo deficiunt, Burcardum Rudolfi ſocerum, Alemanniæ Ducem, Mediolano arcem, velut frenum Italiæ, imponere meditantem, interficiunt, & Rudolfum Longobardiâ eijciunt: accerſunt deinde Hugonem Arelatenſem Provinciæ Comitem, eúmque, Papiæ coronatum, ſummæ rei imponunt. Albericus Rudolfi privignus, natus Marchione Alberico, & matre Maroziâ, quam ſecundis nuptijs Hugo ſibi matrimonio junxerat; Is, inquam, Albericus ab Hugone vitrico per inſignem contumeliam alapâ percuſſus, cùm manus ante cœnam abluenti, aquam non ſatis urbanè fudiſſet, urbem Romanam invadit, & in vindictam acceptæ injuriæ vitricum Româ eijcit. Super hæc, Hugo Lambertum, ex Bertâ matre germanum, Tuſciæ Marchionem, quòd vereretur, ne ferox audáxque juvenis, conciliatis Italorum ſtudijs regnum, venali levitate toties proditum, occuparet, detruſum in vincula, ex merâ ſuſpicione exoculaverat. Crudelis nimirum eſt timida ambitio. Et verò Itali, rebus novandis aſſueti, cœperant faſtidire Hugonis imperia, quæ fœdabantur meretriciâ uxoris infamiâ, labes animi meticuloſi & crudelitas. Eapropter Rudolfum Burgundionem denuo ſuſpirabant, invitabántque ad faſces reſumendos, aleam quocúmque demum diſcrimine tentaturum, niſi Hugo eum, jurato fœdere, avertiſſet, eâ lege, ut ille quidem abſtineret ab Italiâ, ſed viciſſim omnes poſſeſſiones, quas Hugo in Galliâ tenebat, Rudolfo cederent. Ad extremum, cùm id conſilij Italis non procederet, ad Arnulfum Bojariæ Ducem animos adjecerunt. STATUS REGNI ITALICI. XXIX. *Luitprand. lib. 3. c. 3. & ſeqq.*

Defectionis authores fuerunt, Milo Comes & Ratherius Epiſcopus, uterque Veronenſis. Arnulfus, lenocinante legatorum pollicitatione excitatus, credidit, propoſitam conditionem non eſſe ſpernendam, ratus, ſe res proniores, quàm expertus eſt, reperturum. Igitur collectis, pro temporis anguſtiâ, quantis potuit viribus, per fauces Tridentinas in Italiam penetrat, Milonis & Ratherij adjumento Veronæ mœnibus recipitur, belli fortunam, ſine quâ Regni poſſeſſionem adire non poterat, ſuis & conjuratorum copijs experturus. Hugo, cujus dignitas potiſſimùm agebatur, perculſus præſenti periculo, eò maximè, quòd ſe Italorum pleriſque noviſſet exoſum, armatus accurrit, Veronenſem agrum locáque finitima excurſionibus infeſtat, nullóque loco Arnulfi militem patitur conſiſtere. Pars non AN. CHRIST. DCCCC. XXXII. XXX. ARNULFUS BOIUS VERONAM OCCUPAT.

modica in castrum Gausenimgum suscepta, factâ in hostes eruptione, ausa manus conserere, tantam accepit cladem, ut vix evaserit, qui eam nuntiaret. Arnulfus tot virorum fortium jacturâ commotus, cùm, viribus insigniter minutis, se Hugoni prorsus sentiret imparem, statuit, novas è Boicâ legiones adducere, atque interim, dum reparato exercitu rediret instructior, Milonem, obsidis loco, ad cavendam Veronæ defectionem, secum habere in custodiâ. Id consilium Milonem, intima quæque explorantem, non latuit. Captivitas visa homini cordato ipsâ morte gravior. Si confugeret ad Hugonem, verebatur promeritum perduellionis supplicium: si abiret è patriæ complexu, id verò indecorum, acerbum & ambiguum. Fluctuanti in his angustijs, placuit experiri Hugonis misericordiam, ad quem, Arnulfo insalutato, elapsus, spe majorem clementiam invenit. Arnulfo, cum ceterâ pugnatorum paucitate, tutum non fuit, Veronæ sedendo, obsidionem expectare, dubiâ civium fide, & arce, ob Milonis abitum, apertè defectionem ostentante. Nec vanus erat ab Henrico Rege Germaniæ metus (cujus amicitiam Hugo non multò antè regiâ munificentiâ erat nundinatus) ne ille res novas in Boicâ moliretur. Igitur redire in patriam omnium consultissimum. Ne tamen nihil egisset, arcem Veronensem retinuit in suâ potestate, omnéque ejus præsidium, unà cum Milonis fratre, qui munitioni præfuerat, secum in Bojariam traxit captivum. Eo digresso, Hugoni promptum fuit, Veronam recipere, eâque receptâ, Ratherium Episcopum, velut perduellem, exilio damnatum, Papiæ attinere. Atque is quidem fuit exitus operosæ expeditionis.

DRACOLFUS FRISINGEN. EPISC. MERGITUR. XXXI. *Staindel. Hund. Gretser. in Catalo. Episcop. Eistett.* SYNODUS DINGOLFINGENSIS.

Tristis secutus est Dracolfi Frisingensium Antistitis excessus. Is Episcopatum per annos viginti sic tenuerat, ut ex languore, quem adhibuit in procurandâ gregis sui salute, tepidi nomen sit consecutus. Accessit immodica profusio, quâ Ecclesiæ facultates, antecessorum parsimoniâ atque industriâ conquisitas, insigniter attrivit. Frisingâ exhaustâ, Mosburgensis, Isenensis & Scheftlariensis, Ecclesiarum opes abligurijt: cúmque indignè præfuisset, Danubij fluctibus, ipso D. Urbani die abreptus, Wolframo longè meliori vacuam sedem reliquit. Hic Episcopatum adierat, cùm Arnulfus redux ex Italia, Dingolfingæ, ad Isaram, concilio adfuit, quod celebraverunt quinque Episcopi, Hildebertus Salisburgensis, Eisengrinnus Ratisbonensis, Gerardus Passaviensis, Wolframus Frisingensis, Nithardus Sabionensis. Pro Udalfrido Eistettensi interfuêre, Sarcolochus & Gotbertus Chorepiscopi. In eo conventu seriò actum, de instaurandâ Cleri disciplinâ, de restituendis Ecclesiarum possessionibus, quæ Arnulfi indulgentiâ ab alijs detinebantur, unde profectæ sunt querelæ, & Arnulfo accrevit Mali cognomen. Eodem tempore redhibitæ Wolframo Episcopo Majæ & Caninæ; vici item & prædia propè Tirolios in Vennonum Athesísque valle. Successit sacrarum ædium instauratio, quas bellorum injuriæ labefactârant. Ex actis decretisque Synodi videre est, Arnulfum, si quam antè notam, ex vetitâ sacri patrimonij contrectatione, apud Clerum contraxerat, eandem abunde expunxisse. Et super hæc extant ipsius facta, ad laudem præclara, quæ nisi malè à quibusdam scriptoribus fuissent expensa, plurimùm eorum acerbitatem detractionésque mitigâssent. Certè Hepidanus, qui non multò post Arnulfi obitum scripsit, (vivebat enim anno MLXII.) eum vocat optimum Bojariorum Ducem, ut credibile sit, ipsum juventutis errata bonis moribus oblitterâsse.

ARNULFI MALI VINDICIÆ.

AN. CHRIST. DCCCC. XXXIII. UNGARORUM EXCURSIONES.

Annum trigesimum tertium Ungari funestârunt. Illi, factâ per Francos orientales irruptione, in Alemanniam, instar procellæ, delati, complures civitates cædibus incendiísque devastârunt. Tum trajecto apud Vangiones Rheno, Galliam ingressi, ad usque maris littora crudeliter grassati sunt, inque Italiam inde sunt reversi.

AN. CHRIST. DCCCC. XXXIV. XXXII.

Anno postero, Henricum Germaniæ Regem, priorum injuriarum ultorem senserunt. Exierant novem annorum, quas cum ipso pacti erant, induciæ, simúlque expirârat annui tributi, quod per eos annos ipsis fuerat addictum, solvendi obligatio. Henricus interea secundis rebus, Obotritos, Vulzos, Henellos, Dalmatas

tas fecerat vectigales; Rhedarios, qui fidem exuerant, per legatos prælio devicerat: quibus successibus mirificè erecti Saxones, nullum periculum videbantur deinceps detrectaturi adversus Ungaros, pro communi salute, & excutiendâ tributi servitute. At verò spes non erat, Barbaros exactionibus inescatos, ultrò cessaturos: & Henricus futuri providus, Saxonum primores, pro concione ad vim propulsandam, gravi oratione excitaverat. Adfuerunt Ungarorum legati, superbè ab Henrico tributum postulantes, nisi arma & vastitatem paci putaret esse præferenda: verùm contemptim habiti, jussique ad certum diem Saxoniâ excedere, irâ tumentes, cæterâ vacui, belli inferendi, apud suos, authores fuerunt. Ergo cum ingenti suorum multitudine regressi versus Saxoniam, cùm à Dalmatis, veteris amicitiæ nomine, frustra suppetias petijssent, repentè in Turingiam se infundunt. Inde diviso bifariam exercitu, pars ab occidente, pars à meridie, aditum in Saxoniam moliuntur. Prior illis impetus in Saxones & Turingos, qui fines ad occidentem tutabantur. Eo conflictu cæsi primarij Ungarorum ductores: cætera turba facilè aversa in fugam. Palantes, & nullo ducis imperio hàc illac vagi, alij fame consumpti, frigore alij, alij mactati, capti alij. Alterum agmen insultum parabat in Vidonem Turingum, generum Henrici, cujus filiam, ex impari thoro natam, duxerat, cùm trepidi nuntij de sociorum internecione, déque Henrico propinquante terrorem attulerunt. Jam parabant fugam, & socios per villas palantes, excitatis per montium crepidines ignibus, ad signa revocabant, cùm Henricus citato itinere, luce posterâ abitum molientes, objectâ suorum acie, intercepit. Habebat in subsidijs Bertoldum, Arnulfi Bojariæ Ducis germanum, cum duodecim voluntariorum millibus. Cùm Barbaris non esset locus receptui, & Germani pugnæ signum expectarent, Henricus obequitare phalanges, jubere bono omnes esse animo, capere à commilitonibus fortitudinis exemplum, & quod factum esset Barbaris debellandis initium, pugnandi alacritate coronare. Erectis omnium animis signa promota. Henricus, ut suos exemplo firmaret, jusso, signum, Angeli effigie notatum, sibi præferri, ducebat ordines. Ungari pugnam non expectarunt, sed ne tulerunt quidem conspectum, gradu militari procedentium. Turingorum legio, quam Rex præmiserat, ad lacessendum hostem, frustra conata est Barbaros distinere: nemo enim fuit, qui pedem figeret, nedum manus consereret. Abrepti omnes in effusam fugam tantâ trepidatione, ut ad tria, ut minimum, passuum millia nostros à tergo relinquerent. Castra direpta, asserti in libertatem captivi ingenti numero. Haud multi ex hoste cæsi, capti non plures. Henricus victoriam Numini gratulatus, tantundem auri divinarum rerum usibus & egentium inopiæ impendit, quantum Barbari, tributi nomine, exegerant. Dehinc ab exercitu, Pater Patriæ salutatus, victor, rerum dominus, secundissimam virtutis potentiæque famam longè latéque consecutus, ab exteris regibus nationibúsque, ejus amicitiam certatim ambientibus, magnis cultus est honoribus. Non procul abit à vero, quod viri graves tradiderunt; binas statuas equestres, quæ Maurkirchij in pulchrâ D. Virginis æde, hinc & hinc ad chori parietem gypsato opere, sublimes hodiéque visuntur, ab Henrico Rege & Gualtero Hoyensi Comite, ex voto positas esse, ad celebrandam istius victoriæ memoriam. Quamquam sint, qui istas imagines, asserunt, positas post Henrici mortem, anno videlicet DCCCCXLIIX. Ex qua temporis ratione fit vero similius, eas ad Henricum Othonis I. Regis fratrem, & Rathonem Andecensem & Diessensem Comitem, Ungarorum duodecimo abhinc anno victores, pertinere.

CLADES UNGARORUM GEMINA.

XXXIII.

Rader. Bavar. S. to. 1.

STATUÆ MAURKIRCHIANÆ.

HENRICUS AUCEPS MORITUR.

AN. CHRIST. DCCCC. XXXVI.

Henricum Aucupem insignibus clarum trophæis, déque Romanâ inauguratione, mutatâ sententiâ, cogitantem, mors in Miminleve oppressit 6. Non. Julij, anno trigesimo sexto. Ejus funus regiè compositum Quidelingeburgi in Saxoniâ, in Basilicâ Cœnobij Sanctimonialium, quam ipse à fundamentis extructam D. Petro dedicavit. Ad singularem ejus pietatem spectat eximius rerum sacrarum amor atque reverentia, quâ Divorum lipsana, aliáque divinissimi Servatoris nostri contactu consecrata, est prosecutus. In his manus D. Dionysij Areopagitæ, donum

Witichind. lib. 1. Ditmar. lib. Suppl. Regin. Abb Ursperg. in Chron.

MANUS S. DIONYSII.

donum Caroli Simplicis Francorum Regis, auro gemmisque inclusa. Ad hanc accessit Lancea triumphalis, quam Constantinus Magnus, ad hostium terrorem in bellis, non secus atque fulminatricem machinam, præferre consueverat. Hanc Lanceam Rudolfus Burgundiæ Rex à Samsone Comite acceptam, perinde atque regni sui peculiare præsidium, magnâ veneratione servabat. Henricus, ut tam præstanti thesauro potiretur, nihil intentatum reliquit. Cùm honorifica legatio precésque frustra fuissent apud Rudolfum, negantem, se regni sui firmamentum, quod armis omnibus crederet esse antehabendum, cuiquam concessurum; Henricus regiæ munificentiæ grandibúsque promissis minas addidit. Ne donum, quod conciliandæ hominum cum Angelis societati deserviverat, causam daret minuendæ in terris charitati, DEUS Rudolfo eam dedit mentem, ut Henrico, tot votis expetitum munus, libens donaret. Quam liberalitatem non auro duntaxat, sed etiam parte Sueviæ, quam Rudolfi regno adjecit, Henricus remuneravit. Hæc Lancea non est illa, quâ defuncti in cruce Salvatoris divinum latus fuit apertum, sed diversâ ab alijs lanceis figurâ, talique opere elaborata, ut in media cuspide, crucem è clavo, qui DEI morientis corpus affixit, clausam teneret. Ejus præsidio Henricus de hoste sæpe, scribitur, triumphâsse. Decedens, eam reliquit Othoni filio cum regno & thesauro augustali, in quo servabatur Constantini Magni gladius, divini item clavi segmento insignis; hasta Caroli Magni, partâ de Saracenis victoriâ, memorabilis, cujus mucrone Christi latus exanime haustum fuisse, quidam prodiderunt; & demum militare signum Thebææ legionis, sub quo invicti Martyres, D. Mauritio Duce, gloriosè ad supremum usque spiritum pro DEI honore certantes, æternam martyrij palmam sunt promeriti. Inter Henrici decora, illud quoque à Witichindo laudatur, quòd in ludis equestribus omnes facilè antecelleret: tanti esset in venationibus roboris & patientiæ, ut uno aliquando die quadraginta feras conficeret: quòd inter epulas, regiam majestatem suavi vultûs & sermonis amœnitate temperaret, & nobilium lasciviam agendíque insolentiam, eâ morum gravitate frenaret, ut eo præsente, ne tum quidem auderent in licentiores jocos effundi, cùm ipse curas facetijs ludóque honestè remittebat. Testamento Othonem, filium excellenti indole, sibi optavit successorem, quem Germaniæ & Lotharingiæ proceres, patris auctoritatem secuti, Aquisgrani probârunt, & ritu solenni filium curârunt inaugurandum.

[Margin: Lancea Constantini Magni. — XXXIV. Aliæ reliquiæ. — Henrico succedit Otho filius.]

Hîc juvat ex Witichindo veteres inaugurationis cæremonias cognoscere. Primùm omnium Principes utriuslibet ordinis, legitimis omnes votis Regem nominârunt in loco Comitij, ex quo deinde eum deduxerunt ad aulam, D. Virginis Basilicæ cohærentem, & in Caroli Magni solio collocato, mox datis dextris fidem operámque contra quosvis hostes sunt polliciti. Interea dum in aulâ regiâ hæc agerentur, ab optimatibus atque Magistratu, in basilicâ cum universo Clero & populo, Hildebertus Moguntinus Pontifex, indutus cultu Episcopali, præstolabatur Regis ingressum. Ingredientis dextram lævâ prehendens, dextrâque gestans lituum, progressus est in medium templum, ubi subsistens, populum sic est affatus. *En, vobis adduco à DEO electum, & à Domino rerum Henrico olim designatum, nunc verò à cunctis principibus Regem factum Othonem: si vobis ista electio placeat, dextris in cælum levatis, significate.* Nec mora, arrectis sursum dextris, clarâ voce, novo Regi fausta precati sunt, salutem & victorias. Tum Archiepiscopus cum Othone, strictâ tunicâ moris Francici induto, processit ad aram, in quâ cernebantur insignia regia, gladius, baltheus, chlamys, armillæ, sceptrum, baculus, diadema. Cùm orta esset quæstio de rege consecrando, Ruotbertus Trevirensis ajebat, munus hoc ad se pertinere, eò quòd sedem haberet omnium antiquissimam, cujus originem ad B. Petrum Apostolorum Principem referebat. Contrà Vigefridus Coloniensis, id sui juris esse dicebat, eò quòd locus consecrationis esset in suâ Diœcesi. Hæc tametsi pro se quisque differerent, cessit tamen uterque Hildeberto Moguntino, viro famâ sanctitatis & eruditione præstanti, qui multa credebatur prophetico instinctu edoceri. Hic progressus

[Margin: Cæsareæ inaugurationis veteres ceremoniæ.]

ad

ad altare, gladium unà cum baltheo, Regi cum his dictis porrexit. *Accipe hunc gladium, quo ejicias omnes Christi adversarios, barbaros, & malos Christianos, authoritate divinâ tibi traditâ, omni potestate totius imperij Francorum, ad firmissimam pacem omnium Christianorum.* Pòst, depromptis ex arâ armillis & chlamyde, Ottonem induens; *His* (inquiebat) *cornibus humitenus demissis monearis, te zelo fidei fervere, & in pace tuendâ, te ad finem usque perdurare debere.* Pòst, tradens sceptrum & baculum: *His signis monitus, paternâ castigatione subjectos corripias, primùmque* DEI *ministris, viduis ac pupillis manum misericordiæ porrigas, nunquámque de capite tuo oleum miserationis deficiat, ut in præsenti & in futuro, sempiterno præmio coroneris.* Ad extremum, sancto oleo delibutus est, & aureo redimitus diademate, à Pontificibus Hildeberto & Vigefrido. Post expletam inaugurationis cæremoniam, ductus est ad solium, ad quod erat ascensus per cochleas, inter duas miræ magnitudinis columnas marmoreas, unde ipse videre omnes præsentes, & videri posset ab omnibus. Denique divinis absolutis, deductus est ad aulam, ubi regiâ magnificentiâ, super mensam marmoream præbuit epulum Giselbertus Dux Lotharingiæ, ad cujus jurisdictionem spectabat Aquisgranum. Everardus Franconiæ Dux functus est munere Dapiferi. Hermannus Dux Sueviæ præfectus pincernis, Arnulphus Bojorum Dux creatus fuit Equitum & castrorum Magister; Sifridus Saxo, Othonis gener futurus, celebritati non interfuit, eò quòd Saxoniæ contra hostium irruptiones defendendæ, & Henrici Junioris educationi, id temporis, daret operam. Postremò Otho, proceres, ut ferebat singulorum dignitas & industria, Regni ministerijs cum eximiâ benevolentiæ significatione admotos, largéque donatos, domum hilares remisit. Bellum Bojæmicum, quod adversus Boleslaum D. Wenceslai fratricidam per annos ferè quatuordecim gessit Marte vario, missum faciemus, nisi si quâ parte videatur ad res Boicas pertinere. XXXV.

Ad eas vel maximè pertinet mors Arnulfi Bojariæ Principis, quæ luctum induit anno sæculi septimo trigesimo. Ejus monumentum Ratisbonæ superest ad S. Emmerammi. Ei nunc murus incumbit. Ipsius ossa ante murj exædificationem aliò translata esse, par est credere. Bono Principi, scriptores aliqui infame fecerunt elogium, quod nemo antiquiorum, non Luitprandus, non Ditmarus, non Frodoardus, non Witichindus, æquales propè istorum temporum, scriptum reliquerunt. Berno Augiensis Abbas, qui Monasterio præfuit ab anno M. VII. usque ad annum M. XLVII. scripsitque res à D. Udalrico gestas, primus strinxit calamum in Arnulfum, nullo prorsus teste. Ab illo profecta est narratio, veriùs fabula, D. Udalricum à S. Afrâ martyre, noctis silentio de lecto excitatum, in campum Lyco confinem esse eductum, atque isthic vidisse Divorum Comitium circumfusum tribunali, in quo D. Petrus rerum capitalium cognitoribus præsidebat. Eò loci Arnulfum violatorum expilatorúmque Cœnobiorum peractum esse reum ab ijs cœlitibus, quorum ipse templa opésque spoliârat. Cùm nullus ejus patrocinium susciperet, dictas in eum tristes sententias, ac demum omnium consensu pronuntiatam esse damnationem. Atqui neutiquam est credibile, fuisse futurum, ut hæc adeò memorabilia, ab alijs, qui D. Udalrici vitam litteris mandârunt, silentio prætermitterentur, si à vero non dissentirent. Certè scriptor Anonymus & Gebhardus Episcopus, qui diligenter retulerunt in chartam D. Udalrici res præclaras, ne verbo quidem istius judicij meminerunt. Et verò quis credat, D. Udalricum, virum utique misericordem, funestissimo spectaculo oculos sic pavisse, ut ne quidem ingemuerit? Otho Frisingensis & Conradus Urspergensis non dissimulant quidem Arnulphi facta sequiora, sed de Sanctorum senatu & indicto supplicio, ne verbo quidem meminerunt. Bruschius id omne quidem descripsit, sed asseruit, debere ad figmenta referri, perinde atque pictorum inanem licentiam, quâ olim istius prætorij horrorem in pariete Monacensis aulæ, penicillo delineârunt, quam effigiem pariter viri sapientes ad fabulas amandârunt. Metellus quoque poëta Tegernseensis

AN. CHRISTI DCCCC. XXXVII.

Herman. Regin. Suppl. Brusch.

ARNULFUS BOIUS MORTUUS.

XXXVI.

FABULÆ DE ARNULFO.

Bernonem secutus, (circa annum M. LX. scribebat) suo genio in laceranda Arnulfi fama indulsit, nihilo, quàm poëtarum vulgus solet, probabiliore vanitate, quando eum finxit, D. Udalrici monita vaticiniúmque brevi adfuturæ mortis explodentem, fuisse fato repentino oppressum. Alij, quasi de calumniandi peritiâ præmióque certarent, velléntque paulò antiquioribus maledicentiæ palmam eripere, commenti sunt, Ungaris patriam ab Arnulfo fuisse proditam, quasi nescirent, eum totos illorum exercitus ad Oenum profligâsse, &, fœdere cum illis inito, fecisse, ne postremis vitæ ipsius annis, Boica perinde atque finitimæ gentes, vastaretur. Alij scribunt, fractam ipsi à cacodæmone cervicem; alij gulam spinâ piscis in trachæam arteriam attractâ fuisse præfocatum; alij fingunt, defuncti cadaver in Schyrensem lacunam à dæmonibus abreptum, eò quòd Schyrensis familiæ Comitibus, arcem Schyrensem DEO dicare volentibus, solus obstiterit. Sed est, unde fabulatores isti inscitiæ arguantur, quòd arx Schyrensis vivente Arnulfo nondum erat in rerum naturâ, sed pòst ædificata ab Arnoldo, ejus filio, ac demum anno, supra millesimum centesimum, decimo octavo, à posteris versa est in domicilium religionis. Est igitur, quamobrem meritò erroris arguantur, qui bonum principem accusant, quasi illam viris religiosis negavisset; & verò crimen fuisset æternâ morte piandum, non donâsse, quod donare neutiquam tenebatur. Sapientiùs de istis accusationibus pronuntiavit Wolffgangus Selenderus, Abbas Monasterij S. Wenceslai in Bohæmiæ & Silesiæ confinio, & in Ratisbonensi S. Emmerammi Cœnobio diu versatus, cùm istas malè feriatorum de Arnulfo commentationes ad somnia relegat: Et sanè tanta inter non optimos testes dissensio, nescio quid olet falsitatis. Et licèt daremus eum juventutis fervore, innatâ magnis Principibus gloriæ cupiditate, &, qui ejus antecessoribus semper adhæserat, regij tituli ambitu, aliena imperia detrectando, moderationis fines aliquando esse egressum; non esset tamen inde consequens, eum fuisse ultimæ infamiæ & inferorum supplicijs addicendum, eò præsertim, quòd ex Dingolfingensi Synodo manifestum est, eum posterioribus annis religiosi Principis officio egregiè esse perfunctum, &, si quæ damna sub ejus principatu fuerunt illata Monasterijs per bellorum injurias, vel licentiam, quæ in principum morem irrepserat, ijs abunde, vel pro viribus saltem, Episcoporum judicio satisfecisse, cùm instauravit sacra religionis domicilia, curavítque, ut labefactata Cleri disciplina, priscâ pietate legibúsque fulciretur.



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER. XIV.

Bertolfus Boicæ Princeps; rejectis Arnulfi filijs. Vngarorum incursiones. Conspirationes in Othonem Imp. Rebellium varia supplicia. Bertolfus prælio vincit Vngaros. Ei demortuo succedit Henricus Othonis frater. Arcis Schirensis initia. Otho Imp. Ludovico Galliæ Regi fert suppetias. Ludolfi Othonis F. variæ in patrem molitiones & reconciliatio. Strahyquæ Bojæmi infelix exitus. Othonis secundæ nuptiæ cum Adelheide, ex quibus Otho F. Berengarius Italiæ Rex domitus moritur exul in Germaniâ. Ratisbonæ rebellio sopita. Arnulfi Schirensis grassationes. Heroldus Arch. Salisburgensis exoculatus, loco motus, ac diris devotus. Henrici Pij, alijs Rixosi, Bavariæ Ducis, virtutes & vitia. Ducatum S. Henrico relinquit. Binæ Vngarorum clades. Eberspergæ initia, incrementa. Aliæ fundationes. Boij ad Pilsnam cæsi. Res à DD. Vdalrico & Wolfgango gestæ. Othonis II. profectio in Italiam, epulum sanguinarium, clades, obitus. Otho III. succedit non sine turbis. Henricus Rixosus Vngaros profligat.



Rnulfus tergeminos filios in vivis reliquit, Eberhardum, Arnoldum, & Hermannum; Juditham præterea Henrico Saxoni, Othonis germano, nuptam, omnes ex conjuge Gerbirgâ filia Rudolphi, uti credibile est, fratris D. Conradi Constantiensis Episcopi. Quamquam & habuit secundam uxorem priori cognominem. Eberhardus filiorum natu maximus, ætatis prærogativâ, I.

An. Christ. DCCCC. XXXVII. *Witichind. pag. 32.*

ARNULFI FILII BOICÆ PRINCIPATU EXUUNTUR.

tiva, Boicæ principatum, velut delatam à mortuo parente hæreditatem, prætermissâ Othonis Regis authoritate & fiduciariâ clientelæ recognitione, ex asse adijt, exercuitque absoluto dominatu. Unde magnæ turbæ extiterunt. Arnoldus & Hermannus natu minores, Othone itidem neglecto, adversus Eberhardum fœderati, communibus armis Boicam involârunt. Otho Rex aliâ ex parte, ne quicquam de pristino Regni jure remitteret, tribus fratribus objecit Bertolfum, Arnulfi demortui germanum, nepotibus jussis facere in castris virtutis suæ experimentum. Boicâ scissâ in factiones, populorum aliqui Othonis imperium respexerunt, alij Bertolfi, alij fratrum partes secuti sunt. Eberhardum nihilominus principum munia titulúmque retinuisse palàm est ex Leonis VII. Pont. Epistolâ, quâ Everhardo injunxit, ut Gerardum Laureacensem Episcopum auxilio juvaret, ad tuendum Ecclesiæ suæ statum atque dignitatem. Eam, quoniam in Pontificiarum Epistolarum voluminibus non recitatur, neque habetur in Baronij Annalibus, & ab Aventino corruptè & fallaciter redditur, ex Reicherspergensi Chronico visum est ad verbum describere, ne cui Aventini in clerum maledicentia imponat.

VARIÆ IN BOIIS FACTIONES.

Reichersp. Chron. pag. 6. & seqq.

II. *Leo Episcopus, servus servorum DEI, Regibus, Ducibus, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, pars etiam modo Egiloifo Iuvaviensis, Isingrino Ratisbonensis, Lantperto Frisingensis, Wisundo Sabionensis Ecclesiæ Venerabilibus Episcopis, & cæteris, per Galliam, Germaniam, Bavariam, Alemanniam, commorantibus. Si instituta Ecclesiastica, ut sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent servare domini sacerdotes, nulla diversitas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur: sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis, vel Ecclesijs, aut teneri, aut celebrari videntur. Hac de re fit scandalum populis, dum multa in vestrâ provinciâ, contra Canones Ecclesiasticos decretáque majorum usurpari videntur, quæ quidem possent facilè resecari, si Episcopi in his non viderentur authores, qui sæcularibus intenti, humanum favorem captantes, religionem violant, ordinésque corrumpunt. Nos siquidem divinis præceptis & Apostolicis incitamur monitis, ut pro omnium Ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu. Idcirco fraternitati vestræ cognitum facimus, quòd Gerardus sanctæ Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopus, causâ orationis veniens ad limina Apostolorum, nostram Apostolicam præsentiam visitare, & benedictionis gratiam à nobis percipere solicitè studuit, multa, quæ reprehensione digna sunt, nostris auribus, lachrymosis vocibus intimavit, totâ cordis intentione à nostrâ Apostolicâ auctoritate, de his, quæ Canonum regulam & decreta majorum in vestris gerantur provincijs, quærens consilium. Scitis enim, quòd ab ipso Domino, Beato Petro Principi Apostolorum, ejusdémque vicarijs omnium Ecclesiarum cura commissa est, veritatis voce dicente: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: cui etiam proprias oves commendavit, dicens, Si diligis me, pasce oves meas. Et idcirco pro universis Ecclesijs solicitudinem gerimus, & veluti in speculâ positi, quid per totius orbis provincias geratur, vigilanti curâ insistimus.* * *De quibus ergo Apostolicam sedem consuluit, & qualia nos ei responsa dedimus, per hos nostros apices vobis intimare curamus: ejus namque interrogatio talis erat. De auguratoribus & incantatricibus & maleficis, vario modo mortificatis à populo, si aliqua pœnitentia debet exigi: de talibus namque personis, quid veteris ac novi testamenti pagina censeat, manifestum est. In lege namque Mosaicâ scriptum est, Maleficos non patieris vivere: similiter in Samuelis libro legitur, Quia exterminavit Saul omnes Pythonissas de terrâ: & alia, quæ enumerare longum est. Sed nos etiam tales nostris exhortationibus ad pœnitentiam trahere debemus, ut magis Ecclesiastico judicio, pœnitendo vivant, quàm gladio vindice puniantur, dicente B. Paulo Apostolo: Non enim posuit nos DEUS ad iram, sed in acquisitionem salutis. Quod si Ecclesiastica judicia spreverint, humanis subjaceant legibus: meminisse enim debent, à DEO potestates fuisse concessas: & ad vindictam noxiorum, gladium fuisse permissum, & DEI ministrum fuisse datum, in hujusmodi vindictam: & dum in talibus improbis legum exercetur auctoritas, dicente beato, Innocentia erit dictator immunis. Consultum est etiam, utrùm Episcopi, Pax vobis, an Dominus vobiscum pronuntiare debeant? Sed non aliter per omnem vestram provinciam tenendum est, quàm in sanctâ Romanâ Ecclesia.*

RESPONSA PONTIFICIS.

* *Inspicimus.*

In

In dominicis enim diebus, & in præcipuis festivitatibus, atque Sanctorum natalitijs, Gloria in excelsis DEO, & Pax vobis, pronuntiamus; in diebus verò quadragesimæ, & in quatuor temporibus, sive in vigilijs Sanctorum, & in reliquis jejuniorum diebus, Dominus vobiscum, tantummodo dicimus. Post hæc consuluit, si dominica oratio in benedictione ciborum debeat usitari? Quod fieri non oportet, quia in sanctificatione corporis & sanguinis Domini nostri IESV Christi, hanc solummodo orationem sancti Apostoli decantabant, & in Evangelio legitur, quia post cœnam à Domino factam, hymno dicto, exierunt in montem olivarum.

Post hæc interrogavit, de eo, qui matrem & filiam spirituales in conjugio duxit, quod ne fiat, sacri canones per omnia vetant. In canonibus Zachariæ ita habetur, ut Presbyterâ, Diaconâ, Monachâ, vel etiam spirituali commatre nullus utatur: nam qui hujusmodi opus perpetravit, sciat se anathematis vinculo innodatum, DEI judicio condemnatum, atque à sacro corpore & sanguine Domini nostri IESV Christi alienum, & quicunque sacerdotum eis communicare præsumpserit, eorum judicio condemnatus, sacerdotij sui honore privetur. Dehinc intulit lamentabile & nimis lugendum, ut Domini sacerdotes ducant uxores, & si filij eorum valeant promoveri. Quod scelus, quia omnis sacra scriptura contradicit, quia sanctum & venerandum Nicænum concilium vetat, ne sacerdotes cum fœminis habitare præsumant, multò magis ne copulari vel sociari mulieribus debeant, modis omnibus prohibemus. In Neocæsariensi namque concilio sic habetur: Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur, & qui in tali scelere fuerint reperti, nostrâ Apostolicâ authoritate ab omni priventur honore: filij verò eorum immunes ab eorum peccato sunt, dicente prophetâ; Filius non portabit iniquitatem patris: & in sacro baptismate omnia dimittuntur peccata. Dehinc perquisivit, si à Chorepiscopo Ecclesiæ debeant consecrari, aut presbyteri ordinari, vel consignatio Chrismatis & manus impositio fieri: quæ omnia à Chorepiscopis ne fiant, interdicimus juxta canonum decreta. In Concilio Antiocheno cap. decimo, sic habetur: Qui in vicis & possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, tamen sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, & gubernent subjectas sibi Ecclesias, ordinent etiam Lectores & Subdiaconos atque Exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant, nec Presbyterum vel Diaconum audeant ordinare: si quis autem transgredi statuta tentaverit, depositus, quo utebatur, honore privetur. Perquisivit etiam, si vir & mulier tertio vel quarto gradu consanguinitatis conjuncti, & inscij, conjugio copulantur, postea DEI respectu compuncti, ostendunt se sacerdoti, secretè confitentes peccata sua, utrùm valeant eleemosynarum largitione ac operum bonorum exhibitione purgari: de talibus enim personis in veteri & novo testamento multa reperiuntur exempla, maximè in Concilijs Gregorij & Zachariæ, in quibus hæc continentur: Vt consobrinam, novercam, neptem, fratris uxorem, nurum, vel etiam de propriâ cognatione, aut quam cognatus habuit, nullus præsumat conjugio copulare. Si quis verò hoc nefario conjugio convenerit, & in eo permanserit, sciat, se authoritate Apostolicâ, anathematis vinculo innodatum, & nullus sacerdos ei tribuat communionem: & si inclinatus divisúsque fuerit ab illicitâ copulâ, pœnitentiæ submittatur, ut sacerdos loci consideraverit. De vastatoribus autem Ecclesiarum, unde inquisivit, nihil aliud scribimus, nisi quod Paulus Apostolus, ad Timotheum scribens, ait; Argue, increpa, obsecra cum omni imperio. His verò omnibus prælibatis, fraternitatem vestram monemus, per hanc Apostolicam nostram jussionem, ut huic Gerardo Archiepiscopo, cui vicem nostram in cunctis finibus vestris commisimus, in omnibus, quæ ad Ecclesiasticum ordinem pertinent, obedientes & adjutores sitis, quatenus in unâ concordiâ persistentes, ut Ecclesiastica jura & Christianitatis religio in vestris partibus, quæ paganorum incursione, & malorum Christianorum persecutione correpta & depravata esse videntur, Domino largiente, & Beato Petro Apostolorum Principe cooperante, ad rectitudinis normam valeant reformari, & vos in futuro examine securi possitis audire vocem Domini dicentis: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. III.

Præter hæc Eberhardo Duci Bavariorum nostrâ authoritate injungimus, ut præfato Gerardo Archiepiscopo in omnibus auxilium præstet, ut sua Ecclesiæ status & rectitudo, IV.

ac proprius vigor, ad integrum culmen & priscum decorem, suo juvamine, valeas pervenire, si DEI *indulgentiâ & S. Petri, etiam suorum delictorum à nobis vult accipere remissionem.* Quibus ex verbis promptum est colligere, Everhardum Ducis titulum & munia retinuisse, quamvis intestinis motibus & Othonis decreto, Boica foret inquieta. Quæ inquietudo Ungaris ansam præbuit, ut eam, post Arnulfi mortem, perinde atque Sueviam, Franconiam, Alsatiam, Lothariense regnum, Burgundiam, Gallias, Italiam, torrentis instar, hoc anno pervaserint, & passim fœdè lacerârint.

UNGARORUM INCURSIONES.

AN. CHRIST. DCCCC. XXXIIX.

Regin. Suppl.

EVERARDUS BOIUS PROSCRIPTUS.

Accessit ad eam calamitatem Boicæ turbatio, ex dissidiorum multiplicitate, & incertitudine dominatûs, quæ mala, sine ferro non posse sanari, videbantur. Otho Rex Everhardi pervicacitatem statuit bello domare: tamen ut severitatem lenitate temperaret, arma voluit ostentare priùs, quàm inferre, quæ quidem prima fuit expeditio, sed frustranea, adversus Principem, qui solâ belli umbrâ non movebatur. Quæ res ei malè vertit. Nam Otho denique cum potente exercitu ingressus in Boicam, eum redegit in suam potestatem, nec tamen in eum egit duriùs, quàm ut, factâ vitæ veniâ, proscriptum exilio multaret.

BERTOLFUS BOICA POTITUR.

Witichind. Luitprand. Herman.

ARNOLFUS BOIUS REBELLAT.

CONRADUS EPISC. RATISBON. MORTUUS.

GUNTHERUS SUCCEDIT DIVINO OSTENTO.

V.

Bertolfus, cujus perpetua fuerat in Regem fides & constans observantia, Boicam consecutus est jure fiduciario. Cùm factiosi redijssent ad obsequium, unus Arnoldus Everhardi frater, quod veteres historici, ab Aventino dissentientes, notârunt, Othonis imperium detrectavit, spe regnandi nondum extinctâ, quæ res, uti pòst paulò referam, non parùm negotij Othoni facessivit. Inter hæc cùm Reginoburgi substitisset, Conradus ejusce urbis Episcopus, hominem exutus, mitram Gunthero reliquit eventu mirabili. Othoni, cui nominandi successoris erat potestas, solicitè consideranti, quem potissimùm optaret, secundum quietem ostensum est, DEO placere, ut defuncti sedes ei committatur, qui postridie Othoni templum ingressuro primus occurreret. Omen accepit Otho. Contigit verò, ut primâ luce D. Emmerammi basilicam adeunti, Guntherus, vir apprimè religiosus, fores aperiret. Rex hominem conspicatus, ex eo quærit, quid daturus esset præmij illi, qui suâ eum suffragatione ad Episcopatum eveheret? Guntherus, interrogationem pro joco interpretatus, jocum reposuit: Quisquis mitram, quod capitis integumentum est, mihi imposuerit, eidem calceum ad tegendum pedem rependam. Otho viri ingenium, responsi comitate, æstimans: Tu verò, inquit, ille es, quem Episcopum DEUS esse jussit, egóque jubeo, quando tu quidem infulam non habes calceo potiorem: atqui tu animarum procurationem omnibus rebus antepone. Paruit vir obsequentissimus, sed ita paruit, ut nihil magis optaret, quàm brevem ejusce dignitatis usuram, quæ illi fuit semestris, sed magnis extensa virtutibus: nec priùs desijt DEUM solicitare, quàm morbo correptus, instantem mortem in substrato cinere, quem crucis signo exaravit, lætus excepit, & mitram Michaëli reliquit.

POST SEMESTRE MORTUUS.

Subinde maturuit tempestas, quæ tum ab Everhardo Conradi Regis fratre, tum à Giselberto Lotharingiæ principe, Othonis Sororio, & Henrico ejusdem fratre, parabatur. Belli obtentus fuit, quòd Henricus putaret, se, licèt natu minorem, Othoni fuisse in parentis testamento præferendum, quòd Otho, tametsi natu major, Henrico patri regnum nondum adepto, natus fuisset, ipse verò Henricus, patre regnante, primam lucem aspexisset, & istâ nascendi dignitate esset consecutus, ut non modò Regis filius esset & diceretur, sed etiam jus haberet succedendi ad paternos honores, cùm Otho nonnisi Saxonum Ducis filius & hæres esse deberet. Ita olim Darium Regem, filium Xerxem natu minorem, sed in regiâ purpurâ progenitum, prætulisse Artabazani, quem, antequam regnaret, ex legitimis nuptijs homo privatus susceperat. Eandem ob causam Cyrum cum Artaxerxe natu majore de regno contendisse, & obtinuisse tandem Lydiæ & oræ maritimæ dominatum. Ita refodiebatur vetustissima lis, in cujus explicatione, posterioribus seculis, viri juris consultissimi desudârunt. Everhardum stimulabat invidia, quòd Othonem sibi videret præferri: Giselbertus, Othonis magnitudinem per-

Herodot. lib. 7. Iustin. lib. 2. Plutarch. in Artaxer. Vide Ioan. le Cirier. Tract. de primogen. l. 1. q. 12.

perosus, faces cæteris admovebat. Et fuit quidem Giselbertus idem ille, quem res novas molientem, Henricus Auceps, Othonis parens, anno DCCCCXXIX. non armis, sed ratione domuit, ope Christiani, viri inter Lotharingos potentis. Hic ægrè ferens Giselberti inquietum ingenium, quo Lothariense regnum ad Francos conabatur reducere, hoc eum evertit astu. Primùm simulat gravem morbum, tum amicitiæ specie Giselbertum invitat, ut in alteram vitam migraturo, supremum visitationis officium impendat: esse enim non levis momenti consilia, quæ, si ita videretur, cum ipso esset communicaturus. Giselbertus nihil metuens insidiarum, vix advenerat, cùm ei sacra profanáque omnia contestanti, Christianus vincula injicit, vinctúmque jubet ad Henricum Aucupem deduci in Saxoniam. Auceps egregiam viri indolem & splendorem aviti generis curiosè arbitratus, eum adscivit in generum, locatâ Gerberga filiâ, traditâque in dotem Lotharingiæ clientelâ. Precaria regni initia gessit imperio tolerabili: sed, ut vi compressi animorum affectus facilè reviviscunt, redijt ad ingenium, nec desijt Henrico Othonis Regis fratri, suâ jam sponte regnandi avido, ambitionis ignes subijcere, donec conflatâ factione, consilia clancularia in apertum bellum evaserunt.

GISELBERTUS CAPITUR.

GENER AUCUPIS.

VI.

Luitprand. lib. 4. c. 11. Sigeb. Regin. Suppl. Witichind.

Otho permotus periculo, cum exercitu contendit in fines Lothariensium. Pars copiarum Rhenum trajecerat, cùm rebelles in pugnam coorti juxta Biertunam (Luitprando Biertunum) trajectos sunt aggressi. Otho, suorum discrimen ex adversâ ripâ conspicatus, supplex cum reliquis legionibus in genua provolvitur ante triumphalem lanceam, nuperum Rudolfi Burgundionis donum, in qua crux ex sacris Christi crucifixi clavis gestabatur, & precibus ardentibus, mixtóque lachrymarum imbre, DEUM solicitat, ut suis opem victoriámque concedat. Non desijt orare, donec rebelles à paucis superati sunt. Henricus brachio vehementer contuso, acie excessit, nec ullâ potuit arte persanari. Otho victoriam DEO gratulatus, hostium reliquias non est passus respirare. Eos citato agmine persecutus, obsedit in Caprimonte, castro, haud procul à Leodio. Isthic adsidenti venêre è Lotharingiâ nuntij, Ludovicum Franciæ Regem, Caroli Simplicis filium, cognomento Transmarinum, hostilia facere in Alsatiâ, spe regni Lothariensis occupandi. Quare Otho, solutâ Caprimontis obsidione, arma vertit in Francos, eósque pellit ex Alsatiâ: tum Rheno transmisso, obsidet Brisacum, Everhardi Ducis munitionem. Dum in eâ oppugnandâ totus occupatur, nova belli materia conflatur à Friderico Moguntino Archiepiscopo, & Ruothardo Argentoratensi Antistite, qui palàm ab Othone deficientes, magnam partem regij exercitûs ad se pelliciunt, & ex condicto jungunt perduellibus apud Mediomatricos.

OTHO REBELLES PRÆLIO SUPERAT.

Tom. 1. Gest. Leodien in Notgero. l. 4. c. 50. Flodoard. lib. 4. c. 26.

FRANCOS FUGAT.

VII.

Regin. Suppl. Sigeb. ad an. 943.

Hæc dum geruntur in Austrasiâ, Giselbertus & Everhardus per agros Germaniæ ulterioris impunè grassabantur, quousque Udo Alemanniæ, & Conradus Sapiens Wormatiæ, Dynastæ, ipsis apud Anternacum armatâ manu occurrerunt, & collatis signis, cæsísque propè ad internecionem rebellium reliquijs, Ducem utrumque grassatorum, vitâ exuunt. Giselberti casus fuit longè infelicissimus: nam inclinatâ suorum acie in paratam scapham refugiens, se vectorésque omnes submersit, nunquam postea repertus. Everhardus in pugnâ occubuit. Brisacenses, cognitâ suorum clade, se Othoni permiserunt. Eorum exemplum secuti sunt Lotharienses, quotquot perduellibus adhæserant. Fridericus Moguntinus Antistes in Fuldense Monasterium, Ruothardus in Corbeiense, sunt relegati, nec multò pòst pristinæ dignitati restituti. Dancmarus Othonis frater ex concubinâ, qui in conjurationis partem venerat, in Merseburgensi castello unà cum quibusdam alijs est obtruncatus. Reginonis continuator scribit, Henricum, projectis armis, Othonis clementiæ se dedidisse, & receptum esse in gratiam, eâ tamen lege, ne à fratris latere discederet, donec anno quadragesimo, ipsi Lotharingiam precario imperio gubernandam dedit, quod dum pro ingenij mobilitate imperitè gerit, mox pellitur à Lothariensibus, & Othonem Virduni Comitem Richwildi filium, successorem accipit. Huic simul imposita cura educandi, ad spem regni Austrasij, Henricum Giselberto natum, puerum indolis

GISELBERTUS AQUIS HAURITUR.

REBELLIUM VARIA SUPPLICIA.

AN. CHRIST. DCCCC. XL.

optimæ. Sigebertus scribit, Lotharienſis regni gubernacula fuiſſe Othoni Comiti demandata, & morte, quæ non multò pòſt ſecuta eſt, erepta, traditáque Conrado Othonis genero. Paulò aliter, ſed accuratè, rem exequitur Abbas Urſpergenſis. Henricum videlicet, deſertâ Lotharingiâ, ad Ludovicum Galliæ Regem profugiſſe, idque hortatu Gerbergæ ſororis, ne totam belli molem in Lotharingiam traheret. Porrò eum exilij pertæſum, nonnullis Epiſcopis, qui deprecatorum partes agerent, comitantibus, nudis pedibus, atrato ſupplicis habitu, humi ſtratum, prenſantem Regis fratris genua, vitæ veniam obtinuiſſe, & Ingelheimij tantiſper manſiſſe captivum, donec aliquot civitatum in Lotharingiâ donatum uſurâ, frater juſſit pacatè agere, daréque ſpecimen frugis melioris. Ludodovicus Galliæ Rex, haud dubiè, ut amicitiam cum Othone integraret, Gerbergam ejus ſororem, Giſelberti recens defuncti viduam, matrimonio ſibi conjunxit. *Regin. Suppl.*

IIX. BERTOLFUS NUBIT FILIÆ GISELBERTI

Hujus viduæ filiam, Othone parario, duxit Bertolfus Bojorum Princeps. Cùm enim hic in tot rebellium motibus, Othonis partes perpetuò ſecutus, utilem ipſi operam locâſſet, in continendis Germanis: Otho victor ad Anternacum, poſtero, quàm pugnatum eſt, die, eum per expeditos curſores de victoria fecit certiorem. Ut verò ſibi arcto affinitatis nexu redderet obſtrictum, ſimul dedit optionem ducendi, utram mallet, Gerbergam viduam, an filiam Virginem propè nubilem. Bertolfus utroque nuntio mirè recreatus, puellæ connubium prætulit, quæ tantiſper, dum ad thorum matureſceret, in Regis aulâ moribus, ſuo ſanguine digniſſimis, fuit exculta.

AN. CHRIST. DCCCC. XLIII. BERTOLFI DE UNGARIS VICTORIA.

Quæ deinceps toto triennio in Boijs geſta ſunt, non ſunt miſſa in chartas ſervato temporis ordine. Relata per Bertolfum de Ungaris victoria, ſcripta quidem eſt, ſed breviter ac jejunè ab antiquioribus. Witichindus ait, Bertolfum, commiſſâ contra Ungaros pugnâ, victoriam celebrémque triumphum reportâſſe. Non eſt dubium, quin eo bello victoris nomen longè latéque inclaruerit, cùm Ungari rarò aliàs graviore ſint clade affecti. Hepidanus, qui ad annum M. LXII. provixit, ſcribit, Barbarorum copias fuiſſe deletas. Aventinus ſtyli licentiâ, an aliunde, rem latiùs explicavit, cui ſi fides eſt, Bojorum exercitus eſt bifariam diviſus: pars in Carantanis, pars ad Valentiam Noricorum Urbem, uſa eſt Marte proſpero. Agmen in Norico duxit Bertolfus, hoſtémque fuſum atque fugatum, ad Tranum amnem ſuperavit, plurimis ferro conciſis, plurimis flumen tranantibus, quos undarum vis abripuit. Pugnatum 3. Idus Auguſti. In Carantanis Bertolfi Legati conflixerunt cum ingenti item clade Barbarorum. Atque ea quidem fuit rerum à Bertolfo geſtarum glorioſa coronis.

BERTOLFI EXCESSUS.

Is enim biennio pòſt, uti ſcripſit Reginonis continuator, vel ſi magis Hermanno & Urſpergenſi credimus, quatriennio, fato conceſſit 9. cal. Decemb. Princeps, ſive fidem in Regem ſpectes, ſeu virtutem militarem, quovis dignus principatu. Exinde facta inſignis in Boicâ rerum mutatio, qualis & inducta eſt in jura Eccleſiæ Paſſavienſis.

IX. PROVINCIA SALISBURG. ARCHIEPISCOPATUS DIVISA.

Etenim Gerardo, cujus paulò antè meminimus, humanis rebus exempto, antè quàm finita lis eſſet, quam Heroldus Saliſburgenſis Epiſcopus de Archiepiſcopali dignitate moverat in Urbe, Agapitus ſummus Pontifex ſic ex æquo controverſiam diremit, ut neutri tota victoria addiceretur, ſed partitâ inter utrumque juriſdictione, Norici provinciæ ſpectantes ad orientem, Eccleſiæ Paſſavienſi ſubeſſent; quæ verò vergunt ad occidentem, parerent Saliſburgenſi Metropolitæ. Atque id quidem eâ tempeſtate conſtitutum: Verùm quia annis ſuccedentibus, Paſſavienſibus antiſtitibus in tuendâ Eccleſiæ ſuæ dignitate defuit ſive animus, ſive diligentia, & quæ præterea cauſæ interceſſerunt, totum Archiepiſcopatûs imperium ad Saliſburgenſem Eccleſiam poſtliminio reverſum eſt.

HENRICUS OTHONIS FRATER BERTOLFO SUCCEDIT.

Bertolfo Boicæ Principi, Otho Rex ſucceſſorem dedit, Henricum fratrem. Datum id ſanguini, non meritis, annitente Mathilde matre, quæ rebus Henrici ſemper ita ſtuduerat, ut, ſi penes ipſam ſtetiſſet, fuiſſet Othoni præferendus, ita cœcus parentum ſubinde amor eſt. Eò factum, ut Boicæ principatus non omnino

no à Schyrensium stirpe discesserit. Quamvis enim Henricus Saxo fuerit, qui tamen eo progenitore Bojorum Duces nati sunt, maternum genus è Boicâ nacti sunt. Henricus enim Juditham, principem ob formæ & prudentiæ claritudinem à Witichindo commendatam, Arnulfi cognomine Mali filiam, nuptum acceperat, ex quâ Saxonum, qui Bojariæ imperitârunt, orta est nobilissima progenies. Potuisset in Arnulfi liberis possessio continuari, nisi eos spiritus justo elatiores, & alieni dominatûs impatientia evertisset. Everhardus ab Othone solum, solúmque exilio mutare coactus; Arnoldi pervicacitas inflexibilis frangi sine turbis & patriæ convulsione nequibat, nec verò Hermanno ejus fratri tutum fasces committere, ne ijs abuteretur. Vix credibile est, quod suo more asserit Aventinus, duos posteriores, fuisse donatos prætoris præfecturâ per Bavariam, quæ dignitas eâ tempestate Comitatui æquabatur, erátque primus honor à principatu. Nam eorum erat munus, vicem Regis agere, regium fiscum tueri, census colligere per ministros inferiores, Regis tutelam implorantibus, auxilio adesse, eorum arbitrio, quæ publicè decernebantur, firmari, neque quicquam à Duce constitui citra eorum authoritatem. Intercedebant etiam Senatusconsultis, déque ijs referebant ad Regem, si quæ ex ejus re ac dignitate non esse videbantur, verbo jura regia sic tueri, ut ne quid detrimenti acciperent. Quæ res si in fratrum manibus fuissent, haud futurum ijs fuisset difficile, res novas in Provincijs moliri, & popularium animos, regis ingratijs, sibi devincire. Eos tamen patriâ non fuisse exactos, inde palàm est, quòd Arnoldus per hæc tempora Schyrensem arcem excitârit, sive sedem residuæ suæ dignitatis, sive incolumitatis aliquod præsidium.

Munus præfectorum prætorii.

Arx Schyrensis ædificata.

X.

Cæterùm, Othonis clementia in Henricum fratrem mirum in modum inclaruit, quando meditatum recens parricidium, ingenti beneficio obruit. Rem ordine narrat Witichindus & Reginonis appendix.

Witichind. l. 2. pag. 31. Regin. Suppl. ad an. 41.

Cùm ad reprimendam Barbarorum irruptionem, Otho copias collegisset, & exhaustum varijs impensis ærarium, stipendijs repræsentandis par non esset, Henricus tumultuantem militem, in partes allectum, sacramento sibi devinxit, initâ conjuratione, ut Othonem in ferijs Paschalibus, quæ propè erant, è medio tolleret, & fastigio Henricum imponeret. Fuit, qui Othoni imminens periculum prodidit. Rex, dissimulato in præsens metu, fidâ prætorianorum manu, præter morem, dies noctésque vallatus, divina istis diebus sic obijt, ut nihil de pietate aut majestate minueret. Factiosi interea vigiliarum diligentiam suspectare, agitare novas coitiones, quod improbis innatum est, metu lentescere, differre scelus. Christi resurgentis ferijs absolutis, Otho jubet conjuratos rapi in vincula. Henricus stimulante sceleris conscientiâ & timore supplicij, fugam arripuit. Reginonis Continuator, eum Ingelheimensi custodiæ mancipatum, tradit. Captivi, criminis comperti, per quæsitores, capitali pœnæ addicti. Ipsum cœlum visum est criminis atrocitatem detestari. Cometa horridus mortales aspectu terruit, metuentes insignem aliquam in Republicâ mutationem. Sol radios, velut cruore tinctos, aëre sereno, misit: fama fuit, montem Calvariæ multis locis flammas vomuisse. Viro sinistra manus ante annum amputata ferro, reddita est dormienti: & ne fides prodigio deesset, linea cruenta, instar fili ducta circum cicatricem, abscissionis vestigium constanter notavit. Formidabilem passim aquarum eluvionem secuta est boum pestilitas. Otho Rex maternis precibus, Judithæ item Henrici conjugis lachrymis, atque virtuti & suæ clementiæ indulsit, ut rursus ad molliendum fratris animum beneficentiâ uteretur. Quare, instauratâ concordiâ, eum recepit in gratiam & fidem, quæ Henrico deinceps mansit integra. Bonam operam præstitit adversus Ungaros, qui cognitâ Bertolfi morte Bojariam incursabant. Prælio semel iterum devictos repressit. Domestici Annales memorant, Rathonem è Comitibus Andecensibus, Diessensibus, utrique pugnæ interfuisse cum magnâ laude. Fuit inter præcipuos ævi sui bellatores priscis heroibus æquandus. Ejus nomen hodiéque in Boicâ refertur in bea-

Henrici in Othonem fratrem conjuratio.

Detecta.

Punita.

Varia portenta.

Otho Henrico fratri reconciliatus.

Ungari semel iterum prælio superati.

XI. beatorum Album, & Cœlitum honoribus arisque celebratur. Si pictoribus, qui eum giganteâ formâ proponunt, fides est; communem corporis humani modum longè excessit. De Maurkirchensibus statuis, ob devictos Ungaros, paulò antè dictum est. Rathonem sancta Palæstinæ loca, voti causâ, lustrâsse, & vitam in cœnobio Verdensi, quod suis ipse opibus locupletaverat, finijsse, anno, post devictos Ungaros, sexto, constans est opinio. Addit famæ vetustas, Judithам Henrici uxorem, loca Christi sacratissimis vestigijs impressa obeuntem, habuisse Rathonem in comitatu, quod, nescio, an apud exactos antiquitatis censores fidem sit reperturum. Cæterùm si ambitio & simultas fraterna ab Henrici moribus abfuisset, parùm esset, quod in eo carperetur. Erat enim bonus consilio, animo fortis atque serius, prorsus ut, qui eo familiariter non utebantur, minùs amœnum inclementémque crederent. Immotâ fuit in amicos fide, & in remunerandis meritis apprimè liberalis. Eum, Witichindus scribit, militem fortem, sed fortunæ tenuis, quam Otho sororis suæ nuptijs erexit, pactus cum ipso amicitiam. In Italicâ expeditione, primo statim impetu cepit Aquileiam: Ticino trajecto, regionem latè est depopulatus.

Ratho Comes Andecensis.

Henrici laudes.

Witichind. lib. 2. pag. 32.

An. Christ. DCCCC. XLIX.

Anno nono supra quadragesimum, Otho Rex Ludovico Galliæ Regi suppetias duxit, copiosum exercitum adversus factiosos, in quibus Hugo rerum præclarè gestarum famâ & opibus clarissimus. Adfuêre Othoni triginta duæ legiones, conscriptæ in Austrasiâ. Gestabant milites galeros ex fœno contextos. Hugo per contemptum Othoni jussit renuntiari, se telorum tantâ procellâ capita fœnilia decussurum, ut eorum multitudo missilibus non sit suffectura. Otho per jocum reposuit, se tot lectissimos viros objecturum, quot nec Hugo, neque ejus parens, unquam vidissent. Castra mota Lugdunum, quo deditione accepto, itum Parisios, ager vastatus, Remi expugnati, Rotomagum ob tempestatis iniquitatem occupari non potuit: exacto trimestri, copiæ domum remissæ: Hugo anno sequenti pacem cum Ludovico composuit.

Fœnilia redimicula.

An. Christ. DCCCCL.

Otho Ludolfum filium, conciliatis cum Idâ Hermanni Alemanniæ Ducis filiâ nuptijs, opulentæ, simul & nobilissimæ affinitati innexuit. Etenim socero hoc anno defuncto, Ducatus universus in Ludolfi ditionem, Othonis beneficio, concessit. Ea rerum & potentiæ accessio, juvenem hactenus quietum, mutatâ indole, ad audendum excitavit. Ut pellax est crescendi spes, exercitum duxit in Italiam, captísque aliquot urbibus, præsidióque munitis, reversus ad Francones, turbas parenti permolestas comparavit.

Ludolfus Othonis F. inquies.

Regin. Suppl. Witichind. Vrsperg.

XII. Interea Boleslaus Bojæmorum princeps nondum domitus, Othonis arma provocavit. Quam ad rem, contracto exercitu, ingressus Bojæmiam, bello voluit interesse. Boleslaus civitatem, quæ nova appellata est, egregiè munitam, bello ducendo, frustrandisque Regis conatibus pro receptu habuit. In eâ cum filio cognomine se tueri, nec facere sui copiam instituit. Otho obsessum adegit ad deditionem, &, si verum habet Ditmarus, eum Henrico Bojorum Duci tradidit custodiendum. Unde factum, opinantur, ut Strahyquas ejus filius duceretur in Bavariam, & in D. Emmerammi cœnobio monachum indueret.

Boleslaus obsessus et deditus.

Ditmar. lib. 2. p. 15.

Strahyquæ in Boicam adventus.

An. Christ. DCCCC. LI.

Othoni, Bojæmicâ expeditione defuncto, nata est occasio Italicæ profectionis, cujus jam pridem desiderio tenebatur: quòd, Italiâ ad Germanicum imperium revocatâ, speraret, se haud ægrè Romanam inaugurationem, & Imperatoris titulos impetraturum. Post Lotharij Italiæ Regis excessum, Berengarius, homo avaritiâ & animi elatione insignis, Italiæ Rex, unâ cum Adelberto filio Veronæ fuerat renuntiatus. Is, quò firmiùs regnum, Papiámque regni sedem, sibi filióque assereret, Adelheidis Lotharij viduæ, quæ dotis nomine Papiam tenebat, nuptias Adelberto conciliare nitebatur. Adhibitæ primùm honorificæ prensationes, promissa magnifica, & quicquid viduæ demerendæ opportunum. Hæc cùm frustra fuissent, ad vim conversus, Papiam invasit, captámque Adelheidem castro Gardiæ ad Benacum lacum, inclusit. Ejus natales Æmilius Burcardi Sueviæ Ducis familiæ inserit: Leo Ostiensis natam ait ex Tusciæ proceribus: Frodoardus eam facit Con-

Otho in Italiam vocatur ab Adelheide Lotharii Regis vidua.

Conradi Regis Jurensis sororem, Cranzius Rudolfi Burgundionum Regis filiam, ex Berthâ Boicâ, Arnulfi filiâ, procreatam. Illa, ope Marini presbyteri, quem Sigonius Martinum nuncupat, ereptâ captivitati, ad Athonem avunculum, in arcem Canussinam evadit, móxque à Berengario obsessa, avunculi suasu, & spe nobilissimi matrimonij regníque potiundi ostentatâ, Othonis auxilium implorat, quem simul Agapitus Pontifex, ad excutiendum Berengarij dominatum, in Italiam invitat. Valuêre tot rerum maximarum illecebræ ad devinciendum Othonis animum, instruendásque ilicò pares Italiæ occupandæ vires. Sed natæ, unde minimè credebantur, ingentes simultates. Etenim Ludolfus Othonis filius, æmulatione, an patris adjuvandi studio, ipso inconsulto, prior penetrat in Italiam, ausu non modò improspero, sed etiam parenti odioso, sive quòd ex eventu, filij temeritatem metiretur, sive quòd malè expensum conatum, sequiorem in partem interpretaretur, quasi Ludolfus facti gloriam & utilitatem præripere voluisset. Quocirca patris gratiâ depulsus, causas odij & simul iras vertit in Henricum patruum, Boicæ Ducem, quòd existimaret, hujus invidiâ contigisse, quòd præter ludibrium nihil ex Italiâ retulisset. Et verò Henricus, generosi juvenis magnitudinem jam pridem perosus, ejus nomen apud Italiæ Principes ita traduxerat, ut venienti, honoris causâ, nullus occurrerit, nulla civitatum fuerit apertâ, nullus milite, annonâ, consiliisque juverit; quasi omnes, ex condicto, in ejus perniciem capita contulissent. Auxit invidiam, quòd anno sequenti Otho Veronensem & Aquileiensem clientelam Henrico donârit: sed odium multò exarsit flagrantius, cùm, post Othonis adventum, Ludolfo, omnibus affecto incommodis, patre ejus conspectum aversante, cum ignominiâ fuit Italiâ excedendum.

LUDOLFUS OTHONEM OFFENDIT.

XIII.

EIUS IN HENRICUM BOIARIÆ PRINCIPEM ODIUM.

Otho igitur transcensis alpibus, cum exercitu florentissimo delatus in Italiam, Athonem & Adelheidem de suo adventu fecit certiores. Cùm nuntio, propter dispositas circùm excubias, ad arcem accessus non pateret, eum, ferunt, Othonis litteras, sagittæ alligatas, arcu transmisisse ad obsessos, unà cum annulo, qui Adelheidi signum esset desponsationis. Cùm ergo ex propinquantibus auxilijs crevissent obsessis animi, & Berengarius suorum paucitati diffisus, omissâ obsidione, nullóque tentato certamine raptim abijsset, Otho Canussium ingressus, Adelheidem reddidit libertati, contractísque cum illa nuptijs, Papiam recepit, receptámque, triumphantis in morem, cum novâ nuptâ est invectus. Actis eodem loci Christi natalitijs, anno sequenti, sub vernum tempus, unà cum Adelheide regressurus in Germaniam, Conradum Lotharingiæ Ducem, suum generum, Italiæ, adversus Berengarium, procurandæ imposuit. Ludolfus in patriam redierat alienus à parente, quia colligebat ex Adelheidis matrimonio, quòd spe & patris destinatione antea sibi desponderat, æmulum sibi esse nasciturum. Quamobrem Salveldæ factiosos quosque, in quibus Fridericus Moguntiæ Antistes, sibi adjunxit, & in Othonem, cujus amorem reverentiámque exuerat, armavit.

OTHO DUCIT ADELHEIDEM.

AN. CHRIST. DCCCCLII.

LUDOLFUS CONIURAT IN PATREM.

Berengarius inter hæc, abjectis belli consilijs, decrevit Othonis clementiam experiri, Ludolfo & Conrado suasoribus, quorum secutus authoritatem, cum apparatu, qui Regem potiùs decebat, quàm supplicem, unà cum filijs, Adelberto & Vidone, in Saxoniam trajecit, multa sibi somnians de Othonis facilitate. Verùm longè alia expertus est. Occurrerunt quidem venienti magno numero Proceres, sed antequam in Regis conspectum admitteretur, per triduum, in publico diversorio inter spem metúmque detentus, multò, quàm speraverat, frigidiora cœpit ominari. Tum vocatus ad Othonem, promisit, se in ejus fore potestate, si in gratiam rediret. Data in præsens venia, dictáque dies, quâ ritu solenni pactæ deditionis leges, Augustæ Vindelicorum conficerentur. Isthic Berengarius cum Adelberto filio, inspectante exercitu, se Othonis arbitrio permisit. Utrique summum regni Italici jus & insignia detracta, clientelaris Italiæ administratio relicta: Verona & Aquileia adempta. Ea severitatis species, Conradum, qui Berengario Germanicum iter persuaserat, abs Rege socero alienavit, quiritantem, id fieri non potuisse sine insigni famæ suæ labe. Ergo communicatâ cum Ludolfo conspiratione, auxi-

XIV.

BERENGARIUS SE DEDIT OTHONI.

auxilia adversus Othonem & Henricum Boicæ Ducem paciscitur. Antè quàm res omnino veniret in lucem, Otho Adelberonem Metensem Episcopum, & Lotharienses, quorum vis erat meritò metuenda, in officio continuit, pollicitos se imperata in quosvis hostes facturos, nec commune quicquam cum ullâ rebellione habituros. Ubi clariùs explorata fuit conspiratio, Conradus, hostis Reipublicæ declaratus, suâ ditione excluditur, & à Friderico, Moguntiæ, quam belli sedem munimentúmque conjurati delegerant, præficitur: ipse verò Antistes profugit Argentoratum, ut belli eventum è longinquo arbitraretur. Otho, ut gliscentem in majus flammam opprimeret, contracto è Saxonibus & Boijs exercitu, Moguntiam coronâ cinxit. Contrà, Ludolfus, ut Henricum patruum ad domestica pericula diverteret, maleficijs grassatus in Boicam, Reginoburgum, Arnulfi Schyrensis (cui Henricus abiens rerum procurationem crediderat) fraude receptus, civium opes militi permisit diripiendas, & Juditham Henrici uxorem, unà cum liberis, egit in exilium, thesauro redacto in suam potestatem. Et jam res eò venerat, ut Boij, Henrico deserto, conjuratorum rebus studerent, sive Ducis odio, sive ut hostem haberent leniorem, sive quòd Saxonum imperia perosi, gentilem principatum, libertatisque veteris speciosa nomina respicerent: & aliqui fidem auro vendiderant, insigni perfidiâ, quæ magno illis olim erat statura. Otho rei indignitate & fratris commiseratione vehementer accensus, omissâ Moguntiæ oppugnatione, festinatis castris, movit in Boicam, copijs magnam partem, multorum Bojorum secessione, diminutis. Exiguum fuit maturatæ profectionis pretium, ob iniquum anni tempus, & Ratisbonæ munimenta, quæ citra longam obsidionem nequibant expugnari. Quamobrem Otho, urgente brumâ, exercitûs reliquias in Saxoniam irritus reduxit, obsidium non longè pòst repetiturus.

Ludolfus Ratisbonam diripit.

Boii Ludolfo addicti.

XV.

Ratisbona frustra obsessa.

An. Christ. DCCCC. LIII.

D. Udalricus Othonis partes secutus.

In communi Boicæ tumultu, Episcoporum aliqui in rebellium partes concesserant; alij, quos incertus belli eventus, & virium ad arcendam injuriam imparitas, vel civilis discordiæ semper calamitosa conditio absterruit, quietem bello prætulerunt. Unus fuit Udalricus Augustæ Pontifex, qui, ratus æquitatem rebus omnibus, etiam cum certo capitis periculo, esse præferendam, palàm Othonis causam, veluti meliorem, est amplexus. Ut Augustanos retineret obnoxios, urbi præsidium militare imposuit, nec dubitavit ad Othonis castra proficisci. Arnulfus Schyrensis, cognitâ ejus profectione, dirè ejus ditionem habuit. Udalricus è castris reversus ad suos, cùm neque in amicis quicquam reperiret præsidij, neque tutum putaret, quorundam civium, qui auro corrupti, ad hostem sua studia traduxerant, perfidiæ suam salutem committere, secessit in castrum Mechinganum malè materiatum, & peiùs comparatum ad prohibendas factiosorum injurias. Effecit tamen præsidiariorum alacritas, ut locus extemporali vallo fossáque munitus, non incommodè posset propugnari. Subinde ad pacis studium conversus, ne suos hostili ferro cogeretur objicere, Arnulfo, quieti redimendæ, aurum obtulit. Eam conditionem cùm Arnulfus respueret, Theobaldus Udalrici germanus, & Adalbertus Comes Marthalensis, cum expeditâ auxiliariorum manu, arci adfuêre, & Arnulphi copias, prælio victas, profligârunt, multis cæsis, multis abductis in vincula, inter quos Hermannus Arnulfi frater. Adelbertus Comes, accepto in pugnâ vulnere, paulò pòst extinctus est. Udalricus ei duxit exequias, & funus in æde D. Virginis, Augustæ, velut optimè merito composuit.

Arnulfi Schyrensis maleficia.

Vincitur.

Cùm bello civili passim Bojaria laceraretur, Heroldus Salisburgi Archiepiscopus (quanquam & alijs factum tribuitur) Ungaros in patriæ lanienam accivit. Eapropter à Joanne XII. Pont. Max. loco motus fuit. Inter abdicationis causas Concilium Ravennense, cui Otho cum quinquaginta novem Episcopis interfuit, recenset, *quòd DEI Ecclesias expilârit, thesaurum paganis* (Ungaros intellige) *erogârit, seséque ijs junxerit, in Christianorum necem & deprædationem; contra dominum & pijssimum Imperatorem suum seniorem rebellis & infidelis extiterit.* Dubium non est, quin cæteri conjurati in criminis partem venerint, Conradus præsertim Othonis gener, ut suum dolorem, & odium Brunonis regij fratris, cui Otho precarium

Heroldus Salisburgen. Antistes loco motus.

XVI.

Lotharingiæ imperium demandaverat, ulcisceretur. Jam enim post solutam Moguntiæ obsidionem, Adelberoni Episcopo, & Metensibus pariter infensus, urbem expugnaverat & diripuerat, parabátque longè atrociora, nisi Agenoldus Gorzensis Abbas, vir præclaræ sanctitatis, eum à majore noxâ deterruisset: tanta vis est & authoritas viri sapientis. *Frodoardus in Chron.*

Otho de Ungarorum impressione factus certior, lectis copiarum supplementis, è vestigio reversus in Bajoariam, castra rebellibus, qui se Barbaris junxerant, objecit, pugnæ facturus copiam, si hosti fuisset animus. Verùm Ungari certamen detrectantes, acceptis à Ludolfo viæ ductoribus, diverterunt in Galliam, ubi permixti, ad silvam Carbonariam, Conradi legionibus, rapto per obliqua Lothariensium agmine, pérque Mosæ atque Mosellæ confinia, & Remorum atque Catalaunensium agrum provecti, tandem prædis onusti, accisisque morborum insolentiâ copijs, Italiæ se infuderunt, sejuncti à Conrado, qui nihilo, quàm illi, mitiùs Lotharienses vexavit, eò denique malorum progressus, unde nullus erat ad Othonis gratiam receptus.

Inter hæc Heroldus Salisburgensis, ab Henrico Duce, Müldorfij deprehensus, velut Regis patriæque perduellis luminibus privatus, dedit pœnas rebellionis. Inane commentum est, quod, nullo teste idoneo, quidam de ejus in Turones & Hispaniam profectione, déque exportatis per fraudem reliquijs D. Martini, ariolantur, cum hoc additamento, quòd, cùm Othoni sacros cineres petenti negâsset, fas esse loco moveri, & ad declinandas Regis iras fugisset, ex fugâ retractus, ab Henrico fuerit exoculatus in pœnam furtivi spolij. Fridericus Moguntinus, meliore fortunâ, Othoni fuit reconciliatus. Subinde Rex Bojos rebelles, ad rogandas pacis conditiones, adegit. Datæ illis induciæ, ut ad 17. Cal. Julias conventui, qui Cinnam erat indictus, adessent cum alijs, qui de extinguendo civili bello erant acturi. Cum ijs fide publicâ adfuit Ludolfus, & ingens pacem orantium multitudo. Otho pro concione sic peroravit, ut, nisi Ludolfus omnem humanitatis sensum abjecisset, sese paternæ lenitati fuisset redditurus. *Multa* (inquiebat) *fuerunt, quæ mihi putavi à Superis esse metuenda, sed nunquam mihi persuaseram, fata mihi tam fore inimica, ut te, Ludolfe, mihi armatum objicerent, cogerentque ferrum stringere in meum sanguinem. Crede mihi, quæcunque in me molitus es, ita sum interpretatus, ut tuos errores non tam tibi tribuerim, quàm eorum improbitati, qui te induxerunt in fraudem. Quis enim pater sibi persuaserit, filium tot affectum beneficijs, tot auctum honoribus, & ad majores destinatum, suopte genio, in patrem induturum arma, sub signis habiturum Barbaros, & parentis & filij sanguinem pariter sitientes? Quid enim ab ipsis fuit expectandum salutis, eversâ patriâ, patre interempto? Ego te victum, nedum perditum nunquam volui, & mille votis expetij, ne Superi id vellent evenire. Vidi te in armis, sed non potui hostem compellare: filij nimis sanctum nomen est, hostis appellatio immanior est, quàm ut filio tribuatur. Patrem odisse, est extra omnes fines humanitatis. Sed neque tu facilè odij causas in parentem expediveris. Arma meo injussu (quod nefas erat) intulisti Italiæ: nihil tamen ideo in te decrevi gravius. Expertus es fortunam novercam, dolui. Italiæ coronam mihi passus sum imponi, ut eam tuo capiti donarem. Meæ gloriæ satis fuissent Germaniæ & Austrasiæ regna, nisi te optassem aliquando videre me gloriosiorem. Accusas meas nuptias, & vereris, ex ijs proditurum tuæ fortunæ rivalem: sed neque id tibi fuit metuendum, si me tuum patrem memineras. Et quamobrem eum metuis, qui lucem nondum aspexit? Novercam odisti? atqui & illa te felicem cupit ac beatum: illius virtutes te oportet amare, revereri sanguinem, suspicere favorem, quo illa regnum Italiæ tuæ fortunæ voluit inserere. Sed si neque illius, neque mea in te merita respicis, respice teipsum, ne in conatu impio pereas: respice tuam famam, cui æternam ignominiæ notam inuris: respice patriam, quam civili vis sanguine imbuere, quámque dudum miserorum ruinâ oppressisti. Denique, si sapis, redi ad mentem, te collige, & eripe ex eâ tempestate, quam excitasti. Vides apertum parentis pectus, in cujus, si lubet, venies amplexum. Vides dextram, quâ nullam potes tangere fideliorem.* Othonis orationem Henricus frater excepit verbis paulò acrioribus. Colloquij nullus fuit

Heroldus Salisb. Archiep. oculis orbatus.

Fridericus Moguntinus receptus in gratiam.

An. Christ. DCCCC. LIV.

XVII.

Ludolfus contra patrem obstinatus.

fuit fructus. Etenim Ludolfus pacem aspernatus, noctis proximæ silentio, ne salutato quidem patre, se clàm Reginoburgum recepit, certus, non priùs arma ponere, quàm iras bello explevisset.

XIIX. Regino-burgi oppugnatio. Otho eum è vestigio secutus, cùm Horsedalium (quod Lamberto est Rossadalium) de viâ frustra tentâsset, Reginoburgum summâ vi cœpit oppugnare. Oppidani, concitatore Arnulfo, frequentibus eruptionibus Othonianos fatigabant, cúmque pro mœnibus resisterent fortiter, Regi visum consultius, assidendo intercludere commeatum, & fame deditionem urgere. Jam conflictabantur obsessi gravi inediâ, cùm cives in commune statuunt, pugnæ aleam experiri. Igitur emisso, per objectam Othoni portam, equitatu, peditatum, aliâ parte eductum, navibus imponunt, jubéntque, factâ exscensione, hostium castra fortiter adoriri, & ex improviso irruere in imparatos. Verùm Othoniani, ex æris campani signo sentientes, quid in urbe ageretur, subitò ad arma convolant, quaquaversum circumfundunt legiones, muniunt stationes, & cives erumpentes magnis animis excipiunt. Illi primo impetu turbati, pars oppressi in vestigio, pars ad navigia refugientes, obtruncati, & pondere prægravante depressi in Danubium: paucis regressus patuit in urbem. Ex Othonianis unicus ex vulnere occubuit. Cùm exinde fames urgeret, Ludolfus fractus quiritatione civium, à patre colloquij facultatem exoravit: sed cùm dare pacis leges vellet, non accipere, prohibitus est venire in conspectum. Subinde, Arnulfo Schyrensi ductore, rursus pugnatum est sub mœnibus, ingenti pertinaciâ. Cùm ad tres horas dubio Marte certamen tenuisset, Arnulfus equo suffosso lapsus, & loricâ detractâ interfectus est. Ejus casus prælium diremit. Gero Othonianorum antesignanus, qui nullâ unquam pugnâ superatus acie excesserat, pulsis intra muros oppidanis, victor ad Othonem redijt. Arnulfi cadaver inter cœsorum corpora jacuit ignotum, donec post biduum à muliere, quæ famem defugiens urbe excesserat, agnitum est. Premente deinceps horrendum inediâ, Ludolfus cum conjuratis, relictâ Ratisbonâ, in Alemanniam elapsus, castra locavit ad flumen Illaram, haud procul à Tussensi pago, lectísque ex amicâ provinciâ supplementis, bellum statuit proferre.

Clades Ratisbonensium.

Gero semper invictus.

Ludolfus refugus in Sueviam.

XIX. Nec mora, Otho refixis signis Sueviam ingressus est, certus, cum factiosis manus conserere. Eos in acie pro castris stantes assecutus, ipse quoque suos ad pugnam explicuit. Et jam classicum expectabatur, cùm D. Udalricus Augustanus, & Hartbertus Antistes, inter acies progressi, viam paci aperuerunt, non eloquentiâ magis, quâ tamen valebant multùm, quàm virtutis authoritate. Bellum enim parricidali conflatum odio, cœptum consilio detestabili, miserando finiendum exitu, ne honesto quidem nomine poterat excusari. *Quid enim olim dictura sit posteritas, si intelligat, filium implacabili in patrem furore ad ejus necem properâsse, patrem inextricabili necessitate, filij latus ferro vindice petijsse? Quàm infamis pugna sit futura, in quâ sit ambiguum, vinci, an vincere, sit calamitosius? Támne vilem esse Christianorum sanguinem, ut hinc odio inexpiabili, inde flagranti vindicta sit propinandus? Tantæne sint, alioqui mitissimo, iræ, tanta filio sævities, ut neque respectu Superûm, neque precibus mortalium possint extingui? Eant, eant in mutuos amplexus armatæ acies, séque in meliora fata reservent. Brevi tempus adfore, quo ferrum, paratum in mutuam civium perniciem, pro salute communi, in Barbaros stringatur longè fortunatiùs, & majore gloriâ, quàm si crudeli prælio conjugibus ac liberis debitum officium, patriæ auxilia, universæ nationi prudentiæ laudem eripiant, & accersant vesani furoris infamiam.* Mollitis ad concordiam animis, Ludolfus prodijt in patris conspectum, & decentiùs ejus iras lachrymis, quàm armis expugnavit. Ut ex æquo Proceres conciliarentur, & dicerentur pacis leges, Comitia Frideslariam indicta. Henricus interim Novostadium redegit in suam potestatem. Nocte, quæ proximè secuta est, Ratisbona, belli fax atque sedes, penè tota incendio conflagravit, auctore incerto.

D. Udalricus auctor Pacis.

Ratisbonæ incendium.

Ludolfus longè, quàm antè, alius, non expectato comitiorum arbitrio, conventum antevertit. Patri nihil tale expectanti, cùm in Salfeldensi nemore feras agi-

agitaret, habitu rei, cultúque miserando, excalceatus, nudato capite, occurrit, & ad ejus pedes projectus, spondénsque perpetuum obsequium, lachrymas ijs, qui spectaculo aderant, expressit, & voce lamentabili scelerum veniam exoravit. Frideslariensi Comitio Arnstadium translato, Rex publicè filium absolvit, restituítque in pristinos principatus. Verùm ille sponte Alemanniæ procurationem ejuravit, pollicitus, se patri in Italiâ militaturum. Exinde Alemannia Burcardo Comiti Helfensteinio demandata. Is Hedwigem Henrici Boici filiam secundis nuptijs accepit, Luitgarde priore conjuge, S. Udalrici sorore, defunctâ. Hæc ipsa Hedwigis est, quæ primis annis Constantino Orientis Imperatori desponsa fuerat: cujus illa conjugium cùm refugeret, non est passa sui effigiem justis lineamentis adumbrari. Nam quoties pictor manum admovebat penicillo, illa sic torquebat os vultúmque & oculos, ut nunquam formæ ejus, quam habebat elegantissimam, genuinam speciem in tabulam potuerit referre. Ijsdem Arnstadij Comitijs, Conradus, Reipublicæ turbo & factionis incentivum, se stitit in veste cilicinâ, cæteróque cultu pœnitentis. Ut Regi, & communi rei satisfaceret, se fortunásque utriusque saluti devovit, professus, se unius prædij usurâ fore contentum, si Othoni conciliatus, vitæ & patriæ veniam impetraret.

Ludolfus absolutus. Burcardus Comes ab Helfenstein Sueviæ præfectus. Hedwigis Boica imp. Constantinopolitani nuptias respuit. Conradus veniam exorat.

Cùm cætera Boica pacem suspiraret, Ratisbona neque nupero incendio, neque obsidij calamitate domita, tametsi externo præsidio destitueretur, tamen animos gerebat contumaces. Quamobrem repetitâ post Paschales ferias obsidione, bimestri spatio, fame, quæ machinis omnibus est formidabilior, ad desperationem, & deditionis necessitatem est adducta. Cives portas supplicum formâ egressi, se suáque Othonis arbitrio permiserunt. Parsum est promiscuæ multitudini: capita rebellionis coacta solum vertere. Primariam urbem cæteræ libentes secutæ, redierunt ad officium, totáque Boica in Henrici potestatem.

An. Christ. DCCCC. LV.

XX.

Ratisbona domita. Boica redit ad obsequium.

Otho rebus ex voto confectis, circa Cal. Julias reversus in Saxoniam, obvios habuit Ungarorum legatos. Fingebant, se à suis missos, ut Othoni felices rerum successus gratularentur. Sed nemo erat, qui ambigeret, eos belli civilis progressus venisse exploratum. Otho per dies aliquot secum eos retinuit, & benignè habitos, donatósque pro more, remisit. Vix abierant, cùm ab Henrico trepidi venêre nuntij, tantam Ungarorum illuviem sese in Boicam infudisse, ut eorum natio universa diversis agminibus, velut è suis mota sedibus, obruere totam regionem, & nisi cœlum, terra, elementáque omnia in eos conspirarent, vix posse superari viderentur. Jactare illos ferociter, se nihil præter ruentis cœli casum formidare: Rogari itaque infimis precibus Othonem, ut ex totius Germaniæ imperio auxilia properaret. Ex Bernone, qui D. Udalrici vitam conscripsit, constat, tantam multitudinem ab ultimis Norici finibus, ad Nigram usque sylvam fuisse terris superfusam, quantam in ullâ regione aliàs visam nemo mortalium meminerat. Addit Otho Frisingensis, eos instar locustarum, omnia fuisse depastos. Boicæ sub tot Barbaris extremè periclitanti, Otho suppetias confestim misit, quarum non potuit esse tanta celeritas, quin accepta fuerint damna, quanta nulli Annales meminerunt. Protriverunt Barbari universas totius gentis opes, & dirè sacra, profana, ipsósque homines Deo dicatos habuerunt. Nisi altum litterarum silentium interfectorum nomina suppressisset, esset, unde magnum historiæ decus accederet. Vix ullius fit mentio, præterquam Thiemonis (qui alijs dicitur Thieuto) Wessenbrunensis Præsulis, qui unà cum senis Cœnobij sui sodalibus, in monte Crucis à Barbaris occisi, gloriosissimè suam constantiam cœlo probaverunt. Ostenduntur hodiéque passim ædificiorum funditus eversorum rudera, & vestigia barbaræ immanitatis.

Fallax Ungarorum legatio. Innumeræ Ungarorum copiæ invadunt Boiariam.

Thiemo Abbas Wessenbrunensis à Barbaris occiditur.

XXI.

Arenbeck.

In communi patriæ calamitate, Ebetardi Eberspergæ Dynastæ præcipua virtus excelluit. Is arcem insigni fortitudine adversus innumeram hostium multitudinem egregiè tutatus est. Illud Cœlitum auxilio tribuendum, quòd, cùm Frisingæ non modò civium, sed etiam Divorum Stephani & Viti ædes continuatâ ad sextum usque diem devastatione diruerentur, Barbaris conspectus montis, in quo

Basilica D. Virginis Frisingæ servata divinitus.

quo stat Deiparæ & S. Corbiniani Basilica, fuerit ereptus, obductis circùm tenebris, & affusâ velut cœcitate. Datum id Lamberti Episcopi precibus, qui per eos dies aris advolutus, DEUM in vota vocabat.

UNGARI AB AUGUSTA *Berno in vita S. Udalrici.* Omnium maxima moles Augustæ Vindelicorum incubuit. Ungari per omnem latè regionem ad usque Illaram fluvium, fœdis incendijs, cædibus, populationibus debacchati, castris in Lycatibus locatis, incenso D. Afræ templo, urbem oppugnare sunt aggressi. Hic patuit, quanta sit in periculis efficacitas magnæ in DEUM fiduciæ & pietatis. Civibus terrore propè exanimatis, sola D. Udalrici Episcopi auctoritas totius civitatis animos ad spem salutis erexit. Vir sanctus, jam antè divinitus edoctus, præmonuerat periculum eventúmque ejusce tempestatis. S. UDALRICO CONCITATORE REPRESSI. Igitur suscepto in se propugnandi munere, plebem omnem in hostem armavit. Fœminis dedit negotium, fusâ ad DEUM oratione pugnandi. Illæ in geminum agmen divisæ, aliæ supplicantium ordine vicos urbis, prælato crucis signo, obire, & carmine ad ciendam pietatem idoneo, Numen propitiare: aliæ in sanctissimæ DEI matris æde, potentissimam secundum DEUM tutelam, magnis vocibus implorare. Viros in urbanas cohortes tributos, Antistes jussit ad suas quemque stationes per fora, per mœnia excubare, ipse verò sacra munia militaribus socians, sacram stolam indutus, equo sublimis ubique adesse, animare præsidium, cives hortari ad rem fortiter gerendam, lustrare excubias, dispertiri imperia, & subinde supplicantium preces suo exemplo animare, tum pervigilatis noctibus, summo manè, absoluto sacrosanctæ Missæ sacrificio, pios immortalitatis cibo recreare, & ad omne discrimen reddere imperterritos.

XXII. Intentis ad hunc modum urbis defensioni, Rex Otho adfuit, cum non magnâ quidem, sed bellis bene exercitâ Saxonum manu. Accesserunt Bojorum, Franconum, & Suevorum legiones. Henricus Boicæ Dux, morbo impeditus, adesse non potuit: ejus loco Eberardus Eberspergensis tres phalanges adduxit, Conradus Dux Franconum validum equitatum. Ex Alemannis advenerunt *Witickind.* duæ legiones sub Burchardo Henrici Boici genero. Boleslaus Bojæmiæ Princeps turmam mille equitum sub signis habuit. Adfuit præterea legio prætorianorum, quæ vexillum, Angeli effigie conspicuum, gestabat. Fuêre plus minùs octo legiones, exiguum haud dubiè adversus numerosissimum hostem præsidium, nisi DEUS piorum vota respexisset. Divi Laurentij festo concurrerunt acies. Otho, ut Numen sibi & exercitui conciliaret, pridie ejus festi, totis castris jejunium indixerat: ipso die, summo diluculo genibus flexis, perfusus lachrymis, votum nuncupavit, se palatium, quod Merseburgi splendidum habebat, in Basilicam conversurum, facturúmque sedem novi Episcopatûs, si victor evaderet. Tum Udalrico ad aram facienti, piè comprecatus, de ejus manu angelicum cœlestis hostiæ cibum accepit. Demum instructa acies. In fronte locatæ Boicæ legiones: in medio Saxones, hinc & hinc Francones & Alemanni. Primus impetus factus in Bojæmos, quos Otho posuerat in subsidijs: nam Ungari converso agmine, eos à tergo sunt adorti primùm sagittis, deinde cominus immisso equitatu, qui territos fudit fugavítque, multis captis. Venerunt simul in hostium manus impedimenta, pari fortunâ sexta & septima legio aversæ. Jam in eo res erat, ut, nutante acie, gravis acciperetur ignominia. Otho, compertâ postremorum fugâ & trepidatione cæterorum, Conradum jubet cum quarta legione hosti se inferre, qui mox perruptis, fulminis in modum, turbatísque Ungarorum ordinibus aciem restituit, captivos recepit unà cum sarcinis. Quæ res eò visa mirabilior, quòd meros ferè tirones haberet sub signis. Rursus Ungari, Scytharum more, coaluerant in cuneos, & pugnam repetebant, majore, quàm antè, numero, cùm Otho, erectis denuo suorum animis, divinâ fiduciâ meliùs, quàm clypeo, protectus, primam aciem occupans, triumphalem Constantini lanceam manu præferens ante principia, primus INGENTI CLADE PROFLIGANTUR. in hostem est invectus, legionibus intrepidè jussis instare Barbaris. Visus est ante se terrorem agere, hostésque, quacunque ipse ferebatur, velut sideratos sternere, perrumpere turmas, viáque latè diductâ, disjectos suorum ferro præbere, ac deni-

que

que horrendâ cadentium ſtrage perculſos, in fugam agere. Qui inſectantium manus effugerunt, pleríque in Lycum amnem ivêre præcipites, & hauſti gurgitibus, tantos congeſſerunt cadaverum acervos, ut non modò ripas tegerent, ſed fluminis etiam curſum morarentur. Omnium confeſſione, tam illuſtris parta eſt eo die ab Othone victoria, ut omnem retrò memoriam gloriæ magnitudine ſuperârit. Non fuit tamen victoribus incruenta. Conradus Dux, qui caput pro legionibus devoverat, cùm jam devictus eſſet hoſtis, occubuit, telo, neſcitur unde, in nudum guttur, quod ad auram captandam, loricâ diffibulatâ, nudaverat, immiſſo. Ei juſſit Otho juſtis funebribus honorificè parentari. Cecidit etiam Theobaldus D. Udalrici germanus, ejuſdémque ex ſorore Nepos Reginbaldus, Hermanni Schafnaburgenſis, Annalium ſcriptoris conſanguineus. Deſideratus quoque Starckandus Epiſcopus D. Udalrico amiciſſimus. Michaël Ratiſbonenſis Antiſtes inter cæſorum corpora diu jacuit, aure mutilatus, diúque cum Ungaro, qui ſimul jacuerat, luctatus, ac demum victor ſuis eſt redditus. Pugnatum die integro. Ungarorum reliquiæ paſſim à colonis & obvijs quibusque trucidatæ. Tres Barbarorum regulos Henrico Duci frater juſſit donari, quos ille, ad aliorum terrorem, voluit agi in furcam, & capitibus in terram pronis necari. Calix aureus ex devictorum ſpolijs conflatus, ab Eberhardo Eberſpergenſi D. Sebaſtiano dedicatus. Caſtra ingentibus referta prædis venerunt in victorum manus. Otho ab exercitu patriæ pater appellatus, per omnia Divorum templa Deo grates imperavit perſolvi. Ejuſce victoriæ monumentum, in faſtis Metropolitanæ Trevirorum Eccleſiæ extat, cum hoc titulo: XXIII.

Tres Ungarorum reguli in furca pronò in terram capite necati. *Hiſto. Eberſperg.*

III. IDUS. AUGUSTI. MAGNUS
OTTO IMP. DEI GRATIA
UNGARIOS PROSTRAVIT.

Ex memorabili tot hoſtium clade, Bojaria non modo à metu reſpirâre, ſed etiam Ungaros timere deſiverat, cùm Henricum Ducem rebus humanis mors exemit Calendis Novembribus, principem haud dubiè ingentis animi, flagrantémque cupiditate regnandi: non tamen immemorem pietatis, quippe qui Deiparæ ſemper Virgini, cujus honori apprimè ſtudebat, templum dedicavit, in quod eum illatum ſcribit Ditmarus. Aventinus eum tumulat apud S. Emmerammum. Morituro Michaël Ratiſbonenſis Epiſcopus duas præcipuè noxas objecit; primam, quòd Heroldum Saliſburgenſem Archiepiſcopum exoculâſſet, alteram, quòd evirâſſet Patriarcham Aquileienſem. De hac ſe reum egit cum ſeriâ pœnitudine: in alterâ non agnovit culpam, quòd in publicum Regis & patriæ hoſtem proditorémque, jure ſe animadvertiſſe (pro ſæculi iſtius cruditate) malè crederet, quod ipſum profeſſus eſt Judithæ conjugi; quæ nihilominus profusâ in pauperes largitione, iſtud facinus, & ſi quæ, præterea deliquerat, conata eſt expiare. Ex eâ ſuſtulit quaternam prolem, Henricum, Ludovicum, Luitgardem Aventino dictam Hedwigem, & Halicam, quæ, devotâ Deo virginitate, poſt exactam eximiâ caſtitate vitam, Batavis ſepulchrum nacta eſt. XXIV.

Henrici Boicæ Ducis obitus.

Juditha, poſt mariti exceſſum, continentiam coluit, nec evitavit tamen ſiniſtros vulgi rumores. Cùm enim Abraham Friſingenſem Epiſcopum impensè veneraretur, & in rebus dubijs familiariter conſuleret, incurrit in malè feriatorum criminationes. Verùm cùm illa è vivis exceſſiſſet, idem Antiſtes inter ſacra ſolennia, quæ ritu funebri defunctæ faciebat, ejus famam hac ratione defendit. Antequam ſumeret hoſtiam ſacroſanctam corporis & ſanguinis divini, ad populum converſus, demortuam laudavit: Flagitium verò, inquit, quod impoſtores ejus pudicitiæ affinxerunt, ſi unquam perpetravit, faxit omnipotens pater, ut filij ſui corpus & ſanguis, quod ſalutare eſt alijs remedium, mihi ſit exitio, & Judithæ ſaluti. Sic locutus, corpore animóque purus, ſumpſit pretioſiſſimam convivij Chriſtiani refectionem. Dicenti credidit populus. Relictum tamen viduis virginibúsque documentum, quanta cautio, in caſtimoniæ & integræ famæ tutelâ, ſit adhibenda.

Judithæ Henrici conjugis fama ſequior, publicè defensa.

JUDITHA FUNDATRIX MONASTERII INFERIORIS RATISBONÆ.

Juditham, virginitatis & Sancti monialium magnam æstimatricem, agnoscit nobile virginum collegium, quod Ratisbonæ (inferius vocant) ab ipsâ conditum, ubi ejus Mausoleum in templi aditu monstratur. Non constat, quo anno vivere desierit: videtur tamen ultra annum DCCCCLXXIV. provixisse, ex litteris Ottonis primi, qui inferioris Cœnobij virginibus, Judithæ precibus inductus, opulenta latifundia villásque donavit.

OTHONI NASCITUR EX ADELHEIDE FILIUS COGNOMINIS. SLAVI DEVICTI.

XXV.

Eum vicissim hoc anno DEUS redonavit Othone filio ex Adelheide, qui patri in imperio successit: eum quoque auxit insigni de Slavis victoriâ, qui Saxones, ruptis, quas iniverant cum Cocarascemis, deditionis legibus, dirâ in cives strage grassati, offenderant, & obfirmatis animis detrectabant Othonis imperium, cæteroqui solenne tributum, si suo arbitrio relinquerentur, pendere parati. Otho, vastatis agris, castra movit ad Raxam fluvium. Slavi fluminum & paludis objectu, duce Stoinefgero, se tuebantur, Othonianis fame morbísque laborantibus insultantes. Gero permultis clarus victorijs, Regis nomine pacem illis obtulit, cujus conditiones respuerunt. Ille redux ab irritâ legatione, Othoni persuadet, ut noctis conticinio, agmen ducat in hostem, eúmque, per speciem faciendæ irruptionis, lacessat omni missilium genere, se interea partem copiarum tribus inde passuum millibus, inferiori profluentis alveo admoturum, structóque confestim ponte, transmissurum ad hostes: ita Barbaros facilè posse superari, si modò Rex, comperto, Geronem in adversam ripam trajecisse, cum cæteris legionibus advolet, & flumine per pontem superato, rectâ cum universo exercitu contendat in hostem. Nec factum minùs, quàm dictum. Slavi, præter omnem expectationem, facti de propinquante Gerone certiores, venienti occurrunt. Nec mora, pugnâ commissâ, Barbari momento vertuntur in fugam, magnóque numero trucidantur. Eorum regulus, qui equitatum in eminente colle habebat in subsidijs, territus fugâ peditum, sese in silvam, duobus tantùm satellitibus stipatus, abdidit; ubi deprehensus à milite, cui Hosedo nomen, obtruncatus est, capto satellitum altero. Hosedus reguli caput à cervice recisum, Othoni obtulit, atque ex eo die bello insigniter inclarescens, in rei bene gestæ præmium, auctus est viginti prædiorum donativo. Barbarorum castra occupata. Die posterâ, reguli caput publicè fuit expositum, & ad rebellium terrorem, septuaginta captivi necati.

HENRICI RIXOSI PIETAS.

Henrico Bojariæ Duci Henricus II. cognomento Pius, idémque Rixosus, Othonis patrui voluntate, suffectus est. Pietatis magistram ab ineunte ætate habuit Mathildem aviam, sub cujus manu tantos fecit in virtute progressus, ut ascetas quosvis sincero religionis cultu, morúmque sanctitate æquare crederetur. Illi propè quotidianum erat, antelucanas Monachorum comprecationes religiosè frequentare, & sæpenumero prævenire, itinere decem millium passuum: tanto enim intervallo distat Abudiacum, vulgò Abach, ubi Regiam habuit, ab æde D. Emmerammi, ad quam itabat medijs noctibus, ut cum ejus loci religiosis, divinis laudibus interesset. Visitur hodiéque sedes lapidea, in templi vestibulo, in quâ solebat præstolari, donec templi fores aperirentur. Memorantur angeli, si quando æditui in pandendis ostijs erant tardiores, eorum munere esse officiosè perfuncti. A quo pietatis instituto, neque hiemis asperitate, neque cœli injurijs, aut negotiorum multitudine se patiebatur absterreri. Ea religio, eò clarior in Henrico, quò rarior in magnis Principibus.

LAMBERTUS EPISC. MERSEBURGENSIS

XXVI.

Cæterùm, hæc ætas alios prætereа viros in Boicâ produxit famâ sanctitatis illustres. In his fuit Lambertus, hoc circiter anno defunctus, vir prodigiorum patratione nobilis. Eidem fuit æqualis Boso, gente Bojus, severioris vitæ disciplinâ, ad D. Emmerammum, instructus Reginoburgi. Compertâ ejus probitate, Cæsar eum habuit inter fidos rerum consiliorúmque administros, ac demum dignum judicavit, qui Cicensi Ecclesiæ præficeretur. Conceptam de ejus virtute existimationem non fefellit industria, quam in formandis ad religionis amorem populis cum præcellenti fructu adhibuit. Ad probi pastoris officium, quod Cicæ omnibus numeris absolvit, adjecit ædem nobilem, in nemore propinquo structam

ctam ex solido lapide. Cùm commendata civitas, ejus de Deo bene merendi studio esset angustior, suam operam ad Slavos orientales porrexit. Ad eos profectus, innumeros à barbarie abstractos, imbutósque moribus humanioribus, Christo adjunxit. Ut rudibus neophytorum ingenijs pietatem suaviter instillaret, ijs brevem precationum formulam, quâ divinum Numen colerent, linguâ vernaculâ præscripsit, jussitque simul in supplicationibus, usitatum à pijs carmen, Kyrie eleison, frequentare, eò quòd in ijs vocibus magnam vim ad Deum placandum inesse diceret. Cùm his laboribus intento ætas suprema immineret, nutu, ut creditur, divino redijt in patriam. Reduci facta optio trium Episcopatuum: cæteris prætulit Merseburgensem, quem nuper Otho D. Laurentio, in bello Ungarico voverat. Extremam vitæ lineam attigit Calendis Novembribus, in Boicâ. Ejus exuvias sibi populares libenter asseruissent, ut, quæ eum terra nascentem exceperat, mortuum retineret; verùm intercessêre Merseburgenses, vindicatúmque corpus in D. Joannis præcursoris, ad aram principem, condiderunt.

Sed illud propiùs spectat Henrici pietatem, quòd D. Wolfgangi consuetudine familiarissimè sit usus, & ejus tum hortatu, tum exemplo, virtutem eximiè coluerit.

Illo authore sub mœnia Ratisbonæ erexit Monasterium nobilium Virginum, hac occasione. Summè dolebat, si quos intelligebat ex ijs, qui se Deo sponte consecrârant, à suscepto religiosæ vitæ proposito desciscere. Nonnulli verò mores irrepserant in aliqua Sanctimonialium domicilia, à modestiâ & disciplinâ sanctiore alieniores. Sæpe seriò cum D. Wolfgango consilia contulit, petiitque, vellet suâ authoritate aberrantes reducere in viam & frugem laudabiliorem. Id cùm Antistes negaret esse sui arbitrij, eò quòd Cœnobia ab Imperatoribus condita, Episcopi inspectionem reijcerent, eluderéntque, ob Regis tutelam; bonus Princeps, re probè expensâ, próque suo in Dei honorem studio, asceterium Virginum boni sanguinis & magnæ spei erexit eo loco, ubi S. Pauli sacellum antea steterat. Ideo voluit D. Pauli Monasterium nuncupari, filiámq; suam, Brigittam nomine, annuente Wolfgango, Virginibus præesse, cum potestate Antistitæ. Hoc autem se præcipuè spectare dicebat, ut novo novarum Virginum exemplo, cæteræ ad ardens virtutum studium accenderentur. Atque hoc ipsum est D. Pauli domicilium, quod lapsâ disciplinâ nostro ævo, Sixti V. Pontificis Maximi voluntate, uti suo loco referetur, agente Serenissimo Guilielmo Duce Bavariæ, Societati Iesu fuit transcriptum.

Henricus D. Wolfgango familiaris.

XXVII. *Fundat Monasterium S. Pauli.*

Henrico Duce, Altaichium refloruit sub Cuniberti manu, cui Dux loci gubernationem commendavit. Cunibertus vitæ religiosæ tirocinium in S. Galli monasterio posuerat, & ab Henrico Salisburgum fuerat evocatus, ut præfectus ludo litterario, juventutem bonis artibus, quibus erat apprimè excultus, imbueret. Inde fuit eductus ad Altaichij præfecturam, quâ abdicatâ, ad religiosum S. Galli secessum regressus, novâ rursum dignitate in Brisiacensi auctus, non multò pòst equo effusus, in comitis sinu animam exhalavit. Atque hæc ferè sunt, quæ Henricus, pacatis suæ gubernationis annis, egit, curavítque, quoad sectatus est vitam à belli turbis alienam; quæ illi felicitas obtigit, usque ad Othonis Regis obitum. Hoc vivo, ne quid moveret, faciebat ingens potentia perpetuúsque victoriarum cursus, qui denique Italiam, ad petendam ipsius opem, adversus impotentem Berengarij dominatum, excitavit. Ipsi quidem Othoni per regni Germanici curas suppetias ire non licuit: misit tamen filium Ludolfum, qui vicariâ potestate præclarè usus, res gessit memorabiles. Witichindus & Ditmarus, eum, scribunt, istam expeditionem inconsulto parente suscepisse, amicorum consilijs denuo depravatum, sed Sigonio magis credimus, tametsi juniori, quòd Ludolfo, abdicatis magnam partem clientelis, non videantur fuisse vires domesticæ, ad res tantas moliendas, nec is fuit in ipsum Italorum affectus, cur parente prætermisso, in auxilium vocaretur. Quibuscunque tandem auspicijs, fudit fugavítque Berengarium in Hortam, Novariensis lacûs insulam, multisque civitatibus in suam potestatem redactis, plerosque populos in suam fidem recepit.

Cunibertus Abbas.

An. Christ. DCCCC. LVI.

Sigon. lib. 6. Witich. lib. 3. Ditmar. lib. 2

Ludolfi Italica expeditio et obitus.

Anno

An. Christ. DCCCC. LVII.

Anno postero, victoriam magno ardore persequenti, mors inopina Plumbæ, non sine veneni, à Berengario procurati, suspicione, manus injecit. Ejus exuvias, Moguntiam devectas, Guilielmus Archiepiscopus ejus frater, ad D. Albani honorificè tumulavit. Obijt 8. Id Septemb. Hoc item anno Othonem Slavos bello rursus petijsse, in Reginonis appendice reperio.

An. Christ. DCCCC. LIIX. XXIIX. *Kyriander. Trev. Annal. pag. 95.*

Qui secutus est annus, per Germaniam mirabilis fuit insigni prodigio, quod animis mortalium pavidas religiones & malorum metum injecit. Ostentum, triennio seriùs, narrat Marianus Scotus: sed ducimur authoritate veteris monumenti, quod Treviris in cruce lapidea, Henricus Archiepiscopus in medio foro excitavit, cum hac inscriptione.

OB MEMORIAM SIGNORUM CRUCIS, QUÆ COELITUS SUPER HOMINES VENERANT ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS DCCCCLVIII. ANNO VERO EPISCOPATUS SUI SECUNDO. HENRICUS ARCHIEPISCOPUS TREVIRENSIS ME EREXIT.

Cruces vestibus impressæ. Synodus Ingelheimensis. Heroldus excommunicatus.

Cœlo lapsæ cruces hominum vestibus imprimebantur. Quorundam amictus visus est aspergi colore, lepram referente: aliorum indumenta, fœdæ alterius speciei maculæ contaminabant. Otho motus prodigij novitate, Monasteria ad Dei Sanctorúmque venerationem, alia instauranda, alia amplificanda, alia à fundamentis excitanda curavit. Celebrata est Ingelheimij sedecim Episcoporum Synodus, in quâ suffectus est Heroldo Salisburgensi Archiepiscopo, quem oculorum orbitas à sacrorum usu removebat, Fridericus ex Comitum Chiemgevensium stirpe oriundus, vir dignus, qui à Joanne Romano Pontifice, ob singulares virtutes, laudaretur. Heroldus nihilominus tametsi suæ exauctorationi non esset refragatus, pallio Archiepiscopali postea abusus, promeritus est, ut in Concilio Ravennate à Summo Pontifice diris devoveretur.

An. Christ. DCCCC. LIX.

Otho, post conventum Ingelheimensem Slavos denuo armis invasit. Sub hæc tempora D. Wolfgangus Bojariæ sidus, apud exteros, doctrinæ sanctitatísque luce cœpit inclarescere. Herbipoli, Stephanum, illo ævo litteratorum principem, ad tradendum litteras accitum audierat, deseruerátque ejus scholam, ne, quem experiebatur doctrinæ æmulatione inimicum, odio graviore accenderet, quòd ægrè ferret, se à Wolfgango ingenij bonitate & rerum abstrusarum perspicaciâ superari.

D. Wolfgangus Treviris docet litteras. Archiepiscopi Vicarius. Cleri vita communis.

Wolfgangus eam ob rem divertit Treviros, ubi Henricus Archiepiscopus illum ad amplissima sacerdotia destinabat, quibus ille repudiatis, abjectum in speciem, re ipsâ tamen in Dei oculis sublime, juventutis erudiendæ munus, sibi Treviris depoposcit, egregiéque exercuit. Quamobrem Henricus, tam perito moderatori Cleri sui curam demandavit. Is non ausus id officij abnuere, volenti paruit tantò accuratiùs, quò magis noverat, sacros homines à veteris disciplinæ tramite deflexisse. Quos ut faciliùs in viam reduceret, persuasit Henrico, ut in areâ peropportunâ principi Basilicæ contiguâ, domicilium necessariásque officinas exædificaret, & Cleri supellectilem proventúsque juberet in commune conferri, ad omnium ac singulorum sustentationem. Visa res initio ardua, & nonnullis factu nimiùm severa. Verùm Wolfgangus, quà lenitate, quà constantiâ, id demum est assecutus, ut sub uno tecto, Clerus primarius, vitam à turbis remotam, extra pravorum hominum consuetudinem, certis adstrictam legibus ageret, quem tamen vivendi modum ultra tria lustra non retinuit.

Trithem. Chron. Hirsaug.

An. Christ. DCCCC. LX. *Otto Frising. lib. 6. c. 21. Luitprand. Cremon.*

Inter hæc Otho Rex, cùm aliæ super alias è Slavis belli causæ orirentur, sibi nationem, toties rebellem, sumpsit supremâ vi debellandam. Jam totus erat in apparatu, cùm ad eum venêre in Saxoniam, Joannes Cardinalis Diaconus, & Azo scriniorum præfectus, legati Joannis XII. Pontificis. Legationis summa erat, Romanum Pontificem, totam adeò Italiam indigna omnia passos, à Berengario ejúsque filio Adelberto, ex quo Otho copias in Germaniam reduxisset. Eos indies

dies sævire truculentiùs, & Romanam Ecclesiam tot tantisque vexare injurijs, ut in urbe nemo sit, nemo bonus in totâ Italiâ, quin malit externo imperio subesse, quàm opprimi domesticâ tyrannide. Albericum urbis dominatum invasisse: Pontificem, instar mancipij, tenuisse captivum: Palliorum jura Patriarchæ Constantinopolitano vendidisse: commisisse rerum summam hominibûs flagitiosis: pertinere ad Othonis dignitatem, Caroli Magni exemplo, veterem Imperij sedem, urbem urbium, Ecclesiarum matrem vindicare ab injurijs & calamitosissimâ servitute. Tyrannos sic esse viribus exhaustos, ut nullo propè negotio possint debellari. Quod si Otho in se suscipiat, pulcherrimi facti præmium fore, augustales titulos & Romani Imperij ornamenta. Eodem tempore adfuerunt, Valpertus Mediolanensis Archiepiscopus, Valdo Episcopus Comensis, & Marchio Odbertus, miseram rerum suarum conditionem deplorantes, & poscentes opem. Simul pollicebatur Valpertus, se magno Episcoporum omnium atque civitatum consensu, mox ubi juvisset, Othonem Regni Italici insignibus ornaturum. Utrisque addita auxilia. Otho juramenti, quo se Romæ erat obstricturus, formulam misit Joanni Pontifici, velut pignus securæ propediem expeditionis, quam Gratianus in primam Decreti partem retulit.

LEGATIO ROMANA AD OTHONEM IMP. XXIX.

Gratian. dist. 63. c. Tibi Domino.

Ad illum, sub idipsum temporis venit Russorum legatio ab Helenâ Regina, quam alij Elgam nuncupant, oratum, ut suæ genti daret divinæ legis præcones. Illa Constantinopoli sub Constantino Imperatore Christiana Sacra susceperat, cupiebátque Russos ijsdem initiari. Otho, pro sua pietate legatis omnia benignè promisit, misitque Libutium D. Albani Moguntiæ Monachum, quem mox jusserat Episcopum consecrari.

Regin. Suppl. Lamb. Schafnab. Zonar. to. 3.

Porrò, antequam iter Italicum aggrederetur, arma vertit in Slavos, victórque reversus in Austrasiam, suffragantibus Lotharingiæ proceribus, in Aquisgrani Regiâ, Othonem indolis optimæ filium, septennem, regni consortem dixit in festo Pentecostes. Subinde Wilhelmo præsuli Moguntino, filij educationem regníque vicarias curas, dum esset absfuturus, commisit. Regressus in Saxoniam, indéque in Bojariam, justis instructus copijs ad Tridentinas alpes contendit. Italiam ingressum, populi passim occurrentes festivè exceperunt. Papia, ne tentatâ quidem defensione, portas aperuit. Mediolanenses effusâ illum gratulatione coluerunt. Archiepiscopus, convocato, de more, Antistitum Procerúmque conventu, Berengario & Adelberto abdicatis, ei detulit regni Longobardici insignia, in æde D. Ambrosij. Berengarius ad Montem Feretrum in Ducatu Spoletano profugit: Adelbertus filius Spoletum, atque inde Camerinum. Villa uxor ad Insulam S. Julij, in lacu Verbano: Vido item filius in Insulam Comacinam in lacu Comensi, pòst in Gardam, Insulam lacûs Benacensis.

OTHO II. REX AUSTRASIÆ. XXX.

OTHO IMP. AB ITALIS FESTIVE EXCEPTUS.

BERENGARIUS FUGITIVUS.

Otho, celebratis Papiæ Christi natalitijs, cum lectissimo exercitu, comitantibus magno numero Italiæ principibus, Romam inijt. Joannes Pontifex ad gradus Basilicæ Vaticanæ eum amplexus, in ædem sacram induxit, ubi sacro perfusum oleo, augustali diademate cæterisque Romani Imperij insignibus exornavit, Clero universo populóque acclamante, Augusto Imperatori felicitatem & victoriam. Ipse vicissim, dicto ad aram Principis Apostolorum sacramento solenni, Ecclesiæ Romanæ tutelam, Pontificibus debita officia, spopondit. Oppida, quæ priorum temporum injuria Ecclesiæ detraxerat, restituit; largitus est magni pretij gemmas, & vim insignem auri & argenti. Quæ deinceps gessit in Italiâ, sufficit dare compendio sub aspectum. Anno DCCCCLXIII. peracto Papiæ Paschate, Berengarij uxorem, bimestri obsidione in S. Julij Insulâ, in suam potestatem redegit: Ravennam, tenui Berengarij præsidio insessam, invasit: montem Feretrum, Berengarij receptaculum, obsedit. Inde avocatus, ob Joannis Pontificis cum Adelberto conspirationem, gravésque in eum accusationes, Romam redijt, ubi coactum Episcoporum concilium, quod meritò inter spuria & perversa recenset Baronius, Joanni abdicato, Leonem VIII. Othone probante, subrogavit. Anno sequenti Berengarius captivus, unà cum uxore Villa, relegatus est in Germaniam: ille

AN. CHRIST. DCCCCLXII.

Frodoard. Luitprand. Herman. Sigon.

ROMANA OTHONIS INAUGURATIO.

RES AB EO GESTÆ IN ITALIA.

BERENGARIUS UNA CUM UXORE RELEGATUS IN GERMANIAM.

An.Christ. DCCCC. LXIV.

ille anno exilij tertio, fato functus, Babenbergæ tumulum accepit: uxor sub vitæ finem Monasticen est amplexa. Romani, Othone Italiæ rebus ordinandis intento, utentes ejus absentiâ, expulso Leone, Joannem revocant paulò pòst, pridie videlicet Idus Majas, moriturum, eique sufficiunt Benedictum Romanæ Ecclesiæ Diaconum, quem, occupatâ Româ, Otho ejecit, Leonémque restituit. Italiâ domitâ, reversus in Germaniam, magno totius propè orbis terrarum plausu, concursu legationum, & gratulationibus fuit honoratus. Benedictus Pontifex legiti-

An.Christ. DCCCC. LXVI.

mus, quem Otho secum in Germaniam abduxerat, multa dira passus à Pseudopontifice Leone, obijt Hamburgi 4. Non. Julij, incertum quo anno, fuitque pro martyre habitus.

XXXI.

An.Christ. DCCCC. LXVII.

Otho Romam rediens, Joannem XIII. qui demortuo Leone, creatus erat Pontifex, quémque Romani expulerant, sedi Pontificiæ restituit, sumpsitque pœnas de factiosis. Joannes in accepti beneficij vicem, Othonis cognominem filium augustalibus cæremonijs initiavit Romæ anno LXIIX. Celebrato Ravennæ co-

An.Christ. DCCCC. LXIIX.

mitio, urbem istam & Exarchatum Pontifici reddidit. Adelbertum justâ acie devicit, Guidonem occidit, rebellésque coegit facere imperata. Saracenos Calabriâ & Apuliâ exegit, subegit Beneventanos. Græcos in Calabriâ delevit. In

An.Christ. DCCCC. LXIX.

Otho Magdeburgi conditor.

Saxoniâ Magdeburgum condidit, eique dedit Adalbertum, è D. Maximini Trevirensis cœnobio eductum, primum Episcopum: tandem in Germaniâ Nonis Maij supremum diem obijt, Imperator verè Magnus, rerúmque gestarum gloriâ maximis comparandus. Ejus præcipuè beneficio, Benedictoburanum monasterium è busto & ruderibus, in quæ Ungarorum injurijs erat collapsum, emersit, au-

An.Christ. DCCCC. LXXI.

ctore D. Udalrico, ut donativo juvaret Wolfoldum Archipresbyterum parietes instaurantem. Si nævus exauctorati Joannis Romani Pontificis ejus famæ non irrepsisset, vix in eo quicquam esset dignum graviore censurâ. Culpam tamen

An.Christ. DCCCC. LXIII.

Othonis Imp. obitus.

D. Wolfgangus Treviri discedit.

Sacerdotio initiatur a D. Udalrico.

Christum prædicat in Pannonia.

Deus (qui longè acriùs, quàm mortales, omnia revocat ad bilancem) videtur castigâsse, immissâ in exercitum pestilitate anno LXIV. quam, parans redire in patriam, ægrè evasit. Eadem Henricum Trevirorum Archiepiscopum sustulit. D. Wolfgangus, compertâ ejus morte, difficilem cleri Trevirensis procurationem ultrò dimisit, & salutatis ex longo intervallo parentibus, in D. Menradi domicilio vitam solitariam inijt, ubi à D. Udalrico, fortè fortunâ transeunte, sacerdotio est initiatus. Cùm excelsus ad res amplissimas animus, in istius solitudinis angustijs se non posset explicare, cum bonâ Gregorij Abbatis veniâ, Pilegrini Bataviensis Episcopi auspicijs, Alemannis & Bojarijs, per transennam, ad rerum cœlestium studia excitatis, in Pannoniam penetravit, ubi quinque Ungarorum millia Christo adjunxit magno operæ pretio. Inde ad Pilegrinum redux, ei se tantopere probavit, ut ejus judicio atque commendatione, invitus licèt, fuerit cooptatus ad capessendum gubernaculum Ecclesiæ Ratisbonensis magno Cleri populique consensu, ac demum à Friderico Salisburgensi Archiepiscopo solenni ritu consecratus, post Michaëlis excessum, qui totos triginta annos cum laude Episcopatum gesserat,

XXXII.

egregius jurium opúmque sacrarum defensor & vindex. Quo in genere fortiter restitit Bertholdo Marchioni, qui, cùm ad D. Emmerammi invadendas possessiones cupiditatis oculos adjecisset, desperarétque, se Michaëlis voluntate voto po-

Perjurii supplicia.

titurum, dolo conatus est sacro tribunali fucum facere. Produxit videlicet duodecim viros, sanguine nobiles, qui omnes ad aram D. Emmerammi pejerârunt, Bertholdum res suas, non alienas petere. Testes omnes, ab irato Numine diversis affecti supplicijs, meritas perjurio pœnas dederunt. Alius oculis, alius usu rationis orbatus: alius cum alvo animam effudit: alteri laqueo fracta gula: unus percussus fulmine, alius conflagravit suarum ædium incendio: alium gangræna depasta est: alius mancus ac luscus reliquum vitæ peregit: unus Nabo flumine haustus, alter paralysi, alius aquâ intercute perijt. Bertholdus, author sceleris, donato ad

Rei sacræ alienatio punita.

D. Emmerammi aram Isiningæ prædio, sibi Deum propitiavit. Michaëlem cùm semel iterum constantia in eo munere defecisset, illicò divinam manum sensit ultricem. Aliquando ut Othoni Regi gratum faceret, campanum æs ex D. Emme-

me-

merammi basilicâ donavit. Campana templo elata tinnitûs suavitatem, absonâ raucedine, mutavit. Aliàs, ut nepoti mitram conciliaret, ex Martyris thesauro, ad demerenda palatinorum patrocinia, munuscula sustulit: verùm sine morâ morbo conflictatus, crimen agnovit, restituitque res ablatas; an restituendo mortem effugerit, incertum.

Hunc annum, qui Othoni Imperatori fatalis fuit, insignivit funus D. Udalrici Augustani Episcopi, qui lentâ tabe superatus anno ætatis LXXXIII. post gestum annos quinquaginta, cum magnâ omnium approbatione, Episcopatum, Nonis Julij, migravit ad vitam immortalem. Eum post & ante mortem clarum miraculis, D. Wolfgangus in D. Afræ basilicâ tumulavit. An. Christ. DCCCC. LXXIV. D. Udalrici excessus.

Cæterùm, Episcopatus initia D. Emmerammi monasterio impendit. Qui ante ipsum Reginoburgensis cathedræ fuerunt Antistites, ijdem fuêre Cœnobiarchæ D. Emmerammi: nam sedes Episcopalis, à prima sui institutione, hæserat ad D. Emmerammum, usque ad Othonis Magni ætatem, qui eam voluit in peculiarem civitatis ædem transferri. Wolfgangus, ut lapsam aliquantum Cœnobij disciplinam erigeret, separavit ab Episcopatu, & cœpit revocare ad primævum institutum. Quam ad rem è D. Maximini Trevirensi inclyto religionis contubernio, virorum apprimè religiosorum manum auxiliarem impetravit. Inter eos Ramuoldus, nuper Henrici Archiepiscopi Sacellanus, idémque Wolfgangi patruelis, & in Treviris collega, qui, ut Arnolfus loquitur, *in regulari disciplinâ strenuus*, primùm Ratisbonæ Præpositus, deinde Monasterij D. Emmerammi Abbas creatus, cùm majorum œconomiam haud satis providam, & accisas opes reperisset, auxilio Wolfgangi, qui nulla vitæ subsidia cœnobijs deesse patiebatur, prædia omnia, quæ ad monasterium olim pertinuerant, de injustorum usurpatorum manibus, vindicavit. Hoc quoque anno S. Conradus Constantiæ Episcopus ad Cœlites abijt. Hic patre Suevo, matre Boiâ natus, meritò spectat ad decus gentis utriusque. XXXIII. S. Wolfgangus sedem Episcopalem in novam basilicam transfert Ratisbonæ. *Arnolf. in vita S. Emmeram.* Reformat Monachos S. Emmerammi.

Post Othonis Imperatoris mortem, Otho II. ejus filius à Principibus & Ordinibus denuo Rex acclamatus est. Sortitus est turbulenta imperij initia. Itali, ambitione prisci dominatûs, scissi in plures factiones; quòd multi imperare, pauci vellent regi imperio. Turbatum quoque in Germaniâ authore Henrico Bojariæ Duce, qui spretâ Othonis patruelis potestate, imperij fasces prensavit. Eum transversum egit Abrahamus Frisingensis Episcopus, imbutus Othonis odio, qui ausus Henricum Regem augurali cæremoniâ initiare, eóque fraudis impellere, ut, icto cum Boleslao Bojæmiæ, Miscone Poloniæ, Haraldo Danorum, Henrico Carantanorum, Principibus, fœdere, non obscurè rebellionis bellique metum ostentaret. Venerunt in partem conspirationis, Moguntinus, Magdeburgicus, & Augustanus, Episcopi. Quo comperto, Otho confestim Wehmariæ Procerum conventum indixit. Illic ex Principum sententiâ decretum, ut Henricus & socij conjurationis, non ut rei Majestatis, sed velut subditi, ad Comitium vocarentur: si parere nollent, in eos arma sumerentur: sin venirent, fieret tempestivè gliscenti malo medicina. Henricum, aliqui memorant, adfuisse, atque in speciem præsetulisse, se in Othonis auctoritate futurum, sed mox redisse ad ingenium. Alij legatos, Popponem Episcopum, & Gebhardum Comitem è comitio missos, qui Henricum hortarentur, ut cæterorum Principum exemplo, Othonis imperium agnosceret, abstinerétque à Reipublicæ turbis, si vellet vitare scopulos, in quos se fortunámque suam esset, pertinaci contumaciâ, impacturus: attenderet, quantam in suum caput potentiam armaret, quam excitaret tempestatem, cujus violentiâ si abriperetur, nunquam, aut serò exitialis naufragij tabulas esset collecturus. Addunt, cum in præsens iras & ambitum in potestate habuisse, & dedisse speciosa responsa legatis, quibus temporis aliquod faceret compendium, ad vires, quas nondum pro rei magnitudine habebat in promptu, paulatim colligendas. *Vrspergen. Sigon.* Otho II. sortitur inquieta imperii initia. Henricus Boius fasces prensat. Potens conspiratio.

Otho nihilominus fraudem subodoratus, Henrico tantisper omisso, Haraldum Daniæ Regem statuit ab illo dissociare, ratus, malè coalita fœdera, per partes oportere dissolvi. Bello Danico causam obtendit, quòd castella quædam olim XXXIV.

DANUS AD PACEM ADACTUS.

à Danis fuissent intercepta, & divulsa ab imperio. Occupavit primùm aliquot civitates, subegit nonnullas munitiones, effecitque, ut Danus æquas pacis conditiones admitteret. Magnum id & grave vulnus fuit factiosis. Otho cæteros ordine aggressurus, ne quid præcipiti consilio, quo nihil in magnis negotijs nocentius, ageret, altera comitia Visinariæ habuit. Eò vocatus Haraldus, mox adfuit, & sancitâ, more solenni, cum Othone amicitiâ, vetera regni jura clientelásque renovavit.

AN. CHRIST. DCCCC LXXV.

Boleslaus Bojæmus accitus, neque venit, neque per legatos absentiam excusavit, manifesto rebellionis argumento. Quare armis in Bojæmos illatis, longè latéque vastatus ager, factæ cædes, direptæ colonorum opes, incendia Boleslaum impulerunt, ut Imperatoris auctoritatem vel serò agnosceret. Demum tota belli moles Bojariæ incubuit. Henricus ad bellum imparatus, patriam exilio mutavit. Quidam in Carinthiam, alij in Bojæmiam scribunt profugisse, Augustanum quoque præsulem, aliósque vertisse solum, ne quid indignius ab Othone paterentur, Moguntinum verò & Magdeburgicum, amicorum operâ, veniam impetrasse. Misconem armis ad obsequium esse reductum.

HENRICUS KIXOSUS EXUL.

AN. CHRIST. DCCCC. LXXV. TURBÆ BOICÆ.

Quibus rebus ex animi sententiâ confectis, Otho in vacuam Bojariæ possessionem immisit Othonem, fratris sui Ludolfi filium, Sueviæ Ducem, veterem Boij inimicum, sive ex ingeniorum dissimilitudine, sive quòd Otho filium suum Henricum, cognomento Minorem, Henrici Boij consuetudine, ad prava consilia, & crescendi immodicam cupiditatem crederet fuisse incitatum. Quâ rerum mutatione, cùm Boica sursum deorsum, Henrico exulante verteretur, tamen religio, supra solitum, floruit præstantium virorum industriâ & sedulitate. Augescebant Ebersp ergensis Asceterij incrementa curâ & liberalitate Richardis, neptis D. Conradi Constantiensis ex fratre Rudolfo, quæ nupta uni de primoribus Boicæ Comitibus, cùm sterilem esset nacta thorum, unà cum marito suas opes DEO dedicavit. Ex ijs condita tria monasteria, duo virginibus, Khuebacense & Geisenfeldense, tertium viris Eberspergæ, ubi & Richardis tumulum est sortita. Annales domestici apud Hundium, paulò disertiùs nominant Monasterij Eberspergensis fundatores, Eberhardum videlicet & Adalberonem, Comites de Semptâ, nepotes Sighardi ex Ratholdo filio, qui bello Ungarico anno DCCCCLV. egregiam operam navaverunt. Hos, ajunt, cum sorore Wilperga, templum D. Sebastiano in arce suâ Eberspergensi construxisse, anno DCCCCLXX. indéque extitisse Monasterij primordia. Ita Eberspergense domicilium Comites Semptanos, à prima sui origine fundatores agnoscit. Nobilissima hæc in Boijs familia nomen accepit à Sempta flumine, cui erant adsitæ Comitum ditiones. Sighardus, familiæ caput, suam stirpem refert ad Carolomannum, Bojariæ Regis nepotem, aut pronepotem, qui ab insolitæ magnitudinis apro, quem eò loci invenit, Eberspergæ nomen dedit: unde posteri titulum Eberspergensium & Semptanorum Comitum sunt adepti. Quem dixi, Sighardus, anno DCCCCVI. vivendi finem fecit. Ejus filius Ratholdus à Conrado Rege limiti Carantanorum, ob res contra Ungaros fortiter gestas præfectus, D. Sebastiani templum S. Augustini sodalibus attribuit: diem obijt anno DCCCCXIX. Ejus filius Eberhardus famâ sanctitatis, & rerum futurarum prædictionibus celebris, cœlesti monitu, anno DCCCCXXIIX. templum augustius & Monasterium, Adalberone fratre, & Willibirgâ sorore in partem juvantibus, condidit, & D. Sebastiani cranium, aliásque reliquias Sanctorum templo intulit. Et iste quidem est Eberhardus, qui, cùm Boica ab Ungaris fœdè vastaretur, in Eberspergensi castro eorum vim repressit, quique Henrici Bojariæ Ducis auspicijs, ad Augustam, sub Othone Imperatore, memorabili eos prælio superavit. Duxit vitam cælibem, & DEUM Divúmque Sebastianum suorum bonorum hæredem scripsit, Adalberone fratre factum improbante. Hic, Eberhardo volenti Ahaimense prædium D. Sebastiano transcribere, rogantíque, ut, quam partem Adalbero sibi in eo prædio vendicabat, cælo donaret, sibi id integrum esse negavit. Ex eo tempore multis conflictatus miserijs, divinam denique manum agnovit, quando aliorum liberorum jacturam passus, Udalricum unicè charum, tabe

Annal. Weingarten. FUNDATIO KHUEBACENSIS, GEISENFELDENSIS ET EBERSPERGENSIS MONASTERII. *Hund in Metrop. Tabula Ebersperg.* XXXV.

SIGHARDUS COMES SEMPTANUS MORTUUS. CANONICI REGULARES D. AUGUSTINI, EBERSPERGÆ INCOLÆ. TEMPLUM D. SEBASTIANO DEDICATUM.

tabe penè confectum, animadvertens ad ultimam lineam properare, ftitit ad aram D. Sebaftiani, devotúmque ejus obfequio, recepit incolumem, & morbo depulfo, reflorefcentem. Atque is quidem eft Udalricus, qui fub annum hujus fæculi LXIX. parentibus orbatus, familiam auxit fex liberis, quos fuftulit ex Richarde Marquardi Carantanorum præfecti filiâ, quique Othonis II. partes, adverfus Henrici Boij factionem, conftanter fecutus, D. Sebaftiani templum, facro ritu, per Fridericum Salisburgenfem Archiepifcopum curavit confecrandum, & religiofos ex D. Benedicti familiâ Eberfpergam induxit, cùm D. Auguftini Canonici Regulares inde migrâffent.

XXXVI.

D. Benedicti religiosi migrant Ebersbergam.

Primus Ordinis Benedictini Antiftes loco præfuit Reginpoldus (alijs Reginbaldus) Auguftâ Vindelicorum accitus, qui, pofteaquam annis undecim præfulem egerat, aliò avocatus, Altmannum reliquit fucceflorem. Udalricus fato conceffit anno M. XXIX. 5. Id. Martij, non fine laude præftantium virtutum. Eum præcefferat ad vitam meliorem Richardis uxor, quam ajunt aliquando Deiparæ Virginis afpectu recreatam. Extat utriufque Maufoleum in templi Eberfpergenfis umbilico. Adalbero Udalrici germanus, Kübacenfem Parthenonem anno M. XI. fundavit, & in peregrinatione terræ fanctæ deceffit. Hujus conjunx Alberadis, concepto ex mariti obitu mœrore, unà cum fœtu, quo prægnans erat, abfumpta, filiam reliquit Wilibirgem, quæ fe lubens volens cœnobio inclufit, idémque nacta eft cum matre fepulchrum. Udalrico (de quo fuperiùs) fuerunt duo filij, unus Adalbero, qui Richlindem, feu Richildem, Rudolfi Altorfenfis filiam duxit, matrimonio fterili: conjuges in folatium orbitatis adoptârunt Conradum, raræ indolis adolefcentem, qui immaturâ morte ad optantium vota deftituit. Quamobrem Adalbero Monafterium Eberfpergenfe, hæredem fcripfit, & anno M. XXVII. commodiore areâ ampliatum, veteris formæ ædificijs folo æquatis, melioribus inftauravit. Creditur quoque, in Beurenfe Monafterium, dimiffis Auguftinianis, D. Benedicti alumnos induxiffe, & Geifenfeldenfi, juxtà ac Kübacenfi, Parthenonibus dotem dediffe, vel quidem locupletiori donatione fubveniffe. Sub annum M. LV. rebus humanis exemptus eft. Richlindis ejus vidua, vixit famâ dubiâ, & mariti liberalitatem accîdit non fine injuriâ fupremæ ipfius voluntatis. Alter Udalrici filius Eberhardus, Mouracenfis Comes, cùm prolem mafculam amififfet, fuas opes Deo dedicavit, condito ad Ilmum fluvium fanctimonialium domicilio, cui neptem fuam Gerbirgam præfecit. Ita cum utroque fratrum, qui fuêre ultimi Comitum Semptanorum, nobiliffima ftirps exaruit, de cujus in Deum religione, hæc paulùm extra annorum feriem.

Reginboldus Abbas. Altmannus successor.

Ebersbergæ incrementa.

Monasterium ad Ilmum

Venio nunc ad alia virtutum exempla, quæ Boicam, Henrico exule, claram reddiderunt. Ne fexui fœmineo fua laus deeffet; Wilitrudis, Gifelberti Lotharienfium Ducis filia, nupta Bertholdo Boicæ principi, Piæ famam noménque confecuta, magnis in Deum meritis, marito (qui fuit Arnulfi Mali frater) defuncto, vitam egit à geniali thoro prorfus alienam, quò liberiùs fe fuáque cœlo transfcriberet. Cùm mariti bona in fifcum regium effent redacta, dotales tamen ditiones retinuit, Sulzgoviam, Schwanfeldiam, Nortgoviam, fundólque in Hersbrugi confinio. Ex horum proventibus aliifque bonis, anno DCCCC. LXXVI. devexâ jam ætate, Bergenfe Cœnobium, magnificè conftructum, donavit fanctimonialibus, quod, omnium prima, religiosè rexit, & affentiente Othone II. ejúfque conjuge Theophana, prædijs dotalibus egregiè locupletavit, voluítque dedicari Christo Dei filio, ejus fanctiffimæ Genitrici, D. Joanni, & Cruci triumphali, unde & S. Crucis nomen retinuit. Viris pro Dei gloriâ infignitè laborantibus accenfendus Pilegrinus, Laureacenfis Antiftes, magnum Boicæ lumen, qui in fubigendis, Chrifti difciplinâ, Ungarorum animis, nobilem fructuofámque operam locavit. Eum Geyfa Ungarorum regulus, miti, præter gentis morem, ingenio, minúfque, quàm alij humani fanguinis fitiens, ad inferendam lucem inftitutionis Chriftianæ ultrò accerfijt in Pannoniam, fecítque po-

Willitrudis Lotharingæ virtus.

XXXVII.

Hund. in Metrop. tom. 2.

Fundatrix Bergensis Parthenonis.

Pilegrinus Laureacensis,

Ungaros instituit

testatem divinæ legis explicandæ. Haud mediocre fecit operæ pretium, quinque Ungarorum millibus Christo adjunctis: cæteri redditi sunt à Sacris Christianis minùs alieni, mitiores in captivos Christianos, quos traxerant in miserandam servitutem. Ipso quoque internuntio factum, ut pactis fœderibus, & liberâ commeandi facultate, cum Ungaris commercia possent exerceri, & ex usu mutuo, paulatim animi ad concordiam mollescerent. Fidus fuit Othoni II. & à factiosis ut qui maximè abhorrens; quem proinde faventem vicissim expertus est. Ab eo non modò veterum Ecclesiæ Bataviensis jurium, & privilegiorum confirmationem, sed nova etiam beneficia impetravit, inter quæ pars telonei Bataviensis, Anesburgi ager opimus, in subsidium instaurandæ urbis Bataviensis, quam Ungari vastârant, quámque factiosi pellexerant in partes, & Otho ipse expugnatam valde deformaverat. Benedictus Pontifex, Pilegrini ingenium & eruditionem admiratus, Agapiti Pontificis exemplo, illi pallium sedis Metropolitanæ proprium restituit, eúmque alijs Germaniæ Episcopis, ipsi adeò Othoni Magno Imperatori, & Henrico Boico per litteras commendavit.

Othoni II. fidus.

D. Wolfgangi solitudo in Alpibus Noricis.

XXXIIX.

Nec verò silentio prætereundus D. Wolfgangi, Ratisbonensis Episcopi, ad alpes Noricas in Falcone monte, saltúque ad lacum Abernum, haud procul Salisburgo, solitarius receptus, ad vitandos Boicæ tumultus. In eâ solitudine, solis notus Cœlitibus, vitam duxit toto quinquennio, jejunijs aliísque corporis afflictationibus asperam, sed suavem rerum cœlestium meditatione, & affluentiâ divinæ consolationis. Illic claruit prodigijs, ut cùm elusit Stygij prædonis vaframenta, quando fraudulentus illusionum artifex, sancto viro objecit speciem montium inter se coëuntium, qui ipsum medium videbantur obtrituri. Eodem loci, è saxo largas aquarum scaturigines ictu pedis elicuit: miro ostento cepit omen, didicitque, quâ parte jugi ædiculam construeret, quæ hodiéque magnâ religione & peregrinantium frequentiâ colitur. Securiculam projecit in incertum, illa rupi hærens impacta, areolam, ædificio destinatam, ostendit. Isthic dum solitarius incoleret, & à Ratisbonensibus anxiè quæsitus, nusquam appareret, in lucem denique productus est indicio venatoris, qui capreas insectans, casu ad Wolfgangi tugurium delatus, vix ossibus hærentem (sic eum inedia corporisq; neglectus emaciaverat) prodidit Ratisbonensibus, qui repertum, multáque, ne ad urbis strepitus protraheretur, excusantem, invitum ad pristinam sedem reduxerunt. Revertentem, plebes fausta congeminantes, & gaudio lachrymantes receperunt, & in D. Petri reductum ædem, Episcopi solio reddiderunt.

An. Christ. DCCCCLXXVI.
Ditmar. lib. 3. Lambert. Schaf.
Boii cladem accipiunt.

Dum ista pro pietate gererentur, Henricus Bojus, cùm regios spiritus nondum posuisset, apud Boleslaum exulabat. Otho Imperator, ne factio bellúmque inde conflaretur, contracto exercitu Bojæmiam inijt. Multas Bojariorum centurias legerat, jusserátque sequi exercitum. Jam castra posuerant in Pilsinæ conspectu, cùm dolo Bojæmi militis proditi, ingentem cladem acceperunt. Sub vesperum, omissis excubijs, ausi in profluente lavare, & nuda corpora in viridi cespite & tentorijs, cæteroquin inermes, sternere, sunt animadversi à Bojæmis, quos proditor antè monuerat. Ergo factâ subitò eruptione, nudos invadunt, obtruncant, capiunt, tanto numero, ut Imperator, compertâ tot hominum strage, malè ominatam expeditionem aversatus, vasis conclamatis, rectâ se Cromenam receperit. Henricus eâ re factus animosior, Passavium invasit, belli, ut ipse augurabatur, sedem futurum. Verùm Otho, ne gliscens factio in manus cresceret, statim anno sequenti (quod cum Lamberto narrat Ditmarus) eum munimentis inclusum, cœpit magnâ vi oppugnare. Henricus cùm ad obsidionem in longum sustinendam, neque ab annonâ, neque à præsidio satis esset instructus, imploratâ Cæsaris clementiâ, promisit, se in ejus futurum authoritate & arbitrio. In dedititium nihil tum tristius statutum, quàm ut anno proximo, sub Christi resurgentis ferias, causam dicturus adesset. Simul adfuit Boleslaus, cujus causa visa est æquior, quàm ut jure posset damnari. Quare pronuntiatum est, nihil eum egisse contra Rempublicam, posséque domum reverti. Henrici Boij culpa visa est gravior. Jussus proin-

An. Christ. DCCCCLXXVII.
An. Christ. DCCCCLXXIIX.
Henricus Rixosus Traiecti exulat captivus

proinde ire in exilium, Trajectum, procul à Boicâ, unà cum Henrico Augustano Antistite est deportatus, ubi usque ad Othonis obitum in custodiâ fuit habitus. XXXIX.
Henricus Augustanus prior absolutus est, & in Italiam cum Othone profectus, in Calabriâ, prælio adversus Græcos & Saracenos interemptus, justas rebellionis pœnas Numini exsolvit. *Herman. ad an. 982.*

BELLUM GALLICUM. *Sigebert. Herman. Lambert. Ditmar lib. 3.*

Rebus in Germaniâ pacatis, Othoni natum est bellum in Galliâ. Lotharius Rex, ex Caroli Magni agnatione penultimus, amicitiam cum Germanis coluerat, donec Lotharingia, Carolo Lotharij fratri beneficiariæ clientelæ nexu concessa ab Othone, pristinæ concordiæ vincula dissolvit. Lotharius istâ concessione offensus, Othonem Aquisgrani agentem, nihilque metuentem hostile, armatus, ne denuntiato quidem bello, invasit, egitque in fugam adeò præcipitem, ut ægrè insectantis manus evaserit. Aquensis Regiæ opes direptæ: augustalis aquila, quæ in palatij fastigio Germaniæ obversa versus orientem, jura majestatémque Imperij Germanici adhuc respexerat, jussa Galliæ obverti, quasi id novandi principatûs formam Galliæ portenderet. Otho dedecore tam inopinato mirè affectus, collecto confestim exercitu, injuriam cum fœnore reposuit, fugato Lothario, vastatis Remorum, Laudunensium, Suessionum, & Parisiorum agris, per continentes duorum mensium populationes. Verùm ubi Hugo Capetus cum selectissimis auxilijs accurrit, Lotharius obversâ fronte, subito incursu, Othonianos vertit in fugam. Otho in Axonæ fluminis transitu grave periculum adijt. Amisit magnam impedimentorum partem, & armatorum manum non exiguam, quæ flumine hausta est. Propè aberat ab interneciná clade reliquus exercitus, cùm D. Wolfgangus vadum ostendit, dúxque viam prævivit, quà Otho instans discrimen evasit. Tandem, cùm sat esset mutuæ vindictæ datum, ad Charem amnem pax fuit integrata post biennium, eâ lege (ita quidam scribunt) ut penes Carolum Lotharingia remaneret, Rege, quicquid in eum principatum juris habuit, in fratrem transferente.

OTHO EX IMPROVISO OPPRESSUS, FUGATUS. IGNOMINIAM ULCISCITUR. HUGO CAPETUS LOTHARIO REGI SUBVENIT. OTHO PERICLITATUR. A D. WOLFGANO PERICULO ERIPITUR. PAX COMPOSITA.

EXPEDITIO ITALICA. AN. CHRIST. DCCCC. LXXX. DCCCC. LXXXI.

Causa belli melior Othonem vocabat in Italiam. Urgebant perennes Italorum discordiæ, Calabrorum & Apulorum à Græcis oppressorum calamitas, quam Imperator sine notâ nequibat negligere. Quare rebus ad bellum impigrè comparatis, profectionem indixit in annum octogesimum. Eum secutus est Henricus, de quo jam dixi, Episcopus Augustanus, Otho Bojariæ & Sueviæ Dux, Bertholdus Comes (ut recentioribus placet) Schirensis, Theodoricus Episcopus Metensis, Wernerus Abbas Fuldensis, aliique domi militiæque illustres. Christi nascentis ferias Otho egit in urbe. Sanguinatium convivium, quod seditiosorum Italiæ Procerum cæde cruentavit, ex Gotefrido Viterbiensi Sigonius prolixè describit. Eo certè facto, Italorum animos sic alienavit, ut deinceps ipsis fidere consultò non potuerit, & gnaviter expertus sit, populorum voluntates non crudelitate, sed morum comitate, animi solertiâ, munificentiâ & clementiâ in officio retineri. Advenerunt interea magnæ ex Boijs & Suevis, ductore Othone Duce Bojariæ, suppetiæ, quibus se junxerunt Romanæ, Tuscæ, & Longobardicæ legiones, fide licèt dubiâ, & suo tempore in apertam proditionem desiturâ.

CONVIVIUM SANGUINARIUM.

AN. CHRIST. DCCCC. LXXXII. XL.

Cum istis copijs urbe egressus, alia ex Beneventanis, Capuanis, Neapolitanis & Salernitanis subsidia contraxit, eáque infida & irata nuperæ seditiosorum carnificinæ. Initium belli non improsperum: Tarentum expugnatum, Basentellum Calabriæ oppidum occupatum, Græci ejecti, qui cùm justâ acie sui copiam fecissent, victi fugatíque sunt, pauci in fuga interempti. Illi, collectis fugitivorum reliquijs, cùm se, Saracenorum auxilio firmâssent, Martem denuo tentaturi, rediêre ad Basentellum, ut, quo loco ignominiam acceperant, eodem delerent. Pugnatum (si Ditmaro credimus) 3. Id. Julij, si Lamberto, pridie Idus, si Sigonio, ipsis Idibus. Atrox fuit certamen. Victoriam hosti dedit in manus turpis Italorum, Romanorum præsertim & Beneventanorum, defectio. Illi, cùm concursuræ essent legiones, Othonianæ severitatis memores, à signis ex improviso discedentes, aciem valido præsidio destitutam, hosti cædendam præbuerunt. Hæserunt tamen

GRÆCI PROFLIGATI. *Marian. Scot. Lambert. Leo Ostien. Ditmar.*

Otho prælio superatus.

men Othoniani in vestigio, donec vi atque numero superati, terga Græcis cædenda dederunt. In acie occubuerunt, Henricus Augustanus, Wernerus Fuldensis, Præsules; Bertoldus Comes Schyrensis. Otho Bojorum Dux inter cæsos refertur à Lamberto, à Ditmaro scribitur unà cum Othone Cæsare fugisse. Cecidêre complures alij notæ illustris. Richarius Lancifer, Dux Udo Ditmari consanguineus, Becelinus, Gevehardus, Guntherus, Ecelinus, Burchardus, Dedius, Conradus, plerique Comites. Occubuit ingens manipularium multitudo. Constat, fuisse tantam cladem, ut, si Græci mox à pugnâ Romam protinus ivissent, haud ægrè eam à rebus omnibus imparatam fuissent occupaturi. Otho Imperator desertus à suis, ad mare refugit, hoste à tergo imminente, à fronte verò mari inhibente fugam. Cùm nihil spei, extrema omnia metuenti, superesset, in undas se cum equo, quem à Calonymo Judæo, ejus sortem miserante, accepit, præcipitat, recipitúrque in navim, fortuitò obviam, ope Henrici Zoluntæ, natione Slavi, qui fugientem agnovit. Ejus uxor Theophania & Theodoricus Metensis Episcopus, Rossani consederant, prælij eventum expectantes. Otho à navarcho, qui suum nomen ediderat, ingentibus promissis impetrat, cursum Rossanum intendat, quantum vellet naulum accepturus. Haud longè appulerant à littore, cùm in conspectu fuit Theodoricus à Zoluntâ, quem Otho è navi ad uxorem miserat, admonitus acceptæ cladis, & præsentis conditionis: aderant simul jumenta sarcinaria, quasi promissum operæ pretium navarcho mox numerandum convehorent. Theodoricus, velut pecuniam repræsentaturus, in navim admissus, Othoni persuadet, se ut in mare demittat, & natatu evadat in littus. Enatantem navarchus apprehensâ vestis laciniâ, morari ausus, mox à Luppo milite obtruncatur, territa vectorum turba pellitur, arreptóque gubernaculo prora littori advertitur: Theodoricus, cæteríque Othonis comites in continentem elabuntur. Græci in Apuliam & Calabriam recepti, longè læviùs, quàm antè, genti imperitârunt: quod anni reliquum fuit, Otho dedit legendis in Lombardiâ copiarum supplementis, perinde Romanis aliísque desertoribus, atque Græcis & Saracenis infensus.

Ægerrime evadit.

Colligit supplementa.

An. Christ. DCCCC. LXXXIII.

Beneventum captum, direptum.

D. Bartholomæi translatio.

Leo Ostien, lib. 2. c. 24.

Beneventani primi omnium senserunt iratum. Capta ex improviso civitas, data est militum direptioni: D. Bartholomæi reliquiæ, quo nullus erat præstantior loco thesaurus, Romam transportatæ, ut in Germaniam, si Othoni vita fuisset superstes, aveherentur. Ita quidem visum Sigonio, aliisque: verùm meliùs Baronio, qui ad annum M. Othoni III. authore Leone Ostiensi, eam translationem distulit, cui consentit Breviarium Romanum. Imperator subinde Veronæ egit comitia Principum Imperij: ubi Henricus Minor, Othoni parenti Bojariæ Duci, successor datus est. Cæsar Veronâ Ravennam, Ravennâ Romam reversus, Othonem filium Imperij collegam renuntiavit, post 8. Id. Decemb. mœrore tabefactus, diem Romæ obijt, ubi illi regiè est parentatum. Undecim annorum imperium gessit, fortunâ variâ. Ejus corpus in Basilicæ Vaticanæ vestibulo sepultum est. Multus fuit in augendis Ecclesiarum & Cleri rebus, cujus munificentiæ passim extant in sacris tabularijs documenta. Magni fecit D. Wolfgangi virtutes, nec facilè, petenti, quicquam negabat. Datum illi vitio, quòd deceptus pravorum hominum avaritiâ & ambitione, Merseburgensi Episcopatui nonnulla detraxerit, eóque senserit Deum, solito minùs faventem.

XLI.

Herman. 6. Id. Decemb. Ditmar. & Baron. 7. Id. Sigon. 8. Idus.

Otho III. collega parentis.

Othonis II. mors.

Autor vitæ S. Adalberti.

In Germaniâ, pòst ubi cognitum, Othonem III. parentis voluntate datum esse successorem, ipso Christi nascentis die, puer à Joanne Ravennate Pontificis Maximi legato, & Willigiso Archiepiscopo Moguntinensi, Aquisgrani inauguratus est. Publicam hilaritatem mox sustulerunt pullati, tristésque de parentis obitu nuntij: sed multò funestiora portendere visa est Henrico Bojo restituta libertas. Is Trajectensi custodiâ solutus, confestim multorum studia occupat, & renato ambitionis æstu, ad regnum pergit aspirare. Jam eò usque factionis vires auxerat, ut adversarijs non modò ostentare vim, sed etiam puero Cæsari ausus sit inferre. Præ se tulit initio, sibi esse propositum, ejus curam suscipere, & regio more pueri teneros annos formare. Tali obtentu, Coloniam Agrippinam

Otho III. Aquis inauguratus.

Henricus Bojus captivitate solutus, regnum ambit.

pinam cùm validâ armatorum manu ingressus est. Verùm posteaquam Warino Coloniensi Archiepiscopo, sub cujus manu Otho educabatur, regiam institutionem eripuit, quicquid tandem simularet, sapientioribus visus est, non modò Imperatorem, sed Imperium quoque velle sibi facere obnoxium. Obtendebat, Cæsaream tutelam ad se pertinere propinquitate agnationis, & Cæsarem longè honorificentiùs apud ipsum, quàm apud sacerdotem, regijs artibus esse imbuendum. Habebat multos magni nominis conspiratores; studia Lothariensium in diversa abijsse, prout cuique suasit affectus, ostendit Epistola Gerberti Remensis, viri inter Gallos litteratissimi, ad Ecbertum Trevirensem Archiepiscopum: ad quem scripsit. *Labefactari Rempublicam vestram quorundam ignaviâ, tum perhorrescimus, tum erubescimus, & privilegio amoris nostri circa vos, & communi patriæ cognatione. Paucine creati sunt Reges, qui novum filio Domini vestri præponere vultis? Fortè quia Græco, ut dicitis, more Græcorum conregnantem instituere vultis. Quo recessit sanctissima fides? Exciderúntne animo beneficia Othonum vobis conlata? Magnam intelligentiam vestram revocate, generositatem perpendite, ne perpetuo dedecori, generi vestro esse velitis. Si vires vos destituere acclamatis, meliora sentientes perquirite, nos fautores, coadjutores in talibus negotijs fore perpendite.* Idem similis argumenti litteras dedit ad Willegisum Archiepiscopum Moguntinum, ex quibus apparet, fidem in Ottonem haud paucis Principibus fuisse admodum fluxam & ambiguam. Certè Warinus Agrippinensis, nihil ostendit constantiæ in Othone retinendo, quod condonandum non esset, nisi vim Henrici metuenti. Nimis tamen servivit tempori, quando non modò regium Alumnum, ne reluctans quidem, dimisit è manibus, sed etiam raptori suam operam liberaliter addixit: nulla est cura publici, quando privata habentur potiora. Henricus cum Othone Corbeiam profectus, indéque Magdeburgum, cœpit palàm tentare principum, adhuc integrorum, animos. Hi solicitatis in suas partes potentioribus, ut puero auctoritatem conciliarent, Adelheidem aviam, Mechtildem amitam, & Theophaniam matrem, cum potenti procerum comitatu, in quo Itali, Franci, Suevi, Saxones, Turingi, è Lotharingis haud pauci, ab Italiâ revocàrunt. In fœdus etiam tracti, Rex Burgundiæ & Dux Franconiæ, uterque Conradi nomenclatione. Nihilominus Henricum adière frequentes è Saxoniâ viri illustres, accersiti ad Christi patientis ramalia: consilium erat, facere experimentum, quam in partem inclinaret, & an possent adduci in vota factiosorum. Non fuit omnibus una mens, neque similis, in Othone tuendo, animi magnitudo: pars proni ad potentiores: qui cordatiores fuerunt, Henrico disertè responderunt, cùm singulorum favorem prensaret, prohiberi se, juratâ Othoni fide, à quâ non possent, nisi cum æternâ nominis sui infamiâ deficere. Quæ vincula si Henricus non posset solvere Othonis consensu, se officium non deserturos.

Othonem abducit.

Gerbert. ad Ecbert. Ep. 26.

Alludit ad matrem Othonis III. Græcam natione, qua ob nuperam Græcorum victoriam, Germanis insultabat.

XLII.

Diversæ factiones.

Inter hæc fiebant pro Othone validæ coitiones ex universâ Saxoniâ, omnibúsque Germaniæ provincijs. E contrà Henricus multos Germanorum à se averterat imperiosâ asperitate: famæ clementia nova imperia appetentibus utilis, acerbitas etiam nocet imperanti. Fuit, cùm duos Comites optimi sanguinis multarúmque clientelarum, Theodericum & Esiconem fratres, vehementer offendit. Corbeiam eunti, cultu squalido occurrêre supplices, cujuspiam veniam rogantes, quos Henricus superbè rejectos, & graviora formidantes, unà cum universis stirpis suæ familijs, alijsque, simili metu desperantes, habuit inimicos. Ille nihilominùs Magdeburgo digressus, cùm Pascha celebraret Quidlinburgi, festo suorum plausu, Rex est acclamatus. Eò confluxerant, Boleslaus Bojæmiæ, Misceco Poloniæ, Mistuius Obotritorum, Duces, innumeráque armatorum multitudo, qui omnes fœderati, Henrico sese solenni sacramento obstrinxerunt. Ad Othonianos missus est ab Henrico legatus, qui eos, si conciliare factioni non posset, saltem à Cæsare alienaret. Et magnum legationi pondus allaturum videbatur, quòd ipse Othonem in suâ haberet potestate, nec sineret, ullo pacto, à suo latere moveri. Verùm legatus Verlam delatus, Othonis partiarios reperit ad vim inferendam sic com-

Henricus Boius asper

Rex a seditiosis acclamatus.

Tentat animos adversariorum in cassum.

comparatos, averſantésque pacis conſilia, ut ægrè potuerit paucorum dierum inducias impetrare, ad referendum Henrico mentem adverſariorum, qui tamen eò ſe paſſi erant denique adduci, ut non detrectarent, in communi partis utriuſque conventu, cauſam jure diſceptare. Quam ad rem dixêre diem, quo Henricus coràm ſe ipſis ſiſteret. Verùm diffiſus, negavit ſe in illius comitij authoritate tuturum, nedum adfuturum conventiculo, quod ſuo injuſſu eſſet coactum. Igitur pace deſperatâ, Halam improviſus oppreſſit, unde Adelheidem Cæſaris ſororem, ſub Comitis Echerti manu adoleſcentem, captivam abduxit facto perquam inhumano, quod Principes & populos paſſim non mediocriter pupugit. Inde progreſſus Weiſſenſtadium, urbem Franconiæ, nonnullos gentis principes, qui eum prohibebant ingreſſu, fide publicâ extra mœnia accerſijt, velut de Republicâ deliberaturos. Adfuit Conradus Dux, unáque Willegiſus Moguntinus, ſtipati nobili procerum comitatu.

CÆSARIS SOROREM CAPIT.

XLIII. Henricus, diu meditatâ oratione, eos hortari, atque per Imperij ſalutem cœpit obſecrare, revocarent in animum, & apud ſe ſtatuerent, an res imperij eo loco forent, ut earum ſumma puero undecenni, iniquiſſimo tempore, committi poſſet: turbas eſſe in Germaniâ: nullam unquam in Italiâ quietem: nutare Auſtraſiam: in Sarmatiâ & Bojæmo omnia eſſe in motu: publicam incolumitatem & patriæ quietem, non puerilem manum, ſed artibus gubernandi bene robuſtam & exercitatam induſtriam, expoſcere: gliſcentia mala præſentem opem poſtulare. Neminem inficiari, Othoni puero fidem eſſe obligatam quidem, ſed aliâ ex parte eſſe cogitandum, qualis ſit fidei nexus, qui citra publicæ rei perniciem ligare non poſſit: in hujuſmodi eventis, reſcindi oportere, quod inconſultè promiſſum; ita naturæ gentiúmque jura ſæculis omnibus docuiſſe. Quidnam emolumenti ſit rebus allatura rudis regnandi pueritia, penes quam hæſurum ſit inane regni nomen, penes alios imperium, penes populos ſervitus intolerabilis, ſub impotente multiplicium imperitantium manu, quam pronius ſit ad tyrannidem, quàm æquabilem dominandi modum declinare. Hæc tametſi facundè, magnóque affectu peroràſſet, rarus tamen in eo cœtu fuit, qui orationem non ſit deteſtatus. Habito verò ſeorſim ſenatu, decreverunt Francones, pro Ottonum domo, quæ optimè de Imperio eſſet merita, pro optimâ novelli Regis indole, quocunque capitis & fortunarum periculo, arma eſſe induenda, defendendúmque obſequium, quod non Romæ modò, ſed Aquis etiam, ſummo Ordinum conſenſu optimáque fide, Othoni juràſſent ſapientiſſimi quique & cordatiſſimi Optimates. Una denique fuit omnium ſententia, renuntiandum Henrico per Willegiſum Archiepiſcopum; Francorum Principes non commiſſuros, ut videri poſſint, ſanctè juratam Othoni fefelliſſe fidem, quæ arietari quidem, ſed everti non poſſit. Ipſe potiùs à cœptis deſiſteret, neque ultrà, nihil profuturum armatorum metum, liberis hominibus oſtentaret: Cæſarem unà cum Adelaide, virgine regiâ, cúmque omni gazâ regníque inſignibus ad 3. Calendas Quintileis redderet Auguſtæ matri & principibus, in loco, cui Raræ nomen, alioqui ſciret, ſe facturum eſſe contra Rempublicam.

CORDATUM RESPONSUM FRANCONUM.

XLIV. Ille cordatâ denunciatione territus, pollicitus eſt, ſe omnino facturum, ne crederetur eſſe aſpernatus tot Principum ſententiam. Rebus ad eum modum adhuc dubijs, quò remotior eſſet à periculo, Boleslaum Bojæmum, cujus ope inprimis nitebatur, cum ſuis adijt, à quo regijs honoribus eſt acceptus. Inter hæc Henricus Minor, Dux Boicæ datus ab Othone II. in armis erat, provinciam voluntate non dimiſſurus. Henrico Bojo è Bojæmiâ diſcedenti, pro itineris ſecuritate, à Boleslao dati, uſque ad fines Bojæmiæ, magno numero defenſores. Magdeburgum ſine maleficio pervenit. Interea Wilhelmus Turingorum Comes, cum militari manu, Vinariam petebat, atque inde Merſeburgum ad Giſlam Henrici uxorem. Ille in ſuſpicionem venerat, ob magnam cum Henrico neceſſitudinem, quaſi turbas communi conſilio foveret. Othoniani, explorato ejus itinere, incogitanti ad Iſerenſem villam occurrunt, & undique circumfuſum, in eas redigunt anguſtias, ut citra ſupremum diſcrimen in tutum perrumpere non poſſet. Cùm hoſtes illi omnia

WILHELMUS COMES TURINGIÆ.

omnia ultima minarentur, Henricus de ejus salute magnopere solicitus, Gisilerum Magdeburgensem Antistitem ablegat, jussum, quacunque demum conditione obsessi libertatem pacisci. Unica hæc placuit Othonianis: Henricus ad dictam diem Cæsarem Germaniæ redderet: Wilhelmus captivus eidem suaderet pacem: tribus duntaxat hospitijs, Merseburgi, Walbizi, & Frasi in itinere ad Gislam & Henricum, uteretur. Nulla fuit in Wilhelmo mora, quin ea, quæ poscebantur, pro se addiceret. Ergo dimissus Merseburgum, Gislam mariti fortunâ mœstam, omniáque muliebriter metuentem, reperit. Henricus, re cum suis deliberatâ, *ob Domini timorem* (ita scribit Ditmarus) *patriaque salutem*, se ex fide omnia facturum, est professus. Nec præstitit minora, quàm dixit. Othonem & sororem cum thesauro regio matri & aviæ restituit, ejuravítque Regis tutelam, & se redegit in ordinem. HENRICUS SE REDIGIT IN ORDINEM.

XLV. Quâ die Rex suis fuit restitutus, cœlo sereno, sub ipsum meridiem, clarum sidus, omnibus conspicuum fulsit, cum magnâ spectantium admiratione & gaudio, cœlum Germaniæ pacem offerre ominantium. Otho Rex Willegisi Moguntini curæ commissus, donec virilem togam sumeret. Additus Hoico Comes, vir moribus probè emendatis, & regiarum artium apprimè peritus. Vocati inde Principes Weissenstadium, ad Regem denuo solenni ritu renuntiandum. Illic improborum hominum artibus jacta inter Othonem & Henricum nova dissidiorum semina, perniciosam productura segetem, nisi fuissent in Francofordiensi ad Mœnum conventu extirpata. In Othonis & Henrici vultu observata, cùm sibi Weissenstadij valefacerent, tristis quædam irarum nubes, quæ belli nova fulmina propediem erat paritura. Atenim, Francofurti, Hermannus Saxonum Dynasta, vir longo rerum usu & ingenio felix, rem eò deduxit, ut detersâ simultate, pax amica conveniret. Henricus Minor, Comes Carantanorum & Bojorum Dux, Henrico sponte cessit, passúsque est, eum in antiquam sedem postliminio reverti. BOICAM RECIPIT.

Otho Pascha proximum Quedlinburgi peregit, fecítque apparatu regio epulum, in quo Henricus Bojus Dapiferi, Conradus Francus Camerarij, Hezilo Palatinus Pincernæ, Bernardus Saxo magisterij stabuli, munera obierunt. Convenêre eodem tempore Boleslaus Bojæmus cum Misecone Polono, quorum hic, Othoni inter alia munera, Elephantem, id loci invisum, donavit. Henricus noster deinceps in Othonis authoritate fuit. Notavit Arenbekius, illi Treviris agenti S. Maternum visum specie aspectabili, monuisse, non priùs rediturum in patriam, quàm D. Sebastiano Eberspergensi se devoveret, promitteréque, se Udalricum Eberspergæ Comitem in gratiam recepturum: voti porrò damnatum D. Martyris aræ se stitisse, & magnam auri vim, novémque ministros, novum Cœnobio additamentum dedicâsse, retulisséque Udalricum in album amicorum. Deinceps illi rediêre mores pristinæ pietatis & vita quietior. Inter primas curas repetiti Principatus, fuit, antiqua Batavensis Ecclesiæ jura asserere. Cùm Pilegrinus quereretur, Ecclesiæ suæ possessiones, sitas in Austriâ, quæ tum Luitpaldo Marchioni parebat, à Barbaris devastatas, premi graviùs, & colonis exhauriri, ob onerum gravitatem: cum Henrico Carantano ei concessit, ut omnes agricolæ, qui Batavensi Ecclesiæ obnoxij, in Luitpaldi marchiam immigrâssent, à publicis exactionibus & Cæsareo fisco liberi, Ecclesiæ duntaxat solique Episcopo essent vectigales, immunésque à jurisdictione Marchionis. Quam immunitatem Otho III. secundo regni anno, dato Babenbergæ 2. Cal. Octob. diplomate, firmavit. AN. CHRIST. DCCCCC. LXXXV. SE D. SEBASTIANO SISTIT EBERSPERGÆ. REDIT AD PIOS MORES.

XLVI. Similis est argumenti, quod aliquantò seriùs Boici Scriptores notârunt, pro Orientali Boicæ limite in Tulnensi conventu fuisse constitutum. Interfuêre, Luitpaldus Austriæ, & Henricus Carantanorum, præfecti, cum Episcopis & minoris notæ præsulibus Boicæ universæ. Inter ea, quæ isthic acta, Luitpaldus Austriacus, & Christianus Episcopus Batavensis, Pilegrini successor, litem sunt ingressi de suo uterque jure. Luitpaldus quædam Batavensis Ecclesiæ oppida occupaverat & prædia, quæ Episcopi Batavenses jure quo optimo tenuerant. Episcopus præterea, Ebersper- TULNENSIS CONVENTUS.

 gam

gam, quæ est in Austriâ, Traisenam, D. Hippolyti fanum, Cisomurum, oppida; aliáque permulta suæ ditionis esse, quinque testibus ostendit. Cognitores fuêre, Babo Schyrorum princeps, idémque præfectus Bojariæ prætorio, Mænardus, Manchardus, Rogerius ejus frater, & Thimo. Secundum Episcopum lata sententia, atque insuper decretum, ut prædia omnia Batavensium forent immunia: deinde ut Silurorum piscium, quos vulgò Husones vocant, piscatio, quam Tullani cives usurpaverant, Episcopo vindicaretur. Siluros tradit Plinius, Oeno amne propter Visbium grassari: Visbium urbem ad Oeni ostia, hodie Enesum (Embs) ex Ptolomæo litterati interpretantur. Confirmata eodem consilio, quæ Otho jam antè sanxerat, in gratiam colonorum, qui in agris Ungariæ vicinis sedes locarent, factáque potestas Boicæ Episcopis, Monachis, Sacerdotibus, nobilitati, iisdem locis, castella, oppida, arces ad limitis tutelam contra Ungaros ædificandi.

Silurorum piscatio.

Henrici Boii Carantanorum Comitis obitus. An. Christ. DCCCC. LXXXIX. Henricus Rixosus victor de Ungaris. Idem cum filio vincit civitates foederatas. An. Christ. DCCCC. XCI.

Hoc quoque tempore, Henricus Carantanorum princeps, quem Boicæ Schyrensium familiæ Lazius ex Aventino adserit, vitâ cessit, & Altaichio, quod inferius nuncupant, est illatus, conditúsque prope Bertholdum patrem. Eodem anno Henricum nostrum de Ungaris victoriam reportâsse, scribit Aventinus, qui fecisset operæ pretium, si aliquem ex antiquioribus narrationis testem produxisset. Brunnerus nominat Annales manuscriptos, ex quibus, credibile est, descripsisse Aventinum. Haud paulò explicatius est bellum, quod Hermannus Contractus refert ad annum LXXXIX. Constantienses nimirum, Lindavienses, Sangallenses & Basileenses, icto inter se fœdere, irrumpentes in Bojariam, incendiis grassati sunt in agrestium villas, de quibus prædas cùm egissent, pari sævitie incursârunt Wirtenbergiam, populationes longiùs producturi, nisi in expeditam virorum fortium manum incurrissent. Duo Principes Boici, Henricus Pius, & S. Henricus Pij filius, armati justis copijs, grassantibus occurrerunt ad Richenvillam, collatísque signis, eos internecinâ clade deleverunt. Quatuor duntaxat ex toto numero superfuerunt, qui cladis nuntium ad suos referrent.

Crantz. Rader. in ejus vita.

XLVII.

D. Gothardi genus et vitæ religiosæ tirocinium. M S. Altaich. infer.

Anno sæculi nonagesimo primo, D. Gothardus (quem è Schyrensium stirpe oriundum tradit Lazius, negat Hundius, qui Rotmundum ejus patrem, Ritenbachensis vici tenuis fortunæ incolam nominat) Altaichij inferioris Monasterium ingressus, cœpit vitam religiosam profiteri. Idem à D. Wolfgango sacro presbyterij ordine initiatus, admotúsque postea totius sodalitij præfecturæ: quâ deinde solutus, Hildesheimensem infulam accepit, divinorum operum patrator; quale fuit, cùm aliquos ex subjectis refractarios & diris devotos, sacrificij tempore, templo ejecit, exemplo quorundam defunctorum, qui pridem piorum cœtu proscripti, sepulturam in eodem templo erant consecuti. Hos jussit Gothardus è tumulis & loco sacro facessere. Paruerunt jubenti sine morâ, quos perterriti rebelles sunt secuti. Tum graviter increpitis auditoribus, qui minùs essent, quàm mortui, suo pastori obsequentes, defunctos solvit censurâ: illi inclinatis Pontifici capitibus, ad suum singuli conditorium redierunt.

Memorabile exemplum defunctorum excommunicatorum. An. Christ. DCCCC. XCIV. D. Wolfgangi obitus. Eius ad Tagmonem vaticinium. Ditmar. lib. 5.

Rapuit annus quartus supra nonagesimum, prid. Cal. Novemb. sidus Boicæ nobilissimum, D. Wolfgangum, Reginoburgensem Episcopum, gesto per annos duos & viginti sanctissimè Episcopatu. Mortem oppetijt Puppingæ in æde D. Othmari, cujus oraculo jam olim didicerat, se fore Episcopum, & in istius Divi sacrario vitam positurum. Eò navigavit secundo Danubio, cùm Pechlarium, ditionis Ecclesiæ Ratisbonensis in Austriâ secundâ oppidum, cogitaret. Inde progressus, incidit in ardentem febrim. Cùm nihil præter piorum stipem recuperandæ valetudini adhiberet, sui fati præscius, voluit ad vatis sui ædem referri, bonæ spei plenus, fore ut, quemadmodum secundum quietem illi Othmarus addixerat, ex eo loco facilem æternitatis viam ingrederetur. Isthic animo per sacram exomologesim & viaticum Eucharisticum procurato, præsentes vehementer est cohortatus, ut mortalitatis & futuræ vitæ memores, vitam ex Christianæ legis normâ componerent. Cùm perorâsset, Tagmonem, ob præclatas virtutes charum imprimis, quem à puero in magnam

gnam spem educaverat, ad se vocatum, jussit os suum, ori moribundo apponere. *Pone* (verba recitat Ditmarus) *fili os tuum super os meum, accipiens à Dominò insufflationem spiritus mei, ut ubicunque, ardore juventutis incalescente, in verâ charitate sis frigidus, à summâ potestate meique benevolentiâ temperamentum accipias.* Id videlicet DEUM precabatur sanctus vir, ne divina charitas igne peregrino extingueretur. Tum ei prædixit, fore ut, duobus lustris in Episcopatu (Magdeburgensem intelligebat) peractis, ei rursus in beatissimâ luce apud Cœlites jungeretur, cujus spiritum copiosè inter mortales hausisset. Voluit deinde ante Divi aram, vultu humi affixo collocari, eâque demissione, supremam DEO venerationem in terris exhibere. Cùm familiares & ædituus conarentur, turbam, quæ ad pietatis spectaculum confluxerat, submovere, sanctus vir vetuit hoc fieri, cum dicto, Præsuli honestum esse, in publico emori, quippe cùm ejus non modò vitam, ut normam vivendi, sed etiam mortem, ut exemplum piè ad DEUM migrandi, populus nôsse debeat: talem vitæ exitum Christo non fuisse indecorem, quando nudus, in omnium oculis, & in altâ quidem Cruce, unde esset aspectabilior, vitam ponere non erubuisset. Demum, ut se & commissum sibi gregem DEO commendaverat, clausit oculos luci mortalium, mentémque ad nunquam cessaturi luminis visendam beatitatem transmisit. Mœsti domestici, funus pro tenuitate præsentis facultatis composuerunt. Pridie, quàm moreretur, Numinis instinctu prædixerat, fore, ut in crastinum appelleret Hartwicus Archiepiscopus Salisburgensis cum Arrabone Procuratore provinciæ. Utrique jussit adornari conclavia, in quibus refocillarentur. Facient quidem, ajebat, naufragium, sed amissis tantùm sarcinis, salvi cum vectoribus advenient: & advenêre quidem, & demortuo justa curârunt pro dignitate. Septimo inde die, corpus honestâ pompâ vectum Ratisbonam, in æde D. Petri depositum, ad celebrandas exequias, defletúmque à Clero & omni civitate, secundum piaculares cæremonias in S. Emmerammi conditorio clausum est. Demortuum, si quis alius, luxit Henricus pius, memor veteris amicitiæ & sanctæ institutionis, quam vir sanctus in ejus edocenda prole adhibuerat. Sub ejus disciplinâ S. Henricus Imperator adolevit ad eam virtutem, quam in summo fastigio, orbis est admiratus. Giselam illius sororem Reginam salutabat; quippe quæ Stephano Regi Pannoniæ nupsit. Brunonem vocabat Episcopum, gnarus eum Augustanæ infulæ divinitus destinari. Birgittæ dabat nomen Antistitæ, quòd prænôsset, eam virginum contubernio ad S. Pauli, magna cum laude præfuturam. Mirâ in DEUM pietate flagrabat. Totas noctes crebrò in templi adytis tribuebat: si quando in eo genere minùs faceret, saltem eousque in oratione durabat, donec, fatiscente corpore, ad tenuem somnum humi subsideret. In miseros erat prodigiosæ liberalitatis. Fuit, cùm annona tenuiter provenisset, jussit aperiri horrea, frugúmque, quantum quisque ditiorum posceret, facili pretio divendi, pauperibus donari mediam partem annonæ totius. Erant illi, quot diebus, in aulâ greges pauperum, quos alebat; ex ijs unus cortinæ portionem è conclavi sublegerat: à domesticis poscebatur ad furcam. Intervenit Wolfgangus, cùm ad tribunal causam diceret, quæsitò quid criminis admisisset, & supplicium urgente Oeconomo; Vides, inquit furunculus, meos centones & corpus seminudum? Pannum sustuli, quo me tegerem. Wolfgangus ad hæc: Culpandus est (inquit) custos, qui non adfuit, cùm auferres: donate, donate misero vestem aptiorem, & missum deinde facite. Cùm cibo corpus reficeret, habebat ex adverso egentes, quibus de suâ mensâ apponi fercula imperabat. Alijs, qui domesticâ necessitate premebantur, stipem mittebat ita tectè, ut rari notarent, satis habens, DEO conscio esse liberalem. Dæmones proscripsit ex humanis corporibus: mentem usúmque rationis reddidit furiosis, raro miraculo: mortuis vitam restituit. Longum nimis ac supervacaneum admiranda ejus opera, quæ peculiari volumine sunt edita, hoc loco recitare.

XLIIX.

Prædicit naufragium et adventum Hartwici Salisburg. Archiep.

Fuit S. Henrici Imp. præceptor.

Eius virtutes: prædictiones

XLIX. Strahyquæ malus exitus.

Quàm beatè vitam is finijt, tam funestè bene cœptam, provectámque ad speciosum pietatis gradum, fine metuendo corrupit Strahyquas Boleslai Bojæmorum Reguli frater. Hic in D. Emmerammi asceterio cùm visus esset fecisse vitæ religiosæ fructuosum initium, volentibus præsidibus in Bojæmiam redijt, ut fratrem ac cognatos ex intervallo reviseret, quod raró fit à religiosis citra aliquod pietatis detrimentum: quod ne incurreret homo juvenis, dedit se in D. Adalberti, Pragensis Episcopi, qui id temporis in excolendis Bojæmis ingentes labores cum exiguo operæ pretio collocabat, familiaritatem, seque ita probavit, ut non abs re crederetur is esse, qui Præsuli, propter Bojæmorum proterviam, Romanum iter meditanti, in animorum procurationem succederet. Quis enim illo aptior, qui Boleslai conspirantem voluntatem in promptu esset habiturus? Quæ popularibus gratior institutio, quàm, quæ à tali viro in suæ gentis homines proficisceretur? Quamobrem Adalbertus, hominem blandè aggressus, rogat, velit humeros sancto oneri supponere, &, si Romanus Pontifex probârit, lubens volens Pragensem mitram admittere. Ita fore, ut Bojæmi duos fratres, diviso imperio, rectores habeant. At ille, velut pestem abominatus, erupit in has voces: *Nolo aliquam dignitatem in mundo, pompas sæculi despicio, indignum me judico Episcopali fastigio, nec tantum pondus curæ pastoralis ferre sufficio: Monachus sum, mortuus sum, mortuos sepelire non possum.* Intulit Adalbertus casûs futuri vates: *Scias frater, quòd modò non facis cum bono, facies autem postea, sed cum tuo malo maximo.* Vaticinium probavit eventus. Adalberto Romam profecto, Boleslaus veritus, ne Bojæmi ad veterem impietatem relaberentur, scripsit ad Willigisum Moguntiæ Archiepiscopum, petens, vel Adalbertum ad pristina pastoris officia revocaret, vel daret aliquem, qui Ecclesiam, Præsule destitutam, procuraret. Summus Pontifex, ad quem res erat delata, Adalberto, qui se in D. Alexij Monasterio Romæ abdiderat, persuasit reditum in Bojæmiam, quam etiam erat repetiturus, nisi eum gentis sævities, interfectis ejus agnatis, & Lubecensi nobilitate, professóque in ipsum odio, provinciæ aditu arcuisset. Interea Strahyquas sui & prioris vitæ immemor, modestiam fastu, honorum contemptum ambitione, compositos mores insolentiâ, & cultus externi internique apertâ vanitate mutaverat. Quare comperto, Adalbertum à Bojæmis rejectum, curas aliò vertisse; Episcopatum, quem antè respuerat, à popularibus oblatum, obvijs, ut ajunt, ulnis est amplexus. Reliquum erat, ut Moguntiæ solennibus sacris inauguraretur: ubi ad aram sacrandus flexit medius inter duos Episcopos, Willegiso, qui manus illi de more erat impositurus, inspectante, ab atro dæmone corripitur, & faucibus elisis, clero populóque præsente, strangulatus, infelicem animam exhalat.

Cosmas Pragen. in vit. S. Adalbert. lib. 1. pag. 16.

L.

Gebhardus D. Wolfgangi successor, varius.

Mediâ, inter istum, & vitæ sanctioris viros, se ratione gessit Gebhardus Ratisbonæ Antistes, in quo magnas virtutes aliqua vitia obscurârunt. Is è Comitum Hohenwartensium illustri sanguine, D. Wolfgango suffectus est: bonus quidem, ob constantem intaminatæ castitatis famam, & divini cultûs singulare studium; sed quia rarus est, in quem nullus nævus irrepat, visus est, quàm pro istius ævi Episcopo, genij liberioris & pompæ exterioris appetentior. Censores habuit, nescio an satis æquos, in Cœnobio D. Emmerammi, propter lites de juribus Monasterij, quæ illi intercesserunt cum Ramuoldo Cœnobiarchâ. Id tamen fuit laudabile, quòd Pruelensi D. Benedicti asceterio unà cum Raptone fratre fundum donavit.

LI. Id domicilium anno M. CCCCLXXXIV. ab Alberto Sapiente D. Brunonis Cartusiensium familiæ fuit transcriptum. Animi magnitudini & imperterritæ constantiæ in tuendâ Ratisbonensi Ecclesiâ tribuendum est, quòd Gebhardus non sit veritus Henrico Pio dicam movere, quam demum, ex Ottonis Cæsaris & Procerum sententiâ, in Magdeburgensi conventu finem invenisse, scripsit Ditmarus, qui simul Henricum laudat, à pietate & largitate in sublevandâ miserorum inopiâ, non dissimulans, eum, eleemosynis erogatis, vitæ prioris noxas expiâsse. Lite compositâ, breves habuit inducias, quibus supremas exactæ vitæ rationes compararet.

Ditmar. lib. 4. pag. 39.

Solutis

Solutis Magdeburgi Comitijs, Gandersheimium ad Gerbergam sororem, quæ isthic agebat Virginum Deo dicatarum Antistitam, profectus, tumulum eò loci invenit. Correptus lethali morbo, Henricum filium properè accersitum, jussit in Boicam recurrere, résque omnes sic ordinare, ut Othoni Regi, quàm obsequentissimum se in omnem vitam præstaret, caverétque, ne contrà, ac fides Regi debita posceret, ejus obsisteret voluntati: *Obstiti quidem aliquando* (inquiebat) *sed magno meo damno & dedecore. Si quàm promptum mihi fuit id dare effectum, ita nunc liceret reddere infectum, crede mihi, facerem hodie, cur me mei facti non pœniteret. Tu verò disce meo exemplo, nihil admittere, cujus te postea pigeat. Malè vertit duobus Henricis, avo patrique tuo, cum totidem Othonibus de regno certâsse: vide, ne tertius sis, qui simili errore cum tertio collidaris. Regna, quæ Deus condidit, à Deo sunt accipienda, non rapienda, cælo fatóque adversante. Regna cuivis meritò debent esse suspecta, quia plerumque infida, servilia, angusta, & insatiabilia. Hæc meditare, hæc altâ mente repone, & age, & vive memor mei, quem in hac mortali vita non es deinceps visurus.* Hæc ubi dixerat, veris lachrymis, & divinæ misericordiæ imploratione comparatus, mortem excepit 5. Cal. Septemb. Sepultus est Gandersheimij in templi umbilico, ad aram S. Crucis. Quòd si illius est Mausoleum, quod Ratisbonæ ad D. Emmerammi visitur, ejus corpus Gandersheimio illuc translatum esse, necesse est. Epitaphium est hujusmodi:

An. Christ. DCCCC. XCV.

Henrici Pii monita ad filium: obitus.

Ditmar. loc. cit.

HENRICUS REGIS PATER ET DEFENSIO LEGIS.
BAVARIÆ CULTUS PIUS EST HIC DUXQUE SEPULTUS.



BOICÆ



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER. XV.

D. Henrici natales, educatio, exilium. Fides in Othonem III. Imp. Ejus ſoror Giſela nupta D. Stephano Vngariæ Regi. Otho Imp. Creſcentium urbis conſulem occidit. Pontificem Schiſmaticum exoculat. Inauguratur. A tumultuantibus invaditur. Veneno appetitur. Conjugem vivam cremat. Moritur. D. Henricus Moguntiæ Rex renunciatus. Cunegundam ducit. Varia patitur ab æmulis, conjuratis, ab Ardoino Italo, à rebellibus, à ſeditioſis, quos redegit demum in ordinem. Ejus bella in Boleslaum Polonum. In Milzienos. In Balduinum Flandrum. In Adalberonem Trevirenſem. Miſeconem Polonum. Cum Rudolfo Rege de Burgundiæ regno paciſcitur. Bruno Henrici frater Epiſcopus Auguſtanus. Tagmonis Magdeburgenſis Archiep. virtutes. Giſileri præceſſoris avaritia. Ramuoldi D. Emmerammi Abbatis præclaræ dotes. Papia incenſa per tumultum. Babonis Abenſpergenſis numeroſa proles. Miſnenſium fœminarum mira fortitudo. D. Macarius Patriarcha, hoſpes in Boicâ. B. Colomannus Stokeraviæ occiſus.

S. Henrici natales.



Enricus, cognomento réque Sanctus, patriâ Boius, parente Henrico Pio, matre Giſelâ, Burgundionum Regis filiâ, natus Abudiaci ad Danubij ripam, anno DCCCCLXXII. pridie Non. Maij, ſacris undis à D. Wolfgango ablutus, ad omnem virtutis cultum eruditus, pueritiæ ſecundarios formatores habuit, Bernardum Hildesheimenſem Præſulem, & Burcardum Wormatiæ

Magistri. Pontificem, viros quà morum integritate, quà peritiâ litterarum, qualem iſta ætas fere-

ferebat; insignes. Talibus magistris, virtutem intimis sensibus imbibit, quæ jactatum inde ab ipsâ pueritiâ varijs casibus, nunquam est passa à verâ pietate deflectere. Adolescentem traxit in exilium parentis calamitas, cum quo captus fuit Passavij, orbatúsque, quamlibet insons, principatu: ad cujus spem demum redijt, quando parens in Othonis III. gratiam est reductus. Renunciatâ, reduci in Bavariam, patris morte, Ducatum ab Imperatore impetravit, Boijs annitentibus; quod observavit Ditmarus, qui non dissimulat, hoc antiquæ libertatis vestigium adhuc duràsse id temporis in Boicâ, ut, qui Duces à Regibus dabantur, prensarent Optimatum suffragia, nec priùs clientelare sacramentum dicerent, quàm gentis proceres regiæ voluntati fuissent assensi, immo eligerent, quem à Regibus erant Principem accepturi.

I. EXILIUM. REDITUS IN PATRIAM. *Ditmar. lib. 4. p. 39.* DUCATUM ADIT.

Cæterùm, Henricus memor officij, nihílque minùs cogitans, quàm de regno adeundo, permansit immotus in Othonis fide, tametsi non nesciret D. Wolfgangi vaticinium, quo illi prædixerat, fore aliquando Regem, nec dubitaverat, eum crebrò Regis nomine compellare. Sub aditi principatus initia, Sanctus cœlitibus additus, suam prædictionem firmavit, quando Henrico, ad ipsius tumulum oranti, Ratisbonæ apparuit, intendens digitum in parietem, in quo scriptæ erant hæ voces POST SEX. Verùm Henricus, quâ erat animi demissione, omnia alia, quàm Imperium interpretatus est, non ignarus, Othonem III. eo tempore integris adhuc viribus viridique juventâ, in summo fastigio adorari, sibique posse longam adhuc ætatem polliceri. Ergo suspicatus, sextum ab oraculo diem sibi fore ultimum, omnia cœpit ad supremum mortis casum adornare, eleemosynas profusè largiri, rebus divinis insistere impensiùs, omnes animi latebras rimari, quasvis labeculas expiare, & fatalem diem sedulò expectare. Cùm verò dies sextus nullo mortis indicio abijsset, credidit, sextum mensem futuræ ad superos abitioni esse præfixum; rursúmque semestre, in mente procurandâ, posuit. Ubi tandem sextum mensem valens & incolumis exegerat, sexennium dedit sanctæ mortis meditationi, & constanti studio Christianæ pietatis, donec vocatus ad regnum, D. Wolfgangi præsagium intellexit.

FIDUS OTHONI. VATICINIUM D. WOLFGANGI.

Hoc ipso, quem describimus, anno, si Hermanno fides est, Gisela Henrici soror, quam idem Sanctus, divino instinctu, Reginam solitus erat vocitare, à Stephano Ungarorum Rege ad nuptialem thalamum ambita est & impetrata. Quamquam Cartuitus Ungarorum Episcopus anno demum M. II. Sigebertus, qui longo ferè intervallo alios solet sequi, anno M. X. Joannes Staindelius anno DCCCCXCIV. eas nuptias volunt coaluisse. Nos Hermannum, Henrici ævo propiorem, sequi maluimus. Porrò Giselam, Stephano non priùs convenisse in manus, quàm sacris Christianis esset initiatus, authores sunt, Martinus Polonus, Otto Frisingensis & Conradus Urspergensis. Ungari quidem edocti mores mitiores, magisterio Pilegrini Episcopi Bavavensis, nonnihil de genuinâ feritate remiserant, & gustum aliquem ceperant mansuetudinis Christianæ: verùm licèt Geisa Ungarorum Rex, Adalbertum ad gentem excolendam vocârat, & suscepto baptismate, Christo nomen dederat, tamen Dijs patrijs pergebat habere divinos honores, credebátque, esse pari, eum vero DEO, cultu adorandos; & plebes ejus exemplo, nuntium gentilitijs superstitionibus non remiserant. Quamobrem auctor, Adalberto coævus & familiaris, in ejus vitâ ait, eum Ungaris nunc misisse nuntios, nunc seipsum obtulisse, *iisque ab errore parùm mutatis, umbram Christianitatis impressisse.* Unde est, cur Cartuitum, qui anno circiter CXXX. post ortum Stephani scripsit, nimiæ in suam nationem indulgentiæ arguas, cùm scribit, Ducem Ungarorum, cum filio suisque familiaribus, & omnibus ditionis suæ hominibus, salutaribus undis ab Adalberto fuisse expiatos, & Geisam quidem *de ritibus sacrilegis abolendis, & statuendis Episcopatibus multùm fuisse solicitum.* Certè Sigebertus disertè Stephani & Ungarorum conversionem, Giselæ, sorori Henrici Imperatoris, adscribit. Consentit Nonnosius, vel quisquis edidit vitam S. Henrici, quem Arenpekius & Andreas Ratisbonensis sunt secuti. Sed & quod instar omnium est, in Romano Martyrologio dicitur

GISELA HENRICI SOROR NUBIT D. STEPHANO UNGARIÆ REGI. *Otto Frising. lib. 6. c. 27. Vrspergen. p. 167. v. 7.* *Sur. 23. April.* UNGARORUM CONVERSIO AD CHRISTUM.

Henricus, ad fidem Christi suscipiendam, perduxisse Stephanum Regem cum
II. universo ferè ejus regno. Ita DEO visum, hanc pulcherrimi facti gloriam, Henrico & Giselæ, Boicæ principibus, reservare, ut potissimi divinæ legis, in Ungariâ, recipiendæ authores dicerentur & essent.

Bonfin. pag. 175. Decad. 2. v. 32.

Ergo, ut paucis multa complectar, Geisæ Ducis filius, cujus nomen ante baptismum Waic à Ditmaro scribitur, cùm Giselæ nuptias ardenter expeteret, non est priùs voti compos effectus, quàm, ejuratis gentilium ritibus, Sacra Christiana susciperet, polliceretúrque, se totam Ungarorum nationem ad eadem pro viribus adducturum. Illi in Baptismo datum est Stephani nomen.

D. EMERICUS STEPHANI EX GISELA F.

Tulit è Giselâ plures liberos, atque in ijs Emericum, tantis affluentem cœli donis, ut demum fuerit in Sanctorum Album relatus. Fuit in utroque ejus parente insignis erga calamitosos beneficentia, regia in sacerdotes & basilicas magnificentia.

GISELA FUNDATRIX ECCLESIÆ VESPRINIENSIS.

Gisela suo ære Vesprimiense templum condidit, conditúmque locupletavit sacris vestibus, aliâque supellectili, auro gemmísque elegante. Adjecit proventus uberrimos, quibus mystarum collegium pro dignitate aleretur. Atque hæc quidem de Giselæ Boicæ nuptijs atque virtutibus. Ut, unde sumus digressi, ad Henricum redeamus,

AN. CHRIST. DCCCC. XCVI.

GREGORIUS V. SUM. PONTIF.

SCHISMA ROMANUM.

Otho in Italiam proficiscens, ad eum Ratisbonæ divertit, & quâ par erat reverentiâ, fuit exceptus. Expeditionis hæc causa. Joannes XVI. Platinæ XVII. Nonis Maij naturæ concesserat. Illi, Othone patrocinante, Gregorius V. ad 16. Cal. Julias suffectus est. Erat Gregorius gente Saxo, Othonis propinquus & sacellanus, Bruno nomine, ante Pontificatum. Illi pater Otho, Suevorum & Bojariæ princeps. Excellebat insigni modestiâ; unde ægrè potuit adduci, ut presbyteri ordinem, quo se judicabat indignum, assumeret. È diverso Crescentius Consul Romanus, qui urbis imperium conabatur invadere, è suâ factione Papam spurium Joannem XVII. hominem Calabrum, Placentiæ Episcopum, Othonis ingratijs, superinduxit, & Gregorium Româ exactum, coëgit Imperatoris opem implorare.

RAMUOLDUS PERPERAM ACCUSATUS, SE OSTENDIT INSONTEM.

Dum Otho Reginoburgi tantisper respirat, Gebhardus Episcopus, quem Ramuoldo D. Emmerammi Abbati, nescio quas ob controversias collisum diximus, bonum præsulem Othoni detulit, quasi famam Cæsaream indignè proscidisset. Ea criminatio tantum valuit, ut Otho, ne in conspectum quidem Ramuoldum, nedum ad colloquium admitteret. Fecit tamen Heribertus, qui paulò pòst Agrippinensem infulam est consecutus, ut saltem ad dicendam causam reus Othoni sisteretur. Ramuoldus Cæsari sic satisfecit, ut Gebhardum ante D. Emmerammi aram gravissimè objurgârit, vetueritque, inposterum Cœnobio quicquam molestiæ facessere, nisi vindicem vellet experiri: ipse verò Cæsar à semet præcipitis iracundiæ & credulitatis pœnas exegit, prostratus ad Ramuoldi pedes, defléns que offensionem intempestivam.

OTHO CRESCENTIUM CONSULEM FACIT IN URBE CAPTIVUM.

III.

Witichind. in Genealog. Saxon.

Iter inde prosecutus, cùm Romam occupâsset, Crescentium in mole Adriani, quæ tum ab eo Crescentiana dicebatur, obsessum, fecit captivum, jussit asino vectum, per urbem circumduci, nasóque & auribus mutilatum, milléque confossum plagis, agi in furcam.

PSEUDOPAPA EXOCULATUS, RELEGATUS IN GERMANIAM.

Joannes effossis oculis in Germaniam relegatus, vitâ functus est, decimo, postquam pontificiam sedem invaserat, mense.

OTHONIS INAUGURATIO ROMANA.

Gregorius fastigio redditus, Othonem insignibus titulisque imperatorijs exornavit. Atque hic est Gregorius, cum quo egit Imperator de creandis Imperij Electoribus, tum ut Reipublicæ Christianæ summa, penes Germaniæ Principes stabiliretur, tum ut dissidia inter imperij Ordines in electionibus vitarentur.

AN. CHRIST. DCCCC. XCVII.

DCCCC. XCIIX.

Arenb. p. 115.

Anno sequente, Gothardus, natione Bojus, cum bonâ Henrici principis veniâ, Altahensis Monasterij præfecturam, quam per ipsum biennium erat deprecatus, tandem accepit. Fuisse antè in eo loco sacerdotes, qui in religiosos mutati sunt, Arenbekius notavit. Otho redux in Germaniam, rursus divertit Ratisbonam, ubi abs Gebhardo Episcopo exquisitis honoribus cultus est.

OTHONIS IMP. VOTIVA AD D. ADELBERTUM PEREGRINATIO.

Sub idem tempus, cùm D. Adalbertus Episcopus, morte, pro Christi fide, apud Prussos obitâ, miraculis inclaresceret, Otho ad ejus honorem votivam peregrinationem, cum illustri procerum comitatu, in Poloniam instituit. Aribo Comes Damasianus &

An-

Andecensis, in Bavariâ Noricâ, haud procul à Chiemensi lacu, Burgilum, suæ ditionis castrum, vertit in Basilicam, quam D. Lamberto dedicatam, tradidit D. Benedicti alumnis, addiditque Monasterium, quod hodie Seon nuncupatum; S. Henricus perinde atque complura alia largè locupletavit. Factum, eodem rogante, Silvester Pontifex & Otho Cæsar diplomatibus confirmaverunt. Etenim Gregorio V. rebus humanis exempto, Gerbertus Ravennas Archiepiscopus, antea Remensis, Cæsare procurante, Pontifex creatus, dictus est Silvester II. Fuerat olim Roberti Francorum Regis in Mathematicis disciplinis magister, & quidem, quod ijs temporibus valde erat insolens, istarum scientiarum peritissimus; unde ejus obtrectator Benno, occasionem sumpsit, ejus famam impudente calamo malignè perstringendi, contrà ac illo antiquiores multóque integriores fecerunt, qui eum in legitimorum Pontificum Album, citra omnem dubitationem retulerunt.

MONASTERII SEON INITIA.

IV.

Ditmar. Helgald. Lambert. Herman. Marian. Scot.

AN. CHRIST. M. ML

Fuit annus millesimus, cœlestibus terriculamentis insignis. Terra horrendum tremuit: visus terribilis Cometes: claro die fax è cœlo lapsa in modum fulguris, & versa in speciem serpentis. Hinc fama, ex vanissimâ quorundam malè feriatorum ariolatione, per totum orbem vagata est, mundo eum annum fore ultimum, quòd Verbi Incarnati annunciatio, in Christi patientis diem incidisset, ac demum finito, à Christi adventu in terras, mille annorum numero, Antichristi tyrannidem in apertum venturam. Quæ Abbo Floriacensis Abbas, in apologetico ad Robertum Francorum Regem, se Parisijs pro concione audivisse meminit. Errori favebant hujus sæculi, quod ferreum dicebatur, mali mores, *cùm deficeret* (Ita Glaber. lib. 2. c. 5.) *Pontificum religiositas, districtio regularis Abbatum, simúlque monasterialis disciplinæ vigor intepesceret, ac per illorum exempla, cætera plebs mandatorum DEI pravaricatrix existeret.* Otho reversus à Polonicâ peregrinatione, exactis Quidelinburgi Christi redivivi ferijs, cum Adelaide sorore Aquisgranum adijt, tum ut conceptum, ex aviæ & amitæ funeribus, mœrorem tantillùm levaret, tum ut ante Romanam profectionem, quam cœperat adornare, in Episcoporum Synodo, quæ illic convenerat, quædam ad res Ecclesiæ spectantia disceptaret; tum ut inspecto Caroli Magni sepulchro, cujus visendi desiderio tenebatur, coràm intueretur, verúmne esset, Carolum, prout fama ferebat, in Aquensi Basilicâ esse conditum, quam rem, id temporis, multi in dubium revocabant. Ergo soluto clàm pavimento, in conditorij adyta penetrat, reperítque Monarcham regali solio subnixum, eo situ, quo fuerat olim compositus. Tegebatur purpurâ, fulgebátque cruce aureâ, quam Otho cum vestis particulâ, venerabundus abstulit. Non est passus Caroli ossa è conditorio moveri, satis habens, rem, ut erat, testatam dare publico. Cùm esset eâ religione perfunctus, D. Ramuoldus, quantâ licuit vi orationis, dissuasit malè auspicatam expeditionem, clarè vaticinans, fore ut, si Romam adiret, Ravennam non esset revisurus. Enimverò fata ipsi ultima imminere. Quòd si optimè saluti vellet consultum, abdicato imperio, Monasticen profiteretur, in quâ tutiùs feliciúsque extremam vitæ clausulam esset reperturus. Otho monentem haud gravatè audijt: sed distulit tamen consilium vitæ sanctioris longiùs, quàm erat provicturus, errore nimis quàm familiari mortalibus, qui primarium salutis negotium reijciunt in eum temporum articulum, quo non erit ampliùs integrum negotiari. Causam dilationi obtendit, quòd diceret, se rempublicam successori relinquere velle pacatam.

OTHO SCRUTATUR CAROLI MAGNI AQUENSE CONDITORIUM.

D. RAMUOLDUS INFAUSTA OTHONI VATICINATUR. SUADET VITAM MONASTICAM.

Quamobrem Romam profectus, primùm in D. Bartholomæi templo, in Insulâ Tiberinâ, collocavit D. Adalberti manus, cum variorum Martyrum reliquijs: deinde, quod suprà meminimus, D. Bartholomæi corpus, Benevento allatum, eâdem in æde deposuit. Cujus rei sunt testes, publicæ Romanorum Pontificum tabulæ, & Friderici Imperatoris diploma, datum anno MCLXVII. Acta item Synodalia sub Alexandro III. inscriptio portæ majoris superliminari à Paschale II. apposita, quæ hodiéque legitur, asserens, eam translationem esse factam ab Ottone III. Unde manifestè arguuntur erroris Sigonius, Brunnerus, & alij, qui eam Othoni II. tribuerunt. Robertus tamen, qui Sigeberto Appendicem attexuit, asserit, D. Bartholomæi pellem Beneventi remansisse.

D. BARTHOLOMÆI RELIQUIÆ ROMAM TRANSLATÆ

V. OTHONIS III. PEREGRINATIO AD MONTEM GARGANUM.

Eodem anno ad noxarum expiationem, ejus præsertim, quòd Crescentem contra datam fidem occidisset, à Ramuoldo injunctam, Otho pedestri itinere in Garganum montem, adito priùs Monasterio Cassinate, illatisque D. Benedicti altari geminis coronis, ad D. Michaelis opem implorandam, est profectus. Ad D. Nilum divertens, piè illi est collocutus: parabat se videlicet ad proximam æternitatem. Habuit in comitatu D. Henricum, non ipso quidem profectionis initio, sed paulò seriùs. Adfuit simul Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, olim in Divorum fastos referendus, cujus virtutes Rupertus Abbas Tuitiensis descripsit ex antiquioris Scriptoris commentario.

Romanæ expeditionis, quæ ultima Othoni fuit, causam faciunt, Sigebertus & ex eo Sigonius, quòd Saraceni Capuâ potiti, se in Campaniam effudissent, & nisi maturè reprimerentur, viderentur reliquæ Italiæ periculum creaturi; quos proinde necesse esset eo loco submovere, quod Otho magnâ facilitate, uti mox dicemus, est consecutus.

MORS D. RAMUOLDI.

Hic annus D. Ramuoldo S. Emmerammi Præsuli ultimus fuit. Præter communem modum longævus, mortem obijt anno ætatis centesimo, quam magnis virtutibus impleverat. Oculorum usum, biennio ante obitum, exundans pituita ademerat, quam ille jacturam ridere solitus, ajebat, se de videndi acrimonia certare cum muscis: sibi abunde longè optimæ lucis affulgere, quòd mentis oculo DEUM meditaretur. Ad aram in Crucis complexu obdormiscenti, Christus è triumphali trabe geminam facem in oculorum orbes immisit, cœcitatémque abstersit. Demortuo exequias iverunt, Adelbertus primus Seonensis Abbas, Gothardus Altahensis. D. Henricus humeris funus extulit, suísque manibus composuit in urnâ mortuali, desiliens in fossam, quæ cadaver erat exceptura. Gebhardus Ratisbonæ Episcopus, manantibus pœnitudine lachrymis, ultimóque honore veteres simultates emaculavit. Divi tumulus, frequentibus piorum votis & opitulationum crebritate inclaruit.

Sigebert.

Otho digressus è Germaniâ, ad 8. Cal. April. Ravennam venit. Tum Capuâ receptâ, & ejectis è Campania Saracenis, post vota, D. Benedicto & Angelorum Principi persoluta, Ravennam redijt 8. Cal. Decemb. Inde profectus in urbem, ad compescendos factiosorum contra Pontificem tumultus. Eò pervenit Nonis Januarij anno M.II. Tiburtes, quod Mazolinum, Ducem Cæsareum trucidâssent, obsessos coëgit ad deditionem, & supplicium infimis precibus deprecantes, recepit in fidem. Tibure Romam redeunti, Romani portas claudunt, negantes, se imperata facturos, donec vi propiùs ostentatâ territi, fecêre deditionem.

AN. CHRIST. M. II.

VI. ROMANA IN OTHONEM CONJURATIO.

Die postero mœnibus receptus, populo ad concionem coacto, de exedrâ, unde spectari poterat ab omnibus, exprobravit perfidiam, nec quicquam in sontes decrevit gravius, quàm ut duo, seditionis authores capite plecterentur. Exemplum ad breve tempus valuit. Dum enim bonis legibus urbem pergit formare, conjuratum rursus in ejus exitium, concitatore quodam, nomine Gregorio. Ortâ paucorum seditione, multitudo concurrentium clamoribus excitata, convolans ad arma, Cæsarem nihil tale cogitantem, in prætorio obsedit. Prætoriani, qui vim irrupturis opposuerant, in vestigio occisi, cæteris utcunque resistentibus.

TUMULTUS.

Conjurati ingressum moliri, concursus in momenta fieri validior, audiri vociferationes, Othonem ad necem deposcentium. Advolârunt interea aliqui ex Othonianis, sed minùs frequentes, quàm ut tumultuantes proturbarent: obtinuêre tamen, ut, cùm furor morâ languesceret, colloquendi daretur facultas. Admissi

OTHO PERICLITATUS.

pacis interpretes, D. Henricus & Hugo Tusciæ Marchio. Dum ultrò citróque de conditionibus agitur, Romana plebs paulatim dilabi, singulis pro se metuentibus, ne in conjuratorum numero haberentur. Quare rarescentibus vigilijs, cùm Prætorij aditus remissiùs observarentur, Otho nactus occasionem evadendi, unà

URBE EXCEDIT.

cum Sylvestro Pontifice, Urbe excessit. Factiosi comperto, capita, quæ maximè petebantur, abijsse, nihil morati, Othonianis omnibus fecêre abeundi potestatem, eos ut tali specie sibi redderent clementiores, & qualemcunque gratiæ locum

cum apud Cæsarem aucuparentur: neque enim dubitabant, eum, ad petendam atrocissimi sceleris vindictam, supremam vim allaturum. Et verò nunciabatur, omne Germaniæ nomen, & quicquid fidum in Italiâ, cogi ad signa, ut accepta ignominia Romano sanguine deleretur. Hæc seriò meditanti, intercessit Joanna, uxor Crescentij Consulis, cujus tyrannidem nuper Otho capite multaverat. Irrepserat illa, per formæ venustatem, in Othonis insanos amores. Glaber eam scribit cœcâ levitate ductam ab Othone, & succedente fastidio, repudiatam. Leo Ostiensis concubinæ loco habitam: utrumq; fœdum, & Othonis hactenus intaminato nomini probrosum, cœlóque odiosum. Illa sive repulsæ dolore, sive studio mariti ulciscendi, amicitiam mentita, in chirothecis Deianiræ pestem mortémque Othoni misit. Ex ijs protuberantes pustulæ, grassantis veneni indicium fecerunt, quod initio ab Othone dissimulatum, seriùs animadversum à medicis, denique tabescentem extinxit. Paterni, ubi languens decumbebat, Imperij Proceres capita inter se de novo Cæsare conferentes, D. Henricum hortati sunt, ut cœpti adjutor, &, si ita videretur, Princeps esse vellet. Verùm ille consilijs intempestivis generosè est obluctatus. Othonem, ferunt, ejusce meditationis non ignarum, dixisse, Henricum patruelem, si modò ab avi patrísque molitionibus sibi temperaret, Imperio non indignum videri. Augescente demum in horas morbo, inter lachrymas, vitæque anteactæ pœnitudinem 10. Cal. Februarij, vel, ut alij scribunt, Nonis Februarij, absque prole, naturæ debitum exolvit. Conjugem habuit Mariam Garciæ Abarcæ, Regis Aragoniæ & Navarræ filiam, quam adulterij convictam, vivam incendio jussit cremari. Tragicam historiam recenset Sigonius ex Gothifredo. Uxor regia Comitem Mutinensem deperibat. Cùm experta esset à flagitio alienum, furore amens, Othoni persuasit, se ab illo de stupro fuisse appellatam. Otho credulus, insontem mox capitis supplicio addixit. Comes, antequam duceretur, rem, ut erat, conjugi aperuit. Paulò pòst, cùm Otho, ad Roncalias, viduarum causas cognosceret, Comitis occisi vidua pro tribunali erupit in has voces: Te Cæsar hodie appello judicem, & ago reum homicidij. Tu enim meum maritum indefensum nefariè occidisti. Otho miratus audaciam. At tu (inquit) quâ tantum scelus probas? Candenti, infert mulier, laminâ. Otho non ausus defensionem rejicere, jubet ferrum candens adferri, quod illa, palàm, illæsa contrectavit. Otho se pœnâ dignum professus, poposcit trium dierum inducias, nec illa abnuit, pœnámque remisit, si modò à Reginâ meritas pœnas exigeret, quas & exegit eâ, quâ dixi, ratione. Othonis funus ductum per Italiam, non sine certaminibus adversus insultus Italorum, postremum agmen, per septem ipsos dies, continenti ferociâ carpentium. Veronæ demum ab improbis incursationibus quies fuit. In eo comitatu fuerunt, Heribertus Archiepiscopus Agrippinensis: Episcopi, Leodiensis, Augustanus, & Constantiensis: Otho Caroli filius: Henricus Mosellanus Cunegundis frater: Juncmannus Comes, complurésque alij, domi militiæque viri præclari. Illis D. Henricus, qui funus præcesserat, cum Boicis Episcopis & Comitibus, Pollingæ occurrit, neque contentus communi pietatis officio, subjectis humeris, funeri succollavit: quâ modestiâ sibi mirum in modum Procerum studia demeruit. Quam ad rem etiam plurimùm valuit, effusa in exercitum liberalitas, quâ longo fatigatum itinere, annonâ & aliquot dierum contubernio, recreavit. Adjecit munificentiam in præcipuos quosque & optimos, non obscurè prensans singulorum amicitiam, & vota pro indipiscendo Imperio. Inter hæc ventum Augustam, ubi in S. Afræ basilicâ, juxta D. Udalrici conditorium, Othonis viscera decentissimè sepulta. Parentatum eodem loci defuncti manibus, quibus placandis D. Henricus S. Afræ domicilio centum propria mancupi prædia (mansos vocabant) donavit. Othonis cadaver inde avectum, in Aquisgranensi templo, quod magnificis ornârat donis, conditum est. Henricus, imperij insignia allata ex Italiâ, unà cum Othonis exuvijs, in suam custodiam recepit, Crucem videlicet, sceptrum, globum, coronam, non vanum adeundi fastigij authoramentum. Sacram Lanceam, præcipuam regnantium tutelam, Heribertus Agrippinensis Coloniam clan-

Glaber lib. 1. c. 4.

VENENO INFICITUR.

VII.

Herman. Marian. Scot.

MORITUR.

Witichind. in Geneal. Saxon.

Adelbold. in vita S. Henrici.

INSIGNIA AUGUSTALIA PENES HENRICUM.

SACRA LANCEA PENES HERIBERTUM COLON. ANTISTITEM.

Rupert. Tuitien. in vitâ S. Heriberti. c'anculùm averterat, ei demum daturus, quem Procerum vota, more institutóque majorum, ad imperium poscerent. Quod factum, tametsi innocens & optimæ in Rempublicam mentis, tamen obtrectatorum dicacitas apud Henricum sic traduxit, ut collisis animis, orta sit inter quamlibet sanctos, materia dissensionum, quas demum divina manus composuit, quando Henricus, cognitâ cœlitus Heriberti sanctitate, ultro culpam deprecatus, qualemcunque offensiunculæ labeculam, paulò ante Sancti mortem, abstersit. Nimirum quantæcunque virtuti non desunt dæmonis insidiæ, & nî vigilanter caveantur, subrepunt errata saltem leviora. Quod in hoc genere fuit utcunque grave; Henricus Heriberto custodiam circumdedit, ejúsque fratrem obsidem exegit, quem non dimisit, nisi redditâ Lanceâ triumphali. Vicissim Heribertus Comitia devitavit, in quibus prævidebat sceptrum esse Henrico deferendum.

IIX. IMPERII PLURES CANDIDATI.

Comitia, cujusmodi fuerunt, quando rerum ac temporum series ita flagitat, juvabit ex ordine cognoscere. Quinque erant Principes, quorum potissima poterat esse ratio in augustalibus suffragijs. Primus omnium Henricus, non modò plurium sententiâ, sed etiam Othonis moribundi judicio: secundus, Benno Dux Saxonum, subnixus gentis suæ studijs: tertius, Theodoricus Lotharingiæ Dux: quartus, Hermannus Dux Sueviæ & Alsatiæ, minimè malo Princeps ingenio, poténsque validis clientelis: quintus, Eccardus Turingiæ Marchio, qui spe præcipiti regnum jam devoraverat. *Ditmar lib. 5.* Saxones, quorum maximè intererat, in sua gente imperium retineri, primi omnium Comitia Frasæ celebrârunt, authore ac præside Gisilero Magdeburgensi Archiepiscopo, cum ejusce provinciæ Episcopis. Interfuêre præterea, Bernardus Dux, Lotharius, Gero, & Eccardus Turingus. ECCARDI VANA AMBITIO. Hujus manifesta ambitio, quæ suffragiorum libertatem verbáque propè singula interpellabat, consilia abrupit, fecítque, ut, Lothario referente, decernerent, nihil eo loco ac tempore, de regno, injussu cæterorum Imperij Ordinum, rite atque ordine posse confici: proinde tanti momenti negotium, ad frequentiorem Werlæ Conventum esse differendum, in quo disceptaretur ab omnibus, quod ad omnes pertineret. Eccardo quiritanti, suæ fortunæ cursum sufflaminari intercessione Lotharij, hic facetè respondit: Enimverò nihil opus est meo sufflamine, nam tu quidem veheris curru, cui quarta rota deficit: quo joco imperitam ejus arrogantiam notabat. Sed & illi cum Gisilero Archiepiscopo causâ simultatis intercesserat. Cùm enim primum gratiæ locum apud Othonem aucuparetur, quæ insania est, neque parem, neque priorem ferentium; & Gisilerus aditus haberet molliores ob præclaram sapientiam, rivalem oderat, quod homini peperit apud Saxones non mediocrem invidiam, qui, tametsi præclaras in eo dotes suspicerent, fastum tamen, & insatiabilem gloriæ cupiditatem abominabantur.

HERMANNUS SUEVIÆ DUX FASCES PRENSAT.

Hæc dum gererentur in Saxoniâ, Hermannus Sueviæ Dux, haud paulò solertiùs ad imperium grassabatur, eò impetrabilior candidatus, quòd aliquorum Principum studia, in itinere, quo Othonis funus Aquas deduxit, sibi visus est conciliâsse.

IX. Verùm Henrico permultùm contulit, captâsse Saxonum benevolentiam, qui ad Werlense Comitium frequentes confluxerant, ídque operâ Sophiæ & Adelaidis, sororum Othonis III. quæ commodùm, id temporis, Werlæ morabantur. Illæ suscepto Henrici patrocinio, privatim Procerum singulos, exquisitis rationibus, induxerunt, ut in Henricum plerique votis conspirantibus inclinarent, & in publico consessu sint professi, neminem esse imperio digniorem. Bruno quoque, tametsi Othonibus esset sanguine propior, ivit in eandem sententiam. Eccardus, quamvis hæc non ignoraret, tamen non desinebat, suas spes non modò urgere, sed etiam prævenire. Non obscurè se pro Rege ferebat, captabat in cœtibus, in convivijs locum præcipuum, tantâ impudentiâ, ut, cùm non invitatus ECCARDI INSANUS FASTUS. irrepsisset in epulum, quod Othonis sorores instruxerant, ausus sit, convivarum ingratijs, supremum accubitum occupare. Quæ inurbanitas & arrogantia, sic accendit æmulorum sannas & odia, ut ijs ad desperationem usque vexatus, Werlâ, plenus ignominiæ, se subduxerit. Fastum nihilominus non posuit, sed, quaquà

fecit

fecit iter, se pro Rege gessit. Ad extremum, cùm apud Hermannum Suevum, tametsi rivalem, suæ ambitioni subsidium frustrà quæsivisset, Northemiorum Comitum insidijs, Poledæ est oppressus. Occisi caput ad contumeliam est circumlatum: corpori verò, quæ ne hosti quidem subtrahitur, negata est sepultura. INTERITUS.

Eo sublato, supererat Hermannus (cæteri enim Candidati nihil pro se movebant) cujus molitiones haud leve momentum habituræ videbantur, tum quòd Theodoricus Lothariensis, in ejus factionem concesserat, tum quòd apud alios complures non mediocrem favorem collegerat. Henricum animabant Boij, *Ditmar.* Francones, Saxones, Mosellani, à Theodorico dissidentes; & verò etiam legerat *Adelbod.* justum exercitum, in quo omnes Bojariæ Antistites, Hartwicus Salisburgensis, Gotschalcus Frisingensis, Gebhardus Ratisbonensis, Christianus Batavensis, Alboinus Brixinensis, vel, ut alij scribunt, Adalbertus. Illis addit Adelbodus Willegisum Moguntinum, Episcopum Herbipolensem, & Fuldensem Abbatem. Aliâ ex parte, Mosellani sub signis ad Rhenum confluxerant, Henrico opem laturi, ubi primùm in Gallicum littus trajecisset. Quamobrem, ratus sine virium ostentatione nihil se profecturum, expeditionem maturavit, antequam Hermanni factio X. cunctatione cresceret. Jam è regione Vangionum in Wormatiæ conspectu castra posuerat, cùm Hermannus in adversâ ripâ vim opposuit ad prohibendam transmissionem. Henricus, hoc animadverso, jussit signa refigi, itáque moveri, ut Boicam repetere viderentur: tum converso confestim agmine, iter Laurisheimium, indéque Moguntiam intendit. Festinatâ per nota diverticula profectione, Rhenóque ad Moguntiam, favore Mosellanorum, qui objectam ripam tenebant, trajecto, civitatem, nemine obsistente, ingressus, 8. Idus Junij, Rex magno Procerum consensu renunciatus, à Willegiso auguralibus cæremonijs regnique insignibus est initiatus, inter publicas gratulationes. Secutæ graves in Hermannum sententiæ, quibus decretum, ut, velut Reipublicæ hostis, communibus armis peteretur. Prima belli vis Alemanniæ incubuit. Etenim deportatis per Francones, utpote amicos, sine maleficio, copijs, Suevorum agris illata vastitas, vexati coloni, abacti greges, si fortè Hermannus suorum calamitate ab incœpto deterreretur. Verùm, ruentem in præceps, operosum est ab exitio revocare. Ille suorum ruinam súsque déque habens, iras vertit in Argentinenses, odio Wicelini Episcopi, cujus consilijs tribuebat, quòd cives, correptis armis, Ducis sui imperia fuissent aspernati. Urbe per Rheinhardi proditionem, non sine sanguine, expugnatâ, miles sacra, juxtà ac profana, Hermanno inscio, diripuit, móxque, ut avaritiæ & semel incitatæ crudelitati nullus est modus, D. Virginis ædem, omni spoliatam thesauro, incendit. Hermannus sacrilegij atrocitatem detestatus, mœstus ex urbe discessit, facinus haud dubiè ulturus, nisi facinorosorum multitudo, & ignorati authores iram cohibuissent.

HENRICUS MOGUNTIÆ REX RENUNCIATUS.

BELLUM IN SUEVUM DECERNITUR. HERMANNUS ARGENTINAM EXPUGNAT, QUAM MILES EIUS INIUSSU DIRIPIT. INCENDIT D. VIRGINIS BASILICAM.

Henricus interim D. Joannis, Christi præcursoris, festum agens in Augiâ, lacus Acroniani Insulâ, per frequentes nuntios accipiebat, Hermannum cum exercitu adventantem, velle litem, Marte arbitro, dirimere. Henricus DEO fretus & causæ bonitate, decrevit sui facere copiam: quam ad rem legiones, ad prædam effusas, jussit extemplo redire ad signa, castrísque in patente campo positis, pugnæ tempus præstolari. Verùm ubi miles animadvertit, nihil in præsens tale esse expectandum, otij pertæsus, intermissas prædas cœpit suspirare. Ne à signis diffflueret, fuerunt, qui Henrico suadebant, ut Hermanni exemplo, qui Argentoratum militum avaritiæ objecerat, Constantiam pariter suis daret diripiendam, eò maximè, quòd Lambertus Constantiensis Episcopus, ad Hermannum, unà cum Udalrico Curiensi, defecisse crederetur. Verùm comperto, neutrum odio, sed necessitate ad Hermanni partes esse abreptum, suos ut cives, utpote Alemanniæ confines, Hermanni injurijs subducerent, negavit, suæ esse moderationis, crudum Hermanni factum imitari, insontibus, quibus mens & fides essent integræ, irascendo. Quin etiam militem jussit à Sueviæ rapinis temperare, ac denique ne mise-

HENRICI MODERATIO.

miserorum damna augerentur, militem in Franconiam abduxit, nefas esse ratus, Principis contumaciam, paupertinæ plebis ultimâ calamitate plectere.

Ne Franconibus esset oneri, paucis, postquam eò venerat, diebus, progressus in Turingiam, obvium habuit Wilhelmum gentis regulum, se suósque regiæ fidei addicentem. Eum Henricus clementer acceptum, ascriptúmque militiæ Palatinæ, in amicorum album retulit, & quo sibi provinciam universam devinciret, unius anni censum remisit. Digresso inde in Saxoniam, Merseburgi, ad 8. Cal. Sextiles, occurrerunt, Bruno Dux Saxoniæ, Lutharius & Gero Marchiones, Fridericus Comes Palatinus, Boleslaus Dux Poloniæ, Luizo Bremensis, Gisilerus Magdeburgensis, Archiepiscopi, aliique, tum Antistites, tum Comites permulti, qui porrectis ex ordine dextris, in solio residenti, sacramento dixerunt. Adfuêre etiam Redariorum & Luiticorum primores, qui ad eam diem imperium detrectabant: eos Henricus, muneribus promissísque mansuefactos, recepit in fidem, quæ sua omnibus constitit, præterquam Boleslao, qui neglectâ statim jurisjurandi religione, pravo consilio, cœpit cudere conspirationes, quæ, ubi maturuerunt, turbas haud mediocres peperêre. Harum non minima pars fuit Henricus, cognomine Hezelo, filius Bertholdi & Eilæ, quæ Ditmari Merseburgensis fuit amita. Ille Boleslai contagione, & concepto nuper in Henricum odio corruptus, venit in numerum conjuratorum. Irarum causam in loco referemus.

XI.

SAXONES HENRICO DICUNT SACRAMENTUM.

HENRICI CUM CUNEGUNDE NUPTIÆ.

Regi, è Saxoniâ in Lothariensium fines properanti, Gruonæ venit obviam Cunegundis uxor, custoditâ sanctè in castissimo thoro pudicitiâ nobilis, stirpe Mosellana, Sigefridi Metensis Reguli, vel, ut volunt alij, Gisiberti Secundi Luxemburgensium Comitis filia. Inde, cùm simul Padebornam venissent, illa solenni ritu ad Regis thorum, diadema, cæterósque honores fuit admissa, ipsis D. Laurentij ferijs. Lætitiæ publicæ serenitatem obvolvit seditio, quæ levi initio crevit ad cruentam dimicationem. Cùm civitas universa nuptijs festivè applauderet, Bavari pabulatores, militari licentiâ in maturas fruges grassati, colonorum spem demetere, & contra provinciæ morem jus agrorum violare cœperunt. Agricolæ primùm ad clamores & jurgia, deinde ad rixam, ac demum alijs super alios accurrentibus cum telis, quæ furor porrexerat, ad pugnam coorti, militem, à frumentatione ad arma collectum, incondito impetu aggrediuntur. Crescente tumultu certamen incrudescit, exasperatísque cæde utrinque cadentium animis, cruentum exitum furentium atrocitas spectabat, nisi submissi à Rege sequestres, conflictum imperio diremissent. Quod mirere velut indignum, inter pabulatores, frater Engelberti, qui Henrico erat ab Epistolis, Comes Mospurgensis, cum primis occubuit: facinoris auctoribus ex lege castigatis, Rex Duisburgum contendit, Lotharienses excepturus. Primi adfuerunt, Leodiensis & Cameracensis, Antistites: occurrit etiam, sed seriùs, Heribertus Coloniensis, nondum Henrico conciliatus: & nova ratio simultatis ad veterem accesserat, quòd Heribertus sibi inaugurationis officium à Moguntino præreptum, doleret. Denique Lothariensium proceribus Aquisgrani collectis, Henricus in Caroli Magni solio, faustâ omnium Ordinum acclamatione, Rex denuo salutatus est 6. Idus Septembris.

SEDITIO RUSTICANA.

Adelbodus nominat Dinsburgum.

HENRICI REPETITA APUD AQUENSES INAUGURATIO.

Germani omnes, si Alemannos excipias, in Henrici fidem concesserant: & ne hi quidem ab ejus imperio erant alieni, si per Hermannum redire ad officium licuisset. Quamobrem Henricus reversus in Franconiam, belli apparatum, lectis legionum supplementis, integrabat, primo statim vere ad domandam Hermanni pertinaciam moturus. Sed cùm hunc jam cepisset tædium & desperatio factionis, non expectato bello, maluit Henrici clementiam experiri. Calendis Octobribus venit Brussalam, & impetrato, per illustres deprecatores, aditu, atratus, nudus pedes, cæteróque reorum habitu, Regis genibus advolutus, factorum veniam petijt, obtinuítque, eâ tamen lege, ùt damnum, quod miles Argentoratensi Ecclesiæ intulerat, contributo in vicem S. Stephani cœnobio, compensaret. Quem in modum Hermannus receptus in gratiam, inter primæ admissionis amicos, intimáque rerum gerendarum consilia, fidelissimam Henrico operam ad usque

XII.

vitæ

vitæ finem rependit. Germaniâ undique pacatâ, Rex se Boicæ reddidit, nihil immutato vetere in suos cives affectu, qui cum festâ omnium Ordinum lætitiâ publicisque votis redeuntem exceperunt. Martinalia egit Ratisbonæ, ubi Blademario, natione Slavo, optimis instructo præceptionibus, dedit Bojæmiæ Principatum. Mox juri dicundo, cæterisque boni Principis officijs incumbens, mirè bonorum animos ad spem rerum optimarum erexit.

BLADEMARIUS DUX BOHEMIÆ.

Hæc dum agerentur in Germaniâ, Itali de Othonis morte facti certiores, pro veteri regnandi prurigine, majorum gloriam in Germaniâ exulantem, in antiquam sedem postliminio, quacunque demum ratione, reducendam censuerunt. Primi ejusce consilij conatus extiterunt abs Longobardis, auctore Ardoino Eporædiæ Marchione, homine tum magnis vitijs cooperto, tum in sacrum ordinem, præcipuè in Episcopos contumelioso. Ille singulorum Italiæ Principum studijs, ad recuperandos imperij honores, excitatis, se pulcherrimi facti ducem professus, eò rem adduxit, ut, coacto, gentis more, Papiæ consilio, senatusconsultum de Rege eligendo fieret. Primum ejusce legis fructum ipse tulit, communibus suffragijs Rex Italiæ renunciatus, donatúsque regni insignibus, injussu Arnulfi Mediolanensium Antistitis, ad quem tamen, vetere instituto, Regis Italici inauguratio pertinebat. Quâ super re, convocato Papiæ, sanctioris ordinis comitio, D. Gregorij legem recitat, impetrátque, ut, unanimi Præsulum omnium consensu, Ardoinus, vitio creatus, pronuncietur. Votis Antistitum, adstipulata sunt proborum omnium odia, detestantium sævum hominis imperium, immensam avaritiam & mores maculosos, ut qui virtutem non odisset modò, sed etiam formidaret velut scelerâ exprobrantem. Auxilia circumspicientibus & potentiam, quæ turpissimum regni incubatorem exturbaret, nullus Henrico visus potior, quippe quem totius Germaniæ consensus Othonibus successorem dedisset, ijs instructum virtutum armorúmque subsidijs, quibus oppressa Italia tyrannidi eriperetur, ijsque legibus regeretur, quas optimi quique Imperatorum Regúmque condidissent.

ITALI PRO RECUPERANDO IMPERIO CONSPIRANT. ARDOINUS AUTHOR CONSPIRATIONIS, CORONATUR. DECLARATUR AB EPISCOPIS, VITIO ESSE CREATUS. XIII.

Quare, decretâ ad eum legatione, scriptísque publico nomine litteris, vota Longobardorum explicata, quibus ad fulciendas Italiæ ruinas, velut benignum ac salutare Numen invocabatur. Venit in tempore legatio, cùm Henricus de asserendo Italiæ regno consilia caperet. Igitur primo vere, antequam se magis Ardoinus firmaret, Othonem Carinthiæ Ducem, & Veronensis Comitatûs præfectum, collecto raptim exercitu, trans alpes jussit properare. Ventum ad Brentam amnem, ubi Otho statuerat suppetias Italiæ, quas Ravennæ Archiepiscopus & Theobaldus Marchio adducebant, opperiri. Ardoinus exploratis Germanorum castris, fauces Veronenses, disjecto Episcopi præsidio, occupat, Italósque, castris in medio positis, à Germano milite dirimit. Hærebant in arcto ad montem, cui Ungaro nomen, Othoniani, quòd occupatis claustris, Ardoinus omne illis iter præclusisset, ut non ignominiosum modò, sed etiam periculosum foret, hoste à tergo instante, per angusta montium, raris ordinibus, lentum agmen in Germaniam retrahere; longè verò durissimum, annonâ undique interclusâ, militem, in infidâ statione, fame consumere. Quod postremum erat, visum est, per legatos ab Ardoino flagitare, si non progrediendi, at saltem regrediendi facultatem. Auditis in speciem benignè legatis, dilatísque in crastinum, Ardoinus per noctem suos vocare ad concionem, ostendere quanta res cum paucis Germanis agenda sit, animare omnes ad pugnam, & primâ statim luce quindecim Longobardorum millia educere. Germanis sub meridiem, ex improviso, hostis fuit in conspectu. Otho suos jubet confestim arma capere, &, si aliud non erat futurum operæ pretium, per honesta vulnera gloriosè mortem oppetere. Explicatâ properè quingentorum, ut summum, acie, ducit in Ardoinum, tantâ omnium alacritate, ut, nutante victoriâ, Longobardi victis, quàm victoribus essent similiores. Et verò erat in proximo, ut desperatione pedem referrent, cùm Ratisbonensis Episcopi germanus, viris fortibus, turpi fugâ, secundam fortunam corrupit. Exilem Germanorum numerum diminuit imbellis pavor, quem fugitivus injecit. Id ubi

LEGATIO AD HENRICUM.

AN. CHRISTI MIII.

HENRICI COPIÆ AUXILIARES AB ARDOINO PROFLIGATÆ.

ubi Ardoinus advertit, totâ vi invectus, reliquos statione submovit, nec ultrà insectatus, satis habuit, aversos disjecisse. Pauci è Germanis occubuerunt, nullus inultus, Longobardi longè majore numero, minore gloriâ. Atque hic quidem erat status Italiæ.

An. Christ. MIV.
XIV.
Hermanni et Theodorici Lotharingorum insolentia repressa.
Peregrinatio Henrici votiva ad S. Servatium.
Leodii colica laborat.

Inter hæc, Henricus, auditis per Christi nascentis ferias variarum gentium legatis, Mosellanorum provincias adijt, & indicto ad Theodonis villam conventu, Hermannum & Theodoricum Duces, comperit, multa ex legum & antiqui moris contemptu temere deliquisse. Utriusque insolentiam coërcuit everso funditus castro Mulsbergio, cujus illi munimentis, ad firmandam audaciam, potissimè nitebantur. Soluto conventu, Aquisgranum, Othoni III. anniversarias inferias soluturus, concessit. Cùm eò loci, multa de S. Servatij sanctimoniâ factisque egregijs cognovisset, induxit animum, eorum propiùs noscendorum gratiâ, Trajectum proficisci, simul ut Divorum cineres, quos ea civitas asservat, religiosè veneraretur, simul ut Canonicorum Collegium sanctioribus formaret exemplis, & sacras ædes, divinis rebus pietatique exercendæ, nitelâ pulchriore, redderet aptiores. Isthic de rebus Italicis factus certior, immotâ animi constantiâ, qualemcunque fortunæ ictum excepit, sat gnarus, cœlum alternis mortalium virtutem exercere, ut roboret adversis, acuat secundis. Trajecto concessit Leodium, D. Lamberto honorem habiturus. Hic biliosis correptus torminibus, quod morbi genus illi à majoribus erat transfusum, gravissimos passus est cruciatus. Divertens ad Aquas Graneas, dimisso Lothariensium comitatu, Noviomagum se contulit, ubi quadragintadiale jejunium exsolvit.

Boleslaus Bohemiæ principatum invadit.
Exoculatur a Polono item Boleslao.
XV.
Polonus ab Henrico benigne, sed frustra, officii admonetur.

Per id temporis Blademarus, quem Bojæmis regulum dederat, fato concessit. Boleslaus Bojæmus natam sibi, ex ejus morte, Bojæmiæ imperio occupandæ occasionem ratus, mox sibi fœdere adjungit Boleslaum Polonum, patris sui sorore natum, ejúsque fiduciâ Bojæmos pellicit ad defectionem, &, ne petito quidem Henrici jussu, principatum invadit. Brevis & infelix fuit dominatus: rei scelere quæsitæ, usura læta non est, neque diuturna. Quem Polonus ad culmen evexerat, crudeli fraude dejecit. Nulla improbitati fides est. Polonus per speciem amicitiæ, quæ fallendi ratio periculosissima, Bojæmum ad hospitalem mensam invitat, nihilque hostile suspicantem, inter epulas exoculat: tum Pragam, Bojæmiæ caput, largitionibus cæterisque ambitûs vafRamentis invadit: Milzoviam præterea, quæ Saxonibus & Polonis interjacet, adjicit suæ ditioni. Hæc tametsi gravissimè impingebant in Henrici majestatem, iram tamen habuit in potestate. Nefarium invasorem benignitate sanare aggreditur. Missis legatis, eum monet, si Bojæmiam, rectore orbatam, sui juris esse cupiat, eam ne domini ingratijs usurpet, posse enim beneficio obtineri: provincias imperij clientelares, bene de republicâ meritorum esse præmia, non spolia ambitionis. Triste quidem illum exemplum vindictæ divinæ in suo patruele edidisse, sed longè ipsi tristius esse metuendum, si eâdem, quâ ille, injuriâ ad raptum alieni principatûs ausit grassari. Verùm hæc surdo canebantur. Dementiam stimulabat Henricus Hezelo, qui non ita pridem à D. Henrici fide secesserat. Secessionis hæc causa. Henrico ad regnum cooptato, Hezelo fidei antea in Regem incorruptæ, & inter Francones, Crusinæ, Amartalæ & Schweinfurti clientelis inclytus, per magnos suæ cupiditatis patronos, ausus est, ob bene navatam operam, Boicæ principatum exambire: neque Henricus à viro de se bene merito erat alienus. Verùm cùm negaret, se tam præcoci desiderio, nisi offensis Boijs, facere satis posse, distulit extemporale beneficium. Enimvero Bojos, jure vetustissimo, Principes non accipere, sed suffragijs sibiipsis optare. Proinde citra Ordinum assensum, sibi non esse integrum, dare ansam conquerendi, quasi regni primordia, luculentâ juris veteris injuriâ temerentur: non defutura alia beneficia, quæ, pacatâ Germaniâ, possint Hezelonis virtuti, sine cujusquam injuriâ rependi. Clemens responsum, homo turbulentus repulsæ ignominiam interpretatus, tametsi dolum tegeret, tamen non destitit, improba consilia versare animo, donec nactus (ut quidem ipsi visum est)

Hezelo Franco cum rebelli conspirat.

ulcis-

ulciscendi occasionem, nomen dedit funestæ Boleslai rebellioni. Ad factiosos præterea accessêre, Ernestus Theobaldi Marchionis filius, quem è bello Italico reducem unà cum Othone, Rex cum insigni virtutis collaudatione & beneficentiâ est amplexus. Quod fuit tristissimum, Bruno D. Henrici frater, nullâ germanitatis curâ, grande accessit conjuratis nomen factioni allaturus. In eo rerum æstu, perduelles, qui Boicæ erant propinquiores, & plus cæteris periculi creabant, ante alios fuêre debellandi. Quare, collecto ex Boijs, Franconibus & Lotharienſibus, milite, Augusto ineunte, Franconiam Rex ingressus, Hezelonem, Ernestum & Brunonem adoritur. Illi, ut pavida sunt malè consciorum ingenia, non ausi prodire in apertum, abditi in sylvarum avia, regios ex insidijs infestabant. Henricus, minutas eorum incursiones nihil moratus, vim jussit admoveri Hezelonis castellis. Exercitum ponè sequentem, impedimenta non satis custodita præcedebant, unà cum gazâ regiâ. Id cùm Maganus, unus ex hostibus, explorâsset, in primum agmen invectus, pulsis defensoribus, sarcinas intercipit, &, inter socios divisas, Mertelam avertit. Hinc nata occasio loci expugnandi. Admotæ è vestigio muris machinæ, ruina edita, expugnata civitas, præda cum fœnore recuperata, mœnia solo æquata. Poscebantur Hezelonis præsidiarij ad supplicium: verùm Henricus, suo usus ingenio, ne veniæ desperatione hostis fieret contumacior, omnes vitâ incolumi jussit dimitti, Slavis exceptis, quos Boleslaus subsidio miserat: hos in servitutem redactos, legionum arbitrio dedidit. Crusina deinceps cincta obsidione. Isthic Gerberga Hezelonis uxor, cum liberis & fortunis sedebat. Bucco Hezelonis frater locum tutabatur. Hezelo, cùm per dies aliquot Regios pabulatores carpsisset, nec speraret, se contra quadringentorum turmam, quæ eos comitabatur, quicquam profecturum, in vallem, continuo sylvarum objectu circumfusam, & angusto calle vix apertam, se recepit. Dum isthic bidui triduive moram agrestium damnis trahit, unus è colonis Regi prodit receptum, ostenditque modum, in factiosorum latebras penetrandi, & se quidem offert viæ ductorem. Addita viro manus armatorum, quam per notos anfractus, ad hostium stationem inobservatus deduxit. Nihil fuit propius, quàm ut Hezelo periculi securus, cum suis obrueretur. Verùm eam spem corrupit intempestiva manipularis cujuspiam, qui commilitonibus præibat, vociferatio. Ille conspectis hostium tentorijs, Kyrie eleison, militarem ejusce diei tesseram, inclamans, Hezelonem sociósque excitavit. Ij regiorum conspectu territi, cùm ne ad arma quidem capienda sat esset temporis, relictis impedimentis, per avia devia palantes, diffugiunt. Capti tamen nonnulli, atque inter eos Ernestus. Is ductus ad Henricum, & tractus in senatum militarem, proximè abfuit à capitali supplicio. Cùm severæ in eum sententiæ dicerentur, jámque de ejus vitâ esset conclamatum, Willegisus Moguntinus Antistes, supplex intercessit, impetravitque, ut, factâ vitæ veniâ, caput auro, quantum Rex imperaverit, redimeret: non evasit tamen ignominiam, quæ ejus nomini adhæsit. Ea Hezelonis clades, Crusinæ deditionem maturavit. Bucco enim, cognitâ fratris fugâ, Ductores in commune consuluit, videretúrne obsidio diutiùs toleranda, an maturâ deditione Rex placandus. Placebat quibusdam, vim tantisper experiri, dum Hezelo collectis suorum reliquijs, & novis auctus copijs, suppetias veniret: neque enim eum passurum, conjugem ac liberos hostium ludibrio, cum universâ gazâ militum direptioni objici. Alij timidiora secuti, suasêre deditionem, quòd incerta forent Hezelonis auxilia, eáque adeò tenuia, ut ne regij quidem exercitûs conspectum essent latura, nedum tentatura rei summæ aleam. Bucco his assensus, cum bonâ Gerbergæ veniâ, quæ metu muliebri, longiùs à bello malebat abesse, oppidi arcisque fecit deditionem. Ipse cum Othone fratre, cúmque civibus atque præsidiarijs, pactâ vitæ & sarcinarum libertate, abire permissus. Tecta, ad aliorum terrorem, flammis objecta. Ne tamen universa abirent in cineres, Henricus jussit, militum operâ inhiberi.

Bruno Cæsaris frater ad rebelles deficit.

XVI.

Henricus in eum aliosque factiosos movet.

Sarcinæ regiæ interceptæ.

Recuperantur, Mertela expugnata.

Crusina obsessa.

Hezelo fugatus.

Ernestus Marchio captus.

Crusina dedita, cum Hezelonis uxore et liberis, et tota gaza.

XVII.

Hezelo Cranam incendit.

Jam in eo erat, ut castra Cranam moverentur. Id ne fieret, prævertit Hezelonis immanitas. Is veritus, ne captâ civitate hostis in rem suam uteretur, tædas mi-

PROFUGIT AD BOLESLAUM.

das miserorum ædibus subjecit, desperationis argumento. Cùm de cætero nusquam posset tutò pedem figere, cum Brunone Regis fratre, aliisque conjuratis, ad Boleslaum profugit. Supererat Schweinfurtum, Regis voluntate flammis ultricibus destinatum. Henrico Herbipolensi, & Erckenbaldo Fuldensi Præsuli demandata executio. Illi pacatè mœnibus recepti, Eilæ, Hezelonis matri, Regis imperium aperuerunt, quo illa propè exanimata, & animo linquente collapsa, diu sui impos jacuit: tum sensim respirans, ad Basilicam confugit, certa, ad aram mortem oppetere, in communi civitatis incendio. Datum ejus sexui & ætati, ut Christianâ lenitate, flammis abstineretur, crederetúrque, Regi fore satis, si mœnia, cum parte ædium urbanarum, solo æquarentur, eâ tamen lege, ut, si quando per Henricum liceret, Legati suis sumptibus ruinas instaurarent. Vastato ad eum modum Hezelonis patrimonio, & in novos clientes diviso, Rex Babenbergam concessit, dimissóque exercitu, post nascentis Deiparæ ferias, quod autumni fuit reliquum, dedit venationi. Inde reversus in Saxoniam, recentes è Saxonibus & Turingis delectus jussit esse in promptu adversus Milzienos.

SCHWEINFURTUM EX PARTE SOLO ÆQUATUM.

AN. CHRIST. M.V.

GISELERI MAGDEBURGENSIS AVARITIA, EXITUS.

XIIX.

Adam. Bremen.
Lambert.
Ditmar.
Surius.

Actis Poledæ Christi natalitijs, Dorneburgo, Giselerum Magdeburgensem Archiepiscopum, quem paralysis lecto affixerat, conatus est revocare ad frugem. Patuit in eo viro, quàm nulla sit mentis humanæ, quando à DEO deseritur, in bono stabilitas. Giselero, quoad Merseburgensibus præfuit, nemo visus abstinentior. Idem novellos Wenedorum populos, doctrinâ Christianâ præclarísque præceptis, ad pietatem incitaverat: Otho secundus, hominis labores, Magdeburgensi Archiepiscopatu, ante annos plus minus viginti, fuerat remuneratus, transfusis (quod nefas erat) Merseburgensis Ecclesiæ in alienas manus proventibus, quorum potiorem partem Giselerus ad se traxit. Unde, irato Numine, multæ in Othonem calamitates. Crevit in Giselero habendi cupido: nata in Merseburgensibus, pastore destitutis, jactura animarum: datum sacris hominibus perniciosum malè ditescendi exemplum. In eo luto hærebat vir sine modo opum avidus, suíque oblitus, neque metu mortis propinquantis, neque Patrum monitis, qui ejus causam Romæ sub Sylvestro II. & in Provinciali Germaniæ Synodo damnârant, resipiscebat. Henricum denique incessit senis curandi desiderium. Cùm igitur eum haud procul ab ultimis comperisset abesse, Willegisum Moguntinum cum honestissimo comitatu ablegat, qui moneret, ut, quando propediem omnia, vellet nollet, esset deserturus, lubens Merseburgensi Ecclesiæ Pontificiam dignitatem, suáque jura ac possessiones redderet. Willegisus omnem facundiam apud obstinatum casso conatu consumpsit. Petivit æger quatridui, ad summum, inducias, quibus elapsis, suam mentem explicaret. Sed biduum vix exegit, cùm mors incogitantem, ad severum supremi judicis tribunal abripuit.

TAGMO MAGDEBURGI ARCHIEPISCOPUS.

Illi, Henrico adnitente, datus est successor Tagmo, quem, superiùs meminimus, ante decennium, S. Wolfgangi vaticinio, ad mitram fuisse nominatum. Inaugurato prima cura fuit, Merseburgensi Ecclesiæ, cum pristinis honoribus, aversas à Giselero facultates restituere, & Wigbertum, Henrici Regis sacellanum, sacris cæremonijs initiatum, ei regendæ præficere: quod factum cum ingenti civium lætitiâ & gratulatione.

Fabrit. pag. 249. §. ult.

EXPEDITIO IRRITA CONTRA MILZIENOS.

Inter hæc, è Saxoniâ & Turingiâ copiæ sub signis convenerant, cum bellico apparatu, quem Henricus vertit in Milzienos, gentem Transalbinam. Consilium erat, exeunte hieme, munitiones, à Boleslao occupatas, recuperare, eò maximè, ut Boleslaum, qui Hezelonis instinctu, Boicæ fines infestus incursabat, ad Milzienorum defensionem retraheret. Verùm iniqua anni tempestas, bene meditata turbavit. Cùm enim militi foret simul luctandum cum hoste, simul cum frigoris asperitate, & nix in aquas subitò resoluta, urbium obsidionem faceret iniquissimam, cœpto fuit desistendum. Vastato agro, relictísque sub Gunzelino limitis præfecto, aliísque defensoribus, præsidio militari, ad cohibendas hostis excursiones & maleficia, Henricus adijt Merseburgum. Illic comperit, Brunonem fratrem, Ungarorum Regem adijsse, ut, eo deprecatore, perduellionis veniam oraret. Eâ

XIX.

BRUNO HENRICI FRATER RESIPISCIT.

de re, non multò pòst, adfuêre legati, quos comiter auditos, jussit Brunoni referre, meritum quidem ipsum exempla ultima; verùm datum esse Stephani Regis & Giselæ sororis intercessioni, ut, detersâ injuriarum memoriâ, si deinceps meliora promitteret, simul ac foret collibitum, in fratris gratiam amplexúmque rediret. Ex iisdem Stephani legatis cognovit, Hezelonem, damnatâ rebellionis insaniâ, vehementer admissa in Regem crimina detestari, &, si veniam sperare liceat, suam sociorúmque fortunam, tenuissimâ possessione passurum circumscribi, immo nec defugiturum carceres, modò ne patriâ & regis benevolentiâ proscriberetur. Et huic quoque patuit receptus ad Henrici clementiam, Tagmone Archiepiscopo & Bernardo Saxone adnitentibus. Adfuit Hezelo infusus lachrymis, habitu squalente, & prostratus ad Regis pedes. Id duntaxat piaculi impositum, ut aliquamdiu, in castro Wirgensteinio clausus à Tagmone teneretur, tum ad aliorum terrorem, tum quòd capiti inquieto, & facilè redituro ad genium, Henricus diffideret. HEZELO RECIPITUR IN GRATIAM.

XIX.

His perfunctum curis solicitabat gemens Italia sub Ardoini tyrannide. Decreto in eum bello, Henricus in Bojariam reversus, convocatis Ratisbonæ Ordinibus, principem dedit, ad 12. Cal. Apprileis, Henricum Luxemburgicum, Cunegundis germanum; quæ nova fuit mutatio Boici principatûs, eáque numero tertia: & prima quidem fuit, quando, exclusis Agilolfingis, transijt ad Caroli Magni stirpem: alterâ devenit in manus Saxonum: tertia hoc anno, quâ devolutus ad Luxemburgicos. Hæsit penes Carolinos annis quinquaginta novem, penes Saxones, duodequinquaginta. HENRICUS LUXEMBURGICUS DUX BAVARIÆ.

Rebus in Boicâ confectis, Henricus Augustam Vindelicorum abijt: ubi, alterum duntaxat diem moratus, Cunegundem conjugem, Tagmoni Magdeburgensi Archiepiscopo, Magdeburgum ducendam commendavit. Ipse dehinc cum exercitu Schongam, Boicæ oppidum Lyco confine, progressus, obvium habuit Brunonem fratrem, violatæ germanitatis & regiæ majestatis ex animo pœnitentem, quod prodebat vultus ad verecundiam, & cultus corporisque gestus, ad modestiam apprimè compositus. Hâc motus specie, & quæ sanguini innascitur, in propinquos misericordiâ, in pristinum benevolentiæ locum recepit Henricus, oculis fletu manantibus, humanissimo complexu, nullâ perfidiæ exprobratione. Vix dubium, quin ea benignitas DEUM, cui propria est in reos commiseratio, Italicæ expeditioni conciliârit. Castris celeriter per Tirolis aspreta, & Alpium Ræticarum ardua promotis, Tridenti egit sacra Ramalia, deditque militi temporis tantillum ad respirationem. Ardoinus haud nescius regiæ expeditionis, Italiæ claustra tanto studio muniverat, ut non appareret ratio, per montium juga, & quas Athesis fluvius, in imo rupes allambens, facit angustias, in plana penetrandi. Viam aliam circumspicientibus, occurrerunt alpes Carantanæ, ab hostibus languidè custoditæ. Illuc cùm pateret, per longas ac difficiles ambages, accessus, Helmigero, qui Henrico à Sacris erat, datur negotium, ut Carantanorum auxilio, iter in Italiam, dejecto Ardoini præsidio, occupet: addita ad Carantanos mandata, ut ex popularium centurijs una phalanx tumulos, claustris impositos, invadat, altera faucium defensores aggrediatur. Paruêre libenter. Pars silenti agmine, noctis beneficio inobservati, in montis fastigium evadunt: pars sub solis ortum, sublato clamore, hostem ad pugnam eliciunt. Hic nihil insidiarum suspectans, subitò arma corripit. Verùm ubi se à fronte & à tergo sensit impelli, solutis ordinibus, alij, quà data via, diffugiunt, alij ad Brentæ fluenta depulsi, undis hauriuntur. Carantanorum claustris ad eum modum occupatis, Henricus citato agmine, eodem festinans, exercitum incolumem, viâ difficili, promovet ad Brentam, castrisque locatis, postremum sacratioris hebdomadæ triduum Christo patienti, alterum triduum de morte triumphanti, celebravit. Tum per Henricum, Boicæ Ducem, copiis profectionem indicit, simul jubet, totis castris per præcones vulgari, fore capitale, si quis tergum hosti verteret, vel desereret ordines: fortiter agentibus non defore præmia. Qui missi erant exploratores, retulêre, Ardoinum metu BRUNO REGI SUPPLEX. ITALICUM BELLUM. XX. INGRESSUS PER CARANTANOS. ARDOINUS PROFUGUS.

perculsum, an à suis desertum, cepisse fugam, nec quicquam uspiam hostium apparere.

Rex incruentam victoriam Deo gratulatus, Veronam ingreditur, pronis civium studijs, sospitale numen advenisse lætantium. Gratus fuit Thiedboldi Marchionis occursus, se suáque, abjuratâ Ardoini tyrannide, Henrico offerentis. Pari honore ac reverentiâ acceptus à Brixiano & Ravennatium Præsulibus. Bergomi, Mediolanensis Pontifex, solenne à Rege sacramentum excepit. Ventum Papiam, Regiam Longobardici imperij, ubi adstante nobilitate, cum ingenti populorum gaudio, diademate fuit redimitus. Parùm abfuit, quin tumultus fœdè diem lætissimum funestaret. Plebs in comessationes effusa, genio largiùs indulserat, & Germanus miles nihilo plus poculis abstinuerat, cùm Ardoini, qui in urbe remanserant partiarij, sparsi per contubernia, sole jam in vesperum declinante, calentibus mero civibus furorem injiciunt, dictitantes, eo die injectas esse compedes Italicæ libertati: coronatum Regem, qui omnia sit ad libellam exacturus: adscitum esse peregrinum, cui Italorum mores, studia, felicitas sit exosa. Quousque tandem partum majorum sanguine imperium, apud invisam nationem sit exulaturum? Quid enimvero prohibeat, eâ nocte, diei errorem corrigere generoso facto, quo omnibus retro sæculis, Longobardi nihil ad gloriam pulchrius patrârint? Quæ factiosorum voces, mero madidis fuêre pro classico. Ergo provolant cives ad arma, auctóque mox tumultu, alijs super alios accurrentibus, conglobati ad Regiam convolant. Satis ex insano clamore apparebat, Regem ad necem, Germanos ad lanienam flagitari, cùm tota civitas esset in armis. Pauci è prætorianis excubabant in palatio, qui momento depulsi, nihil habuêre promptius, quàm ut fores occluderent, iísque insanæ multitudini objectis, sese adversus telorum procellam tuerentur. Germanorum alij sparsi per vigilias & contubernia, alij extra urbem sub pellibus, alij per villarum finitima sejuncti. Cùm Regiæ portas seditiosi arietarent, Heribertus Agrippinensis, ausus è fenestrâ tumultûs causam percontari, mox telorum imbre petitus, coactus est se subducere. Regis salus erat in arcto. Is nihilominus cum exiguâ stipatorum manu in temulentos erumpere gestiens, jam erat in procinctu, cùm Heribertus ruentem cohibuit, precatus, ne se temere furentium insaniæ obijceret, sed pensaret, in suo capite verti omnium Germanorum salutem, quorum ne unus quidem, eo cadente, sit in patriam evasurus. Milites, qui in urbe diversabantur, clamoribus exciti, se paulatim conglobârunt, pugnâque pro Regiæ foribus consertâ, tumultuantes ab eâ statione, à compitis & foris, in domos urbanas rejecerunt. Verùm tametsi victores passim per vicos rerum potirentur, tamen saxis aliisque missilibus, è tectis, inter noctis adultæ tenebras, petebantur. Id quò vitarent, mœnia incendunt, & ignis indicio, socios, qui extra civitatem abnoctabant, vocant in auxilium. Illi manipulatim advolant, & proturbatis civibus, invadunt propugnacula, redigúntque murorum coronam in suam potestatem. In isto armorum & animorum æstu, Giselbertus florentissimus adolescens, reginæ frater, fortissimè dimicans, à Longobardis interfectus, mirum quantùm Germanos exacerbavit. Wolframus, è militibus quispiam, juvenis cædem conspicatus, viâ per medios civium cuneos apertâ, percussorem invasit, ductóque per galeam, ad mentum usque, vulnere prostravit, rediitque incolumis ad suos. Jacuêre crebra civium funera, capti non pauci tractique ad Regem. Tandem etiam domui, quam nostri pro receptu firmaverant, faces injectæ. Eâ re miles vehementer accensus, urbanam stragem longè, quàm antè, sæviùs instauravit, inter hæc Suevi, mixti Franconibus & Lotharingis, quibus seditio seriùs innotuit, per muri ruinam perrumpentes, cives omnes, qui rursus in apertum prodierant, rejecerunt in ædes, ut ne unus quidem in vicis appareret. Sed cùm ne tum quidem à missilibus, supernè è domibus, jaculandis abstinerent, regij vim arcuerunt, flammis in tecta projectis. Henricus miserandam urbis faciem miseratus, militem jussit à cædibus temperare, séque in munitionem, quam Auream D. Petri cellam dicebant, extra muros recepit. Miles ad prædam conversus,

Tumultus Papiensis.

XXI.

Henricus periclitatur.

Giselbertus Reginæ frater occisus.

XXII.

Papia incensa, direpta.

versus, urbis universæ reliquias, quibus ignis pepercerat, diripuit. Tandem luce posterâ, Papienses haud paulò, quàm antè, oculatiores, magisque sobrij, suorum funera lugere, deplorare busta, hesternam dementiam devovere diris, quærere afflictissimæ fortunæ medicinam, quæ nusquam facilior, quàm in Regis clementiâ. Ad eam infimis precibus implorandam, ad D. Petri cellam effusi, orant, admitti saltem in Henrici conspectum, si fortè lamentabili supplicum comploratione delinitus, ad misericordiam posset commoveri. Rex ingressos non sine gemitu intuitus, jussit expromere, quicquid ad excusandam perfidiam attulissent. Qui orationem fuerat meditatus: *Nihil* (inquit) *est, fatemur, ô Rex, præter tuam clementiam, quod reos, crimen inexpiabile confitentes, possit sublevare. Peccatum, ah peccatum est, ab insanâ multitudine: regia majestas læsa est atrociter, nihil est immanitatis, quod addi possit ad nefandam perduellionem. Ad pœnas non sufficit, quamlibet miserandum noctis præteritæ supplicium. Quicquid nobis superest, & rei & spei, ipsius adeò vitæ, totum est in tuâ manu. Vrbe excisâ, fortunis eversis, nobis est unus reliquus spiritus, quem mœsti infamésque trahamus, sed ne trahimus quidem, nisi propè extinctus, tuâ benignitate reviviscat. Si pergis irasci, penitus perÿmus, & juvabit citò perire, ne mœrore diu pereamus. Est tamen tuæ clementiæ, cogitare, hesterni sceleris culpam ad plurimos quidem, eósque temulentos, non tamen ad omnes, vel ad ullum sobrium pertinuisse. Temulentia fecit, ne seditiosi criminis atrocitatem viderent; Ardoini emissarij, mixtus crapulæ furor, miserandam urbem perdiderunt. Si quid gestum esset communi consilio, ad omnes pœna spectaret; sed nec susceptum scelus est à civibus centuriatis, nec jussum à curiato senatu, nec patratum, nisi à vesano furentium impetu, quorum, si ulli acceptæ cladi supersunt, nec digni sunt misericordiâ, nec tamen tales, qui facti invidiam ad sanos fidósque cives traducant. Sed quid hæc commemoro? In eâ rerum, reorum & noctis confusione, quis tumultuosos à pacatis, nisi ex stratis totâ urbe cadaveribus discernat? Si tamen, ô Rex optime, dare lubet quæsitores, magni beneficij loco habebunt insontes, ut inter sontes desinant numerari. Sin aliud videtur, per quicquid sacrum est ac divinum, perque tuam clementiam obsecramus, vel ut nobis, in gratiam receptis, liceat vivere, vel ne tuæ obnoxios indignationi diu mori contingat. Satis sit, nos te vel unâ nocte sensisse iratum. Si nos servaveris, statues gloriosissimum virtuti tuæ munimentum, nósque & posteros, summâ tibi fide, æternùm habebis obligatos.*

Incredibilis Henrici comitas omnium expectationem superavit. *Non dubito* (inquit) *è vobis multos esse innocentes, nec lubet de sontibus habere quæstionem: malim omnes absolvere, vel sentire non fuisse criminosos. Quàm facilè peccatum est, tam facilè ignosco. Vos tamen, velim, superioris noctis neque diu meminisse ad mœrorem, neque citò ad licentiam oblivisci. Facite ut dicatur, nocturno supplicio extinctam esse perfidiam, & vestra fides æternâ luce perennet. Id si faxitis, nihil formidate vindictam, sed potiùs cultæ fidei mercedem expectate. Mihi certè longè jucundius, clementiæ, quàm severitatis famam aucupari, & beneficum potiùs, quàm austerum, fortémve audire.* XXIII.

Domitis eâ strage Papiensibus, cæteræ urbes, non expectato Henrici adventu, certatim per legatos adfuêre, sese ultro ipsius fidei permittentes. Omnis Lombardia, ad Pontem longum, illi jurejurando perpetuum obsequium addixit. Inde profectus Mediolanum, pacata omnia & ad officium prona reperit. Id verò itineris se suscepisse professus est, ut D. Ambrosij gratiam religiosè sibi conciliaret. Ferijs Pentecostes Cremæ peractis, copias in Germaniam per Ræticas alpes reduxit. Delatus Tigurum, in publico gentis conventu, multa de colendâ pace, déque coërcendis latrociniis, quæ passim in eo tractu gliscebant, decrevit, proscripsitque grassatores. Ab integris viritim exegit sacramentum, fore, ut nemo eorum voluntate violaretur. Subinde Sueviæ, cujus Dux Hermannus fato concesserat, principem dedit, defuncti filium cognominem. Pòst Argentinam profectus, frequentibus Alsatis jus dixit; quod dum in D. Joannis Baptistæ pervigilio studiosè facit, Curia, in quâ consederat, solutis subitò compagibus, in ruinam procubuit. Prodigij loco habitum, ex tam frequente multitudine, neminem fuisse læsum,

Papienses orant exorantque veniam.

Lombardia Henrico sacramentum dicit.

Tigurense comitium.

Curia Argentinensis collapsa sub Henrico.

læsum, præter unicum sacerdotem, qui cum fæminâ diris devotâ consueverat. Ille, confractis ex ruinâ cruribus, infelicem animam exhalavit.

Henricus, præsenti defunctus periculo, exeunte Junio, Principum Christi Apostolorum diem Moguntiæ celebravit. Inde peragratâ Franconiâ, in Bojorum & Francorum conventu, Merseburgi bellum decrevit, & de industriâ in arcano haberi voluit, quem hostem esset petiturus, rumore passim vulgato, expeditionem adversus Polonos esse comparatam, cùm tamen in Bojæmos ire statuisset. Quò consilium haberet tectius, naves Magdeburgo Citizam jussit deduci. Cùm ex condicto copiæ convenissent, repentè, nimbis cœlo effusis, amnes sic intumuerunt, ut egressi alveos, Polonicum iter militi præcluderent. Quare flexâ in Bojæmum profectione, nullo obsistente, ad sylvarum angusta pervenit, ubi Boleslaus, dispositis in monte Miriquido sagittarijs, viam intercluserat. Cùm ex eâ parte nullus alius in Bojæmiam pateret aditus, Henricus in obstantes immisit turmas loricatas, dejectisque loco Polonis, viam sibi ferro aperuit, præter omnem Boleslai expectationem. Ille, cùm super mensam accepisset, hostem claustra invasisse & brevi adfuturum, cùm ne id quidem fieri potuisse crederet, immotus hæsit eodem loci, donec signis explicatis, apparuêre legiones. Eas ubi sentit imminentes, auxilium à pedibus mutuatus, Pragam confugiens, famam sparsit, Boleslaum à Pragensibus esse interemptum, ut eo rumore regios redderet securiores, & ad prosequendum bellum segniores. Henricus tamen nihil cunctatus, castra movit ad Sattizæ conspectum, fuitque mœnibus sine morâ receptus. Cives enim, qui fidem nondum exuerant, comperto, justum Principem advenisse, correptis armis, Polonicum præsidium, quod illic Boleslaus locaverat, cœperunt oppugnare. Henricus jussit à cæde abstineri, & eos, qui erant reliqui, in ædis sacræ asylum deduci.

Bellum Boiæmicum. *Boleslaus fugit.* *Satz. capta Satiza.*

XXIV. Erat in regio exercitu Jaromirus, Boleslai, nuper à Polono exoculati, germanus, princeps inprimis charus popularibus, ob insignem morum lenitatem. Quæ res cùm eum fratri suspectum reddidisset, ad restinguenda civium studia, tollendámque spem familiæ propagandæ, eum jussit emasculari. Quæ injuria plebis amorem magis accendit, boni adolescentis sortem miserantium. Ille, ne quid gravius à fratre pateretur, in fidem tutelámque Henrici receptus, egregiam hoc bello operam navavit. Illi arx, Sattizæ vicina, ultro dedita; datum ab Henrico negotium, Polonum, si quâ posset fieri, intercipiendi armatâ manu, quam è Bojæmis & Saxonibus acceperat. Polonus ambiguâ Pragensium fide, & famâ hostis propinquantis territus, intempestâ nocte, cum unicâ legione, Pragâ profugit Visegradum, atque inde in Milzienos. Zobislaus D. Adalberti frater, dum obstat fugienti, occisus est. Pragâ à Boleslao desertâ, visum est, tentare civium animos per Jaromirum, quem Bojæmorum vota, rebus pacandis idoneum respectabant. Facta illi à Rege potestas, offerendi resipiscentibus veniam perduellionis, &, si è re futurum esset, captandi honores benevolentiámque popularem, & admittendi vestium cultum privato augustiorem. Ubi primùm mœnibus pedem intulit, eum, velut lapsum è cœlo numen, cives paternæ fortunæ insignibus, detracto sago, induunt, salutántque festâ omnium gratulatione. Posteaquam verò frequenti senatu retulit, Regem, non ad vindictam, sed ad impertiendam admissorum condonationem venisse, faustissima dies visa est, quæ funestum gemini tyranni imperium, clementi gubernatione mutaret. Henrico in urbem recepto, ab effusâ in gaudium & plausus universâ multitudine, exhibiti regij honores. Thieddagus Pragensium Pontifex, eum ad D. Georgij templum deduxit, ubi spectante populo, Jaromirus Bojæmiæ clientelam, solenni ritu, accepit.

Jaromirus Boiæmus. *Polonus Praga profugus.* *Jaromirus Praga acceptus.*

XXV. Eam pompam exceperunt Deiparæ Virginis natalitia, quo die, cum bonâ Thieddagi veniâ, Godeschalcus Frisingensis Episcopus, Sacris publicè operatus, regis jussu, pro concione dixit. Orsus est dictionem ab officio hominis Christiani, & sancto divini Numinis timore atque reverentiâ. Tum progressus ad charitatem, quæ DEO hominíque mortales conjungit, explicuit, quibus nexibus huma-

Godeschalci Frisingen. Episc. oratio ad regem,

humanitatis & benevolentiæ, majores minoribus, & pares inter se oporteat colligari. Demum conversâ ad Regem oratione: *Tibi verò id inprimis agendum, ne teipsum ignores, aut negligas, sed etiam atque etiam revoces in animum, quàm nihil à te ipso, quàm multa à DEO acceperis. Id si feceris, planè perspicies, ab ipsis incunabulis, quicquid fortunarum, honoris, potentiæ, cæterorúmque animi corporisque bonorum es consecutus, id totum à DEO, perenni omnis bonitatis fonte, in te esse derivatum. Cave, ô Rex, ea tuis meritis adscribas, quæ è cælo in te profecta sunt. Igitur, quando tot affectus es à DEO beneficijs, prima tibi cura sit, eorum te præstare tuo benefactori memorem. Sed quibus artibus id te credis consecuturum? DEVS bonorum nostrorum non eget, neque ijs potest fieri ditior, aut beatior: quid igitur rependes infinitæ ejus bonitati? Est, est, ô Rex, quod rependas, nec deest, qui vice DEI beneficium accipiat. Quis ille Vicarius, & quod beneficium? Homo est, in quem DEVS beneficentiæ suæ jura transcripsit. Quod præstas homini, DEVS habet in acceptis. Vis dicam apertiùs? benefac miseris, & DEO benefeceris, miserere afflictis, & de DEO bene mereberis. Ergo tibi non deest, de eo bene merendi facultas, modò ne voluntas desit, & conatus rectè agendi. DEI benignitatem æmulaberis miserendo, donando egentibus, ignoscendo humanis erroribus, remittendo offensas, cavendo iras implacabiles: quod quia in maximâ potentiâ rarum ac sublime, DEO est acceptissimum, & rege dignissimum. Liceat pace tuâ ad rem venire propiùs. Si te DEO, ut par est, agnoscis debitorem, & talem quidem, qui æri, quod in ejus rationibus contraxisti, non sis diluendo, & tamen exire cupias ex nomine immensæ obligationis, quærenda tibi ratio exeundi: quæ illa? meministi servi in parem inclementis, quem Dominus jussit tradi tortoribus, donec redderet universum debitum decem millium talentorum, quantum nos singuli DEO offenso debemus. Quoties inter preces repetivisti divinum pactum, ut DEVS tibi tua peccata dimittat, si vicissim tuis debitoribus noxas condonâris? Horum, non dubito, meministi; sed memento etiam, obsecro, miseri Hezelonis. Ipsi tu quidem vitam donâsti, quam poteras eripere, eóque magno te ære apud DEVM liberâsti: sed si te cupis adhuc exolvere debito majore, dona etiam misero libertatem.* Gotschalco in hanc sententiam peroranti, assensus est Henricus, & reversus domum, fidem exolvit. HEZELONI CAPTIVO LIBERTAS IMPETRATA.

XXVI. Rebus in Bojæmiâ compositis, Boicum militem à signis dimisit, cúmque reliquâ copiarum parte movit in Milzienos, itinere perquam difficili, comitante Jaromiro. Primus illi conatus in Budissinam, quæ Polonico præsidio tenebatur. In ejus oppugnatione, præsentissimum vitæ periculum adijt. Cùm enim suis, ad vallum certantibus, hortator instaret, telum è propugnaculo in eum destinatum, militem, qui proximè ejus lateri hærebat, prostravit, vicariam pro Rege victimam, quod ipse gratus agnovit. In ista obsidione, multi viri fortes optimíque sanguinis ceciderunt. In his Hemuza, vir manu promptus, grandi molaris saxi fragmento, pro muro dimicans, obrutus est. Ad extremum tamen, oppidani, Henrici constantiâ & auxilij desperatione victi, pactâ vitæ incolumitate, manus dederunt Regi, qui reversus in Saxoniam, litteris ad Tagmonem Magdeburgensem Archiepiscopum datis, jussit Hezelonem, vinculis solutum, reddi libertati. BELLUM IN MILZIENOS. BUDISSINA EXPUGNATA.

Subinde armis & severiori curâ tantisper intermissis, ad mitiora conversus, auctor fuit, Sacrorum Antistitibus Synodi, ad Tremoniam, celebrandæ. In eâ, gravi oratione questus est, pravos mores in Clerum irrepsisse, ad quorum emendationem Præsules opem operámque conferre oporteret. Id impigrè cœptum, sanctis Ecclesiæ legibus ad usum revocatis. Quibusdam, quos vita solutior in populi contemptum adduxerat, ac sæpius moniti, non resipuerant, fundi detracti, & Ecclesiasticarum sanctionum observantioribus attributi, ut, quod unis fuerat materia luxuriæ, alijs foret adjumentum pietatis. Eodem in conventu Frisij accusati, quòd navigationem & commercia, Saxonibus negotiatoribus redderent infesta, qui per legatos admoniti, culpam rejecerunt in piratas, súntque polliciti, se summis eos viribus persecuturos. Nec fecêre minùs, quàm dixerunt. Piratis enim redactis in potestatem, aliquot eorum ductores, Saxonum arbitrio dediderunt, cum aliquâ parte prædarum. SYNODUS TREMONIENSIS. *Baron. ad hunc an.* DE CLERI MORIBUS. *Trithem. in Hirsaugien. Fabric. pa. 282.* FRISII PIRATAS FACIUNT CAPTIVOS.

Annal. Polon.

XXVII. BELLUM POLONICUM. VIÆ DUCTORUM PERFIDIA.

Inter hæc Boleslaus Polonus, resumptis armis, ad usque Salam fluvium grassatus, Saxonibus curas, finitimis luculenta damna intulerat. Bello in eum decreto, D. Henricus & Jaromirus, ex suæ uterque gentis hominibus, justum exercitum conduxerunt, quo lustrato, delecti viæ duces & metatores, qui commoda loca movendis figendisque castris capesserent. Verùm, quæ fuit eorum perfidia, ut exercitum à suis finibus averterent, studio sectabantur paludibus & nemoribus impeditissimas ambages, donec ingentibus fractum molestijs, deduxerunt ad Poberam amnem, qui Ditmaro Castor dicitur, in Nissensi ditione. Boleslaus, Crosnæ, ad Oderæ & Poberæ confluentes, castra muniverat, certus, Henricum transitu prohibere. Isthic septem omnino dies absumpti parandis pontibus & navigijs, ad tentandam transmissionem. Id dum magno molimine agitur, missi à Rege exploratores retulerunt, se vadum, hactenus irrepertum, invenisse, per quod citra discrimen in hosticum evaderent. Henricus id compendij, velut è cœlo ostensum, Deo gratulatus, mittit sex legiones ad locum explorandum, & si res ferat, stationem in adversâ ripâ capiendam. Legiones sub diei crepusculum, flumen superârunt incolumes. Poloni cursores eas eminus conspicati, aucto in majus discrimine, Boleslao renuntiant, hostem totis castris imminere. Quod ille primùm est ratus incredibile, donec alij super alios nuntij, rem, ut nôrant, trepidi retulerunt. Ortâ hinc ingenti in ejus castris consternatione, signis ilico convulsis, conclamata vasa, relictâque non mediocri sarcinarum parte, facta longè latéque fuga, Boleslao tardiorum moras increpante: multi nihilominus in tentorijs & fugâ obtruncati: lecta à milite opima spolia.

MIRA POBERÆ FLUVII TRANSMISSIO.

BOLESLAI FUGA.

Henricus fluminis trajectu potitus, pulso hoste, reliquum exercitum duxit trans flumen, &, post solutas Deo grates, castra promovit ad Masetizense Monasterium, ubi triumphalem D. Mauritij & sociorum Thebæam legionem, cujus festum agebatur, solenni religione veneratus est. Monachi, relictâ statione, profugerant: ne tamen eorum opes, aut domicilium, à milite violarentur, Henricus edicto cavit tempestivè. Inde fugitivum hostem insecutus, duobus à Posnania passuum millibus, ex ductorum sententiâ, nonnihil quietis militi indulsit. Isthic dum sedet; frumentatores colligendæ annonæ intenti, cùm raris defensoribus fruges comportant, hostium insidijs oppressi, grave damnum acceperunt. Boleslaus nec ausus prodire in aciem, nec suam salutem mœnibus credere, pacis consilia bello præferebat. Id cùm per certos homines Henrico renuntiâsset, orâsséteque colloquendi facultatem, missi à Rege, Tagmo Magdeburgensis aliique è Palatinis, qui fide publicâ, honestis conditionibus, Posnaniæ bello finem imponerent. Fœdus percussum, Divis testibus & jurisjurandi religione, quod inquies Boleslai genius passus non est diuturnum. Henricus redux in Saxoniam, publicæ quietis turbatores, Brunonem Merseburgium, Borisenum & Nesemsclenum Slavos, aliósque grassatores jussit agi in furcam, & fractâ gulâ necari. Instauravit deinde arcem Arnesburgam, & in frequenti Episcoporum comitio vetuit, ne quis Christianus Gentilibus venderetur, néve injusta connubia tolerarentur, pœnâ contra delinquentes sacro magistratui relictâ.

FRUMENTATORES CÆSI.

XXIIX.

BOLESLAO PETENTI PAX DATA. ARNESBURGUM INSTAURATUM. AN. CHRIST. MVI.

Eam synodum, anno sequenti secuta est Francofordiensis, in quâ, poscente Henrico, posita sunt Babenbergensis Episcopatûs fundamenta. Est Babenberga civitas Franconiæ, ad amnem Radiantiam, ob trium collium, clementer assurgentium, prospectum & amœnitatem, inprimis jucunda, Henrico & Cunegundi Reginæ, in præcipuis delicijs. Hoc loco, cùm Henricus decrevisset, sedem Pontificiam erigere, idque Cunegundis, cui civitas dotis nomine erat transscripta, magnopere desideraret, id consilij, Antistitum authoritate fuit firmandum. Edidit Henricus in eo consessu memorabilis modestiæ documentum, de quo Ditmarus author est, illum flexis humi genibus, votum, quod conceperat, Episcopis proponere aggressum, non priùs surrexisse, quàm Willegisi Moguntini manibus erigeretur. Cùm notaret, Episcoporum suffragia, in diversa nutare, rursus in terram provolutus, faventem sententiam, more supplicis, oravit. Religioni mihi ducerem,

SYNODUS FRANCOFORDIENSIS. EPISCOPATUS BAMBERGENSIS INITIA. *Ditm. lib. 6. pag. 67. M.S. Chron. Bamberg.*

rem, ejus orationis argumentum, quam ad Patres habuit, & paucis refert idem author, præterire. *Iam diu Patres* (inquiebat) *cùm expers, immo exspes sim sobolis, mihi fuit animus, Christo, ex asse, dicare Babenbergensem civitatem, & complures possessiones, idque eâ mente, ut eam, sede pontificiâ sacrisque domicilijs redderem augustiorem. Vt dicam quod res est, non modò fortunas omnes, sed me etiam ipsum, tacitâ cogitatione, bonorum omnium largitori, cujus sum totus, constitui redonare. Tametsi mihi non desunt opes, quas (Deo sint laudes) conferam ad condendum Episcopatum, tamen est penes sacri ordinis Antistites, addere dignitatem & jura pontificatûs. Mihi pergratum fuisset, si Henrico Wirceburgensi, cujus maximè interest, huic celebri Præsulum sapientissimorum cœtui lubuisset adesse. Sed mihi tamen de vestra in Deum religione, & propensâ in me charitate polliceor, neque divinæ gloriæ amplificationi, neque meo voto fore fraudi, quòd ille, per legatum duntaxat, voluit huic honoratissimo concilio interesse. Ego enim, licèt absenti, ex vestro arbitrio faciam abundè satis, ut neque videar ejus jurisdictioni detraxisse, neque de alieno quicquam abstulisse. Turpe enim & Deo exosum est, liberalem esse ex aliorum fortunis. Mecum conspirat mea conjugis & fratris liberalitas, ut de amplitudine sacri patrimonij, quod nos unà Deo atque Ecclesiæ dicare decrevimus, nulla sit futura difficultas. Quare* (verba Ditmari sunt) *serenissimam vestrimet interpello pietatem, ne unius Episcopi absentia, qui per me voluit obtinere, quod mihi non licuit concedere, propositum voluntatis meæ queat impedire.*

Hæc ubi dixerat, Beringerus Wirceburgensis Episcopi Legatus, recitatis Ecclesiæ Wirceburgensis privilegijs, sui Principis mandato, Patres est obtestatus, ne Henrico, Episcopo absente, quicquam admitterent, quo tam sanctæ Ecclesiæ jura minuerentur. Willegisus, qui concilio præerat, Patres ire jussit in suffragia. Tagmo Magdeburgensis, vir sanctitatis & doctrinæ famâ spectabilis, secundum D. Henricum pronuntiavit, nihil eum videri facturum contra leges, si accedente Romani Pontificis voluntate, Herbipolensi Ecclesiæ tantum reponeret, quantum Babenbergensi esset de ejus facultatibus accessurum, eò præsertim, quòd ista pietas, ad divini cultûs amplificationem, & Romanæ sedis authoritatem spectaret. In ejus sententiam mox cæteri pontifices iverunt, tandémque Wirceburgensis, victus tanto præclarissimorum virorum consensu, desiit Henrico Regi refragari. Missi, anno sequente, Romam legati ad Joannem XIX. qui mox ex Regis voto rata habuit, quæ Francofurti erant constituta. Primus Babenbergensem sedem tenuit Eberhardus, Regis Cancellarius. Summi Pontificis tabulis subscripserunt triginta tres Episcopi. XXIX. PATRUM PRO D. HENRICO SUFFRAGIA. ASSENSUS SUMMI PONTIFICIS. *Vita S. Henric. pag. 86. apud Greis.*

Cæterùm, hoc anno, fames, & pestilitas tam atrox Galliam & Germaniam invasit, ut non animam modò, sed etiam sensum humanitatis mortalibus excuteret. Superi visi sunt, irâ inexpiabili bellum terris indixisse. Tam erant miserorum efferatæ mentes, ut, licèt funeribus Libitina non sufficeret, vivi tamen atque spirantes, eodem cum mortuis cespite, obruerentur. Eodem anno, Bruno D. Henrici germanus, datus est Antistes Augustanus, postquam Sigefridus vitâ functus, eam cathedram deseruerat. Gisela Henrici mater 12. cal. Sextil. hoc ipso anno, Ratisbonæ vivere desijt. Illi pientissimus filius regiè parentavit. Eundem sanctimonialium domicilio, Neoburgi ad Danubium, amplas possessiones donâsse comperio, quod ævi nostri Novatores profanârunt: sed Wolfgangus Wilhelmus, Dux Neoburgicus, dignus æternâ memoriâ, in longè pulchriorem formam redegit, templo ornatissimo, & nobili ædificio, in veteris cœnobij ruinis extructo, quod Anno M. DC. XIIX. Societatis JESU Patribus attribuit, Catholicæ religionis avitâ pietate in pristinam sedem revocatâ. *Sigebert. Chron. Augustan.* IMMANIS PESTILITAS. BRUNO D. HENRICI FRATER CREATUS EPISCOPUS AUGUSTANUS. GISELÆ REGINÆ MATRIS OBITUS. HENRICI LIBERALITAS IN CŒNOBIUM VIRGINUM NEOBURGI.

Quod, sine certo anni discrimine, Aventinus alijque in suos annales retulerunt de Babone Abenspergensi, visum est non incommodè hoc loco describere. Fuit ille, Abenspergæ & Rojæ Dynasta, & si credimus Aventino, qui fastos Weltenbergensium & Salisburgensium testes adducit, fuit filius Babonis Schirorum Principis, frater Othonis primi Schirensis, D. Cunegundis Augustæ procurator, & præfectus urbis Ratisbonensis. Ille ex justis nuptijs, quas cum duabus uxoribus BABO ABENSPERGENSIS.

iniverat, sobolem quadraginta liberorum tulerat, formaveratque ijs moribus atque disciplinis, ut filij, quos triginta duos fuisse ferunt, avitâ majorum gloriâ, & quâvis fortunâ non essent indigni. Parens, cui res domi, quàm pro tanto numero, angustior, erat in omnem occasionem intentus, quâ singulos, pro sanguinis & ingenij nobilitate elocaret. Nusquam meliorem, quàm in D. Henrici benignitate reperit. Ergo omnes cultos veste & armaturâ non ineleganti, cum suóque quemque stipatore stitit Henrico. Quidam ajunt factum in cœtu procerum, alij in venatione. Henricus, nunquam aliàs visam sexaginta quatuor armatorum catervam cum Babone, demiratus; *Vnde tibi* (inquit) *hodie tam insolens comitatus?* *Tibi* (reposuit Babo) *ô Rex, præsto sunt, & si quidem censes non indecores, tuis omnes nutibus mancipati. Me nacti sunt patrem & educatorem, & in eam quidem spem, ut neque tibi forent inutiles, neque à majorum virtute degeneres. Mea tenuitas arctior est, quàm ut campum satis patentem eorum fortitudini & industriæ queat aperire. Tuæ magnitudinis est, stadium, in quo pro tuâ gloriâ decurrant, ostendere. Sive sagum illis, sive togam imperes, habebis (ita me sperare jubet singulorum indoles) qui armis atque consilio tibi obsequantur. Quod ipsis adhuc deest animi & sapientiæ, id capient ex tuis imperijs & exemplo. Eos patere esse tuos, nec deinceps quicquam à me habere, præter nomen & sanguinem, & utrumque quidem tibi ex asse devotum.* Henricus boni senis candidâ oratione, & egregiâ nobilissimorum juvenum specie delectatus, singulos humanissimè complexus, jussit haberi tantisper inter domesticos, pollicitus, se locum virtutis exercendæ daturum, & meritis non impares fortunas. Quod abunde à Principe liberalissimo præstitum ijdem scribunt, qui permultos illustres viros, inter Francones, Vindelicos, Noricos, Carantanos, Bojos & Rhenenses, suum genus ad Babonem censent se posse referre. Feruntur Abenspergenses, quotannis, statis diebus, Babonis manibus honorificas dare inferias. Ejusce stirpis & dynastiæ ultimum, à Duce Christophoro, Alberti Sapientis fratre, in conflictu, haud procul Frisingâ, interemptum in loco referemus.

TRIGINTA DUOS FILIOS OFFERT HENRICO.

XXX.

Annal. Flandr. lib. 2.

BELLUM FLANDRICUM.

Hæc dum ab Henrico in Germaniâ gererentur, bellum Flandricum longè molestiores ipsi curas concitavit. Anno superiore, Otho Lotharingiæ Dux, Caroli à Capeto capti filius, absque liberis è vivis excesserat, relictis duabus sororibus. Earum adultior Irmingardis, Alberto Namurcensium Comiti; Gerberga junior, Lantberto fratri Raginerij, Comitis Montium Hanoniæ, nupserant. Ambæ suam stirpem à Caroli Magni sanguine repetebant, nec dubitabant, deficiente prole masculâ, debere sui in herciscundâ Lotharingiæ hæreditate potissimam haberi rationem. D. Henricus tamen, ratus vacuum Lotharingiæ principatum Germaniæ Regi esse apertum, Godofredum II. Arduennæ Comitem dedit Othoni successorem. Causam ejusce concessionis dicunt Annales, quòd Otho, ad orbitatis suæ solatium, abs Rege Germaniæ impetraverat facultatem, adoptandi Godofredum, materno sibi sanguine conjunctum. Divus porrò Henricus, quò minùs esset in ista successione dividiæ, Lantbertum Montium Comitem, in Gerbergæ uxoris gratiam, auxit amplo Lovanij Comitatu, quippe qui præter Lovanium, urbem principem, simul Bruxellas, Antuerpiam & Nivigellam complectebatur. Ea tamen Henrici beneficentia minimè fecit, quò minùs Franci renovarent veteres, de Lotharingiâ, controversias, ægrè ferentes, nobilissimum principatum, novâ rursus mutatione, in Comitis extranei manus alienari. Balduinus Flandriæ Comes, vir bello acer, Roberti Franciæ Regis partibus, ut qui maximè, addictus, sive studio finium proferendorum, sive Francis & Othonis sororibus gratum facturus, se qualiscunque causæ vindicem est professus. Ergo delectu totâ Flandriâ habito, Scaldim transgressus, patruo suo Godofredo bellum intulit. Primus illi impetus in Einhamam, Brachantum, loca ignobilia, quibus subactis, Valentianas, urbem in paucis florentem, aliásq; obscuriores juris Lotharingici occupat. D. Henricus, offensus clientis injuriâ, eum jussit, ad causam dicendam, adesse: verùm, ille súsque déque habens Regis jussa, palàm se pro hoste gerens, vadimonium neglexit. Ita bellum exarsit. Henricus læsam majestatem ultu-

Paul. Æmil. in Roberto.

GODOFREDUS ARDVENNÆ COMES.

BALDUINUS FLANDER.

ulturus, auxilia Godofredo properat, & arcem belli Valentianam, clausumque in ea Flandrum cingit obsidione, quam Roberti Regis, & Richardi Normanniæ Ducis adventu, solvere est coactus. Arma tamen vertit in Gandavenses, quibus Balduinus tulit suppetias, &, rejectâ semel iterum à mœnibus Germanorum incursione, spem Henrici frustratus, vim omnem in agros avertit, quos exacerbati repulsâ Germani, rapinis, cædibus, incendijs, colonorum & multorum boni sanguinis captivitate, miscuerunt nemine prohibente, quòd neque Gallis, neque Flandris eæ forent vires, ut simul tutandis oppidis, & tentandis aperto Marte hostibus sufficerent. Henricus agrestium calamitatem pertæsus, Aquas se recepit, non gravatè pacis, si quæ ejus spes affulgeret, conditiones daturus. Id cùm non obscurè præ se ferret, Balduinus, impetratâ ad commeandum fidei publicæ securitate, Aquas profectus, convenit, ut in vicem captivorum, quos abduxerat Henricus, Valentiana redderetur. Placuit apertum Flandri pectus & sinceritas, effecitque, ut in numerum amicorum ab Henrico reciperetur, qui non modò ei Valentianam & Valachrias, sed alias etiam Zelandiæ insulas, contradidit, eâ lege, ut se Germaniæ Regis beneficiarium profiteretur. Fide in Henricum Flander deinceps nemini concessit, utilémque præstitit operam, quoties usus fuit.

OBSIDIO VALENCENARUM SOLUTA. AN. CHRIST. M. VII.

PAX.

XXXI.

Subinde Henricus Basilicam Episcopalem Babenbergæ cœpit moliri opere regio, quam DEO, ad honorem Apostolorum Petri & Pauli, & D. Georgij dedicavit. Condidit eodem loci duo cœnobia, alterum D. Michaëlis Angelorum principis, alterum D. Stephani protomartyris. Traditur etiam, ornâsse Episcopi dignitatem insigni prærogativâ, quâ jussit Imperij proceres principi Babenbergensi, per suos vicarios, ea deferre obsequia, quæ Cæsaribus deberent. Quod privilegium posteri, D. Cunegundis filum sericum appellârunt, & habuerunt instar pigneratæ securitatis, & muri ahenei. Cùm totus esset in ordinandis & ditandis Divorum, & hominum DEO dicatorum domicilijs, nihil tamen intermittebat, quo proximorum saluti consuleret. Quo in genere utibilem pietatem Gunthero, viro inter Turingos nobilissimo impendit. Hic genus ducebat à D. Stephani, Pannoniæ Regis agnatione. Splendidam alebat familiam, magnis opibus, quæ virtuti nimium quantum sunt insidiosæ. In ijs egerat adolescentiam, justo solutiorem, cùm DEUS ei mentem injecit, ut revocatis ad examen vitæ præteritæ erroribus, præsentia pertæsus, futura melioribus legibus vellet moderari. D. Gothardus, Hersfeldensis idémque Altahensis in Boicâ Abbas, Gunthero in vario cogitationum æstu fluctuanti, auctor fuit, se ut in Altahensis cœnobij portum reciperet, pacatam, & à mortalibus curis remotam, stationem capturus. Paruit, & posito virtutum, inter Monachos, egregio tirocinio, tantos fecit progressus, ut ejus fama D. Stephano ejus visendi desiderium injecerit. Guntherus semel, iterum, ac tertiò vocatus, demum in Pannoniam profectus est. Rege salutato, ad commilitones reversus, bonâ præsidum veniâ, cum aliquot ejusdem instituti socijs, Rinchnacense monasterium condidit, rexítque per annos septem cum magnæ famâ sanctitatis. Cœnobij facultates auxerunt Cunegundis Augusta, aliique, prædijs, sylvis, & justo agri circumfusi modo. Cæterùm, ut sunt objectæ sub initia, multis scopulis, primæ, è mundi naufragio emergere volentium, jactationes, Guntherus, adhuc tiro, nescio quid humanum passus, nonnihil horrebat arduas virtutum aggressiones. Nutantem Gothardus firmavit quidem, sed quò redderet erectiorem, non dubitavit, Henricum in sua vota magnis precibus vocare, ut ipse quoque longè efficacissimus hortator, Guntherum in consilio susceptæ pietatis stabiliret. Rex istam operam non est dedignatus, sed tantâ facundiâ & divini spiritûs ardore eum accendit, ut vehementer puderet, se tanto Principe, & eo quidem negotioso, in virtutum studijs esse inferiorem. Quæ flamma illi in omnem vitam sic adhæsit, ut nunquam passa sit, quicquam de concepto ardore remittere.

HENRICUS BASILICAM BAMBERGENSEM ÆDIFICAT. FUNDAT DUO COENOBIA. FILUM SERICUM D. CUNEGUNDIS.

Author coævus apud Henr. Canis. antiq. lect.

GUNTHERI TURINGI CONVERSIO.

FIRMATA D. HENRICI HORTATU.

XXXII.

Sanctas porrò Henrici curas interpellaverunt quidem, sed nihil tamen minuerunt Jaromiri Bojæmi, & Slavorum legati, qui Paschalia Ratisbonæ celebranti nun-

NUNTII SINISTRI DE BOLESLAO POLONO.

nuntiârunt, Boleslaum Polonum, fœderis immemorem, res novas dènuo moliri, & Bojæmos atque Slavos, auro, ad defectionem & belli societatem solicitare: metum verò esse, ne, ut se dabant perfidiæ gliscentis initia, homo inquies, finitimorum ope, novas turbas excitaret. Quâ de re dictæ in senatu sententiæ, verbis, quàm rebus, commotiores. Causa quidem visa bello digna, sed quæ ducum cunctatione & oscitantiâ, pessimo publico, neglecta est.

MALO PUBLICO NEGLECTA. *Ditmar. Sigeb. M.S. Trevir.* BELLUM IN ADALBERONEM.

Henrico visa digna expeditio, quam non per vicarios, sed per se, pro juribus Ecclesiæ, susciperet, tametsi arma adversus Principem, affinitate proximè conjunctum, deberent converti. Is fuit Adalbero Reginæ Cunegundis frater. Belli materia, defensio pietatis, quæ propinquitate quâvis melior est, & castigatio ambitus, qui Adalberonem, juvenem immaturum incesserat. Ludolfo Trevirorum Archiepiscopo rebus humanis exempto, D. Henricus Megingaudum, virum nobilem, Ecclesiæ Moguntinæ Præpositum, Trevirensibus dedit Antistitem. Adalbero è stirpe Luxemburgicâ, Reginæ Sacellanus, idémque frater, qui apud Treviros fuerat supremus custos sacrarij, fretus domesticâ potentiâ & favore fratrum, inter quos Henricus, recens creatus Bojariæ Dux, Theodoricus Ecclesiæ Metensis invasor, Fridericus Comes Luxemburgi, Guelfo Ambronum Lycatiúmque superiorum Comes, aliorúmque complurium amicorum, neque ambigens de D. Henrici & Augustæ affectu, præcoci cupiditate pontificatum occupare maluit, quàm postulare. Accedebat factiosorum offensio, quòd Henricus dotem Cunegundis in sacros usus avertisset, quódque Theodorici Metensis factum improbaret. Adalbero ferens ægerrimè, Megingaudum, Henrici Regis commendatione, à Clero populóque Treverico pro Antistite esse susceptum, urbis palatium invadit munítque, & ne quà, se invito, trajectus secundo adversóve Mosellâ pateret, pontem amni, vetustissimo opere, impositum, novis quaquaversum propugnaculis occupat. Palatium verò non in adversâ Mosellæ ripâ, quod Brunnerus, ab alijs in errorem inductus, credidit, sed intra urbis aream, duobus circiter passuum millibus distans à flumine, visebatur ad solis occasum, Romanâ fabricâ ex bipedali latere, latis supra hodiernum morem parietibus, validisque munimentis, quorum unum in hemicycli modum, versus Aquilonem, assurgens, tametsi non ita pridem novâ formâ sit excultum, tamen adhuc spirat annosam priscorum sæculorum vetustatem: cætera partim diruta, partim conversa in Regiam perelegantem, à Lothario primùm, deinde à Philippo Christophoro, Archiepiscopis. Erat præterea ædificium vastæ basilicæ, vel hippodromi potiùs speciem referens, muris & fenestris præaltis, cujus parietinæ sub dio omnibus tempestatum injurijs tam diu illuserunt, donec pars labore operosissimo dejectæ, pars ædificijs ac tecto nobilitatæ, in eam, quæ hodie visitur, venustatem, surrexerunt. Palatiolum, quod in adversa Mosellæ ripâ, unius circiter leucæ itinere, infra Trevirum est; neque tam firmum fuit, neque urbi tam vicinum, ut belli sedem, aut ponti propugnacula posset præbere, vel tueri.

PALATIUM TREVIRENSE VETUS.

XXXIII.

Igitur Adalbero, urbanâ Regiâ potitus, bellum expectabat. Megingaudus, lectis haud magni momenti copiolis, imploratóque D. Henrici auxilio, ductoribus, quos conduxerat fortissimos, negotium dedit palatij oppugnandi. Verùm, cùm nihil admodum proficerent, Henricus ratus, injuriam ad se pertinere, cum justo exercitu Trevirorum fines ingressus, Megingaudum jubet sacro ritu, à Moguntino, Coloniensi & Leodiensi, Episcopis, inaugurari, & castris ad Palatium, quà parte vergit in Orientem, positis, Adalberonem obsideri. In urbis expugnatione, nihil erat laborandum, eò quòd murorum cinctu à Nortmannis nudata, usque ad annum M. C.XCV. patuit. Trahebatur obsidio, ad metum potiùs ostentandum, quàm ad vim inferendam, quòd Henricus Adalberonem emendatum mallet, quàm devictum. Nihilo tamen minùs per crebras eruptiones, non modò obsidentibus, sed agro quoque vicino pergebat esse infestus. Denique ausus est, armentum, quod copiosum ad castra ducebatur, Rege inspectante, pulsis defensoribus, abigere. Facto in castris concursu, cohortes aliquot abigeos insecutæ.

OBSIDETUR. CLADES CÆSARIANORUM.

cutæ.

cutæ, unà in palatium irruperunt. Jam videri poterant arce potitæ, cùm obſeſſi oppeſſulatis foribus, ſubitò convolant in tecta, mediæ areæ imminentia, tantámque telorum procellam in ſubjectos emittunt, ut, cùm pars ſaxis obruerentur, pars miſſilibus confixi, ſalutem deſperarent, factâ in veſtigio deditione, manus dederint. Ea clades Henrico vehementer doluit. Ergo jubet, totis caſtris expugnationem urgeri, & dejectis circùm ædificijs, ex tignis cæteráque materiâ parari machinas & caſtella, ad muros arietandos. Sed neque hæc diligentia proceſſit adverſus obſtinatos, qui facibus injectis, totum iſtum apparatum redegerunt in cineres. Succeſſit fames, quæ injecit obſeſſis paciſcendi neceſſitatem. Omnibus facta vitæ venia, & poteſtas, quò vellent, emigrandi. Ditmarus ſcribit, Henricum Bojariæ Ducem, qui clàm cum Adalberone fratre conſpirabat, eam conditionem ab Henrico impetrâſſe. Tenuit obſidio ſedecim hebdomades. Pulſo, è ponte, Adalberonis præſidio, ad Calendas Septembris, D. Henricus in Lotharingiam abijt. Megingaudus metu Adalberonis, qui nondum arma poſuerat, ſe recepit ad Rheni & Moſellæ Confluentes, ubi Pontificio munere per octennium, & quod ſuperavit, cum laude perfunctus, belli expers vitam finijt.

Palatium deditur.

Rex porrò, compertâ Henrici Ducis, cum fratre, colluſione, in eum exauctoratione & proſcriptione animadvertit, anno ſæculi octavo. Sed & alia cauſa interceſſit. Cùm ad Trevirenſe bellum cum Rege abiret, Boicæ Optimates juramento adegerat, non paſſuros ſe quemquam, quicunque demum caſus incideret, in proximum triennium Boicæ principatum adire: nam malè ſibi conſcius, imminentem abdicationem metuebat. Eam ob rem cùm Henricus datam exauctorato fidem juberet ejurare, in comitijs Ratiſbonenſibus, conjurati, objectâ jurisjurandi religione, ſunt tergiverſati, donec acriter increpiti, demum Regi morem geſſerunt. At Dux proſcriptus, neglectâ exilij lege, novas turbas cœpit moliri, rediturus, Regis etiam ingratijs, in Boicam, niſi undique ſic fuiſſet proviſum, ut, quacunque reditum parabat, omnis illi aditus eſſet intercluſus. Proinde refugit ad Theodoricum, Metenſem Epiſcopum, qui adverſus Theodorici, Moſellanorum Ducis filium, bellum de Epiſcopatu gerebat. Quæ res D. Henricum in Lotharingiam rurſus excivit. Cùm Mediomatricum urbem coronâ cinxiſſet, agris paſſim vaſtatis, & interverſo commeatu, Theodoricum, Epiſcopatûs invaſorem, adegit ad pacem ineundam, quæ tamen non fuit diuturna. Tanta fuit in urbe fames, ut permulti, non modò ingenui, ſed etiam ſervi diffugerint. E D. Stephani mancipijs nongenti ſunt dilapſi: compluribus alijs, ne inediâ perirent, facta eſt à dominis, ad ſtipem corrogandam, abeundi poteſtas. Ad inſignem Henrici virtutem ſpectat, quod ſcribit Ditmarus, quem potiſſimum Ducem in iſtius ævi ſilentio & obſcuritate ſequimur. Slavi, quos Henricus conduxerat, quo tempore Mediomatrices obſidebantur, baſilicam ſuburbanam religioſi domicilij fœdè vaſtârunt. Quod facinus Rex tulit indigniſſimè, & non contentus edicto cavere, ne quid ſimile deinceps à quoquam auderetur, ſuo ære fundisque ad damni compenſationem attributis, ſceleris alieni pœnas à ſe exegit.

An. Christ. MVIII.

Henrici Boicæ Ducis proſcriptio.

An. Christ. MIX.

Bellum Metenſe.

XXXIV.

Brevis Pax.

Ditmar. lib. 6.

Compenſatum ſuburbanæ baſilicæ damnum.

Vix à Mediomatricis abiverat, cùm Adalbero fratréſque conjurati, in novos motus eruperunt. De ijs quæſtiones habitæ Confluentiæ in procerum conventu, decretúmque, ut Reipublicæ hoſtes renunciarentur. Id cùm reos nonnihil terruiſſet, nondum latâ ſententiâ, legatos de pace miſerunt ad Regem, quibus reſpondit, nihil in præſens poſſe mutari; quòd ſi tamen haberent rationes ſeſe defendendi, id fore ipſis integrum in Synodo Moguntinâ, quam paulò antè indixerat. Adfuerunt quidem conventui, ſed cùm nihil attuliſſent, præter iniqua poſtulata, pactæ tantùm ſunt induciæ. Haimo Virdunenſis Epiſcopus, vir inſignis ſanctitatis, gente Bavarus, genere nobilis, & Theodoricus Dux Moſellanorum, arbitrati, ante finem induciarum nihil hoſtilitatis eſſe à factioſis timendum, ſoluto conventu, unà ſe in iter dederunt. Henricus Boicâ proſcriptus, & Theodoricus Metenſis Antiſtes, cognito eorum diſceſſu, ſubmiſerunt percuſſores, qui ex inſidijs abeuntes

An. Christ. MX.

Fratres coniurati bellum inſtaurant.

Cædes Theodorici Ducis Moſellanorum.

euntes adorirentur. Pugnâ ex improviso coortâ, Dux Mosellanus graviter sauciatus, abductus est in vinculis: comitatus pene totus unà cum Haimone, internecione deletus.

Ditm. lib. 6. Hæc dum à refractarijs agerentur, Guncelinus Misniæ Marchio, & Hermannus Rochlicius Comes, Patruus, in nepotem certabant odijs inexpiabilibus. Guncelinus à Strelæ mœnibus repulsus, Rochliziam urbem flammis subjecit, adjecitque damna ingentia. Hermannus nepos, vicissim in patrui ditiones ferro & igne sæviebat. Arcem ad Salam expugnavit & funditus evertit. In eâ potitus est ingentibus opibus, quas patruus illuc comportaverat. Iræ in majus indies sic crescebant, ut non viderentur, nisi cum alterius exitio, finem accepturæ. D. Henricus, Merseburgi, pacis arbiter digladiantibus intercessit. Guncelino, qui prior pacem turbaverat, multorum præterea scelerum comperto, ex procerum sententiâ, injecit vincula, detraxitque principatum: Hermannum verò paternis opibus, de quibus erat contentio, restituit.

COGNATORUM MUTUA SÆVITIES COERCITA.

Cognatas dimicationes, Polonici motus exceperunt his initijs. Henricus Reginæ precibus & Tagmonis Magdeburgensis, quâ multum pollebat, authoritate, Misniam, Guncelino ablatam, Hermanno Comiti donaverat. Bruno Guncelini frater, Misniam præsidio tenebat. Cùm se à Rege neglectum, & fratre abdicato, ab hæreditate paternâ, citra culpam, exclusum, ægerrimè sentiret, inijt cum Boleslao Polono fœdus, atque in fidei pignus addixit, se ei Misniam traditurum. Ad diei dictæ crepusculum, quo facienda erat traditio, ad portas adfuit ingens Polonorum caterva: postridie Hermannus, ad capiendam regij beneficij possessionem, eodem erat venturus. Actum erat de civitate, nisi fida statio vigilum, Polonis obstitisset, qui re infectâ trans Albim, unde venerant, regressi, evasêre quidem incolumes & citra maleficium, sed Regem excitârunt, ut Boleslaum suspectans, adversus ipsum, æstivis hujus anni mensibus, bellum compararet, inferretque sub initium veris insequentis.

MOTUS POLONICI.

MISNA PERICLITATA.

AN. CHRIST. MXI.

XXXV. Jaromirus Bojæmus Henrico adduxit copias non contemnendas, ad montem Belegorum, qui locus erat armorum lustrationi constitutus. Castris inde ad Jarinam locatis, Rex cœpit adversâ valetudine tentari. Quamobrem, ne ægritudo laboribus & castrorum incommodis invalesceret, procerum suasu, vicarium belli imperium demandavit Jaromiro Duci, Meinwerco Padebornensi Episcopo, Arnulfo, Geroni & Hermanno, Principibus consilio bellóque apprimè bonis. Rex, unà cum Tagmone itidem ægrotante, aliisque, quos morbus invaserat, in Saxoniam revectus est: exercitus promotus in Gloggoviæ conspectum, ubi Boleslaus bellum cunctando ducere constituerat. Ductoribus, quos pugnatorum numerus animabat, pugnam suadentibus, Jaromirus respondit, multitudine quidem hostem superamus, sed virtute sumus inferiores. Esto, det fortuna nobis victoriam, tamen res ideo non erit confecta; neque enim magno Regi erit difficile, ilicò novas copias sufficere: si Marte utamur improspero, Sarmatia, quàm latè patet, periclitabitur. Ita cùm machinæ reliquúmque, ad Gloggoviæ expugnationem, instrumentum, deessent Germanis, & crebra nimborum effusio multùm officeret, contenti agrorum direptione, ad Albim rediverunt incolumes, Bojæmis domum remissis. Henricus inter hæc, recuperatâ valetudine, lustratisque provincijs occidentalibus, per autumnum & brumæ initia, Poledam se recepit, exactóque die Christi natali, ineunte anno duodecimo, redux Merseburgum, quinquennales inducias Boleslao concessit, ne tanto quidem tempore duraturas. Mense Februario, misit, qui Lebusiam, olim à Julio Cæsare conditam, & ab usque Henrici I. temporibus, incolis vacuam, instaurarent. Illi sic opus maturârunt, ut intra decimumquartum diem, mœnibus clausa, cives, minore licèt, quàm antè, numero receperit: eam proinde, hoc ipso anno, vigesimâ Augusti, Boleslaus incendit.

DIREPTIO AGRI AD GLOGGOVIAM.

INDUCIÆ CUM BOLESLAO.

AN. CHRIST. MXII.

Luibusua Ditmaro.

LIBUSIA INSTAURATA. INCENSA.

Subinde dies Henrico, multis optata votis, illuxit, quâ omnibus absolutam numeris Babenbergensem Basilicam pridie Non. Maij, magno apparatu, curavit dedi-

DEDICATIO BASILICÆ BAMBERGENSIS.

dedicandum. Adfuerunt, ita scribit Marianus, celebritati sex & quadraginta Pontifices. Initiatorem egit Joannes Aquileiensis Patriarcha. Ditmarus, qui cæremonijs interfuit, notavit, eundem diem fuisse Henrico natalem, cùm annos triginta quinque exegisset. Eâdem occasione, templum D. Benedicto sacrum, in monte (ut vocant) Monachorum, est consecratum: cœnobio præfectus fuit Radbodus, vir religiosissimus, cui adolescentes, genere & ingenio nobiles, traditi litteris & pietate imbuendi, ex quibus deligerentur Præsules celebriorum Ecclesiarum. Schola fuit instituta ad imitationem illius, quæ in Bergensi Monasterio, prope Magdeburgum, eâ tempestate, cultioribus disciplinis & præclarâ morum institutione florebat. ET TEMPLI D. BENEDICTI. SCHOLA BAMBERGENSIS.

Episcopi, absolutis cæremonijs, causâ Theodorici Metensis Episcopi discussâ, eum jusserunt à canendâ Missâ abstinere, donec objecta crimina diluisset. Ad veteres offensas accesserat, quòd scriptâ ad Romanum Pontificem Epistolâ, D. Henricum iniquis criminationibus traduxisset: quâ de re graves à Patribus dictæ sunt sententiæ: sed Henricus & hanc ei culpam aliásque complures condonavit. In eodem conventu, Hartwigus Salisburgensis, memor præteritarum simultatum, Gebhardum Ratisbonensem Antistitem reum egit: causam silet Ditmarus, sed credibile non est, eam non fuisse tanti momenti, ut severiorem censuram mereretur. Certè lis, quæ utrumque hactenus exercuerat, neutro reclamante fuit sopita. *Fabric. pag. 274. §. 2.*

XXXVI.

Tagmo Magdeburgensis Antistes, hoc anno in itinere, quo se ad Henricum ægrotantem conferebat, 5. Id. Junij ad cœlum demigravit, insigni sanctitatis famâ, suique desiderio apud pios relicto. Vitæ integritas, quâ se per omnem vitam reddidit admirandum, promerita est, ut ejus nomen in Divorum Album referretur. Henricus viri amicissimi mortem doluit. Eâ compertâ, Magdeburgensi Præposito aliisque, qui ejus sententiam de subrogando Antistite rogaverant, respondit, sibi fore gratum, si suffragatorum consensum priùs ad se referrent, quàm irent in vota, ad absolvendam successoris electionem. Elegerunt nihilominus Waltherdum, eo consilio, ne Ecclesiæ libertati deessent. Electionem Henricus probavit, &, optimis quibusque faventibus, electo annulum unà cum pedo porrexit: susceptâ dein juramenti fide (quæ tum moris erant) jussit in concreditæ Ecclesiæ possessionem induci, quâ per octo non ampliùs hebdomades & duos dies, neque enim ultrà provixit, est potitus. Cæterùm, Tagmonem laudat Ditmarus, ab insigni in omnes charitate, & beneficentiâ in egentes atque bene meritos. Nemo illo castior, nemo in semet severior, in alios nemo benignior. Nullus ipsi effluebat dies, quo, si per leges Ecclesiæ & valetudinem liceret, sacram hostiam DEO non immolaret. Facturus ad aram, totus cum DEO conjunctus, vix ullius alloquium admittebat: Sacris peractis, hilari vultu se comem reddebat omnibus. Cùm, fessâ jam ætate, consuetum jejunij rigorem remittere cogeretur, eam moderationem sacris largitionibus compensabat, cibi tamen & potûs adeò modicus, ut vix sumeret, quantum satis erat corpori, prioris vitæ inediâ extenuato. Mirâ fuit in homines sanguine illustres humanitate, in obscuriores tantâ charitate, ut nullius tenuitatem contemneret. Eos favore præcipuo fovebat, quos noverat DEI filio addictos, ad cujus amorem, cæteros quoque, quacunque poterat ope, conabatur allicere. Præfuit Ecclesiæ Magdeburgensi annos octo, menses quatuor, dies septem. Eum meritò referunt Annales, inter Boicæ viros illustres, quippe qui in eâ educatus, jecit fundamenta sanctitatis. D. TAGMONIS EXCESSUS. *Ditm. lib. 6.* TAGMONIS VIRTUTES. *Sur. 10. Apr.*

Hoc etiam anno D. Macarius Armenus, Patriarcha Antiochenus, Gandavi è vivis excessit. Eum scriptores aliqui adnumerant Boicæ luminibus, ob unius anni, quem apud Adalbertum, virum inter Bojos illustrem, voluntarius exul egit, affectatâ ad tegendam sanctitatem nominis obscuritate, quæ tamen prodigijs inclaruit & exemplo maximarum virtutum. Avam Adalberti conjugem, cum morte tantùm non luctantem, tribus aquæ guttis, quas precibus & contactu cru- D. MACARIUS PATRIARCHA ANTIOCHENUS.

HOSPES ANNUUS IN BOICA, MIRACULA PATRAT.

cis, quâ scipionis vicem utebatur, expiaverat, in os instillaris, repentè ab ultimâ lineâ ad integras vires revocavit. Duobus Adalberti vernaculis, qui sancto mappulam furto sublegerant, depulsâ, quâ plectebantur divinitus, ægritudine, salutem reddidit. Flandriam dirissimâ pestilitate liberavit, cùm se geminúmque socium ad expiandam luem, ingenti multitudini, quæ indiés extinguebatur, succedaneas victimas DEO obtulisset. Ab ejus morte gemini circuli in aëre visi, quorum alter crucis, quam solitus erat gestare, effigiem referebat, ut ostenderet, quam in felicitatem illum crucis amor evexisset.

Ditm. lib. 6. Cuspin. in Austr.

XXXVII.

B. COLOMANNUS EXCRUCIATUS, OCCISUS. AQUARUM INGENS INUNDATIO. PARTUS MONSTROSUS. RAPTOR OPUM SACRARUM A MURIBUS IUGULATUS. LEBUSIA VASTATA.

Huic meritò accensendus, haud longè absimilis exul, B. Colomannus, è clarissimo Hiberniæ Regum sanguine, qui deposito cultu regio, ignotus per Boicam ad sacra Palæstinæ loca proficiscens, pro exploratore captus, Stokeraviæ quæstionibus subjectus, cùm inter immanes fidicularum cruciatus se duntaxat professus esset exulem, qui præter Christum nihil amaret, aut quæreret, actus in arborem infelicem, & jam olim aridam, subitò eam frondentem florentémque reddidit. Cùm alijs quoque portentis cœlum ejus innocentiam defendisset, Mellicensi cœnobio illatus, pro Sancto est habitus. Numen interfectoribus iratum, barbaram sævitiem plexit, insolitâ ab omni retrò memoriâ, aquarum eluvione. Danubius longè extra alveum effusus, ingentes hominum pecorúmque strages dedit. Villæ à fundamentis erutæ, agri longè latéque superfusi, arbores evulsæ radicitus abreptǽque, Albis quoque & Rhenus ripas egressi, in vicina grassati sunt. Gemelli uno partu effusi ore dentato, alatis brachijs, tertio ab ortu die, corridentes vivere desierunt. Nobilis quidam rapinis D. Clementis possessionibus iniquus, à muribus, quos nulla vis potuit reprimere, corrosus, jugulatus.

Hic ipse annus tot insignitus prodigijs, Lebusiæ (quod antè monui) fuit inauspicatus. Boleslaus Henrici Regis absentiâ abusus, urbem, alioqui vastam, & à mille, non amplius, armatis insessam, obsedit eâ tempestate, cùm Albis præter morem exundans, nullas suppetias patiebatur duci ad obsessos. Oppidani, vix tentatâ defensione, hosti portas aperuerunt, qui nihilominus sævijt in dedititios, quorum pars obtruncata, pars capta, & Boleslai jussu conjecta in carceres, pars debilitata vulneribus. Super hæc urbe direptâ, subjectæ tectis tædæ. Sera fuerunt auxilia, quæ Regina Cunegundis delectu subitario, & Rege domum revocato, properavit. Sed & Jaromiro, qui hactenus Henrici amicitiâ fuerat felix atque fortunatus, hoc anno omnia in peius lapsa sunt: tam nulla rebus humanis fides, aut constantia. Henrico à Polonicâ expeditione redeunti, mœstus squaléńsque occurrit, supplicis habitu. Miserum ad eam sortem redegerant, avaritia, crudelitas, & impotentia dominatûs. Etenim constabat, magnum Bojariorum numerum, qui Regis injussu, non sine suspicione perfidiæ, Jaromiro insalutato, per Bojæmiam ad Boleslaum tendebant, cum sarcinis & vitâ spoliâsse. Accedebant Bojæmorum expostulationes, quòd in subjectos immaniter sævijsset. Et eo quidem obtentu, ab Udalrico fratre, Rege inscio, per vim fuerat principatu ejectus. Sperabat, Henricum, præteritorum obsequiorum memoriâ, recentia crimina oblitteraturum, & Udalrico ejecto, redditurum pristinæ dignitati, verùm tametsi multa ad elevandas accusationes adferret, adeò tamen nihil obtinuit, ut fecerit jacturam libertatis, conjectus in vincula, jussúsque ab Adelbodo Trajectensi Episcopo haberi in custodiâ. Udalricus Merseburgum ad dicendam caussam citatus, Henrico sic satisfecit, ut, magnificè habitus, Bojæmiæ principatum, quamvis iniquè partum, permissus fuerit retinere, unde nati sermones, Henrici facilitatem, fratrum odia & fortunæ iniquitatem accusantium.

JAROMIRI CRIMINA.

MITTITUR IN VINCULA.

AN. CHRIST. M. XIII.

BOLESLAI NOVA PERFIDIA.

XXXIIX.

Boleslaus Polonus sui semper similis, perfidiâ nondum positâ, bellum in Russos meditabatur, ut Henrico fucum faceret, impediretque, ne, dum peregre bellum faceret, res domi turbarentur. Misceonem ergo filium, cùm honestâ legatione Merseburgum misit, pacem oraturum. Legati clementer auditi, & cum bonâ spe ad Boleslaum remissi, cum mandatis, juberent cum fide publicâ acceptisque à Rege obsidibus, primo quoque tempore cum filio adesse. Adfuit, & cum filio

filio dixit sacramentum; fuitque receptus in Regis tutelam. Henrico ad divinum officium prodeunti, pater armigeri habitu prævivit, &, quasi rem citra fraudem egisset, demum remissus est.

Verùm subinde inter Benedictum VIII. Romanum Pontificem, & Gregorium Romanæ sedis injustum incubatorem, incidit divortium, ex quo Boleslaus detegendæ fraudis occasionem arripuit, & apertè ab Henrico deficiendi. Gregorius, ut malæ causæ bonum patronum conciliaret, ad Henricum, Poledæ sacris Christi natalitijs operantem, confugiens, præter expectationem, cruce, Pontificiæ dignitatis insigni, penes Henricum relictâ, jussus est paratu papali abstinere, donec controversia, Ecclesiæ Romanæ judicio, finiretur, & Henricus veniret in urbem. Indictâ, pro more, Germanicis proceribus profectione, jussus simul est Boleslaus, Regem honoris causâ comitari, officium detrectavit, manifesto indicio spretæ majestatis. Verùm & apertius odium prodidit fœdus, quod pepigit cum Ardoino, vetere Regis inimico, cui accessit iniquissima calumnia, quâ Henricum, apud Benedictum, reum egit, causatus, se ejus appetitum insidijs prohiberi, quò minùs aurum vectigale, quod D. Petro Poloni debebant, repræsentaret. Calumniam, notissima D. Henrici in sedem Apostolicam pietas ac reverentia, sine patrono confutavit, absolvitque innocentem. Ne quid per Regis absentiam detrimenti Respublica caperet, Comitijs Grondensibus abundè prospectum, simul disciplinæ religiosæ severitas, nonnihil in Fuldensi Cœnobio labefacta, instaurata est mutato magistratu. Tum adulto Septembri, comitante Cunegunde, movens è Saxoniâ, per Sueviam & Bojariam, alpes est transgressus. Ditmarus pacatè scribit Italiam inivisse: Sigonius contrà, ait Ardoinum in Veronæ confinio armatum occurrisse, pugnâsse multos dies, & demum, amisso exercitu, ægrè Papiam, inde Eporædiam evasisse. Hugonem præterea Atestinum, cum Azone & Opizone filijs, à Germanis prælio fuisse superatum. Boleslaus certè omnem movebat lapidem, quo redderet Henrico infestam profectionem, sed conatu irrito. Nam si veriora audiamus, ipse adeò Ardoinus, ubi de ejus adventu cognovit, rebus suis metuens, primùm se recepit in arcem munitissimam, deinde misit oratores, qui suo & filiorum nomine Italicæ coronæ deditionem pollicerentur, si modò liceret, in angusto, quem tenebat, Comitatu, posito Regis titulo, inposterum tenuem fortunam, extra metum turbásque sustentare. Quæ conditio in commune discussa, cùm Senatui non placuisset, nec ipsi Henrico fuit probata, consilio inauspicato, uti postea eventus docuit. Sæpe nocuit intempestiva severitas, minùs obest indulgentia, quando tempori serviendum est, quod magnis Principibus semper fuit usitatũ.

Schisma Romanum.

Ditm. lib. pag. 84.

Calumnia Boleslai et foedus cum Ardoino.

Clades Ardoini.

Pax Ardoino male negata.

XXXIX.

An. Christ. M. XIV.

Cæterùm, Henricus lustratâ Insubriâ, legatos Ravennâ misit ad Benedictum Pontificem, qui de suo ad ipsum adventu, ad capienda ex ejus voluntate insignia Augustalia, facerent certiorem. Actis deinde Papiæ, quam sine vi occupaverat, Christi natalitijs, ad vigesimum quartum Februarij, solenni pompâ Romam est ingressus. Pontificem venienti occurrisse, Glaber, istius ævi scriptor, meminit. Honorificentissimè à populo Romano exceptus, ubi dies inaugurationi dicta illuxit, unà cum Reginâ, à duodecim urbis Senatoribus, ad Principis Apostolorum basilicam deductus, à Benedicto, qui ante limen præstolabatur, compellatus, addixit, se Romanæ Ecclesiæ fidum fore patronum atque defensorem, & Summis Pontificibus, quoad vita superesset, omni, quo par esset, officio & ope adfuturum. Secuta dein Regis ac Reginæ inauguratio. Fuit inter insignia globus aureus, cui, Benedicti invento, crux in vertice, gemmis exquisitissimis ornata, accesserat. Id insigne, cùm in maximâ populi frequentiâ hilariter acciperet; *Hoc,* inquit, *sanctissime Pater, cæteris ornamentis addidisti sapienter, nos ut doceres, quemadmodum regnare oporteat. Orbem videlicet nostræ solicitudini committis, ut, quem bella, ferri rigor, mores hominum ferrei, & infelix sæculi nostri conditio facit ferreum, nos pro viribus aureum efficiamus. Crucem imposuisti, ut meminerimus, nobis in gravissimo isto munere gestandam esse crucem Salvatoris: circumfusæ gemmæ (sic interpretamur) à nobis exigunt regiarum virtutum absolutionem. An manus nostræ tantæ moli*

Henricus Romam ingressus.

Glaber lib. 2. in fin.

Regis et Reginæ augustalis inauguratio.

pares sint, ille solus novit, cui notæ sunt vires nostræ imbecillæ: nos certè prorsus impares esse sentimus, nisi ipse, qui regit omnia, ad suos nos nutus componat, gubernet & moderetur. Et ne Pontifex ambigeret, eum ita de se sentire, hanc ipsam pilam DEO, Regi Regum, transcripsit, jussitque, ad Odilonem, Monachorum Cluniacensium clarissimum eâ tempestate moderatorem, deferri, ut eâ ad divini nominis honorem, pro suo arbitrio uteretur. Et ille quidem sapienter usus est; quando eam, urgente fame, conflatam sublevandæ pauperum inopiæ impendit. Imperator exinde, vetera Ecclesiæ Romanæ privilegia à Pipino, Carolo Magno, Ludovico Pio, & Othonibus concessa, pro sua in DEUM religione, in Principem Apostolorum pietate, & in sedem Romanam reverentiâ, omnia singillatim recensita confirmavit. Liberam Pontificis eligendi potestatem Clero populóque Romano reliquit, ipsámque Ecclesiam auxit præstantissimis muneribus, inter quæ, coronam regiam, quam olim acceperat, quando Rex Germaniæ fuerat salutatus, supra D. Petri aram jussit suspendi, ut testaretur, se DEO honores in acceptis referre & reddere. Fuit quoque in minores Italiæ Ecclesias indulgens atque munificus, ut, cujus animus omni major imperio, totus in DEUM ferebatur. Cùm omnia ex voto successissent, octavo ab inauguratione die, subitò inter Romanos & Germanos ortus est tumultus. Germani tres, Hugo, Hezilo & Ezelinus, quâ causâ, incertum, in ponte Tiberino ejus authores fuerunt. Multi utrinque sauciati, multi trucidati; & fuisset clades atrocior, nisi nox certamen diremisset. Authoribus injecta sunt vincula, quibus onusti in Germaniam ducerentur. Arnulfus Henrici frater, authoritate Romani Pontificis, redditus est Ecclesiæ Ravennati, ejecto Etherberto, qui eam perperam invaserat. Et hic quidem ad infimum ordinem erat redigendus, nisi magni deprecatores impetrâssent, ut ei liceret præesse Aricinis.

Globus Aureus ab Henrico missus ad Odilonem.

Confirmatio privilegiorum Rom. Ecclesiæ.

Tumultus Romanus.

An. Christ. M.XV.

Berno Augien. lib. de reb. ad Missam spectantib.

Mos recitandi Symbolum Constantinopolitanum in Ecclesia Romana.

Inter alia, quæ Henricus Romæ gessit, illud, ex Bernone Abbate Augiensi, refert ad hunc annum Baronius. Imperator Romanos presbyteros est percontatus, quid esset causæ, cur, post Evangelium, more aliarum Ecclesiarum, Symbolum fidei Romæ non recitaretur? A quibus responsum, ideò non fieri, quòd Ecclesia Romana, quæ à fide nunquam defecisset, minùs, quàm aliæ, indigeret sacræ istius formulæ repetitione. Imperator tamen à Benedicto impetravit, ut, qui mos esset alibi, Romæ quoque reciperetur, probaretúrque urbis consensione. Tandem Henricus Româ digressus, Ticini Pascha celebravit, & immemor nuperæ injuriæ, mirâ comitate & amoris significatione (quo ad demerendos animos nihil est efficacius) sibi civitatem universam devinxit. Impressit varijs locis religiosæ pietatis vestigia. Bobij, ubi Columbani & Attalæ, sanctissimorum Abbatum corpora servantur, Pontificatum fundavit, summâ ejusce provinciæ Episcoporum voluntate. Longiores in Italia moras abrupit æstus cœli Italici, vulgataque in Germanos lues. Vix alpes transcenderat, cùm Ardoinus, velut emissus è caveâ, resumptis armis regiisque titulis, egressus Eporædiâ, Vercellas invasit. Leo, ejusce civitatis Antistes, ægrè tyranni manus, per medium tumultum, effugit. Obsessâ mox Novariâ, ager circùm fœdissimè vastatus, excisæ vites, arboribus cortices cum vitâ detracti, tantáque passim illata damna, ut Henricus ea, prolatis Ecclesiasticæ ditionis juribus, aliqua saltem ex parte, putaverit esse lenienda. Petrus Novariensis Antistes, elapsus in montes glacie, nivibúsque coopertos, tamdiu à tergo habuit insectantes Ardoini emissarios, donec lassitudine superati, spem ejus capiendi abjecerunt. Comenses etiam ferociter oppugnati, & tandem quoque Mediolanum hostiliter appetitum. Ut Arnulfo Archiepiscopo ægrè fieret, posteaquam Astensis Episcopus fato concesserat, Ardoinus, Manfredi Astensis Marchionis fratrem vi intrusum, Romam misit consecrandum, cùm tamen ejus consecratio ad Mediolanensis Ecclesiæ jura pertineret. Quem authoritatis suæ contemptum, Arnulfus haud ferendum ratus, Astam coronâ cingit, adigitque Episcopum unà cum Marchione fratre, ad delicti sui veniam, reorum habitu, exorandam. Ardoinus motus istâ rerum inclinatione, ut tempestivè se indignanti fortunæ

XL.

Episcopatus Bobiensis fundatio.

Ardoinus arma resumit.

tunæ subduceret, serò quidem, sed sapuit tamen, quando sponte regni spolijs exutus, Monachum induit in Monasterio Fructeriæ agri Taurinensis. Arnulfus ejus partiarios persecutus, Hugonem & Berengarium Comites, qui agrum Mediolanensem latrocinijs vexaverant, prælio fractos redegit ad incitas, eorum possessionibus Ecclesiæ Mediolanensi, D. Henrici voluntate, contributis. Cremonenses, qui in eâdem erant factione, obsedit, & tribus potitus portis, eò desperationis adegit, ut jurejurando sint polliciti, se deinceps in fide & potestate Mediolanensium futuros. ARDOINUS MONACHUM INDUIT.

Reversum in Germaniam Imperatorem, omnes ordines ingenti lætitiâ exceperunt. Ut oculis delitias facerent, omnis generis ludos adornârunt. Unicum referam, quod facit ad laudem Cæsareæ modestiæ. Ad regiæ vestibulum locârant histriones, qui feras & bestiarios ad spectaculum exhiberent. Illi unum è suo grege nudum melle obleverant, quem ursis objicerent, doctis, illæsâ cute, hujusmodi ludionem lingere. Fingebat tamen histrio pavorem, quasi refugeret bestiarum sævitiem. Poppo Stabulensis Abbas, vir sanctus, rem agi seriò arbitratus, esséque periculum, ne quid adversus humanitatis jura peccaretur, Henricum, cui ob singularem animi candorem, inprimis charus erat, monere ausus est, parùm Christianè fieri, quòd homo feris lacerandus propinaretur. Abstineret proinde Augustus tam immani spectaculo, nisi cœlites iratos vellet experiri. Monenti morem ilicò gessit pius Imperator, ignoscens viri, alioquin optimi, simplicitati, jussitque ludiones è suo conspectu facessere. Cùm à belli curis tantisper respiraret, animum retulit ad divini honoris amplificationem. HENRICUS LUDIONES IUBET FACESSERE. XLI.

Valonem, Abbatem Corbeiensem, loco movit, & virorum, quos integriores noverat, coloniam, ex eo sanctitatis domicilio, secum Paderbornam deduxit, ubi ponerent religiosa novi Cœnobij fundamenta. Eodem pietatis spectat ædes apprimè nobilis, quam hoc anno Merseburgi cœpit moliri, magnísque subinde locupletavit possessionibus. Sed his alijsque, quæ in eo genere præstitit, longè admirabilius, quòd in tantâ fortunâ, pacatis atque florentibus rebus imperij, non contentus profusâ opum, in pios usus, liberalitate; se quoque ipsum, abdicatâ curâ rerum mortalium, statuerat ex asse DEO consecrare; quod effectum dedisset, nisi eum Richardus Virdunensis, D. Vitoni Cœnobiarcha, latebras in ejus Monasterio per litteras rogantem, ab eo consilio revocâsset, admonitum, ut Spartam, quam illi DEUS commiserat, pergeret ornare, & meminisset, sub purpurâ, animi demissionem religiosásque virtutes posse tutò habitare. Quâ dehortatione, passus à vitâ monasticâ repulsam, seriò retulit animum ad Rempublicam, nihil tamen remittens de consuetâ pietate. COLONIA VIRORUM RELIGIOSORUM PADERBORNAM DUCTA, EX CORBEIA. *Vita Ditmari p. 122. lin. 40.* BASILICÆ MERSEBURGENSIS PRINCIPIUM. HENRICUS DE INEUNDA RELIGIONE DELIBERAT.

Sub hujus anni initium Comitia egit Merseburgi, in quibus, ad Imperij Ordines, causa Boleslai, toties fœdifragi, relata. Nihil tamen fuit decretum asperius, quàm ut, quoad ejus fieri posset, ad bonam mentem & fidem beneficiariam reduceretur. Id datum negotij Hermanno Misniæ Marchioni, Boleslai genero, quòd crederetur quovis alio fore impetrabilior, & diligentem publicæ rei habiturus rationem. Verùm hic (ut loquitur Ditmarus) *semper mentiri solitus*, cùm longè alia, quàm quæ in mandatis acceperat, apud socerum egisset, in Paschate reversus, eâdem perfidiâ suæ legationis rationem reddidit Imperatori. Nihilo fuisset in revocandis ad frugem Augustæ fratribus fidelior, nisi adjuncti legationis collegæ, omnia ipsius dicta ac facta moderati, Adalberoni ejúsque germanis persuasissent, ut, armis positis, excalceati, cæteróque cultu supplices Cæsaris clementiam implorarent. Quæ demissio, adnitente Cunegunde, id effecit, ut ad pristinum gratiæ locum admitterentur. HERMANNUS MISNIÆ MARCHIO MENTIRI ASSUETUS.

Spectaculo adfuit Sbigneus Boleslai legatus, & in confertâ multitudine Palatinorum ac Procerum, responsa accepit, quæ ille suppressit, ínque eorum locum, alia commentus est, quæ retulit Boleslao, qui præ se quidem tulit animum pacis appetentem; sed cùm ab Henrico, ad dicendam causam, esset citatus, respondit, se id quidem apud Poloniæ Magnates facere esse paratum, sed ut Cæsaris XLII. BOLESLAI INSOLENTIA.

 tribu-

tribunal adiret, animum nunquam inducturum. Quamobrem, abjectâ pacis cogitatione, Misceconem filium mittit in Bojæmiam, qui Udalricum Ducem ad armorum societatem alliciat. Udalricus, memor officij, Misceconem vinciri jussit, præcipuósque legationis collegas capite minui. Henricus, cùm sibi dedi captivum postulâsset, Udalricus legato respondit in hanc sententiam. Regi renuntia, me non esse inscium, debitæ in ejus majestatem observantiæ: nec equidem hac vice ejus imperium detrecto, si omnino jubeat Misceconem reddi libertati: rogo tamen ut priùs consideret, me nuper à DEO, leonis faucibus ereptum, id præterea beneficij accepisse, ut ejusdem leonis catulus, missus in meam perniciem, in meos casses inciderit: hunc si sinam elabi, gemina mihi fera, Pater juxtà ac filius erunt metuendi: sin prædam servavero, nihil erit, quod à filio metuam, sed commodi aliquid, quod à patre expectem. Quòd si tamen Cæsar perstabit in suâ sententiâ, me sine morâ habebit obsequentem. Erant in aulâ Henrici, qui clàm auro Poloni corrupti, negotium urgebant, quique Augusto persuaserunt, ut ne à captivo in libertatem asserendo desisteret, quod & dedit effectum: etenim Misceconem è Bojæmiâ missum Boleslao reddidit. Egit quidem pater juxtà ac filius magnas, in speciem, gratias, sed beneficium maleficio malignè reposuerunt, quod denique in bellum erupit.

MISECO EIUS FILIUS CAPTIVUS REDDITUR LIBERTATI.

Quid verò lenitas Christiana in nobili pectore virium habeat, patuit hac tempestate. Ernestus Sueviæ Dux, venationi indulgens, cùm se denso frutice inumbraret, ab Adalberone Comite, telo, quod in feram destinabat, confixus est. Ernesto, cùm vulnus lethale agnosceret, prima cura fuit, persuadere domesticis, qui frequentes aderant, ne infortunatam Comitis aberrationem ullo pacto ulciscerentur: quâ de re etiam jussit suprema mandata ad uxorem deferri. Tum versus ad mentis, in aliam vitam abiturientis, procurationem, cùm nullus esset in promptu sacerdos, apud quem peccata deponeret, jussit tamen, quotquot præstò erant, adesse testes animi pœnitentis, nihil veritus, noxas non modò verissimis lachrymis, sed etiam clarâ distinctâque singularum explicatione propalare, sive ut sibi Numen eâ demissione & interiore affectu propitiaret, sive ut sibi adstantium apud DEUM intercessionem conciliaret. Neque enim par est credere, eum sensisse, istiusmodi peccatorum professionem, factam apud profanos homines, vim habere Christiani Sacramenti, sed sapienter cogitâsse, DEUM *cor contritum*, ex amore divino pœnitens, *& humiliatum non despicere*. Quâ in pietate bonæ spei plenus, viam æternitatis est ingressus, die Junij ultimâ, & Wurceburgi apud Leopoldum patrem, prout moriens rogaverat, est honorificè sepultus. Filius eidem cognominis, Henrici Cæsaris beneficio, in Ducatum successit.

ERNESTUS SUEVIÆ DUX TELO FORTUITO IN VENATIONE CONFOSSUS.

PECCATA LAICIS CONFITETUR.

Herman.

Quia verò in Ernesti mentionem incidimus, juvabit ad planiorem historiæ progressum, ejus stirpem ex Austriæ Marchionum sanguine, in lucem, quantum licuit assequi, à capite arcessere. Otto Frisingensis, ejusdem stemmatis illustre decus, Adelbertum Bambergensem, quem pacis in Germaniâ turbatæ reum, & à Ludovico Rege Arnulfi filio proscriptum, Hattonis Moguntini artificio deceptum, capite minutum descripsimus, hujus familiæ principem, produxit. Ex Adelberto prognatus Leopoldus, qui inter Ephebos nobilem operam navavit Henrico Imperatori, quem Aucupem dixerunt. Illum memorant, Ludigero de Pechlariâ, Comiti limitis Orientalis defuncto, ab Aucupe esse suffectum. Causam delatæ dignitatis, ajunt fuisse, quòd, cùm Cæsar longè à stipatoribus abreptus, collineato in feram telo, arcum rupisset, Leopoldus, qui ejus vestigia ponè sequebatur, arcum tam tempestivè subministravit, ut fera ejus adminiculo confixa, in momento caderet: & eam quidem nobilissimi adolescentis comitatem ita placuisse, ut Auceps in vestigio ei promitteret provinciæ, quæ prima rectore orbaretur, procurationem.

ORIGINES AUSTRIÆ MARCHIONUM.

XLIII.

Leopold. in Origin. Austriacis.

Quare Rudigero, qui Austriæ præerat, extincto, Leopoldum ajunt successisse, res gessisse maximas, Melicensem arcem Hemoni, cognomento Stillæ, ereptam, vertisse in templum, D. Colomanni sepulchro nobile. Idem cùm Herbipoli, apud Berwardum Episcopum, D. Chiliani ferias, octavo die Julij, ageret, quidam cliens

LEOPOLDUS AUSTRIÆ MARCHIO.

Ever-

Evergeri, quem Henricus, Leopoldi nepos, nuper exoculaverat, injuriam domini ulturus, intentaq; ex insidijs, per objectum muri foramen, in Henricum præsentem, arcu, fallente sagittâ, Leopoldus, de quo agimus, graviter fuit sauciatus, atque ex eo vulnere tertio pòst die, factâ peccatorum confessione, extinctus. Iste Leopoldus, Adelberti filius, ex Richardâ illustri fœminâ, tulit Popponem Trevirensem Archiepiscopum, & Ernestum Sueviæ Ducem, cujus paulò antè meminimus. Hic Giselam Imperatoris neptem thalamo junctam habuit, quæ post ejus obitum Conrado Salico Imperatori in manus convenit. Atque hæc quidem paulùm extra lineam, in gratiam nobilissimæ stirpis Austriæ Marchionum. Ordo nunc admonet, ut ad D. Henricum Cæsarem, stylum referamus. INTERFECTUS.

Cùm Boleslaus Polonus contumaciam non poneret, Cæsar, comparato ad eum debellandum exercitu, priùs quàm in castra prodiret, D. Mauritij sociorúmque patrocinium imploravit Magdeburgi, eorum affusus sepulchro. Inde octavâ Julij ad Albim contendit. Amnem trajecturus, Cunegundem Augustam Merseburgum cum Ditmaro remisit. Lusatiam ingressum, Cinnenses portis occlusis non admiserant; sed factâ in castra irruptione, acceperunt cladem luculentam, multis in conflictu occisis. Henricus, cognomine Superbus, ob patratam cædem Cinnâm profugus, venit in Augusti manus. HENRICUS MOVET IN BOLESLAUM *Ditm. lib. 7.* A CINNENSIBUS NON RECIPITUR.

Castris ad Viadrum promotis, Cæsar pro ingenitâ lenitate, per legatos cum Misecone, Boleslai filio, qui tum se ad Crosnam munierat, agi voluit, ut memor acceptæ recens libertatis, factâ deditione, parenti pacem suaderet. Verùm ille patris genio obsecutus, respondit; se quidem Cæsari debere vitam, & quicquid haberet fortunarum, sed patris imperio & commilitonum vigilijs prohiberi, quo minùs in præsens Henrico satisfaceret, tamen se parenti suasurum, ut pacem & Cæsaris gratiam incerto Marti anteferret. Hæc dicebat in speciem, ut temporis faceret compendium, nec obscurè ostendebat, se Cæsari, si vim inferret, arma objecturum. Igitur Henricus, trajecto ad tertium Augusti Viadro, cum Misecone, prospero Marte, signa contulit. In pugnâ cecidêre Poloni non ampliùs sexcenti, è Cæsarianis tres duntaxat desiderati. Inter hæc Bernardus, Saxoniæ Dux, ab Aquilone Boleslaum distinebat, ne filio copias jungeret: quò minùs tamen Oderam transmitteret, impediebatur à continuis Boleslai excubijs, quæ amnis ripam prætexebant. Quare, impositis in naves copijs, tam diu hostem in diversa protractum delusit, donec celeri unius diei navigatione, Boleslaum prætervectus, copias in continentem, nullo obsistente, exposuit, & grassari cœpit incendijs & cædibus agrestium. Quibus rebus territus Boleslaus, non ausus venire in certamen, ad regionis interiora profugit. HENRICUS SUPERBUS CAPTUS. MISECO VERBA DAT HENRICO. PRÆLIUM VELITARE, HENRICO PROSPERUM. BERNARDUS DUX SAXONIÆ, BOLESLAUM REPRIMIT.

Prosperis belli initijs hoc intercedebat incommodi, quòd Cæsaris vires, trifariam divisæ, conjungi non possent, & quæ copiæ Henrico aderant, non eo forent numero, ut hosti per intricata paludibus & sylvis itinera, citra ingens insidiarum discrimen, possent objici: & verò etiam Bernardus, per nuntios, Cæsarem monuerat, se rebus salvis ad ipsum, prout condixerant, penetrare non posse. Aliâ ex parte Bojarij in geminum agmen divisi, pars Udalricum Bojæmum, pars Henricum Austriæ Marchionem comitabantur, & utrobique quidem magno operæ pretio. Qui enim Bojæmo aderant, Businâ, urbe grandi & populosâ, crematâ, & mille, ut minimum, viris & ingenti mulierum ac liberorum grege captivis, magnum Polonis terrorem intulerunt: qui verò Henrici ductum sequebantur, ad arcendas hostis excursiones, Boleslai militem, qui potissimùm è Moravis erat conductus, octingentis circiter concisis, omnibus impedimentis exuerunt. BOJARII JUVANT IN CAPIENDA BUSINA, ET MORAVIS COERCENDIS.

XLIV.

Verùm hæc, ad rei summam minutiora, quàm ut esset debellatum; & Cæsar potioribus Boleslai viribus appetitus, seris nuntijs, quo essent loco sociorum res, quæ in momenta mutari poterant, è longinquo docebatur. Quapropter visum, fortunam ultrà non irritare cum tenui & fesso exercitu, nedum hostem, quamvis continenti fugâ latebras insidijs opportunas quæritantem, per devia, ubi nullius rei major, quàm inopiæ copia, insectari. In receptu sæpenumero plus est, quàm in pu- HENRICUS COPIAS REDUCIT.

in pugnâ periculi; quod Cæsari usuvenit, grandem haud dubiè cladem accepturo, nisi itinera, uligine mediisque paludibus impervia, festinatis operibus, & incredibili militis alacritate, aperuisset. Id cùm Boleslaum non lateret, misit ilicò, qui abeuntes carperent. Ducebat primum agmen Imperator, posterius Burcardo Comiti Palatino & duobus Geronibus (quorum alter Archiepiscopus Magdeburgensis) demandaverat, jusseràtque cavere, præ quàm aliàs solerent, hostis insidias. Præscius potuit videri mali imminentis. Hostis ex saltu proximo prorumpens, & ad audendum, tergemino ululatu, excitatus, in Burcardum invectus, & semel iterúmque non sine clade rejectus, tertio demum impetu ordines confudit, & postremos egit in fugam; è palantibus ducentos cecîdit, cepítque nonnullos. Burcardus & Gero Archiepiscopus acceptis vulneribus, tristis pugnæ nuntij, ad Cæsarem ægrè evaserunt. Gero alter & Volcmarus, Comites, occubuêre. Henricus interfectorum corpora jussit à Boleslao repeti & terræ mandari. Miseco inter hæc Cæsarem insecutus, septem omnino legiones Misnæ admovit. Idib. Septembris Cæsar id præsentiens, Hermannum Marchionem illuc præsidio miserat. Verùm is, desperatâ urbis defensione, se cum plerisque civium recepit in arcem. Hostis mœnibus sine pugna potitus, direptis civium fortunis, ignem tectis injecit. Jam quoque castrum duobus locis flammam conceperat, cùm miles, metu consternatus, cœpit suadere deditionem, & tantùm imperia non detrectare. Hermannus, cùm nulla jam spes, nisi in Superis & mulieribus superesset, mirum dictu, D. Donato, calentibus precibus, in vota vocato, fœminarum turbam pro concione hortatus, vetera Amazonum exempla renovavit. Fœminæ enim sexum oblitæ, cum mirandâ alacritate virorum munia occupantes, hostem subeuntem lapidum procellâ à propugnaculis reijciunt, tum versæ ad ignem restinguendum, cùm aqua deficeret, musto incendium opprimunt. Poloni, ignominiæ dolore in furorem acti, postero die oppugnationem erant instauraturi, nisi Albis restagnatione prohibiti fuissent. Henricus, re compertâ, Hermanno, quantum per tempus licuit, suppetias properavit, & hoste submoto, tecta in pulchriorem formam, è bustis & parietinis, suo ære eduxit. Operi maturando præfuerunt, Gero Archiepiscopus, Arnulfus & Ditmarus, qui rem descripsit, & eam quidem adhibuêre diligentiam, ut duabus omnino hebdomadis omnes urbis arcísque ruinas repararint. Ut verò ad posteros transmitteretur rei gestæ memoria, & commendatio fœmineæ virtutis, matronis honor æternus decretus est, ut quotannis, mense Septembri, fœminæ, festivo ordine, quem annui Consulis uxor duceret, urbem & Divorum templa obeuntes, pro patriæ salute vota facerent, & DEO, reportatam à matribus victoriam, gratularentur. Quæ pompa suum solenne apud posteros religiosè tenuit, donec malè feriati nepotes, eam superiore sæculo unà cum Romanâ fide proscripserunt.

[Margin: CLADEM ACCIPIT. — MISNA INVADITUR A MISECONE. — INCENDITUR. — MISNENSIUM FOEMINARUM FORTITUDO ET VICTORIA. — MISNA HENRICI SUMPTIBUS INSTAURATA.]

XLV.

Cæterùm, Henricus, pro suo in Ecclesiam Babenbergensem studio, hoc demum anno protulit ejus ditionem ad Pegnesim fluvium, consentiente Episcopo Eistettensi, cujus Diœcesi detrahebatur hoc ipsum, quod Babenbergensi accedebat. Rem fusiùs describunt Eistettenses tabulæ, & Anonymus Hasenrietanus, & illæ quidem, quasi ista separatio facta sit in synodo Francofordiensi, cùm tamen neque ex vitâ S. Henrici, neque ex vetustis litteris, ulla reperiatur ejusce rei mentio: Anonymus verò, cùm non sine stomacho suæ narrationi attexat, Clerum & nobilitatem Eistettensem, Henrico constanter fuisse refragatos, minorem fidem meretur, quàm si modestè rem, ut gesta est, explicâsset. Quæ ex eo Brunnerus adduxit, de Gundacari, id temporis Episcopi, cum Cæsare altercatione & frugalitate, non videntur esse ejus momenti, vel authoritatis, ut hoc loco repetantur.

[Margin: Pegnizium. Catal. Episc. Eijstet. apud Gretsf. p. 433. — Brun. Annal. Boic. part. 2. pag. 710.]

Gravior est contentio, quam suscepit sanctus Cæsar pro Poppone Archiepiscopo Trevirensi. Cùm Megingaudus, pridie Natalis Domini, Confluentiæ vacuam Trevirorum sedem reliquisset, Henricus Popponem, ex Austriæ Marchionum (ut paulò antè diximus) familiâ, virum non litteris minùs, quàm religione præcellentem, Babenbergensis Ecclesiæ Præpositum, voluit defuncto dari suc-

[Margin: AN. CHRIST. M. XVI. BELLUM TREVIRENSE.]

ces-

cessorem. Eâ gratiâ, mandata scripsit ad Adalberonem, ne, quemadmodum Megingaudi patientiam gnaviter exercuerat, sic Popponi crearet molestias, fore alioquin, ut experiretur, indomito repertum esse domitorem. Ut verbis res ipsas præsidio adjungeret, Paderbornâ profectus est ad Confluentes, indéque Popponem Treviros secum deducens, habitis, pro more, eligentium comitijs, ritè electum, sacro ritu voluit initiari. Id factum Cal. Januarij, cæremonijs operante Erckenbaldo Moguntinensi Archiepiscopo, Cæsare, totâque aulâ pompam cohonestante. Inter Episcopos, qui frequentes adfuerunt, Haimo Virdunensis & Theodoricus Metensis Adalberonis frater adstiterunt. Posterior, sive fratris studio, sive impetu genij turbulenti, jure consecrationis, quæ ad ipsum velut Suffraganeum pertinere videbatur, inaugurationi intercessit quidem, sed in cassum, Cæsare secundum Erckenbaldum pronuntiante. Ejus sententiam probavit Benedictus Romanus Pontifex, qui Popponem, Romæ benignissimè acceptum & Pontificiæ mensæ adhibitum, pallio Archiepiscopali impertijt, addito diplomate 6. Id. April.

POPPO TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Poppo ex urbe reversus, Provinciam reperit hinc prædonum rapacitate insigniter laceratam, inde Adalberonis insidijs haud mediocriter expositam. Quibus malis ut occurreret, mox à reditu, viros sago togâque egregios, clientelis alijsque beneficijs devinctos, adscivit, quorum fortitudine & sapientiâ uteretur. Inter prædones, præcipuum nomen ferebat Adelbertus quidam, latrocinijs juxtà ac furtis infamis, è castello, quod urbi erat ad meridiem, eo loco, quo hodie vetusta S. Crucis ædes. Isthic receptaculum & latronum spoliarium, quod, sine magnâ vi, nequibat expugnari, erátque tamen civibus permolestum, non eò tantùm, quòd viciniam infestaret, sed etiam urbis annonam, frequentibus rapinis, averteret. Id cùm probissimum quemque vehementer ureret, repertus est Sico, vir manu promptus & solers, qui domandi Adelberti curam in se suscepit, Poppone probante. Posteaquam satis castri situm, excubias, & prædonum gregem exploraverat, contractâ aliquâ, in speciem, cum Adelberto consuetudine, solus ex urbe, velut animi gratiâ, exspatiatus, æstuante sole, castri foribus adsidens, sedandæ siti, vini craterem poposcit, quem cùm per excubitorem haud graviter impetratum ebibisset, jubet Adelberto cum magnâ gratiarum actione renunciari, se fore beneficij memorem, & cum fœnore liberalitatem repositurum. Non multò pòst, cados vini tricenos adornat, quorum singulis, veste stragulâ coopertis, includit virum armis & audacia præfidentem. Addit præterea bajulos sufficiente numero, qui cados ansis vectibúsque gestarent. Pompâ ad eum modum instructâ, paucissimis doli conscijs, Sico urbem egressus, præcedit cum raro, eóque familiari, comitatu, ad castri fores. Quærente excubitore, ecquidnam sibi vellet longus iste bajulorum ordo, jussit Adelberto referri, adesse Siconem, qui promissam nuper beneficij gratiam vino, quod advehebat, repræsentet. Adelbertus nil fraudis suspicatus, mox jubet pompam in arcem admitti. Ad quem Sico pauca, honoris specie, præfatus, cados humi positos imperat denudari, datóque signo armatos erumpere, cæteros arma corripere, & cæde in latrones, qui spectaculo aderant, grassari. Illi, impetu in adstantes aliósque facto, Adelbertum sociósq; sternunt, & arcem redigunt in suam potestatem, quam Poppo confestim solo æquavit, Siconem abunde remuneratus.

SICONIS FACINUS EGREGIUM.

Acta Popponis M. S. Vita S. Meinwerci.

STRATEGEMA.

XLVI.

Eodem propè tempore Skiva, apud Saram fluvium, Adelberti castrum, quod postea Montis Clari nomen accepit, funditus deletum est. Adalbero denique æstimatâ Popponis industriâ & felicitate, factioni & fortunæ suæ diffisus, spiritus, quos adhuc feroces gesserat, ad modestiam cœpit inflectere. Quare Popponi supplex factus, non ei modò urbanum palatium, quod adhuc non dimiserat, sed etiam arces hinc inde occupatas & oppida, Sircium, alijs Sericum, Saraburgum, Rutichium, retentis tamen titulis, cum annexis agris, contradidit, & in suburbano D. Paulini Collegio, cujus Præposituram gerebat, se sancto otio dedidit, cum singulari moderationis exemplo. Demum anno M. XXIIX, ut præteritæ vitæ maculas induceret, distributis per vicina Monasteria hæreditarijs prædijs, insignem

ADALBERO FLEXUS AD MODESTIAM.

ad posteros oblitteratæ ambitionis famam transmisit. Castrum Saraburgicum in præaltâ rupe adhuc stabat avorum nostrorum memoriâ, quando ab Alberto Brandeburgico concrematum, nihil præter funestas busti reliquias servavit, cum titulo, qui nomen præfert Adalberonis conditoris, & Brunonis Archiepiscopi restauratoris. Receptis, quæ dixi, latronum spoliarijs, Berncastellum, quod acriter adhuc à prædonibus defendebatur, à Poppone fuit expugnatum ac dirutum.

BERNCASTELLUM EXPUGNATUM.

Ditm. lib. 7. pag. 91. fin.

Cæsar interea actis Wurceburgi, apud Henricum Episcopum, Ramalibus, postremos sanctioris hebdomadæ dies & Christi resurgentis memoriam, Babenbergæ celebravit. Illuc fuerat invitatus Rudolfus Rex Burgundiorum Imperatoris avunculus: sed cùm non potuisset adesse, & urgeret rerum, de quibus erat agendum, magnitudo, quò faciliùs conveniretur, Henricus se contulit Argentinam. Eodem venit Rudolfus cum conjuge Adeltrude, & geminis ex eâ privignis Hugone & Joanne, quibus erat comes Udo filius Gerbergæ, quæ soror erat Reginæ Adeltrudis. Hos omnes Rudolfus Cæsaris fidei commendavit. Præcipua res erat de Regno Burgundiæ, & gravis Rudolfi solicitudo, ne, si quid humanitus sibi contingeret, in alias, quàm Cæsaris Nepotis sui manus veniret.

XLVII.

HENRICI ET RUDOLFI BURGUNDIÆ REGIS COLLOQUIUM.

Rudolfus variam expertus fortunam, & fessus adversis popularium studijs, jam olim Burgundiæ regnum Germanico Imperio contribuerat, ejúsque hæredem dixerat D. Henricum, si sine filio legitimo Burgundus decederet. Ea res non Henrico modò, sed toti etiam Imperio commodissima, quòd ex Burgundici regni accessione, potentia Germanica insigne captura esset incrementum. Nam id regnum, Sequanas Allobrogum, & Arelatensium regias urbes complectebatur, & ab extremo Germaniæ confinio, sese ad mediterraneum mare porrigebat, magnum adferebat emolumentum ad Imperium, extra Germaniam, prolatandum, & Italiam in officio retinendam. Alia ex parte de Adeltrudis Reginæ, déque ejus filiorum, juxtà ac Nepotis securitate, cura erat non mediocris, ut, quas acceperant possessiones, Rudolfo demortuo, Germanorum auxilijs retinerent. Quò firmiùs ea consilia procederent, Rudolfo erat constitutum, Cæsarem, regni Collegam dicere, eâ lege, ut nihil rerum magnarum, ipso inconsulto, nedum invito, gereretur. Cæsar conditionem non aspernatus, suam vicissim opem, avunculo, Reginæ, privignis, alijsque, quos Rudolfus commendârat, cum fide addixit. Ea pactio vicinæ Galliæ urebat oculos, ad quam censebatur, sine controversiâ, Burgundiæ regnum pertinere: & verò etiam semper suspecta sunt vicini potentioris incrementa. Ergo, ne absque specioso saltem obtentu, arma contra Cæsarem sumerentur, objectus est Wilhemus Pictaviensis, qui jus agnationis, ad capessendam Burgundiam, pro se adferebat. Henricus, ne vacuum nomen Burgundicæ pactionis & collegæ, domum reportaret, ad ineundam qualemcunque possessionem, misit Episcopum, qui vacantem, apud Burgundiones, defuncti Antistitis sedem adiret. Verùm illum arcuêre Burgundiæ proceres, penes quos erat regni vigor & robur imperij: sed & Wilhelmus, eum, ad ignominiosæ fugæ necessitatem adactum, insectando propè exanimavit. Memorabile est, quod de eâ fugâ narrat Ditmarus. Propè erat, ut Episcopus, avias sectans latebras, veniret in emissariorum manus, quas nec fuisset evasurus, nisi signatis salutari crucis signo, quæ humi impresserat, vestigijs, canes, quorum indagine quærebatur, velut sideratos, unà cum improbis venatoribus avertisset, & redeunte paulatim spiritu, per ignotas nemoris ambages, in amicos fines evasisset. Ausus est etiam Pictaviensis, Henricum Basileam euntem, urbibus excludere penè inermem: quæ enim voluntariorum centuriæ ad eum confluebant, vastando hostico pleramque operam, non Cæsari impendebant. Ab Argentoratensibus magni honores illi sunt habiti. Quo tempore apud eos est diversatus, (ut nunquam est otiosa pietas) Wernhero Antistiti author fuit jaciendi ejusce basilicæ fundamenta, quæ inter Germaniæ præstantissimas numeratur. Antequam ad eam formæ venustatem, quæ hodiéque visitur, assurgeret, in annum decimum, à centum operis laboratum est, in solis ædificij substructionibus. Eodem loci labantia templa instauravit.

PACTA DE REGNO BURGUNDIÆ.

BURGUNDIONES HENRICI MANDATA REIICIUNT.

XLIIX.

BASILICÆ ARGENTINENSIS INITIA.


Hen-

Henricum, ob inauſpicatam Burgundiæ expeditionem, mœſtum, recreavit reportata de Saracenis victoria, quos Benedictus Pontifex, Romanæ ditionis littora invadentes, claſſe adortus, ad internecionem delevit. Eorum Rege fugâ elapſo, Regina capta, ob inſignem inſolentiam capite plexa eſt. Coronam inter ſpolia repertam, Benedictus miſit Imperatori mille auri libris æſtimatam. Qui cladi ſuperfuerunt, Lunæ civitate obſeſſi, proſperis tridui eruptionibus facti audaciores, dum defenſionem obſtinant, ad unum omnes occubuerunt. Rex nece conjugis & ſuorum clade furens, ſaccum caſtaneis refertum Pontifici miſit, cum minis, ſe anno proximo, cum totidem armatis, adfuturum acceptæ ignominiæ ultorem. Pontifex peram milio plenam remiſit, cum dicto, totidem ut minimùm, Italici nominis viros fortiſſimos ſe in armis habiturum, adverſus Saraceni caſtaneas. BENEDICTI PONTIF. DE SARACENIS VICTORIA.

Hoc anno Henricus, Cunegundis Auguſtæ frater, poſt octenne exilium, Boicæ principatui eſt reſtitutus. Theodoricus Metenſis Epiſcopus, placato Cæſare, in priſtinum quoque gratiæ locum eſt receptus. Æſtate magnam partem conſumptâ fruſtraneis ad Boleſlaum Polonum legationibus, cùm præter fallaces pacis promiſſiones nihil obtineretur, tandem reditum eſt ad arma, quorum impetum Boij, omnium primi, ſenſerunt. Moravi Polono fœderati, ſilenti agmine Boicam ingreſſi, ex improviſo, Bojorum non contemnendam catervam oppreſſerunt. Cæſar pace deſperatâ, Albim cum exercitu tranſmiſit, acceptíſque Bojæmorum & Luitiziorum ſuppetijs, totis caſtris movit in hoſtem. AN. CHRIST. M. XVII. HENRICUS AUGUSTÆ FRATER BOICÆ RESTITUTUS. BOII CÆSI A MORAVIS.

Inter hæc Miſeco, explorato, Udalricum Ducem ad Cæſarem profectum, tenue in Bojæmia præſidium reliquiſſe, contractis raptim duodecim legionibus, nemine prohibente, innumeram captivorum multitudinem cum ingenti prædâ abduxit. Cæſar aliâ ex parte ad 5. Idus Auguſti, Gloggoviam attigit, ubi Boleſlaus caſtra fixerat. Nemizium, Sileſiæ urbs, irrito conatu à Cæſare obſeſſa, cùm lues caſtra invaſiſſet, & Poloni magnâ conſtantiâ aliquot inſultus, crematis quoque machinis, repreſſiſſent. Belegorium pariter fruſtra obſeſſum. Ita Boleſlaus, quia victus non fuit, ſe pro victore geſſit. Alioqui conflictus aliquot velitares, variâ fortunâ, commiſsi. Henricum in Saxoniam reverſum, adière Boleſlai Legati, menſe Novembri, petentes, Ludolfum juvenem, quem Polonus diu in cuſtodiâ habuerat, cum Polonico milite, quem Cæſar magno numero captivum habebat, commutari: ſimul rogabant facultatem mittendi, qui fide publicâ de pace colloquerentur. Conceſsit utrumque Cæſar, neſcius, Boleſlaum, à Rege bello petitum, non pacis ſtudio, ſed metu, ne à gemino hoſte premeretur, iſtam legationem adornâſſe. MISECO BOIÆMIAM DIRIPIT. XLIX. EXIGUUM EXPEDITIONIS POLONICÆ PRETIUM.







BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS I.
LIBER XVI.

Brunonis Auguſtani injuſtæ lites damnatæ divinitus. Rudolfus Burgundiæ Rex Henrico regni inſignia transmittit. Henrici cum Heriberto Colonienſi integrata gratia. Benedicti VIII. Pontif. adventus in Germaniam. Troja obſeſſa, recepta in fidem. Prodigioſæ Henrici curationes. Hartvvicus Salisburgenſis clarus miraculis. Henrici cum Roberto Franciæ Rege colloquium & modeſtiæ certamen. Cunegundis Auguſtæ virginitas. D. Henrici obitus, virtutes. Conradus Salicus, Henrici ſucceſſor, juſtitiæ ſtudioſus, Modoëtiæ coronatus. Tumultus Ravennæ. Auguſta Vindelicorum expugnata. Turbæ Germanicæ. Welforum origines. Conradi Romana inauguratio. Erneſti Boiariæ Ducis obitus. B. Aurelia Virgo. Rudolfi Burgundiæ Regis exceſſus. Burgundi Conrado Imp. dicunt ſacramentum. Tumultus Parmenſis. Mediolani irrita & inauſpicata obſidio. D. Gothardi Hildeſienſis & Conradi Imp. obitus. Succedit Henricus. Aquisgrani ſynodus una, duæ Moguntiæ celebratæ.

An. Christ. M. XIIX.



Enrico Auguſtæ fratri, ſub anni ſuperioris exitum, Babenbergæ, Cæſaris clementiâ, in gratiam recepto, & in Boicam reduci, data mox occaſio, divinam juſtitiam agnoſcendi, memorabili æquitatis exemplo. Juditha Norici Princeps, Henrici Cæſaris, & Brunonis Auguſtani Præſulis avia, Enterhofium, prædium bene opimum, D. Emmerammi cœnobio donaverat, eâ lege, ut, ſi quis caſus illud à Cœnobio averteret, jus foret, Judithæ hæredibus ejuſce ſibi vindican-

dicandi. Sub hæc Gebhardus Ratisbonensis Episcopus, prædium involaverat, atque hoc ipso, minùs æquis jureconsultis, ad Brunonem Episcopum, aliósque Judithæ proximos hæredes redijsse videbatur. Verùm cùm Othone III. ea lis moveretur, damnatâ Gebhardi Antistitis rapacitate, Monasterium fuerat in prædij possessionem restitutum. Bruno nihilominus Abbatem in jus vocavit. Primùm, Oetingæ causa est disceptata: assedêre judices plerique auro corrupti, in quibus Otpoldus, inter forenses rabulas nominatissimus, fidei desultoriæ, adeóque versatilis facundiæ, ut, quamcunque se in partem verteret, fucum nôsset cuivis etiam deploratæ causæ affricare. Cùm esset sententiam dicturus, præter solitum mirantibus, qui aderant, hominis non modò stuporem, sed etiam infantiam, tam nihil ad rem potuit dicere, ut facilè appareret, divinitus eum à consueto dicendi usu prohiberi. Quæ res cæteris judicibus injecit metum, ne, quod antè statuerant, secundum Brunonem pronuntiarent. Cùm ejus causa censeretur esse profligata, in præsens tamen ejus famæ datum est, ut concessâ ampliatione in Palatino conventu, à Principe cognosceretur. Henrico fratri adsedit Cunegundis. Talibus judicibus causa Brunonis, utpote affinitate conjunctissimi sanguinis triumphatura credebatur. Ejus causidici meditatissimis rationibus instructi, de victoriâ non ambigebant. Viri consulares, qui inferiora subsellia occupabant, non erant à Principum authoritate discessuri. Ad fori cancellos assentatorum turba, præcoci dicacitate, Brunoni triumphum præcinebant. Verùm, ubi ad rem ventum est, ex ijs, qui Brunoni adstipulabantur, nemo unus fuit, quin fallente memoriâ, velut mentis ac linguæ exors, obmutesceret. Eo factum, ut tum Principes, tum senatus omnis, prodigio perculsi, D. Emmerammo causam addicerent. Hinc Bruno expallescere, sudore perfundi, linqui animo, eóque percelli mentis horrore, ut, cùm noctem insomnem inter continuas animi turbas duxisset, primo manè D. Emmerammi basilicam adiens, nudísque pedibus aras omnes obiens, singulis munera supplex imponeret, demúmque D. Emmerammi altari affusus, magnis testibus, jurârit, se in posterum neque ejus possessionibus, neque alumnorum cuiquam, vim ullam, aut injuriam allaturum. Regressus in hospitium, vinum atque sportulas, quæ malæ causæ patronis addixerat, dono misit Cœnobitis, etiam atque etiam rogans, ut suis omnes precibus divinum Numen seriò pœnitenti propitiarent.

I. Bruno Augustanus de prædio contendit, adversus Abbatem D. Emmerammi.

Causa cadit.

Cum Coenobitis redit in gratiam.

Imperator eum, quo de agimus, annum, à renovato, cum Boleslao Polono, fœdere auspicatus est. *Budissina* (inquit Ditmarus) *facta est per Cæsaris legatos pax, non qualis decuit*, sed qualem tempus & rerum conditio tulerunt, eâque firmata obsidibus, dictóque utrinque sacramento. Subsecutus est Abbas Boleslai legatus, qui allatis muneribus, Cæsari magnificè Domini sui obsequia pactorúmque firmitatem deprædicavit. Eidem Moguntiæ agenti, Rudolfus Rex Burgundiæ, offensus suorum insolentiâ, missis unà cum conjuge & privignis regni insignibus, suas ditiones subjecit, eidémque sacramento dicere jussit optimates, tametsi illi, oblatâ Regi suo satisfactione, eam conditionem haud obscurè aversarentur. Subinde Cæsar, collecto ad Basileam exercitu, profectus in Burgundiam, expertus est, plebem Rudolfi imperia detrectare, & raros proceres Germanis esse addictos, cùm pars Franciam respicerent, pars optarent è suâ gente Regem, cæteri libertatem quovis Principe ducerent chariorem. Atque ista quidem Cæsaris profectio parùm, aut nihil attulit emolumenti. Paulò plus profuit Wernheri Argentoratensis Episcopi expeditio, qui anno postero, adversus Rudolfum Regem tumultuantibus, à Cæsare objectus, prælio superatos, ad petendam pacem adegit: quo facinore, servati Regis & pacati regni laudem est consecutus. Cæterùm, neque id bellum, nec susceptæ postea, ad vindicandam Burgundiam, dimicationes, Germanis Cæsaribus, stabilierunt ejusce coronæ accessionem. Conradus Imperator expressit quidem Odoni Campaniæ Duci ejus abdicandæ necessitatem, sed hoc duntaxat est assecutus, ut Burgundia Germanico imperio adjungeretur, oblitterato tamen Regni Burgundici nomine.

Rudolfus Burgundiæ Rex regni insignia mittit ad Henricum.

Henrici irrita in Burgundiam profectio.

Wernheri Argentinensis expeditio felicior.

Gordon. ad an. 1033.

II. Hoc anno, Henricus Austriæ Marchio, Cæsari fidissimus, 8. Cal. Junij, naturæ debitum exolvit. Albertus filius ei datus est successor. Cæsar redux è Burgundiâ, actis in Sueviâ de Republicâ comitijs, Godefridum Lotharingiæ Ducem, è Frisiorum carcere exemit. Captus fuerat in acie. Theodoricus enim Comes, Arnulfi Gandavensis filius, ad paternæ necis ultionem, Frisones traxerat ad belli societatem. Cæsar Godefridum, cujus virtutem varijs bellis erat expertus, objecit utrisque. Ille à longè majore numero circumventus, dum fortissimè dimicat, & turbatis disjectisque hostibus, tandémque perruptâ aliquoties acie, victoriam prensat, à conferto Frisonum globo sauciatus stratúsque, capitur & habetur in custodiâ. Sigebertus scribit, multos à paucis Frisijs fuisse superatos, auditâ, incertum unde, voce, *fugite, fugite*: quod verum habet, si pauciores Frisij, qui resumptis animis ad pugnam redierant, victoriam reportârunt. Quicquid sit de modo victoriæ; Frisones, Duce capto, Cæsaris gratiam pacémque, bello, quod alienis auspicijs susceperant, prætulerunt, impetrârúntque eâ lege, ut Godefridum captivitate solverent. Is in patriam reversus, liberos, quos ex Gertrude Othonis Northemici Comitis, gente Boij, filiâ susceperat, Hugonem, Stephanum, Henricum, Brunonem, Hezelinum, Gothofredum, reperit fato concessisse. Supererat Gothelo, quem tamen Sigebertus, nescio unde, contra Lothariensium annalium fidem, Godefridi fratrem appellat: sed neque pater diu superfuit. Eum Virduni sepultum, ostendit conditorium, quod in D. Vitoni monasterio accepit. Defuncto datus est Gothelo successor. An sex Godefridi filiæ, quas ex eâdem matre Bavarâ tulerat, omnes ante patrem obierint, mihi quidem est incompertum.

Bellum Frisium. Godefridi Lotharing. Ducis captivitas. Libertas.

Pax Frisiæ.

Quod sequitur, facit ad D. Henrici commendationem, nec debet silentio præteriri. Wolbodus, qui Sigeberto Golbodus, ex monacho factus Henrici primùm sacellanus, post Cancellarius, ob singulares virtutes, ad Leodiensis Ecclesiæ cathedram est evectus. Is cognito, Cæsaris animum, nonnihil esse solito à se alieniorem, consilio quorundam, qui placari deos hominésque muneribus arbitrabantur, aliquid pecuniæ contraxerat, quâ deleret Augusti offensionem. Sed mox, bono viro religio injecta est, quasi Imperatoris gratiam divinâ duceret potiorem: quid enim dubitet, DEUM, Regis animum habiturum in suâ potestate? Longè fore consultius, istam parsimoniam, Christi nomine, in egentes dilargiri: quod & præstitit, contra aliorum sensum, qui credebant Cæsaris iram magis, tali facto, accendendam. Sed tantùm abfuit, ut pius princeps eam largitionem perperam interpretaretur, ut Wolbodum longè, quàm antè, habuerit chariorem, quòd tam solerter, DEO placato, hominem novisset sibi demereri. Certè eo gratiæ loco fuit apud Cæsarem, ut, (Flandricis Annalibus credimus) eo potissimum intercessore, Cæsaris cum Heriberto Archiepiscopo Coloniensi reconciliatio fuerit anno sequenti tentata.

Magnum Chron. Belg. pag. 100. §. 4. & seq. To. 1. Episcop. Leod. pag. 243. & 248.

Wolbodi Episc. Leodiensis prudens largitio.

An. Christ. M. XIX.

Ditmar. lib. ult. vita S. Heribert. Serar. Mogunt. pag. 727.

III.

Præcesserat aliqua levis (cujus suprà memini) qualis inter viros quoque sanctos subinde contingit, offensiuncula: accessit alia ex suspicione, & malignâ obtrectatorum, omnia in pejus vertentium, interpretatione. Otho Turingiæ Comes, Irmengardis amoribus thoróque innupto, ad insaniam irretitus, sæpe jussus à pellice facessere, omne consilium Erkenbaldi Moguntini Antistitis, minas omnes atque diras, & ipsum Cæsaris imperium erat frustratus, quòd à vi se satis tutum crederet, quamdiu arcis Hamersteinianæ munimentis, suam libidinem contumaciámque tueretur. Henricus tam manifestam numinis injuriam statuit bello ulcisci. Comitem, Hamersteiniæ mœnibus inclusum, cùm arctè premeret, annonæ præsertim inopiâ, quæ & deditionem expressit; Heribertum Archiepiscopum in castra vocavit. Vocatus, febrim, quâ tunc conflictabatur, excusavit. Cæsar ratus morbum sumi obtentui ad detrectandum obsequium, invidis cicatricem antiquæ simultatis gnaviter refricantibus, Coloniam usque se passus est abduci, ut corâm de Heriberti valetudine cognosceret. Credebant assentatores, grandem Antistiti procellam impendere: sed errorem omnem prima nox abstersit. Cæsari

Henrici cum Heriberto Coloniensi reconciliatio.

An. Christ. M. XX.

ſari dormienti adfuit genius cæleſtis, monuítque ſeverè, caveret omnes iras in Præſulem immerentem; ſed, niſi Deum vellet iratum experiri, eum, quem cœlites ferrent in oculis, faceret ſervarétque amicum. Henricus non ambigens de fide & authoritate monitoris, inconſultam ſuſpicionem deteſtatus, mœrénſque omnem in ſe vindictam convertit. Quò foret ea cumulatior, in Procerum oculis, eorum præcipuè, quorum fraude erat peccatum, Heribertum lachrymans palàm eſt complexus, mirantémque mutationem inopinatam affatus; *Ignoſce* (inquit) *ignoſce, obſecro, meis erroribus: alium te mihi hominum ſermones, alium Deus oſtendit. Inimicum te mihi finxerunt, te cælitibus mihíque amicum, præteritâ nocte, cælum oſtendit. Innocentiam tuam Deus aſſeruit, utinam me, qui tibi cælóque fui injurius, Deus túque hodie abſolvatis. Fatentem habes reum, novit Deus meum mœrorem, tibi me ſiſto pœnitentem, ſperóque fore, ut in me ſitis uterque clementes.* Plura dicere parantem, Heribertus non tam dictione, quàm lachrymis ubertim cadentibus inhibuit. Nemo fuit, quem ſpectaculum, Regibus inuſitatum, non moveret animitus. Nec tamen Cæſar eâ modeſtiâ & amicitiæ teſtificatione ſuo animo ſatisfecit. Nocte, quæ diem illam ſecuta eſt, ſecundum preces antelucanas, Præſulis conclave, uno duntaxat è Clero comitante, ingreſſus, cùm eum iſthic non repeririſſet, tandem in Sacrario, effuſum in rerum cæleſtium meditationem, offendit. Tum verò detractâ purpurâ pius Imperator, humi abjectus, ad Heriberti pedes, iterum manantibus fletu genis veniam ſupplex orat, nec ſe antè erigit, quàm Præſul proſtrato delictorum veniam impertiret. Erecto in pedes prædixit, illum eſſe ultimum omnino congreſſum, quo ſe mutuò in terris eſſent viſuri. Quâ voce Cæſar attonitus, dubiúſque, uter utrius fatum præverteret, lachrymis inundatus, rurſum ruit in Heriberti amplexus, piiſque hærens oſculis, vix ab eo potuit divelli. Ad Superos præivit ſanctus Antiſtes, fati ſui vates, non ignarus mortis Henrici, quam fratri ſuo Gezemano aperuit. Eberhardo Auguſtano Epiſcopo, Deus Heriberti apud Superos magnam gloriam monſtravit, cum dicto, Heribertum, à Cæſare, baltheo, quem illi deeſſe videbat, fuiſſe ſpoliatum: quod ubi Henrico innotuit, glorioſo Præſuli, profuſis in miſeros, ad ejus honorem, largitionibus, regiè parentavit, ut, quem in terris ſeriùs coluerat, cœlo receptum honoraret largiùs. Sed (mi lector) ecquem mihi dabis, vel mediocrem principem, qui magnas in proximum offenſas, tanto ſtudio deprecetur?

Herman. Rupert. Tuit. in vita S. Herib.

IV.

D. Heriberti Colonienſ. obitus.

Hic ipſe annus eſt, qui Henrico totíque adeò Germaniæ lætiſſimus illuxit, adventu Benedicti VIII. communis orbis Chriſtiani parentis. Duo fuêre potiſſimùm, quæ ſanctum Pontificem Babenbergam traxerunt: primum, ut Imperatorem ad coercendos Græcos, qui pleraque Calabriæ, Apuliæ, cæteráque, uſque ad Romanos fines, ſub jugum miſerant, & propediem Romam cum exercitu moturi nuntiabantur, invitaret: alterum, ut Henrico, qui divina humanáque ornamenta in Babenbergenſem Eccleſiam congerebat, gratum faceret. Superatis alpibus, triduo ante Paſchales ferias, Babenbergam eſt ingreſſus. Propinquanti, Imperator & frequentes Principes proceſsêre obviam. Proceſſit etiam Clerus univerſus, & ingens hominum multitudo. Quaterni pſallentium chori, præſentem Deum, ſunt in Vicario, venerati; primus trans flumen, ſecundus in citeriore ripâ, tertius ad ingreſſum civitatis, quartus ad gradus principis Eccleſiæ SS. Petri & Pauli & Georgii martyris, quam ingreſſus Pontifex, thronum magnificè cultum occupavit. Agebatur feria quinta hebdomadæ ſanctioris, quâ Benedictus Sacris eſt ſolenniter operatus, habuítque aſſiſtentes duodecim Epiſcopos. In Paſchate, ſub precibus matutinis, primam lectionem recitavit Aquileienſis Patriarcha; ſecundam, Ravennæ Archiepiſcopus, Cæſaris frater; tertiam, ſummus Pontifex, qui abſolutâ ſupplicantiũ proceſſione baſilicam dedicavit. Secuta eſt conſecratio ædis D. Stephani, quam Henricus Canonicorum collegio donavit. Sacris ritibus operam navârunt Epiſcopi ſeptuaginta duo. Sub miſſæ ſacrificio, Pontifex Epiſcopatum Babenbergenſem liberum renuntiavit, probavítque conceſſas à prædeceſſoribus immunitates & prærogativas. Viciſſim Henricus, Romanæ Eccleſiæ Babenbergenſem

Adventus Benedicti VIII. Pont. in Germaniam.

Babenbergenſis dedicatio.

gensem Episcopatum fecit vectigalem, jussitque, tributi nomine, equum candidum, ornatum phaleris, unàque centum argenti marcas Pontifici pendere. Id argentum à Leone IX. Pontifice remissum est, acceptâ in vicem Beneventanâ civitate. Ea dedicatio tot mortalium confluxu celebrata est, ut ad eam diem Germania nihil viderit splendidius. Convenêre quoque multarum gentium oratores. Quod miraculo fuit, in tantâ hominum frequentiâ, nullus non modò tumultus, sed ne minima quidem rixa orta est. Præbitæ de publico epulæ omnibus, quotquot libitum fuit: donaria liberaliter missa in vulgus.

Leo Ostien. lib. 2. cap. 47.

V. Supererat, ut Cæsar transiret in Italiam, ad Calabros & Apulos tyrannide liberandos, quam rem unà cum Benedicto urgebat Melus, procerum Apuliæ bellicosissimus, qui Græcis, ter aperto Marte, superatis, quarto prælio fusus fugatúsque, in Germaniâ, Cæsaris auxilium implorabat, quod in annum sequentem fuit dilatum.

BELLUM ALEMANNICUM.

In Alemanniâ simul gliscebat bellum, quod nisi à Cæsare sopiretur, discrimen erat, ne, ut fit in civilibus discordijs, alias Germaniæ provincias corriperet. Jam enim duo Conradi patrueles, quorum alter postea ad imperium evectus est, sumptis armis, in Adalberonem Carantanorum Ducem, non constat quâ causâ, non longè ab Ulmâ, infestis signis concurrerant, & Adalberoni, quamvis victo fugatóque promptum erat, Principes alios trahere in suas partes, nisi lis mitiore Henrici consilio finiretur. Ad hunc quoque annum referunt Flandriæ Annales Cæsaris novam in Flandros incursionem, mense Augusto, in quâ scribuntur Eppo & Cono, Henrici nepotes, occubuisse, nullo admodum operæ pretio, nisi quòd, productâ ad Gandavum usque agrorum populatione, exercitus paululo ditior domum est reversus.

FLANDRICUM.

AN. CHRIST. MXXI.

ALIQUOT PRÆSULUM MORTES.

Fatalis fuit annus vigesimus primus aliquot viris, religione & sanguine spectatissimis, atque inprimis Erkenbaldo Archiepiscopo Moguntino, cui successit Aribo (si Aventino credimus) Diessæ Comes & Andexij. D. Heriberto Coloniensi successit Pilegrinus, quem Aribonis consanguineum Wipo nominat; ut parùm vero consentanea scripserint, qui Pilegrini pauperem adolescentiam, & stipem ostiatim colligentem, sunt commenti. Bernwardus etiam Hildesiensis Antistes, vitâ functus; locum fecit Gothardo, gente Bojo, qui posteaquam senio fessus & honoribus, Hersfeldensem & Tegerensem præfecturas abdicaverat, in majorem lucem ab Henrico productus est admodum invitus, unctúsque ab Aribone Moguntino anno XXII. exeunte. Conantem se mitræ subducere, Virgo Deipara, somnianti apparens, induxit, ut DEUM vocantem sequeretur. Ingens terræ motus 4. Idus Maij Boicam concussit.

Vit. S. Gothard.

AN. CHRIST. M. XXII.

VI.

SYNODUS AQUENSIS.

Anno vigesimo secundo Aquisgrani celeberrimus omnium Germaniæ Episcoporum conventus fuit, quo etiam tempore magnâ siccitate laboratum, tantáque aëris intemperie, ut æstu prægravante, mortales passim deficerent, & armentorum greges, ob aquarum inopiam, siti intolerabili contabescerent. Quod dictu mirum, pavimenta & columnæ marmoreæ tanto sudore madebant, ut à nescientibus crederentur aquâ rigari. Æstas præterea crebertimis cœli fragoribus, fulgetris & fulminibus mortales miserè afflixit.

ROMUALDUM ANACHORETAM HENRICUS CONSULUIT.

Leo Ostien. lib. 2. c. 40.

ATHENULFI PERFIDIA.

Cæsar, hoc demum anno, rebus ad Italicum bellum comparatis, Benedicto Pontifice denuo rogante, suppetias, per legatos, Rudolfum Nortmannorum Ducem & Melum, qui huic legationi est immortuus, in Italiam misit. Ipse mox secutus, Romualdum Anachoretam, virum religiosissimum de viâ salutatum, quis futurus esset belli eventus, consuluit, & fausta de cœlo renuntianti, Montis Amiati domicilium, ejecto vitæ solutioris Abbate, donavit. Auctor est Leo Ostiensis, Popponem Trevirorum Archiepiscopum, undecim armatorum millia per Marsorum agrum duxisse: Pilegrinum Coloniensem, cum viginti millibus, rectâ jussum Romam proficisci, ut Athenulfum Cassinensis Monasterii præsidem, & Pandulfum ejus fratrem Principem Capuanum, majestatis reos, in vincula conjiceret. Athenulfum Græcorum partes adversus Cæsarem fovisse, & authorem fuisse,

atro-

atrocis supplicij, quo Dattus, dux militiæ clarissimus, culeo insutus, parricidarum more, sparsus in mare, crudeliter necatus fuit. Athenulfus, veniâ desperatâ, profugiens Constantinopolim, Hidrunte navem conscendit, & facto cum vectoribus omnibus naufragio, pœnas Henrico & Datti manibus persolvit. Pandulfus accusabatur manifestæ ad Græcos defectionis, atque in ejus pignus, claves Capuæ aureas misisse Constantinopolim. Is ubi cinctam à milite Capuam vidit, veritus, ne ab iratis civibus hosti dederetur, ultrò ad Pilegrinum in castra prodijt, implorans Cæsaris fidem atque clementiam. Causam jussus ex vinculis dicere, oratione meditatâ conatus est judicibus fucum facere, quasi contra Rempublicam non fecisset. Verùm cùm nemo subtilibus rationibus moveretur, tristi omnium sententiâ confixus est. Et erat actum de ejus capite, nisi Pilegrinus, qui dedititio vitæ incolumitatem erat pollicitus, suâ illum authoritate ultimo supplicio exemisset: non evicit tamen, quò minùs ferro onustus, in Germaniam deportaretur. Cæsar, per Beneventi fines transiens, omnes urbes, quas Græci imperio detraxerant, recepit.

SUPPLICIUM.

PANDULFUS DAMNATUS.

VII.

TROJA OBSESSA.

Troja recens munita operibus & firmo præsidio, ausa est venienti portas claudere, & se impigrè adversus oppugnantes tueri. Animos faciebant Græculi, jactantes, vere primo venturas à Basilio Imperatore tantas suppetias, ut non dubitarent, Henricum brevi ad illius pedes supplicem Constantinopoli futurum, si modò obsessi propugnando tantisper durarent. Crevit audacia, cùm factâ eruptione, Henrici obsidionales machinas igne corruperunt. Verùm ubi eas vidêre instauratas, & adversus flammam corio inductas, simul extractâ in tertium mensem obsidione, nihil auxilij appareret, demisêre animos, & cœperunt pacatiora respectare. Non ignorabant, minatum esse Henricum, se eorum contumaciam tali domiturum exemplo, quod ad posteros foret memorabile, nec passurum, ut vel unicus civis, ullúmque urbis vestigium superesset, ne servatis quidem virilis sexûs infantibus. Quare vehementer soliciti de Cæsaris irâ mitigandâ, quod meminerant, rebus desperatis aliquando profuisse; quicquid erat ætatis innocentulæ, cogunt in longum supplicantium ordinem, jubéntque lugubri habitu, ad Cæsaris castra procedere. Agmen ducebat Anachoreta, præferens Christi de cruce pendentis effigiem. Erat audire voces puerorum, miserabili concentu Cæsaris clementiam implorantium, spectare vultus ad mœrorem compositos, fluentes lachrymas, talémque totius oris speciem, quæ quamlibet durum pectus ad misericordiam posset emollire. Ingressi ordine intra vallum, unde ab Imperatore poterant exaudiri, eum exciverunt ad lamentabile spectaculum, cui illachrymans: Vestri, inquit, parentes ad eam vos miseriam redegerunt: infelix innocentia, quam scelus alienum fecit nocentem. Tum conversus ad adstantes: Ferum pectus (inquit) quod sustineat eorum hauriri sanguinem, quorum ne lachrymas quidem, nisi crudelis oculus, possit intueri. Tum pueros jussos esse bonis animis, salvos remisit in urbem. Postridie cùm eâdem illos pompâ rursum prodeuntes conspexisset, nec ultrà misericordiam posset premere: Misereor, exclamat, super turbam: deinde jubet magistratibus renuntiari, si salvi esse vellent, liberos imitarentur, & ante omnia, mœnium partem, objectam machinis, extemplo diruerent, & tum denique sperarent de victoris clementiâ. Paruêre illi sine morâ, & veniam à mitissimo Principe impetrârunt. Pacis obsides toti provinciæ imperati, facta potestas reficiendorum mœnium, admonitis, ne ullum crederent stare posse Reipublicæ munimentum, quod constanti in Principem fide non niteretur. Sunt, qui scribunt, Henricum cum Græcis, haud procul Salerno, signa contulisse, & victoriâ potitum, in accepti beneficij monimentum, duo templa condidisse, alterum Deiparæ Virgini, alterum Sanctissimæ Trinitati, Florentiæ.

PER TENELLÆ ÆTATIS SUPPLICATIONEM IN FIDEM RECEPTA.

Græcis in Apuliâ devictis, Henricus, Pandulfo Theanensi Comiti, tradidit Capuæ principatum: Meli Ducis nepotibus, Comitum titulos honorésque contulit, dum paternæ possessiones recuperarentur. Inde Cassinum Montem cum Benedicto Pontifice Maximo abijt: ubi cùm Monachi Theobaldum, moribus

Henricus Cassini a nephriticis doloribus miraculo curatur.
Leo Ostien. l.2.c.44.

& genere clarum, Abbatem optavissent, Benedictus ratam habuit electionem, & sacris ipse cæremonijs Præsulem initiavit, Cæsare pium opus approbante. Isthic ipsi, felici prodigio, detersa est dubitatio, utrùm D. Benedicti sacra lipsana in Cassinate, an verò in Floriacensi cœnobio, servarentur, quod utriusque loci Patres, pro se quique sanctum id sibi pignus assererent. Hærentem in ancipiti, gravissimus lateris cruciatus invasit. Quærenti à manu medicâ levamen, per noctem objectus est D. Benedictus aspectabili formâ, qui suum ei nomen humanissimè professus: Ne, inquit, in posterum dubites, mea ossa Casini habitare, id tibi præsentaneo beneficio palàm faciam. Jam te jubeo, Dei nomine, esse perpetuò liberum nephritide. Crastino manè tribus grandiusculis calculis, citra omnem dolorem levabis vesicam. Experrectus primo diluculo Imperator, ternos lapillos, sine cruciatu, facillimè enixus est, posteáque immunis fuit ab eo tormento. Actis Deo & suo liberatori gratijs, Soteria præstantis operis exolvit, Evangeliorum codicem, auro purissimo gemmisque exquisitissimis opertum, exaratum aureis litteris emblematisque mirificè ornatum. Addidit calicem aureum, margaritis insignem, vestem auro textam, sacerdoti ad aram facienti, accomodam. Ejusdem operis sacram trabeam: situlam prætereà & pateram argenteam magni ponderis. Redemit quoque vestem altaris S. Benedicti, quæ Judæis erat oppignorata, quingentis aureis, olim à Carolo Rege donatam. Repigneravit item calicem Saxonicum majorem cum sacrâ lance, quos Theodoricus Saxonum Rex D. Benedicto donaverat. His donarijs adjecit arcem, Ventra nomine, ereptam prædonibus, qui Casino solebant esse infesti, unáque Monasterium Cannetense, situm in agro Thermulensi, aliáque complura, quæ longum esset recensere. Et verò etiam seipsum S. Benedicti disciplinæ fuisset ex integro dicaturus, nisi id seriò meditantem, cœlum & fata cohibuissent. Solebat in colloquio familiari narrare, se unam eandémque D. Benedicti manum, & peccati vindicem, & pœnæ expultricem fuisse expertum. De mali remedio jam dixi. Morbi nephritici originem hinc accersebat. Cùm nondum ad imperij fastigium conscendisset, divertit aliquando ad quoddam D. Benedicti Cœnobium. Isthic, quoniam stabuli angustiæ equorum multitudinem non capiebant, ausi sunt jumentarij curatores, equos aliquot, intra sanctiora monasterij septa, eâ parte, quæ sacri Capituli (ut vocant) congressibus est propria, collocare. Eam vernarum licentiam, luit graviter Henricus. Secundum somnum S. Benedictus adstitit minaci vultu, & increpans, quòd suam domum tam irreverenter occuparet: simul virgâ, quam gestabat, Henrici latus fodit, unde illi dolor infelicis arenæ, ad hunc usque annum adhæsit, donec idem, qui morbum inflixerat, fecit medicinam.

IIX. Illum priùs, quàm Italiâ excederet, scribunt quidam, (quorum fides antiquiorum testimonio egeret) ad Garganum montem, religionis causâ, in D. Archangeli Michaëlis prodigiosâ speluncâ secessisse, &, quod vix ulli mortalium licebat, in sacris loci adytis, Angelorum choros, divina celebrantes, vidisse: audisse concentus, & oblatum à cœlestibus genijs Evangeliorum librum osculo libâsse, sensisséque, sibi femur ex Angelico contactu, adducto nervo contrahi, indéque factum, ut in reliquam vitam claudicaret. Nauclerus, claudicationem ait evenisse, cùm Romæ in æde D. Mariæ Majoris Christum Jesum, summum Sacerdotem, Matre Sanctorúmque cætu præsentibus, Sacris vidit operantem, & à recitato Evangelio, librum, Angeli manu oblatum, osculatus, raptus extra se, cœlestem Spiritum audijt laudantem ejus castimoniam, advertítque, contractum femoris nervum, à pristino rectè gradiendi officio defecisse. Verùm ista Scriptorum dissensio facit, ut, neutrobi id Henrico evenisse, viri graves censeant, sed assentiantur veteribus Fuldensis Ecclesiæ membranis, in quibus legitur Henrici magnifica liberalitas: habent illæ, Eum *primis regnandi exordijs, cùm se venatu exerceret, graviter à ferâ sauciatum, nomen inde populari jactatione, Huffeholz, id est, claudi, tulisse.* Atque ista quidem de Italicâ expeditione & votivis peregrinationibus.

Dona Casinensibus oblata.

S. Henricus unde claudus.

Rever-

Revertentem in Germaniam, fœdissima lues, nata ex inclementi auræ Italicæ fervore, cui corpora Germanorum non assueverant, excepit. In exercitu vulgata, propagatáque per Germaniam, ingentes strages edidit, & redegit exercitum ad eam raritatem, ut è provincialibus centurijs, miles per Germaniam fuerit sufficiendus, qui Cæsari aliquam saltem speciem faceret honesti comitatûs. Inter cæteros extinctus est Ruthardus Constantiæ Episcopus, & Burcardus Abbas Sangallensis, quibus additus est, anno sequenti, Hartwicus Salisburgensis, vivus mortuúsque clarus miraculis, quem fama publica, sanctitatis nomine, magnis cœlitibus comparavit. Fertur, mortuos revocâsse ad vitam, cæcis oculorum usum reddidisse, moribundos viribus restituisse, ramo exarescenti flores solo contactu dedisse, indéque loco nomen rivi floridi, Plüenbach, esse natum. Præterea scribunt, eum nervos in nodum glomeratos laxâsse, & nonnulla alia divini favoris indicia, mirandis operibus, prodidisse. Eo vivo, Henricus Salisburgi Nonnenbergense sanctimonialium domicilium cœpit, adjutrice Cunegunde, instaurare. Id monasterium, quod D. Ruperto Boicæ Apostolo sua debet incunabula, primámque sub D. Erentrude sorore sacrarum virginum institutionem, cùm antiquitus Cella appellaretur, bellico furore devastatum, ad locum, quem hodie occupat, translatum, Henricus atque Cunegundis de integro refecerunt. Pretium pietatis tulit optimus Cæsar, consuetus in morborum molestijs adire sanctos sospitales, & miram eorum benignitatem experiri.

PESTILITAS IN EXERCITU.

AN. CHRIST. M. XXIII.

HARTWICUS SALISBURGENSIS CLARUS MIRACULIS.

INSTAURATIO NUNNEBERGENSIS COENOBII.

Laborabat infirmitate, quam medici Epilepticam nominant, quæ ex venenatæ qualitatis & cerebri, cui illa vehementer est infensa, hostili conflictione, sensuum omnium, ipsius adeò mentis functiones cum gravi artuum convulsione intercipiebat. Cùm ad eam depellendam, omnem medicorum industriam consumpsisset, & implorâsset aliorum sanctorum opem, se contulit ad S. Erentrudis tumulum, impetravitque particulam ex ejus reliquijs, quam annulo insertam, gestans de collo, mox sensit vim sacri amuleti, cujus præsentiâ factum est, ut Epilepsia suam sedem videretur reliquisse: ita pacatus illi constitit corporis animique habitus. Ne verò dubium esset, unde quies ista provenisset; cùm Monasterium, aliquanto pòst tempore, igne conflagraret; Henrico in thermis, quas abluendi causâ erat ingressus, D. Erentrudis reliquiæ casu exciderunt. Pòst ubi exciderant, humor epilepticus, velut laxato exitu, è suâ sede furtim proserpens, in cerebrum, per cæcos ductus, suo more, cœpit denuo sævire. Aberat tum Cæsar longè à Salisburgo, cùm cœlitus cognovit Nonnebergi incendium, & velle quidem Deiparam & B. Erentrudem, ejus ruinam per eum reparari. Itaque morbo depellendo, rursus poscit notam medicinam è Divæ cineribus, séque voto obligat, fore, ut si consanesceret, monasterium instauraret à fundamentis. Voti damnatus, & subitò valetudini redditus, ædificium eduxit in formam meliorem, duóque prædia, augendis cœnobij proventibus, adjecit.

Vita S. Erentrud. Canis. to. 6. pag. 1128.

HENRICUS PRODIGIOSE LIBERATUS MORBO EPILEPTICO.

IX.

Cæterùm, Hartwico Salisburgensi demortuo successit Guntherus D. Henrici Cancellarius. Finem quoque vivendi fecit Gebhardus Ratisbonensis Antistes, de quo multa superiùs. Eum Bruelense cœnobium conditorem agnoscit. Eidem successit alter Gebhardus ex Augustensi Canonicorum collegio postulatus, qui scribitur ab Aventino, fuisse perinde atque præcessorem nitelæ vestium curiosus; ita mores non optimi assumuntur ab antecessoribus faciliùs, quàm à successoribus deponuntur. Initium ipsius regiminis Henricus nobilitavit ampliatâ capellâ veteri D. Virginis, additâque Canonicorum Sodalitate. Priscum altare, olim à D. Ruperto dicatum, in eâdem æde, ob sanctæ vetustatis reverentiam, mansit immotum.

Per id temporis, Aribo Moguntinensis Archiepiscopus, Erckenbaldi successor, duas synodos, Provinciæ suæ Antistitibus, primam Moguntiæ, alteram Seligenstadij indixit. Hujus meminit Baronius ad annum M. X X I I. quam tamen Auctor Micrologi vocat Moguntinam. Ejus acta, Burchardus Episcopus Wormatiensis, qui sacro conventui interfuit, refert in Appendice Decretorum. Primæ cogen-

DUÆ SYNODI PROVINCIÆ MOGUNTINÆ.

cogendæ causa fuit Othonis Hamersteinij Comitis, qui novo flagitio sese Irmengardis amoribus rursus implicaverat, noxâ iteratâ. Hic Patrum & Cæsaris iras veritus, promisit, se in eorum fore potestate: Irmengardis non Pontificum modò censuram, sed armatam etiam Cæsaris manum contempsit. In posteriore conventu actum de Ecclesiasticâ disciplinâ, cujus normam, Patres viginti Canonibus sunt complexi.

Cæsaris colloquium cum Roberto Franciæ Rege.

Exinde Cæsar ad amicum, cum Roberto Franciæ Rege, colloquium, uti inter eos convenerat, se contulit, cum selectissimorum virorum comitatu. Congressi sunt, super Charum amnem, in Regni utriusque confinio. Glaber, qui rem enucleatè descripsit, scribit, eos ad Mosam esse collocutos: Sigebertus, super Charum fluvium, apud Elvasium vicum, quem hodie Ivodium appellant. Virdunenses tabulæ, in rebus Haimonis, concilij Elvacensis meminerunt. Maximis hujus ævi principibus res erat de pace stabiliendâ. In colloquij limine, celebre fuit modestiæ certamen; non secus, atque si uterque fasces, ad Christianæ demissionis aram posuisset, exemplo, quod nostro sæculo, cui elegantiarum pretium perinde, atque animorum est, jure merito affundat ruborem. Erant inter utriusque Palatinos, qui regias aures implebant vanis tuendæ majestatis argumentis, quasi neuter Regum, absque ejus diminutione, flumen posset transire, eò quòd id genus officij videretur esse quædam professio reverentiæ in digniorem: quod ut vitaretur, suadebant, ut vel in navigijs, vel in ponte subitario, medium amnem colloquio deligerent. Sed Henrico major erat cura modestiæ, quàm majestatis, & satagebat, ne virtute & comitate vinceretur. Quare, occupato transitu, primo diluculo, in frequente comitatu, in Roberti, nec cogitantis, complexum venit. Tum, ut erant ambo mirè pij atque religiosi, nihil habuerunt antiquius, quàm ut divinam è cœlo lucem, opémque rebus cognoscendis agendísque flagitarent. Quam ad rem adstitêre Episcopis ad aram facientibus. Exinde pacatissimè suscepta est, de communi salute, deliberatio, ut Regnorum & Ecclesiarum consuleretur incolumitati, tanta animorum consensione, ut, non suas singuli pro se partes, sed utriusque, in commune suscepisse viderentur, quæ vis fuit & sanctitas Christianæ charitatis, quæ nihil quærit cum alienæ rei detrimento. Successit magnifica contentio regiæ liberalitatis, cujus priores partes Robertus occupavit, ne eâ virtute, quæ Principum propria est, se pateretur superari. Post epulum, Henrico & Cunegundi obtulit immensæ opulentiæ rerúmque pretiosissimarum ingentem copiam, rogavítque, nequa pars à Cæsare remitteretur, alioqui crediturum se nihil placuisse. Jussit præterea adduci centum equos, phaleris nobilissimè ornatos, addi totidem loricas & galeas. Verùm, quæ fuit Henrici abstinentia, nullis flecti precibus potuit, ut præter Evangeliorum librum, auro gemmísque tectum, & D. Vincentij dentem, præstanti clausum thecâ, quicquam admitteret. Cunegundis ex toto tot pretiosissimarum rerum apparatu inaures duntaxat carpsit. Robertus, die postero, ad Cæsarem trajecit, cum splendido Episcoporum comitatu. Dici vix potest, quantum illi honorum & benevolentiæ repensum sit. Tanta Henrici fuit liberalitas in Regem & eos, quos secum adduxit, ex quibus neminem voluit abire indonatum, ut (Sigeberti verba sunt) *opibus Regum Persarum, aut Arabum posset comparari Imperatoris munificentia.* Munera ex auro puro, centum omnino pondo æquabant, ex quo Rex Cunegundis urbanitatem imitatus, aurium solùm elenchos, cum insigni amicitiæ testificatione, selegit. Coronidem sancto conventui imposuit factum consensu decretum, ut Princeps uterque, ad Benedictum Summum Pontificem, Papiam proficisceretur, & quæ sapienter erant constituta, ejus arbitrio ambo submitterent. Verùm id consilium mors Pontificis, ipsiúsque Cæsaris intercepit. Hic etenim, factâ Paderbornæ, sub anni finem, ejusce Monasterij, quod D. Meinwercus construxerat, dedicatione, redux in Saxoniam, post actas, Magdeburgi, Paschales ferias, per intervalla morbo cœpit tentari; tum Gruonam delatus, validiùs ægritudine cruciari. Eò loci videtur contigisse, quod cum Principibus de subrogando successore eum fecisse tradit Sigebertus. Rogantibus

Modestiæ et liberalitatis certamen.

X.

Henrici morbus.

tibus, quem fastigio dignissimum judicaret, præter omnium expectationem, Conradum Franconiæ Ducem, cognomento Salicum, nominavit, qui tamen graviter & sæpe in Henricum impegerat, fovendo rebelliones, detrectando imperia & officia clientelæ: & vox, nihilo minùs, velut oraculum, accepta est. Cùm supremam sibi horam sentiret imminere, Cunegundem ejúsque propinquos accersens, adstantibus Episcopis & Abbatibus: *Recipite*, inquit, *quam mihi tradidistis, vestram virginem, qualem accepi, talem reddo. O conjugium*(ait author vitæ S. Cunegundis) *non voluptate, sed bonâ voluntate copulatum! ô sanctum matrimonium, ubi una fides inviolatæ castitatis, ubi unus spiritus misericordiæ & veritatis. ubi idem velle in virtutibus, idem nolle in vitijs.* Et, paucis interjectis, sic concludit: *Hæc est generatio quærentium Dominum, qui viventes in Christo, & membra sua mortificantes propter Christum, super terram morientium, modò regnantes cum Christo, bona Domini sui vident in regione viventium.* Agebat sanctus Imperator, cùm vitæ suæ clausulam mense Julio imponeret, annum ætatis quinquagesimum secundum, regni vigesimum quartum, Imperij undecimum. Ejus funus, cum incredibili omnium Ordinum luctu, Babenbergam (quod vivens jusserat) est deportatum, & conditum in basilicâ Principis Apostolorum. Cœlitum illi honores ab Eugenio decreti. Certè quod in purpuratis rarum est, plures post mortem, quàm in vita habuit adoratores, miraculis & sanctitate, quàm sceptro & imperio clarior.

CUNEGUNDIS VIRGINITAS.

D. HENRICI OBITUS.

Herman.

Quod verò Nonnosius in S. Henrico, & auctor vitæ S. Cunegundis, tradunt de Augustæ virginitate, per astum hostis tartarei, in suspicionem adductâ, nemo ex æqualibus istius ævi scriptoribus, quem legerim, meminit, ut mirum sit, rem adeò prodigiosam, missam non esse in litteras, ante annum M. CLVII. tunc enim D. Henrici vita scripta est, hoc est, centum triginta tribus annis ab Henrici excessu. Auget admirationem, quod nemo annum miraculo ausus est annotare. Ne tamen tot magnorum virorum consensum vocem in dubium, facit Bulla canonizationis Innocentij III. excerpta ex membranis Babenbergensibus, & Martinus Hoffmannus, dum asserit eò loci, ubi prodigium fuit editum, stare sacellum, & duorum vomerum reliquias S. Henrici urnæ inclusas ad faciendam fidem, remque gestam in æde D. Stephani esse depictam, hujusce argumenti.

Mart. Hoffman in M.S. Annal. Bamberg. in fol. pag. 18. §. 3.

D. Henricus cacodæmonem, sub larvâ ignoti militis, vidit, triduo continenti, dubiâ luce è Cunegundis thalamo prodeuntem. Satagebat videlicet veterator, juratus hostis castimoniæ, ut tam sanctum amoris castissimi exemplum obscuraret, vel certè, castissimè amantes, inter se suspicionibus & odio collideret. Cæsar, qui suis oculis fidem ægrè negare poterat, Cunegundem violatæ fidei accersit, idem accusator testis & Judex in funestissimâ causâ futurus. Illa provocat ad candentes vomeres innocentiæ defensionem. Cùm ad crudele spectaculum duceretur. *Ingemuit* (inquit author vitæ) *& ait: Domine DEUS, creator cœli & terræ, qui probas renes & corda, judica judicium, & eripe me. Te enim testem & judicem hodie invoco, quia nec hunc præsentem Henricum, nec aliquem virum, carnali commistione, unquam cognovi. Hoc dicto, stupentibus & flentibus universis, vomeres candentes nudo vestigio calcavit, & sine adustionis molestiâ, secura pertransijt. Ita DEUS omnipotens vinculum castæ dilectionis servavit, innocentiam comprobavit, integritati custodiam humilitatis adhibuit.* Henricus, perfectâ pudicissimæ conjugis integritate, ad ejus abjectus pedes, veniam rogavit imprudentis suspicionis. Quæ si ita habent, credamus, necesse est, Stephani Papæ V. qui alijs est VI. decretum adversus candentis ferri judicium, fuisse tum ab D. Henrico, tum à D. Cunegunde ignoratum, tametsi quidem ante centum, ut minimum, annos, ad Lindbertum Moguntinum Archiepiscopum, quem Gratianus Lambertum & Humbertum mendosè vocat, esset perscriptum. Neque enim credibile est, Imperatorem religiosissimum, fuisse alioqui commissurum, ut sciens volens, *superstitiosâ adinventione*, DEUM offenderet, quandoquidem non deerat modus longè certior & laudabilior explorandæ veritatis. Et sanè Carolus Crassus Richardem Augustam ad vanissimam istam purgationem non admisit.

PROBATIO VIRGINITATIS PER CANDENTES VOMERES.

c. consuluisti, caus. 2. q. 5.

Gloss. ind. c. consuluisti. vi per obortum.

Quod de Henrico, in supremo divini judicij examine periclitante, & appenso per D. Laurentium calice, ad districtæ libellæ lancem, ut ne peccatorum pondus prægravaret, Nonnosius, & vetusti Cassinensis Monasterij Annales referunt, non possum non relegare ad fabulas, & mihi duco religioni, commentum, ab alijs exactè refutatum, hoc loco recensere. Magnæ virtutes, quæ illum Divorum numero asseruerunt, non patiuntur, ejus salutem, ad tales angustias referre, & eo quidem articulo, quo quicquid satisfactionis habuit unius calicis donatio, jam dudum erat à justissimo judice in rationes relatum. Quid non habuit ponderis sanctissimè servata pudicitia, profusa in res sacras & egentium inopiam largitas, mansuetudo incomparabilis, pietas in Deum, studium religionis propagandæ per Ungariam, per Slavorum regiones & magnum latè Septentrionem, noctes, in divinis congressibus, pervigilatæ, sanctum firmandæ pacis studium, perennes pro Republicâ curæ & labores, toleratæ ingentes morborum molestiæ, pauperum ac viduarum defensio, Sacræ Romanæ Ecclesiæ protectio, fides fiduciáque in Deum inconcussa, aliarúmque virtutum actiones meritis & sanguine Christi imbutæ? Nemo pius credet, apud Deum nullum pondus habuisse Ecclesiam & Episcopatum Babenbergensem, cui Henricus tantas opes addixit: multùm valuit instauratus Merseburgensis, adjuti Misnensis, Hildesiensis, Argentoratensis, Magdeburgensis, templum Basileense, quod eum agnoscit authorem, cœnobium Beneventanum, quod in Italiâ condidit, munificentia in D. Petrum Romæ, largitas in D. Benedicti Cassinum, in Cluniacense Monasterium, innumera alia, quorum memoria passim est in tabularijs. Cavebat impensè, ne sacræ ædes, squalore, vel ornamentorum vilitate luridæ, Deo habitatori displicerent, ita ut soleret dicere, quantosvis sumptus bene locari, qui Deo fierent. Ea propter Brunoni fratri succensuit, quod Augustæ Vindelicorum D. Mauritio templum, impensâ, quàm imperaverat, parciore, excitâsset.

Nonnos, in SS. Bamb. C. 28. pag. 43.

Henrici virtutes.

XI. Neque illud vulgaris est virtutis, quòd priùs, quàm in pugnam descenderet, totum exercitum juberet religiosè expiari, omnésque copias, litatâ & perceptâ divini corporis hostiâ, adversus hostem muniri. Consueverat etiam, Sanctorum è cœlo suppetias vocare in auxilium, præsertim D. Georgij cœlestis bellatoris, DD. Laurentij & Adriani, quos subinde bello Slavonico, adversus Bojæmum & Sarmatam, aciem præcedere & hostes in fugam vertere, est conspicatus. Magno in pretio habuit Odilonem Cluniacensem Cœnobiarcham. Cùm ad eum Cluniaci divertisset, urnulam crystallinam rari operis, lautijs refertam, de mensâ misit Odiloni. Illa, dum incautiùs tractatur à curiosis, infelici casu, solo allisa, in frusta dissiliens, creavit ingentes curas, eò quòd vas Regi esset in delicijs. Odilo, fragmentis collectis, Deum precatus, scitè phialam refecit, remisitque Imperatori, quæ tum demum inter præstantissima cimelia & dignas Cæsare pateras, locum meritò potuit obtinere. Impensè quoque coluit Burcardum Wormatiensem Episcopum, qui non longè post Henricum ad Superos abijt. Eum, scribit Baronius, anno MXXV. naturæ debitum exolvisse. Obijt verò in tantâ rei domesticæ tenuitate, quam contraxerat profusâ in egentes liberalitate, ut tres duntaxat denarios, nullum præterea teruncium, in ærario reliquerit. Credebatur tamen aliquid saltem habere reconditum in arcâ, quam studiosè celabat. Ejus clavem, moriens, commendavit sorori. Cùm cutta simpléxque supellex lustraretur, apertum simul est opertaneæ parsimoniæ scrinium, in quo dum aurum quæritur, cum grandi spectantium stupore nihil præter horrida corporis affligendi instrumenta repertum est, cilicina tunica & ferrea catena bene attrita, thesaurus, quo nemo, nisi cœli cupidus, uti potuit. Atque hic ipse Burcardus est, qui Conradum Salicum optimis instructum præceptis atque disciplinis, in suo velut sinu, ad maximas spes educavit. Puerũ minimè ferocis indolis, proximi, ut imbellem & rebus magnis haudquaquam idoneum aspernabantur. Vnus Burcardus cereo, ad bonos mores, ingenio delectatus, eum, exquisitis rationibus, ad generosas cogitationes, formabat, ostendebátq; se summa omnia præsagire. Ad fastigium evectus, de eo

Vit. S. Henr. c. 4. Breviar. Roman.

Burcardus Wormatiensis. Liberalis in egentes, domi pauper.

Studiosus carnis edomandæ.

Conradi Salici educator.

de eo præsagire. Ad fastigium evectus, suum magistrum invisit, qui id temporis lecto affixus tenebatur, ex morbo, qui illi supremus fuit, ubi tamen Conradus adfuit, velut fecisset cum corporis debilitate inducias, animo vegetus, Regem, omni officio, quod à valente potuisset sperari, coluit, & Tributiam usque comitatus, extremùm amplexus, proquinquum vitæ suæ exitum prædixit, & nonnulla alia, quæ Henrici excessu per Germaniam vulgato, venire in apertum cœperunt. Tum enim de subrogando successore magna Principes solicitudo incessit. Locus habendis Comitijs dictus, Camba, villa ad Rhenum, inter Moguntiam & Wormatiam.

Citeriorem Rheni ripam, Boij, Saxones, Francones, Alemanni castris prætexuerunt; ulteriorem, Mosellani, Lotharingi, Transrhenani omnes. Duo erant præcipui coronæ regiæ candidati, iique, unius nominis & sanguinis, patrueles. Conrado utrique nomen. Major, in quem Procerum vota conspirârunt, natus Henrico, qui, Henrico Rixoso abdicato, Boicæ præfecturam, vicario nomine, gessit aliquamdiu. Hujus avus fuit Otho, qui Bojariæ simul & Sueviæ jus dixit cum amplissimâ potestate. Conradus alter candidatorum, idémque ætate minor, Conradum, Carantanorum Ducem, patrem habuit, éstque idem ille, qui Adalberonem Ulmensi prælio, ante annos quinque, superavit. In horum majore, virtus primas ferebat, in minore opes & clientelæ. Ille ob probitatem amabatur, hic timebatur ob potentiam, videbatúrque, si repulsam ferret, ægrè iras in potestate habiturus. Impetratum tamen ab utroque, suas ut spes Principum arbitrio permitterent. Id cùm, sponsione & mutuo complexu, volentes lubentes firmâssent, itum in suffragia. Aribo Moguntinus, cui primum fuit jus suffragandi, Conradum Majorem nominavit: cæteri ejus votum & authoritatem sunt secuti. Conradus Minor etiam eundem Regem salutavit. Cunegunda Imperatrix principum judicio assensa. Augustalia insignia, quæ asservanda à D. Henrico acceperat, ilicò in medium produxit. Conradum Majorem, Salicum, 6. Id. Septemb. Aribo Moguntinus, solenni ritu, Regem unxit. Giselam uxorem, D. Henrici neptem, Agrippinensis Archiepiscopus, augurali benedictione, ad II. Cal. Octob. Aquisgrani in Ordinum frequenti conventu impertijt.

CONRADI DUO, IMPERII CANDIDATI.

CONRADI SALICI ELECTIO ET UNCTIO.

Sifrid.

Herman.

XII.

Conradus mox ab inauguratione recepit in gratiam omnes, cum quibus aliquando odia exercuerat, professus, alias fuisse Conradi, alias Regis esse iras. Sed & eundem diem duplici justitiæ documento nobilitavit. Prodeunti ad cæremoniam auguralem, tres miseri sortis infimæ, unus agricola, pupillus alter, tertia vidua, suam fortunam lamentantes, occurrerunt. Cùm Palatinis indecorum videretur, publicam lætitiam vilium hominum quiritatu interpellari, eos jusserunt submoveri. Negavit Conradus, se eo, quo steterat, loco pedem moturum, quin sua genua prensantibus fecisset satis. *Quo enim officio* (inquiebat) *possum imperium, quod mihi Respublica imposuit, melius auspicari?* Quare in vestigio omnes tres, benignâ sententiâ, est solatus. In solio locatus, audijt calamitosum hominem, per injuriam patriâ extorrem, postliminij jus reposcentem. Cùm per confertam turbam irrumpenti stipatores viam occluderent, Conradus prehensum manu, in editiores throni Regij cancellos attraxit, & auditâ causâ, jussit à Procerum fidissimo in patriam reduci. Quibus factis, magnum sibi omnis generis hominum amorem conciliavit, ut palàm voces omnium audirentur, precantium illi diuturnum principatum, victoriam, & incolumitatem: hortantiúmque, faceret semper, quod facere cœpisset.

CURA IUSTITIÆ.

Cunegundis Augusta, pòst, ubi Henrico sanctissimo conjugi religiosè parentaverat, se sancto fati genere rebus humanis subduxit. Aliquas suæ fortunæ reliquias Frisingensi Ecclesiæ transcripsit, ac demum, ad 3. Idus Quintileis, Pontifices accersijt, ad dedicandam Monasterij Confugiensis (Kauffungense prope Cassellas Hassi nominabant) Basilicam, quam suo ipsa ære reparârat. Simul erat animus, seipsam DEO, in parthenone, quem virginibus extruxerat, dedicare. Ubi ex sacro codice cœpta decantari historia Zachæi, cultu regio spectabilis, revincta diademate ad aram progressa, thesaurum præstantissimum, crucis Dominicæ parti-

AN. CHRIST. M.XXV.

Vit. S. Cunegund.

S. CUNEGUNDIS SE ABDIT IN CONFUGIENSI MONASTERIO.

particulam, obtulit, deinde augustalem coronam; mox cycladem auro ostróque rigentem, fuscâ tunicellâ mutavit, promissam infra humeros comam, quæ hodie pro sacris exuvijs colitur, resecuit, sanctóque flammeo caput obnupsit. Sic Christo sponso locata, in Confugiensium sanctimonialium sodalitio, velut una de cæteris, spectatoribus, qui frequentes aderant, gaudio collachrymantibus, quod vitæ habuit reliquum, sanctissimè exegit: bis nupta, perennis virgo, innocentiâ & animi demissione nulli secunda, prodigijs & virtute, quàm genere & dignitate illustrior. Juditham ex sorore neptem, quam suo exemplo ad studium vitæ sanctioris traxerat, viventem indulgentiùs, ut ad disciplinæ exactiorem normam revocaret, impactâ in faciem palmâ castigavit: ut diutiùs hærerent bonæ monitionis vestigia, digitorum notas valde conspicuas impressit, quæ illi per omnem vitam pro monitore fuerunt. Cùm flamma Cunegundis lectulum corripuisset, illam objecto crucis signo cohibuit, ne stragula carperet, aut substratam paleam, quam lambere cœperat, depasceretur.

Compilat. Chronol. pag. 34. NEPTEM CASTIGAT.

Conradus Rex, majorum more, qui apprimè erat salutaris, Regni negotia provinciásque coràm inspecturus, Paschalia Reginoburgi celebravit. Res inter hæc in Italiâ nonnihil nutârunt, reviviscente spe, regni ad Italos reducendi, vel recuperandi priscam libertatem. Heribertus Mediolani Archiepiscopus, comperto, Conradum Minorem (quem ad Majoris differentiam, cum alijs scriptoribus, deinceps Cunonem nominabimus) Mosellanorum & Lothariensium studijs subnixum, non ita regnandi cupiditatem exuisse, quin videretur, res in Germaniâ novas moliturus, jure Mediolanensium Antistitum ad usum revocato, utriusque Ordinis Proceres Roncalias convocavit, de Rege Italiæ deligendo. Verùm, ubi sententijs in diversa abeuntibus, ob privatas easque multiplices variorum spes, nihil à dissentientibus posse confici animadvertit, conversis ad Conradum studijs, Constantiam profectus, eum Regem salutavit, impetravítque, ut deinceps Mediolanensis Antistes Laudensem Episcopum non modò (quod jam ab Othone Magno obtinuerat) initiaret, sed etiam, quod novum erat, porrectis in signum potestatis, virgâ & annulo, Episcopi rebus præficeret.

VVippo in Conrad. Salic. MOTUS GLISCENTES IN ITALIA. *Sigon. in Conrad.*

Advenêre quoque Papiensium Legati, rogantes, ut eos Conradus volens & pacatus, sacramentum dicturos, in fidem reciperet. Verùm ij graviùs deliquerant, quàm ut primo statim aditu absolverentur. Etenim illi, cognitâ D. Henrici morte, quasi penes eos regiæ urbis esset absoluta potestas, Palatium, quod Papiæ Theodoricus Veronensis insigni opere struxerat, & Otho III, magnificè ornaverat, funditus exciderant, audebántque facinus defendere inani commento, quasi, quicquid ipsi in interregno justi injustive patrarent, à nemine alio, quàm ab urbano magistratu posset jure cognosci. Conradus jussit eos, Regiam primùm instaurare, deinde audituros, quid promeruissent. Parabantur interim necessaria ad Italicam profectionem, & prospiciebatur, ne Cuno, absente Rege, turbas in Germaniâ concitaret. Dandus etiam erat Henrico Conradi filio, adhuc tum octenni, tutor & institutor. Ad quod munus delectus est Bruno Augustanus Antistes, D. Henrici frater, quem sub id tempus mirum ostentum ab avaritiâ ad meliorem mentem reduxit.

PAPIENSIUM INSOLENTIA. BRUNO AUGUSTANUS, TUTOR HENRICI CONRADI.

XIII. Cùm se Cunegundis Cauffungensi parthenone clausisset, ausus est Bruno revocare in dubium, quæ sanctus ejus frater dudum statuerat, ut, quod ab Othone III. donativum mancipi jure in agro Babenbergensi acceperat, cederet in possessiones novelli Episcopatus: & Eberhardus Babenbergensis Antistes, per aliquot jam annos, ea bona quietus tenuerat. Bruno nodum quærens in scirpo, se dicebat bonæ partis istorum fundorum hæredem. Quare pollicetur, se Conradi conjugi & Henrico ejus filio eas possessiones donaturum, si Gisela mater, malæ causæ patrocinium susciperet. Dictus est disceptationi locus atque dies. Eberhardus Episcopus pridie, quàm in jus iret, Brunoni multis conatus est persuadere, ut ab actione tam infami abstineret: sed oleum & operam perdidit. Intervenit D. Henricus, Brunoni apparens per nocturnam quietem, notâ quidem specie, sed mediâ

MALAM LITEM MOVET.

mediâ barbâ depilatus. Ille obstupescens; *Quis* (inquit) *mi frater, te sit ausus* D. Henrici
est violare? Tu, inquit Divus, *ille ipse es, qui me omnésque mecum Cœlites, audes in-* species
jurijs lacessere: téne non meum jam, sed Christi Regis patrimonium expilare, Dei *cul-* Brunoni
tum Divorúmque memoriam immani sacrilegio lacerare? Cavesis hoc faxis, alioqui se- obiecta,
veram Numinis brevi senties animadversionem. Tam gravi interminatione Bruno eum ab in-
cohorrens, stimulante conscientiâ, statim vela vertit. Cùm illuxisset, & vocare- coepto de-
tur ad concilium, respondit, se inopinato casu domi retineri. Cùm Regina urge- terret.
ret, ut se in sellâ gestatoriâ pateretur ad curiam deferri; *Ite verò*, dixit, *& Reginæ renuntiate, me fratris irati nocturno viso, sic animo viribúsque fractum esse, ut ne quidem ausim de abrogandâ ipsius donatione cogitare.* Regina quoque territa, à cœpto destitit, ne in se Numinis iras verteret. Bruno, paulò pòst sibi restitutus, utilem operam regij principis educationi navavit. Ex Wippone, qui Conradi fuit Capellanus, constat, eum, unà cum Wernherio Episcopo Argentinensi, consilio & authoritate plurimùm apud Conradum valuisse, atque imprimis curâsse, ne regiæ familiæ quicquam ad splendorem deesset.

Per eadem tempora gliscebat rumor, Boleslaum Polonum, relicto Principis Boleslai
titulo, regium nomen sumpsisse, quod illi mors, paulò pòst secuta, ademit, sustulitq; Poloni
gravem hostem regni Germanici, cui subnatus est, in ipsis imperij visceribus, non mors.
levis timor ex Cunonis rebellione, & factione potenti, cui nomen dederant ma- Conspira-
gni Principes, Ernestus Conradi privignus Dux Sueviæ, Fridericus Dux Lotha- tio in Re-
ringiæ vitricus Cunonis, Welfo Altorfius. Tametsi eorum consilia Conradum gem.
non laterent, tamen rebus satis consultum est arbitratus, quòd regnum dispositis quaquaversum præsidijs, firmavisset, & Ernestum vitrici reverentia, & Reginæ matris continuæ monitiones à conjuratis dissociâssent. Reconciliato Conradus do- An.Christ.
navit Campidonense cœnobium, Burcardi Abbatis obitu viduum, quod Ernestus M.XXVI.
in suos clientes distraxit, támque malè impendit, quàm accepit, infelix pignus integratæ gratiæ, quæ ævum non erat latura; malè parta, malè dilapsa. Conradus Inconsul-
ingressus Italiam, Paschate Vercellis celebrato, Mettenses, qui ad arma provo- ta coeno-
lârant, prælio fusos, haud gravatè reddidit patriæ & gratiæ, quam supplices petive- bii Campi-
runt. Voluit porrò Modoëtiæ, prisco more ad usum revocato, Longobardico donensis
diademate coronari. Id cùm Mediolanenses ureret, Modoëtiæ Coronam, per donatio.
contemptum vocârunt palearem, negârúntque, se Regem suis mœnibus receptu- Conradus
ros: quamobrem eos Conradus obsedit, obsessorum offensus pertinaciâ, sub- Modoetiæ
urbia redegit in cineres, fines vastavit, nec mitiùs habuit Papienses, qui nondum coronatus
devastatam Regiam, quemadmodum erant jussi, instauraverant. Romam eun- Mediola-
tem, Ravennates lubentes in civitatem acceperunt: sed mutatâ mox voluntate, num obsi-
eum per tumultum eijcere sunt conati. Vis illata Germanis periculi securis, cæ- det.
désque ex contubernijs, in quibus incogitantes opprimebantur, erupit in plateas *Wippo.*
cum luculentâ multorum strage, donec miles conglobatus, injuriam cœpit plenâ Tumultus
manu remetiri, tantâ ferociâ, ut, nisi Conradus, ad compescendam vim, equo sub- Ravennæ.
limis accurrisset, ab ultimâ pernicie Ravenna haud procul abfuisset, quando plerique tumultuantium cæsi, vel abjectis armis ad sacrum basilicarum asylum refugerant. In eo Germanorum discrimine, præcipua Epponis Comitis, natione Boij, fortitudo enituit. Is, arrepto vexillo submotísque è ponte civibus, fulminis in morem, in restitantes invectus, quacunque ferebatur, obvios quosque sic perculit, ut ejus conspectum nemo sustineret. Die posterâ cives atrati, nudique pedes, agmine miserabili, Conrado supplices, hesternæ væsaniæ gratiam impetraverunt.

Dum res Italicæ in eo sunt, in Germaniâ Cunonis factio, abusa Regis absen- XIV.
tiâ, cœpit turbas agitare. Cuno quidem palàm nihil molitus est, & Fridericum Turbæ
Lotharingum mors intercepit; sed Ernestus malè reconciliatus, & Welfo magnis Germa-
in Boicâ & Sueviâ potens clientelis, arma in Regis amicos, apertâ in Regem ipsum nicæ.
perduellione sumpserunt. Welfo Brunonem Augustanum, sibi hostem delegit, *Wippo, Her-*
tametsi non ignoraret, se in eo divexando, Regi ægrè facturum. Alternante for- *man.*

Augusta expugnata. tunâ primùm certatum est; sed demum Brunoni res malè ceciderunt. Ejus arces complures solo æquatæ: Augusta expugnata, quicquid dirum ac hostile est experta. Brunonis opes cessêre direptioni. Similia passus est Engelbertus Frisingæ Episcopus, eò quòd auxilia Brunoni junxisset.

Welforum origines. Quoniam verò Welforum nomen identidem nobis recurret, eorum origines paulò altiùs sunt repetendæ. Welfones, Itali Guelfos dicere maluerunt. Eorum stirpem, novelli quidam Genealogi, non sine aliquâ specie veritatis, ab Agilolfingis repetunt, secuti Theganum, qui Welfum primum, Ludovici Pij Socerum, è nobilissimâ Bojariorum stirpe scribit prodijsse. *Chron. Weingart.* Unde illum Marianus Scotus Ducis appellatione honoravit. Fortunæ, nonnihil sub majoribus extenuatæ, sedem fixit in Sueviâ, ubi tenuit Altorfij & Ravenspurgi dominatum. Ejusdem posteros, renovatæ cum Boicâ gente necessitudines, amicitiâ & affinitate devinxerunt. *B. Rhenan. lib. 2. rerum German. Welser. M. S. Laz. de migrat. gent. l. 7.* Welfonis nepos, nomine Henricus, filius Etichonis, cliens Regum Bojariæ, quater mille prædia beneficiario nexu, inter Lycates, qui in primâ Boicâ censebantur, tenuit. Altonis Monasterium è ruinis eduxit. Altorfij aliud à fundamentis excitavit, & ex Beatâ Hohenvartensi Comite Bojâ, D. Conradum Constantiensem Episcopum, Etichonem & Rudolfum sustulit. Postremus Ittam Oeningæ Comitem sibi matrimonio conjunxit, atque ex eâ Welfonem II. procreavit, & Richelindam, quæ Adalberoni ultimo Eberspergæ Comiti nupta, solarij ruinâ fuit oppressa. Welfo II. ex Jutâ Luxemburgensi, Henrici Boicæ Ducis sorore, Welfonem III. & Cunegundem, alijs Cunissam, tulit. Welfo III. Carantanorum & Veronensium Comes, sine sobole decessit. Cunegundis soror Azoni Astensi collocata, Welfonem IV. dedit, quem Avia ex Italiâ revocatum paternis bonis imposuit: unde factum, ut, cùm opulentæ hæreditatis potior esset ratio, quàm soli patrij, Suevis, non Italis, accenseretur. Eum nihilominus Bojarij, principatus jure, quem inter eos gessit, & ob avitas Welforum origines suum esse dixerunt. Atque hic ipse est, qui ob rerum gestarum gloriam & transmissum ad posteros Boicæ dominatum, majoribus præluxit, cùm in ordine atque numero inter Welfones quartus esset, primus tamen fuit appellatus. Et ex eâ quidem gente, nati Principes, qui cùm religionem Cæsarum amicitiæ præferrent, præclaros Ecclesiæ Romanæ patronos dederunt: unde natum est, ut, qui Pontificiarum partium, Cæsaribus alijsque sedis Apostolicæ adversarijs, obstitêre, Guelforum nomen tulerint adversus Gibellinos, de quibus sæpe redibit sermo.

An. Christ. M.XXVII. Nunc, ut ad Conradum redeamus, Joannes XX. Pontifex Maximus, defuncti Benedicti frater & successor, illum summâ voluntate, ad capessendos Imperij titulos, in urbem invitârat. Is de viâ Lucenses, imperata facere recusantes, coëgit ad deditionem.

XV.

Conradi Romana inauguratio. Romæ acceptus est pronis totius urbis studijs, & ipsâ Christi redivivi die, à Joanne, in Basilicâ Vaticanâ, Imperator, majorum more, est renunciatus. Inaugurationi adfuerunt Rudolfus Burgundiæ, & Canutus Angliæ Reges, adfuêre simul frequentissimi Italiæ Principes. Cùm inter Ravennatem Antistitem & Mediolanensis Archiepiscopi legatos lis esset exorta, utri Conradum coronandum Pontifici sisterent, Conradus, ex Joannis sententiâ, controversiam extemporali responso finivit: id juris ad Mediolanensem, si præsens adesset, fuisse spectaturum; cùm verò, ad hoc officij vocatus, non venisset, jussit Pontifex, Ardericum Vercellensem Episcopum sui Metropolitani vices obire.

Romana seditio. Publicam ejusce diei lætitiam turbavit seditio, malum ferè ordinarium, Romanos inter & milites Germanos, à duobus mediastinis excitata. Rixati primùm sunt de corio bubulo, causâ levi ad grande discrimen: deinde rixantibus accurrit ex tempore frequens utrinque armatorum multitudo, & gliscente in majus tumultu, pugna commissa est, in quâ magno numero Romani occubuerunt. Ferociùs in eos involârunt Germani, quòd Berengarium Lutolfi filium interemissent. Conradus jusso utrinque à sanguine temperari, furentes sedavit. Pacatis rebus discedens, iter per Lombardiam intendit. Nonis Maij Ravennæ fuit; ad nonum Calendas Junias Veronæ: pòst paulò Bergomi, ubi ejusce Ecclesiæ prærogativas

novo

novo diplomate sancivit. Reversus in Germaniam, D. Joannis Baptistæ natalem egit Ratisbonæ; unde profectus, Ulmæ celebrem egit conventum, in quo Welfo, etiamsi se supplex Conrado dedidisset, jussus tamen est, turbatæ patriæ pœnas, temporaneo exilio, luere, &, quod Bruschius scribit, omnia damna, quæ urbi Augustanæ & Ecclesiæ intulerat, sarcire, quod vetus author cum memorat ad unguem præstitisse: Ernestus custodiæ mancipatus, & post brevem captivitatem à Conrado dimissus, novos motus dedit, quos in loco exequemur. WELFO RELEGATUS. ERNESTUS CAPTIVUS.

Secuta est mors Henrici Bojariæ Ducis, D. Cunegundæ germani, qui Calendis Septembris, grandævus vitâ excessit. Eum Osterhofæ, quod in Boicâ Monasterium est, cum uxore Mariâ conditum, auctor est Arenbekius, cui Aventinus subscripsit. Duos, vel summum tres supra viginti annos, si exilij tempus accenseas, Bojariam gubernavit. Successor illi datus Imperatoris filius, qui inter Henricos Quinti nomen tulit. HENRICUS BOIARIÆ DUX MORTUUS.

Hoc anno Guntherus Salisburgensis Archiepiscopus, quatriennio, in Pontificatu, cum laude exacto, defunctus; & post aram D. Erasmi, in hypogæo Salisburgi tumulatus, sacram infulam Dietmaro II. optimo Præsuli reliquit. Abijt sub idem tempus ad Superos Aurelia Virgo apud Reginoburgenses, cujus vitam Wolfgangus Selenderus studiosè descriptam, egregijs notis illustravit, ex vetustis D. Emmerammi membranis. Divæ memoria oblivionis sepulchro non debuit obrui, tametsi ab antiquioribus fuerit prætermissa. Ejus tumulus, quotannis appenso tapete, & accensis candelis, celebratur, more, ab anno M. XXVII. ad annum usque M. D. XCIX. quo Selenderus scribebat, recepto. HENRICUS V. SUCCEDIT. GUNTHERI SALISBURGENSIS OBITUS. B. AURELIA VIRGO.

Fuit verò Aurelia ex Hugonis Capeti, Francorum Regis sanguine oriunda, soror Roberti Regis. Nata est Parisijs, & sanctè educata. Ab ineunte ætate insolentium puellarum consortia fugiebat. Facta nubilis, Christo castissimè nupsit. Ut virginitatem procul ab insidijs haberet, tametsi ob nobilissimos natales & formæ elegantiam à potentissimis quibusque ad nuptias ambiretur, clàm profugit in Boicam, vili tecta habitu, & Ratisbonæ stipem rogans, à Ramuoldo, Abbate D. Emmerammi divinitus agnita, & recepta comiter, solitarium diverticulum ad urbis mœnia, ubi D. Andreæ sacellum, accepit. Quo loco, tum à D. Wolfgango, tum à Ramuoldo ad omnem sanctimoniam formata, annos quinquaginta duos, inter severas corporis afflictiones, rerum cœlestium meditationi impendit, ac demum migravit ad sponsum immortalem. Nacta est conditorium in Cœnobij peristylio versus meridiem, in cujus superiore marmore hoc lemma est:

Hic pia florescit Aurelia Virgo sepulta,
Quæ pœnas nescit, cœli dulcedine fulta.

Saxum inferius, quod additum est ejus Mausolæo, ad eam neutiquam pertinet, sed unde sumptum, ex vocis similitudine, quibusdam scriptoribus imposuit, non advertentibus, Aureliam, cujus est adjectitium istud Epitaphium, P. Ælij Juviani fuisse conjugem, quæ à nostrâ Aureliâ toto cœlo est diversa, quod ipsum ostendit titulus paganus, editus ab Appiano, quando is quidem est Jovi inscriptus hisce notis:

I. O. M.
ET PERPETUÆ SECURITA-
TI ET MEMORIÆ.
DULCISSIMÆ. AURELIÆ P.
ÆL. JUVIANUS. CONJUGI.
INCOMPARABILI.

AN. CHRIST. M. XXIIX. *Wippo. Lambert. Herman.*

Nos verò jam monet ordo temporis, rerúmque à Boijs, sub Henrico, gestarum series, ut ad Boicam redeamus. Henricus Dux nondum egressus erat pueritiam. Imperator eum undecennem, quòd regia indoles ætatem longè superaret, Aquisgrani collegam dixit in frequentissimis Imperij Comitijs. Pilegrinus Coloniensis Antistes, sacras inaugurationis cæremonias adhibuit, festo die Christi Resurgentis. HENRICUS CONRADI COLLEGA.

An. Christ. M.XXIX. Bruno Augustanus mortuus.

Anno sequenti, Bruno D. Henrici Imperatoris germanus, Reginoburgi in Comitijs, diem extremum clausit 9. Cal. Maij, vel, quod habet vetus Chronicum Augustanum, uno die serius. Bruschius mendose posuit annum trigesimum primum. Wippo, ejusce ævi æqualis, illum nominat utilem & clarum ingenio, si eum non obscurâsset alienus à D. Henrico fratre animus. Præcellenti Henrici Regis educationi immortuus est. Fuit regiâ magnificentiâ & prudentiâ singulari, semel tamen iterúmque, quod superiùs ostendimus, nimiùm avarus. Ecclesiæ Augustanæ opes auxit non mediocriter. Primariam aram Deiparæ Virginis in æde cathedrali, amplissimâ dote locupletavit, eâ lege, ut Canonici quotidie defuncti manibus, recitato ante eandem aram psalmo CXXIX. bene precarentur, & anniversarium obitûs diem quotannis agerent, in æde principe. Eo nomine donavit Straubingam, adjunctáque patrimonij latifundia, quæ omnia Ludovicus & Wilhelmus fratres, Bojariæ Duces, superiore sæculo, à Christophoro de Stadion Episcopo Augustano, cum totius collegij assensu, triginta plus minus aureorum millibus comparârunt. Bruno quoque D. Afræ Canonicorum Collegium D. Benedicti sodalibus transscripsit, in quibus B. Reginobaldus Cœnobiarcha idem ille, qui ad Spirensem mitram, ob egregias virtutes, fuit assumptus. Idem Bruno ingentem vim aureæ argenteǽque gazæ, cæterique Sacrorum apparatûs, summæ D. Virginis ædi donavit. Ejus funus illatum basilicæ D. Mauritij, Imperatrice & Henrico Rege exequias euntibus. Habuit ante summum altare mausolæum, cujus fronti, ex lapide porphyretico, erat incisus hic titulus.

Reginobaldus Episc. Spirensis.

ANNO DOMINI CULTUS PATER EST HIC BRUNO SEPULTUS.
MUNERE DE CUJUS FABRICÆ CLARET DOMUS HUJUS.
GRATES REDDAT EI LEGIO SACROSANCTA THEBÆI.
OBIIT MXXIX. IN PROFESTO S. GEORGIJ.

Stetit Mausolæum usque ad annum M.D.XLIII. donec à Novatoribus solo æquatum est, & Anno M.D.LXXIII. ab Alberto utriusque Bavariæ Duce restitutum cum hac Epigraphe.

EALLAX EST HIC MUNDUS, FINIS DUBIUS,
EXITUS HORRIBILIS, POENA INTERMINABILIS.
BRUNO ISTE, EPISCOPUS AUGUSTENSIS FUIT,
ET ECCLESIÆ HUJUS, COLLEGIJ MAURITIANI FUNDATOR.
HENRICI II. BOJORUM DUCIS EX GYSALA
BURGUNDIÆ REGINA FILIUS, HENRICI TERTIJ
ROM. IMP. HUJUS NOMINIS II. (QUI SANCTI
NOMEN MERUIT) FRATER, NON MINUS
SANCTIMONIA, QUAM SANGUINE CLARUS.

Chron. Altabens.

Brunoni ad Regis institutionem successit Engelbertus Episcopus Frisingensis. Arx Andecensis ob cœli solique amœnitatem delecta, in quâ regius juvenis sub tam præclaro morum ingeniique magistro, adolesceret.

An. Christ. M.XXX. Bellum Ungaricum.

In ea tempora incidit bellum Pannonicum, cujus alij alias causas retulerunt. Cæteris videtur præstare Wippo, qui oculatus penè testis fuit, eóque locupletissimus, cujus verba adnumero. *Eodem tempore multæ dissensiones inter gentem Pannonicam & Baioarios, culpâ tamen Baioariorum, factæ sunt: ita ut Stephanus Rex Vngarorum multas incursiones & prædas in regno Noricorum, id est Baioariorum, faceret: Vnde commotus Chuonradus, cum grandi exercitu super Vngaros venit. Rex autem Stephanus, minimè sufficiens adversus Imperatorem, orationibus & jejunijs, in universo regno suo indictis, præsidium Domini tantummodo flagitabat. Imperator, jam munitum regnum fluvijs & silvis, intrare non valens, multis tamen prædationibus, incendijs circa terminos regni, injuriam suam satis ulciscens, reversus est, volens tempore opportuniori cæpta*

cepta sua peragere: sed filius suus Rex Henricus, adhuc puerulus, Eigilberto Frisingensi Episcopo creditus, legatione Stephani Regis, pacem rogantis, acceptâ, unico consilio principum regni, patre nescio, gratiam reconciliationis annuit, justè & sapienter agens, qui Regem injustè injuriatum, ultrò petentem gratiam, recepit in amicitiam. Hæc ille veriùs quàm elegantiùs. Ex quibus apparet, Bojorum culpâ bellum fuisse conflatum, post D. Henrici mortem, recrudescente utriusque gentis vetere odio, contrà quàm scripsit Sigebertus, qui belli causam tribuit Vngarorum rebellioni. Brunnerus ait, sublatum fuisse inter Bojos & Vngaros usum commercij, & ultrò citróque commeandi libertatem; quod non negârim, si id velit bello indicto, aut flagrante contigisse, adeóque non fuisse belli causam, sed effectum. Idem, secutus Bonfinium & Carruitum, eleganter describit prodigiosam Conradi repulsam, quasi facta fuerit, per cœlestem internuntium, qui sub ignotâ tesserarij specie, Conrado inscio, jusserit, castra Germanorum retrò, unde venerat, abire, eóque nuntio Conradi exercitum ab Ungariæ finibus amoverit: quod si ita habet, mirum est, Wipponem tanti momenti prodigium vel ignorâsse, vel neglexisse, & non ab Angelo, sed à fluviorum silvarúmque divortijs causam belli intermissi petijsse. PAX.

XVII. Hæc utcunque habeant, Pannonica Conradi expeditio, spatium dedit Ernesto, ejusdem privigno, novis tumultibus miscendi Germaniam. Ille, privigni nimiâ facilitate, custodiâ solutus, abijt in Franciam, quòd speraret, se ab Odone Campaniæ Comite, ob sanguinis propinquitatem, auxilia impetraturum. Quæ spes cùm eum fefellisset, redux in Germaniam, collecto latronum globo, ex silvæ Herciniæ latebris, finitimas, Mangoldi præsertim Comitis Nellenburgici, regiones cœpit incursare. Cùm arcem Falckensteiniam obsideret, Mangoldus, cujus periculum agebatur, properatis suppetijs, cum Ernesto acie congressus, occubuit. Ejus cædem ultus est Wernerus Comes Kiburgensis, vetus hostis Ernesti, quem in conflictu interemit. Pugnatum mense Augusto: diem scriptores faciunt incertum. Ferunt, Conradum, auditâ ejus nece, nihil dixisse graviùs, quàm quòd canes rabidi sobolem non progenerent, sed potiùs in propria viscera furibundi soleant grassari, quasi diceret, iras in authorem reverti, & *virum sanguinum non dimidiare dies suos.* Hoc anno Ditmarus, unus è numerosâ sobole Babonis Comitis Abenspergij, Leonspergensium in secunda Bavariâ, & Lungionum in Carinthiâ præfectus, Monasterium Elsenpacense D. Benedicti familiæ, ad flumen Rotam, condidit: quo ex loco anno M. C. LXXI. translatum est ad montem S. Viti, prope Neomarcum, oppidum inter Landishutum & veterem Oetingam: unde Cœnobium D. Viti nomen accepit. ERNESTUS CONRADI PRIVIGNUS. OCCIDITUR. *Herman. Wippo. Hepidan. Aventin.* ELSENBACENSIS MONASTERII AD ROTAM FUNDATIO, ET AD NEOMARCUM TRANSLATIO.

Aribo Archiepiscopus Moguntinus, anno trigesimo primo, diem clausit, contrà ac scripsit Marianus. Fuit gente Bojus, à Burgilo Noricorum, Damasiâ & Andechs, Vindelicorum Dynastâ, quæ castella nunc in templa commutata sunt, oriundus. Bruschius, contra Aventinum, eum Rheni Palatinis adscribit. Litem de Monasterio Gandersheimensi, jam olim à Willegiso Moguntinensi Antistite cœptam, adversus D. Gothardum Hildesiensem Episcopum, compluribus annis variè persecutus, anno denique M. XXIX. Merseburgi finijt, conscio Imperatore Conrado, cum illustri modestiæ & æquitatis exemplo. Ipse etenim (ita scribit auctor vitæ S. Gothardi) *Patrem Gothardum secretò coram Episcopis convenit, séque hac in re errâsse professus est, sanctéque juravit, se modis omnibus satisfacturum, & deinceps perpetuò de eâ re taciturum: petiitque suppliciter veniam eorum, quæ hactenus perperam egisset.* Romanam peregrinationem voti causâ suscepturus, Natalem Christi anno M. C. XXX. cum Imperatore egit Padebornæ, ubi pro concione dixit, petiitque licentiam à Conrado & Episcopis, ineundæ profectionis. Inde digressus sub ineuntem Februarium, Romam venit, ubi voto religiosè perfunctus est. In reditu 8. Idus Aprilis vitam cum morte commutavit. AN. CHRIST. M. XXXI. *Lambert. Sigebert. Trithem. Catal. Brusch.* ARIBO BOIUS MOGUNTINUS ARCHIEPISC.

Eâdem tempestate Welfo, Boicæ Sueviæque Dynasta, fato concessit. Exitus illi vitæ haud paulò, quàm ætas anteacta, laudabilior. Postquam mortem sibi sensit imminere, superiores errores seriò est detestatus, adhibuitque (qui ævi istius abusus

abusus fuit) aquæ frigidæ censuram. Annumeravit Augustensi & Frisingensi Ecclesiæ, quas injurijs (quarum antè meminimus) affecerat, tot possessiones, ut censeretur utriusque damna compensâsse.

An.Christ. M.XXXII.

Cromer. de reb. Polon.lib. 3. in fin.

XIIX.

Bellum contra Misseconem Polonum.

Bellum, quod Conradus in Poloniâ gessit, anno sæculi trigesimo secundo, adversus Misseconem, revocat in dubium Martinus Cromerus, scriptor alioqui non indiligens, negátque, ejusce suscipiendi causam, fuisse Misseconis rebellionem, eò quòd Poloni nemini Imperatorum fuerint vectigales, & Boleslaus regium diadema ab Othone III. Imperatore ultrò oblatum, jure hæreditario transmiserit ad posteros. Admittit quidem, Germanos partem aliquam Poloniæ, per vim aut deditionem invasisse, eóque se jactâsse, quasi fuissent potiti totius Sarmatiæ principatu; sed inficiatur, ex ullius vetustæ fidei Scriptore posse ostendi, Germanos Poloniæ regnum titulósve esse adeptos, vel Misseconem à Conrado Imperatore in ordinem esse redactum. Non est invidendum nobilissimæ nationi, quam Cromerus studiosè sumpsit ornandam, neque negandum, Poloniæ Principes, pro libertate & defensione dignitatis, multas cum Cæsaribus dimicationes subijsse: sed, quod hujus loci est, dare non possumus Cromero, Conradum, hoc anno, nullum in Poloniâ bellum gessisse. Ille, si Hermannum expendisset, non negâsset, eum hujusce belli meminisse: Sic enim scribit ad hunc annum. *Imperatore contra Misseconem Sclavorum, qui Poloni vocantur, regem exercitum ductante.* Hermanno suffragatur Wippo, Hepidannus, ipséque author vitæ S. Meinwerci, quos recentiores, Naucleru, Mutius, aliique secuti sunt. Belli causa fuit, quòd Misseco, Boleslaum parentem imitatus, regium nomen, certo detrectati imperij argumento, sumpsisset, irrupisset in Saxoniam, omnibúsque hostilitatis exemplis dire vexâsset colonos: quòd fratrem Othonem patriâ ejectum, Cæsaris fidem & auxilia implorantem, in Russiam pepulisset.

Udalrici Boiæmi fluxa in Misseconem fides.

Quamobrem Cæsar, Othonem voluit è Prussiâ simul in Misseconem movere. Hic impar hosti gemino, diffidénsque Polonorum studijs, quos noverat in Othonem, qui benigniorem de se spem excitârat, esse propensiores, non ausus tentare supremam belli aleam, fugit in Bojæmiam ad principem Udalricum, qui Cæsaris gratiâ recens exciderat. Fatalis hic Misseconi receptus fuerat, nisi plus fuisset Conrado humanitatis in hostem, quàm Udalrico fidei in hospitem. Bojæmus, ratus se Cæsaris iram Misseconis capite placaturum, clàm ei per internuntios pollicetur, se, sine belló, Polonum ipsi dediturum, modò sibi tutus foret ad Conradi benevolentiam reditus: tam fluxa est improborum fides. Conradus perfidiam detestatus, negavit esse regium, tali nundinatione, hosti perniciem, & suæ existimationi ignominiam comparare: virtute, non infami dolo, cum hoste esse certandum, eo præsertim, qui sit inermis, & in quem ferrum honestè stringi non possit: simul monuit Misseconem, si salvus esse vellet, alibi quæreret asylum & tutelam. Otho ejus frater, sine vi, provinciâ potitus, haud diu fasces tenuit, sed hostium fraude interemptus, Misseconi reliquit, qui, rebus cum Imperatore compositis, ad Poloniæ principatum postliminio fuit, eâ lege, reductus, ut, tertiâ Sarmatiæ parte contentus, duos pateretur collegas, qui eum in officio retinerent.

Misseco Boiaemia certa lege potitur.

An.Christ. MXXXIII.

Rudolfi Burgundiæ regis obitus. Burgundiones Conrado sacramentum dicunt.

Herman. P. Æmil.

Hæc in Poloniâ, cùm Rudolfus Burgundionum & Arelatensium Rex, Giselæ Imperatricis avunculus, missis ad Conradum regni insignibus, Henricóque Boicæ Duce ejus filio in hæredem instituto, finem fecit vivendi. Eam institutionem, Odo Campaniæ Celticæ Comes, ad suam injuriam ratus pertinere, quòd Rudolfi sorore natus, jure sanguinis, ád se spectare crederet, Burgundiam præsidio vacuam invasit. Conradus bello Polonico expeditus, iniquissimâ anni tempestate, è Germaniâ movit, suum filiíque jus armis vindicaturus. Urcenam obsedit hieme, post hominum memoriam, longè asperrimâ. Cùm neque miles sub pellibus, neque jumenta sub dio durarent, sed in vestigio obrigescerent, refixis signis eundum fuit ad hiberna. Cæsar unáque filius, Tiguri hiemârunt, ubi Burgundiæ Proceres dixerunt utrique sacramentum. Vere aperto, Cæsar veteres Odonis Campani fines vastat, ipsum Burgundiâ ejicit, præsidia munitionibus imponit,

ponit, accipit è regno obsides; Burcardum Lugdunensem Episcopum, Geroldum Principem Genevensem, aliósque recipit in fidem. An. Christ. MXXXIV.

Odo, qui Roberto Francorum Regi se nuper hostem erat professus, undique desertus, & Conrado, cui omne Romani Imperij nomen erat in promptu, inferior, quamlibet invitus, consilium à necessitate in præsens mutuatus, tempori serviens, Cæsaris clementiam, ficto obsequio, statuit experiri, donec se benignior fortuna aperiret. Ergo supplex pollicitus est, se in ejus fore potestate; obtinuit præteritæ molitionis impunitatem, brevi novas turbas excitaturus. Ubi enim Conradus è Burgundiâ discesserat, metu solutus, irrupit in Lotharingiam, Leucos, nihil minùs, quàm vim ab eo expectantes, irritus obsedit, Barrum, Barroducæi Ducatus caput, expugnavit, omniáque circùm terrore implevit, donec à Gothelone Lotharingiæ Duce cruentâ pugnâ fusus fugatúsque, in domesticis latebris suorum manu fuit obtruncatus. Lotharingus victor, capta de hoste signa militaria misit ad Conradum.

Odo se dedit Conrado

XIX.

Odo suorum manu cæsus.

Hic cùm Reginoburgi Pascha ageret, pristinos honores patriámque reddidit Udalrico Bojæmo, qui biennio exulaverat, & abusus eâ clementiâ Jaromirum fratrem, quem Boleslaus aliàs eviraverat, crudeliter exoculavit. Quæ causa fuit Henrico Boicæ Duci, movendi in Bojæmos, quos coëgit facere imperata. Udalricus, non multò pòst è vivis abreptus, Brecislaum accepit successorem. Conradus, Bojæmiâ utcunque pacatâ, movit in Luititios, hodie Lusatios. Ea gens, antè semichristiana, ad gentilium superstitiones desciverat. Cùm illi, & vicini Saxones, mutuis excursionibus & frequenti digladiatione pacem turbarent, Conradus eos sedare constituit. Venienti, venerunt obviam utrique pacati. Cùm de pacis violatæ causis ageretur, utrisque negantibus penes se turbatum culpam residere, poscentibúsque, ut lis singulari certamine dirimeretur, Conradus assensus est. Descenderunt in arenam pugiles utrinque delecti, & in Cæsaris gentisque utriusque conspectu acriter certaverunt. Cùm penes paganum stetisset victoria, vix hilo abfuit, quin exacerbatis utriusque partis animis, veniretur ad manus: quod ne fieret, vetuit Cæsaris authoritas, qui, ad prohibendas inposterum eruptiones, Virbinum castrum excitavit, communiítque Saxonum præsidio.

Singulare certamen.

Limes Saxonicus utcunque tutus eâ munitione videbatur, cùm Barbari, anno postero, per fraudem loco potiti, Saxonibus, qui in arce curabant, magnam partem cæsis, ejectis alijs, Cæsaris iram provocârunt. Contracto raptim exercitu, movit ad Albim. Accurrerunt in adversam ripam Luititij, ut transitu prohiberent, qui reperto alibi vado apertus, partem Cæsarianorum transmisit, præbuitque cædendos paganos. Tum universis copijs sævitum in rebelles, subactisque veteri vectigali novum est additum. Magno labore periculisque stetit Conrado victoria. Visus est sæpius femorum tenus, in medijs paludibus pugnans, suos voce & manu, ad rem fortiter gerendam, animare, nihil refugiens, quod Ducis militisve partes exposceret. Eò fuit in contumaces severior, quòd perduellioni atroces in Deum injurias miscuissent. Ligneam Christi de cruce pendentis imaginem ludibrio habitam, sputis fœdaverant, colaphis ceciderant, toto vultu deformatam, confossis oculis, manibus pedibúsque truncârant, divinam inter hæc servatoris majestatem atrocibus contumelijs incessentes. Id ne ferrent impunè, Cæsar captivos complures jussit pari modo deartuari, Titum & Vespasianum, quemadmodum istius ævi poëta Cæsari accinuit, imitatus, qui triginta Judæos denario vendiderunt, in ultionem, quòd Christum triginta coëmissent. Cæsar, bello confecto, Adalberonem Carantanorum Ducem, quietis publicæ turbatorem, in ordinem redactum, pepulit in exilium, deditque in conventu Augustano, successorem Conradum suum patruelem.

An. Christ. M.XXXV.

Bellum contra Luititios.

Hoc ipso anno, Longobardi bellum, servili non absimile, concitârunt. Plebs adversus majorum gentium dominos arma corripuit. Heribertus Mediolanensis Archiepiscopus, sive nescius popularis conspirationis, sive connivens, interea quiescebat. Sumebatur à conjuratis obtentui, perennis Cæsaris absentia,

XX.

Bellum servile in Italia.

tia, immoderatio vicariorum, legum neglectus, oppressa debiliorum fortuna, justitiæ oblivio. Jactabant palàm, se, nisi Cæsar oppressis auxilia maturaret, suo marte fore vindices injuriarum & communis libertatis. Conradus fertur, eo comperto, dixisse; *Benè habet, Italia leges esurit, ego (Deo favente) legibus eam satiabo:* quod tamen distulit in annum sequentem, quo jam ad exitum præcipiti, unà cum Henrico filio, Christi Natalem Veronæ celebravit. Eodem anno Henricus Cunihildem, Canuti Danorum & Anglorum Regis filiam, Noviomagi nuptum duxit. Gebhardus II. Reginoburgi, post gestum annis tredecim Pontificatum 16. Cal. Maij, Gebhardo III. Conradi Cæsaris, ex Adelheide matre, fratri, mitram reliquit.

An. Christ. MXXXVI. Gebhardus Ratisbon. Episcopus demortuus. An. Christ. MXXXVII.

Conradus, singulas Longobardiæ civitates obiens, severissimas de factiosis quæstiones habuit. Cremonenses, qui Landulfum Episcopum, urbe ejectum, fortunis omnibus exuerant, ejúsque successorem Hubaldum, contumelijs affectum, à capiendâ Ecclesiæ possessione arcuerant: quotquot in numero conjuratorum fuerunt, prædijs Ecclesiæ Cremonensi, ad quinque passuum millia, circumquaque contributis, multavit. Dum Mediolani ab Heriberto splendidè excipitur in æde D. Ambrosij, res propè abfuit à tumultu. Etenim populus, facto ad Cæsarem concursu, ausus est percontari; utris, populo, an proceribus, suum nomen profiteretur, & hostis, an amicus esse vellet. Dilato in præsens responso, dicta dies: quâ Papiæ, totius gentis comitiis in commune omnium querimoniæ disceptarentur. Laude Pompeij, Cremâ, Brixiâ exacti seditiosi, bonorum insuper proscriptione damnati, & deportati in Germaniam. Heribertus multorum accusatione postulatus, comitantibus Vercellensi, Cremonensi, & Placentino Episcopis, Papiam quidem adijt; sed cùm negaret, suæ esse dignitatis, ut causam in conventu diceret, Cæsar offensus eâ tergiversatione, eum jussit, velut contumacem, auctorémque tumultuum, cum Episcopis Placentiam in custodiam relegari. Inde, relictis apud Placentinos Episcopis, Heribertus ad Poponem Aquilejensem Patriarcham, à Cunone Cæsaris patruele ductus, cùm remissæ essent vigiliæ Germanorum, vino per S. Sixti Abbatem largiter præbito sopitorum, habitum noménque unius è familiaribus mentitus, Mediolanum elapsus, summâ populi gratulatione exceptus est. Cæsaris factum, quòd in Christi sacerdotes, indictâ causâ, animadverteret, permulti vehementer improbârunt. Ipse adeò Henricus, eam violentiam clàm inter amicos est detestatus.

XXI. *Otho Frising. Nov. in Chronicon Cæsarum. VVippo* Italica expeditio. Mediolanensis inauspicata obsidio.

Conradus, comperto, Mediolani mœnibus esse receptum, actis Ravennæ Christi Resurgentis ferijs, eum armatâ vi persequi, urbíque obsidionem admovere constituit. Ex itinere, multa castella, in quibus Landrianum, expugnavit, multa deditione accepit. Cremonæ Benedictum Romanum Pontificem magnis coluit honoribus. Eò venerat Pontifex, ut factiosorum causam, quos facti pœnitentia cepisset, Cæsaris clementiæ commendaret, agerétque, ne qua vis, aut maleficium inferretur Romanæ ditioni, à quâ, eâ quidem vice, putabat esse abstinendum. Conradus, vastato circùm agro, Mediolanum obsedit, variâ fortunâ, ad festum usque Pentecostes. Eo die, cùm castrum Curbitum, haud procul ab urbe, premeret, ante horam diei tertiam, aëre sereno, promicuêre fulgetra, exauditi terribiles cœli fragores, secuta fulmina tantâ crebritate, ut magna jumentorum paritérque hominum multitudo exanimata, in castris perierit. Nonnulli lapsi in amentiam, intra menses aliquot, ægrè sibi fuerunt restituti. Prodigium eò visum est mirabilius, quòd, quicunque castris abfuerunt, nec cœli fulgores viderunt, nec percepêre tonitrua. Res pro infausto omine habita: unde Conradus vasis conclamatis, trepido agmine, velut minaces cœli iras fugeret, Papiam se recepit, distributóque in æstiva exercitu, ad vitandos insolentes calores, secessit in montana, exauctorato priùs Heriberto, subrogatóque in ejus locum Ambrosio Mediolanensis Ecclesiæ Cardinale. Heribertus etenim à Romano Pontifice piorum cœtu motus fuerat, ob rebellionem, qui tamen, quousque vixit, Ambrosium bello est persecutus, Henrico Rege non invito, qui Heriberti exauctorationem haudquaquam

quam laudabat. Vercellensis, Cremonensis & Placentinus, Episcopi, exilio damnati, velut rei læsæ majestatis.

Tales erant istius ævi mores, & licentia in sacrum ordinem, quem rarò contingit impune violari. Certè Cæsar parùm abfuit ab ultimo discrimine, cùm Heribertus, integratâ cum Mediolanensibus conspiratione, Novembri mense, tales ejus capiti struxit insidias, ut, nisi ex litteris Adelberti internuntij, qui ultrò citróque commeabat, fuissent detectæ, actum fuisset de ejus salute. Alterum periculum Parmæ adijt, cùm Christi natalitia ageret. Orto enim inter cives & Germanos tumultu, multis utrinque cadentibus, qui Cæsari minister erat à cibis prægustandis, Conradus nomine, obtruncatus est. Certatum est tantâ pertinaciâ, ut, cùm strages promiscua in majus cresceret, non antè fuerit à cædibus cessatum, quàm faces in tecta jactarentur. Imperator super hæc, in pœnam furoris popularis, & cæteris urbibus ad terrorem, mœnium partem jussit everti. *Chron. Altahen.* PARMENSIS TUMULTUS.

Transcenso Apennino, tendens in Apuliam, Richerium, gente Bojum, olim Altahæ Monachum, & tum Leonensis Monasterij Præsulem, cujus consilio atque operâ Cæsar magnis in rebus utebatur, Cassinatibus Abbatem dedit. Ejus liberalitate factum, ut Altahense Cœnobium, quod sub Ratmundo Abbate totum conflagrârat, anno trigesimo sæculi tertio, D. Gothardo in partem juvante, è ruinis & cineribus fuerit excitatum. Imperatrix, ab Augusto tantisper digressa, Romam religionis causâ divertit. Inter hæc, Trojæ, Beneventi, Capuæ, & passim per Apuliam, Cæsar, juri dicundo, audiendísque litibus forum aperuit: Nortmannorum, qui nuper sedes ijs locis fixerant, varias cum indigenis controversias, ex æquo & bono, temperato legum rigore sopivit. Rediturus in Germaniam, præsidia, adversus Mediolanenses, qui nondum ad officium redierant, varijs locis disposuit. Cùm mense Julio calores se vehementer intenderent, fœda lues exercitum invasit, & plurimos extinxit. Malum non stetit in solius vulgi capitibus, sed etiam Cunehildem Henrici Regis conjugem, præmaturo fato, 15. Cal. Augusti sustulit. Linaburgi sepulta est, unicámque filiolam Henrico reliquit, quæ Christo postea desponsa, sanctimonialium egit Antistitam. Eâdem pestilitate abreptus est Hermannus Dux Sueviæ, Conradi privignus 5. Cal. Augusti. Eum secutus est Cono Franconiæ Dux, ex eâdem contagione. Hermanni funus, cùm ob æstûs intemperiem ultrà vehi non posset, Tridenti est tumulatum. Grassanti malo, mitius Boicæ cœlum & felicior medicorum industria, denique finem attulit. AN. CHRIST. M. XXXIIX. RICHERIUS BOIUS CASSINENSIS ABBAS. XXI. PESTIS IN EXERCITU. CUNEHILDIS REGINA EXTINCTA. HERMANNUS SUEVUS PESTE SUBLATUS.

Conradus, in Burgundionum conventu, Soloduri, filio Henrico Burgundiam transscripsit, proceresque in ejus verba adegit. Hic annus D. Gothardo Episcopo Hildesheimensi supremus fuit 4. Non. Maij, nocte, quæ Christi in cœlos ascendentis festum præcessit. Sui fati præscius, anno superiore, Ratmundum Altahensem Abbatem, suum ex sorore nepotem, monuerat, iret ad Radilonem sacerdotum Decanum, virum inprimis charum, & mortis propediem imminentis faceret certiorem, cum promisso, fore ut brevi eum Gothardus ad Superos sequeretur. Frequens exinde illi inter familiares de patriâ revisendâ (cœlestem intelligebat) cum singulari amœnitate collocutio. Cùm illi se comites multi offerrent, rati eum de Boicâ adeundâ habere sermonem, unico Brunoni, cujus arte & penicilli elegantiâ delectabatur, condixit, fidémque eodem, quo mortuus est, die exsolvit. Etenim Bruno, æris campani signo, de ejus obitu admonitus, Divúmque precatus, ne promissi foret immemor, impetravit ad cœlestem patriam abeundi commeatum. Claruit Gothardus vivus mortuúsque miraculis, è quibus nonnulla superiùs annotavimus. Quæ jam recensebimus, digna sunt memoratu. Cùm anno M. XXIII. ad Moguntinam Synodum proficisceretur, mulierem tartareo spiritu infessam, solo nominis sui terrore liberavit, scelestissimo hospite deserente stationem, antequam sanctus in ejus veniret conspectum. Similium tyrannorum turbam è palude Hildesheimensi, unde vicina jam diu infestaverant, proscripsit, non ausam expectare vim, quam, crucis salutari signo & HENRICO CONRADI F. REGNUM BURGUNDIÆ TRANSCRIPTUM. D. GOTHARDI OBITUS. CLARUIT PRODIGIIS.

ſacris lipſanis, ſolebat ipſis inferre. Ratiſbonæ, ſtrigem, diris carminibus fruges & armentum incantantem, exarmavit, depulſo dæmone, quo illa ad maleficia utebatur. Ejus nomen à puerperis invocatum, facilem dabat partionem. Conſueverat febrim, præbitâ potione, quam precibus & cruce expiabat, ex ægrorum corporibus exigere. Straubingæ oculorum uſum cæcæ mulieri reddidit, illito luto, quod, ad Servatoris exemplum, ſputo temperavit. Paſſavienſi puero prædiviti, ſed tam infelici ingenio, ut ne prima quidem litterarum elementa, triennij improbo labore, didicerit, memoriam ſolertiámque divinitus conciliavit, eâ felicitate, ut, abſterſâ mentis hebetudine, libero homine dignas diſciplinas, mirâ facilitate aſſecutus, Paſſavienſi infulâ fuerit decoratus. Adoleſcentem nobili genere, ad arcem Stanwerburgenſem, Danubij aquis extinctum, jam in urnâ mortuali compoſitum, ad vitam revocavit. Redivivus, peccatis, quibus inferorum ignes paratos viderat, ritè expiatis, negavit ſe velle provivere, quòd neſciret, an aliàs tutiùs eſſet moriturus. Gothardus, roganti abeundi commeatum conceſſit.

An. Christ. M.XXXIX. Hæc paulùm extra annorum ſeriem. Redeo ad Conradum Imperatorem, quem anno hujus ſæculi nono ſupra trigeſimum, ipſis Pentecoſtes ferijs, Trajecti mors oppreſſit non inopina, ſed feſtinata. Nam ipſo Pentecoſtes die, cùm ad

Herman. menſam coronatus acceſſiſſet, ſenſit dolorem tolerabilem. Cùm poſtridie notaret malum augeſcere, vocatis Epiſcopis, viatico Euchariſtico procuratus, Augu-

XXII. ſtæ dedit ſuprema mandata, Regémque Henricum ultimis præceptis inſtruxit. Tum inter frequentia ſuſpiria, imbutáſque fletu precationes, piè animam exhalavit, poſtquam regnum annis ſeptendecim, Imperium quatuordecim, geſſerat.

Conradi Imp. obitus. Viſcera, Trajecti, terræ mandata, reliquum corpus avectum Spiram, in D. Virginis baſilicâ, regio more, eſt tumulatum. Henricus filius, toto itinere, memorabili pietatis exemplo, ad omnes templorum aditus, funeri ſuccollavit. Demortuo totum Imperium, ſacris largitionibus, comprecationibus, ſacrificijs, parentavit. Leſſus ejus præconio vulgatus, inter magnas ipſius laudes, hanc quoque accinuit, ad Bojos pertinentem.

Poſtquam replevit Franciam, per pacis abundantiam,
Mitigavit Alemannos, & omnes Regni Tyrannos;
Saxonibus & Noricis impoſuit frena legis.

Columna ignea. Ejus fato, conjectores crediderunt, prælufiſſe columnam ingentis magnitudinis igneam, ad 8. Idus Aprilis, inter Auſtrum & Orientem, quaſi ſolem ad Occaſum vergentem pervaſiſſet, humi prolapſam, relictâ ſui notâ, quæ diu manſit aſpectabilis.

Henrici Regis natales. Cæterùm, antequam ad res, ab Henrico Rege geſtas, aggrediamur, juvabit refellere fabulam, quam de ejus natalibus Vincentius Gallus, Gotofredus Viterbienſis, aliique commenti ſunt. Nitimur Wipponis, Othonis Friſingenſis, pluriúmque veterum auctoritate. Illi fabulatores, ut aures mulcerent narrationis admirabilitate, anilem famam ſecuti, ſcripſerunt, Leopoldum Comitem Calovienſem (ſic dictum ab arce Caloviâ, quæ hodie Kalb in Wirtenbergiâ, ad flumen Nagoldum, & oppidum ejuſdem nominis) compertum pacis violatæ, ad effugiendas Conradi iras, unà cum uxore, quæ geſtabat uterum, in Herciniæ ſilvæ abditis latuiſſe, & priſtinæ dignitatis cultu in agreſtem mutato, uſum eſſe paupertino tuguriolo. Porrò, ex intervallo contigiſſe, ut Conradus, dum feras ſectaretur, intendentibus ſe tenebris, caſu ad iſtud mapale diverteret abſente Leopoldo: & eâ quidem nocte, hujus uxorem, infantulum peperiſſe, eóque vagiente, auditam eſſe vocem: *O Imperator, infans iſte tibi gener erit & hæres:* eâ voce Conradum territum, primo diluculo, duobus è famulitio negotium dediſſe infantis occidendi; ſed eos, parvuli innocentiam miſeratos, neglecto domini imperio, cor exenterati leporis, velut indicem patratæ cædis, Cæſari retuliſſe: ſuperveniſſe verò Hermannum Sueviæ Ducem, qui audito vagitu, viſáque pueri formâ elegante, eum domi ſuæ educandum, tandémque etiam adoptandum, juſſerit deferri. Imperatorem porrò

adoleſ-

adoleſcentuli præclarâ indole delectatum, ab Hermanno impetrâſſe, ut inter Palatinos moribus honeſtis imbueretur. Verùm Conrado de incertis alumni natalibus, locóque, unde eum Hermannus ſuſtulerat, edocto, ſubortam eſſe ſuſpicionem, eundem eſſe illum, quem à matre abſtractum, juſſerat jugulari. Quare veritum, ne, quod acceperat de infante, oraculum impleretur, litteras ſuſpecto adoleſcenti tradidiſſe Imperatrici deferendas, hoc argumento: *Mox, ut has acceperis, adoleſcentem, qui eas reddet, clàm curabis occidi.* Veniſſe verò juvenem ad Decanum Eccleſiæ Spirenſis, qui eo dormiente, reſigantis litteris, ſceleris immanitate damnatâ, eraſis dictionibus, *clam curabis occidi*, ſcripſiſſe, *filiæ noſtræ nuptum dabis*: & Auguſtam quidem nihil cunctatam, ilico feciſſe nuptias, factásque renuntiâſſe marito: qui denique edoctus, generum à Calovienſi ſtirpe eſſe prognatum, nihil veritus ſit, eum ſibi dicere ſucceſſorem. Addunt commento, Hirſaugienſe Monaſterium, in Henrici ſolo natali, fuiſſe poſtea ad rei memoriam extructum: cùm tamen conſtet, Hirſaugiam longè ante Conradi tempora fuiſſe fundatam. Et verò ex ſerie rerum atque temporum fabula luculentè refellitur. Etenim Henricus erat octennis, cùm illi, ſecundo regni ſui anno, Conradus regios titulos impertijt: ergo erat adhuc innuptus: ſed & erat jam ſexennis, cùm pater regno eſt potitus, neque tum quærebatur imperij ſucceſſor, quem conſtabat ex juſto Giſelæ Auguſtæ thoro prodijſſe. Sed de his ſatis. Hoc anno Conradum ad alteram vitam ſecuti ſunt, Dux Cuno ejus patruelis, Adalbero Cunonis æmulus Dux Carantanus, Reginbaldus famâ ſanctitatis illuſtris, olim Cœnobij Eberſpergenſis Præſul, Spirenſis demum Epiſcopus, & Engelbertus Friſingenſis Antiſtes, ob eximias virtutes Cæſaribus apprimè charus, qui, locupletatâ Friſingenſi Eccleſiâ, mitram Nitgero reliquit. MORS VIRORUM ALIQUOT ILLUSTRIUM.





BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER XVII.

Res ab Henrico III. Nigro gestæ. Bella Bojæmica & Polonica variâ fortunâ. Regni Burgundiæ motus sæpius compositi. Turbæ Lotharienses. Expeditiones Italicæ in gratiam sedis Apostolicæ. Duces Bojariæ, Henricus D. Cunegundis ex fratre nepos: Conradus Minor, alijs Cuno, exauctoratus. Otho Gottingensis Saxo: Henricus Nigri filius. Henrici IV. Imp. pravi mores ex Adelberti Bremensis pravâ institutione. Idem Agnetis Augustæ, tutelæ ereptus. Schirenses Dynastæ inquieti. D. Benno Episcopus Misnensis. Craftonis Episcopi infelix avaritia.

Cosm. Pragen. Lambert. Henr. Mut. Crantz. Naucler. Dubrav.

BELLUM IN BRECISLAUM BOIÆMUM.

AN. CHRIST. M. XL.



Enricus, regnum undique pacatum adeptus, justis parenti persolutis, arma induit in Bojæmos. Dux gentis Brecislaus, qui proximus ab Udalrico principatum iniverat, haud obscurè præseferebat animum invadendi dominatûs, suis auspicijs, &, ne salutato quidem Rege, retinendi. Addunt Germanici scriptores, eum negâsse fisco regio debitum vectigal centum viginti boum & quingentatum marcarum argenti. Hermannus ipsâ brevitate obscurus, bellum à Brecislao tantisper sopitum, dato obside filio Spitigneo, Brunnerus solâ famâ confectum, scripserunt; sed mox submoto exercitu, cùm Henricus Ratisbonam ad hiberna concessisset, Brecislaum unà cum metu fidem exuisse. Ast anno sequenti, repetitam esse expeditionem, Otho Frisingensis & Germanici Bojæmique Annales referunt & insignem Regis cladem, quas Cosmas prolixè descripsit.

Cosm. Sigeb. Marian.

Henricus igitur, acto Ingelheimij Paschate, auditísque de Republicâ Optimatibus, rursum movit in Brecislaum, partito bifariam exercitu. Saxones, duce Ocardo, viro linguâ & solertiâ, quàm manu & belli artibus feliciori, adultâ æstate,
I. jussit Bojæmiam ingredi, eâ parte, quâ ad Hlumerum castrum sese nemus aperiebat. Henricus, cum cæteris copijs movens è Bojariâ, primis castris tetendit in

utrâ-

utrâque Regini ripâ. Cambum progressò, atque hinc ad sylvam, quæ Bojos à Bojæmis dirimit, retulerunt exploratores, hostem, stratis latè arboribus, iter obstruere. Jussit nihilominus signa inferri in propinquam convallem, in quâ ferebatur hostis consedisse. Quia verò in istis sylvæ, passim interclusæ, ambagibus nullus erat usus equitatûs, neque hostis, qui ultra vicinum montem constiterat, sese dabat in conspectum, remissis à tergo jumentis, equitibus omnibus, ne exceptis quidem Ductoribus, imperat, pedestri gradu ire in hostem. Grave erat lento agmini, cum æstu, viarum anfractibus, certamen; donec fractus labore miles, eas fauces attigit, quas Bojæmi valido opere muniverant. Hic oppidò lassis pugnandum in recentes & ex insidijs undique coortos. Cùm se Henrici legiones, in arctum compressæ, non possent explicare, sed à fronte & utroque latere cæderentur, ingens à Bojæmis strages est edita, non modò manipularium, sed etiam cujusque nobilissimi. Henricus cum fugientibus ægrè discrimen evasit. Wernerus Dux, inter primos occubuit: qui cædi fuerunt superstites, sine conditione se victoris arbitrio dediderunt; quod dum inter spem metúmque trepidi expectant, ex insperato salutem sunt sortiti. Guntherus, è milite factus Monachus, Bojæmici saltûs incola, de Henrici clade edoctus, repentè accurrit, & magis opinione sanctitatis, quàm pondere rationum à Bojæmis obtinuit, ut ferrum conderent, contenti tot fortissimorum virorum sanguine: si servarent dedititios, posse eorum permutatione Spitignei obsidis redimi libertatem. Placuit viri sapientis consilium. Spitigneus, ad anni sequentis initium, patri remissus est. Pugnatum est II. Cal. Septemb.

CÆSARIANI CLADEM ACCIPIUNT.

GUNTHERI MONACHI PRO CAPTIVIS INTERCESSIO.

Ocardus agrum, ad Belinam amnem, populatus, compertâ regiorum clade, fixis ad pontem Gneum castris, per Legatos Brecislao suasit, sese ut Regis clementiæ permitteret: sed cùm non persuasisset, copias incolumes in Saxoniam retraxit. Procopius, Bolino urbi, & tribus Ungarorum legionibus præfectus, proditæ patriæ damnatus, effossis oculis, manibus pedibúsque mutilatus, in flumen effusus, corruptæ auro fidei pœnas dedit. Hoc anno cœlestis Imperator, idémque sponsus sanctarum Virginum, Cunegundem sponsam, ad æternam castitatis Lauream evocavit. Illa, in extremis, advertit libitinarias parandis funebribus insudantes, vestem auro argentóque rigentem, aliáque throno regio, quàm tumulo accommodatiora comportare: at illa, collectis vitæ reliquijs: *Quorsum*, inquit, *ô bona, isthæc ornamenta, quæ dudum castitatis amatori donavi? Facessite hinc, obsecro, vanas quisquilias, & me sinite, absque istis pristinæ fortunæ retrimentis, ad amantissimi sponsi optatissimos amplexus emigrare. Non videtis Henricum, puritatis meæ custodem, me ad consortium æternitatis invitantem? Abeo, abeo, vos meum corpusculum castissimis ejus exuvijs sociate.* Ita, quàm vixerat purissimè, tam sanctè vitâ cessit, & Martij diem tertium fecit celebrem, pòst in Cœlitum fastos relata. Funus cùm Babenbergæ marito jungeretur, ferunt, auditam esse vocem: *Da Virgini Virgo locum.* Mira & naturæ viribus majora beneficia, quæ longè latéque mortalibus contulerunt, virgineum utriusque sepulchrum, toto orbe celebrârunt: nec dubium, quin eos Rex Henricus, pro suâ in Cœlites pietate, habuerit inter charissimos suæ fortunæ regnorúmque tutelares.

OCARDUS SE IN SAXONIAM RECIPIT.

PROCOPII PRODITORIS SUPPLICIUM.

D. CUNEGUNDIS OBITUS.

Certè plurimùm tribuebat cœlestibus patronis, quod ostendit anno sequenti. Eum urebat acceptæ nuper in Bojæmiâ ignominiæ memoria, quâ credebat, Germanico nomini inustam esse infamiam. Sub vernum tempus Seligenstadij, eâ de re habuit Principum comitia. Brecislaus haud nescius, isthic de suo capite coactum esse senatum, misit oratores cum mandatis, ut, quibus possent legibus, pacem impetrarent. Cùm domum nihil, præter armorum metum, retulissent, nisi se suáque Dux ipse coram Henrico permitteret, tota Bojæmia, adscitis simul Petri Ungariæ Regis auxilijs, jussa est esse in armis. Muniti aditus extemporaneis operibus, quódque superiore bello fecerant, viæ decisis arboribus intricatæ, ductæ in transversum fossæ, sicque obsepti saltuum recessus, ut nullâ vi crederentur posse expugnari. Henricus è diverso novas conscripsit legiones, & veteres

AN. CHRIST. M.XLI. II.

BRECISLAUS FRUSTRA PACEM ORAT.

instau-

instauravit novis supplementis. Ratus verò è cœlo venire victorias, ante omnia Numen voluit piorum votis propitiari, simúlque proficisci viros religione præcellentes, penes quos esset divinorum procuratio, quíque locati in subsidijs, dum miles confligeret, fusis ad DEUM precibus dimicarent. Castris ad sylvam Herciniam locatis, in militari senatu ex abrupto statuit, itinere duplici, Bojæmos invadere. Quâ parte nemus erat obseptum, ostentatâ castrorum specie, jussit, divisis per vices signis, levibus prælijs hostem ad munimenta continuò distineri, ut, ubi videretur præsentius esse periculum, illuc potissimum magnis viribus Bojæmi convolarent. Tum, explorato per agrestes saltu, cum expeditissimis legionum, flexo ad latus, circum sylvam, agmine, per incustoditos tramites improvisus perrumpit in aperta camporum, nemine prorsus cohibente. Reliquus exercitus pariter subsecutus est. Sic tota provincia per sesquimensem populationibus patuit. Hostis mœnibus suam salutem commisit. Brecislaus inops consilij, ad artes sibi familiares conversus, honestissimâ legatione Henrici clementiam tentavit. Auditi quidem Legati, sed, cùm præsenti fortunæ parùm consentanea adferrent, jussi sunt ad Ducem irriti redire, & nisi æquiora maturarent, longè duriora expectare: ea repulsa Proceres, incredibili suorum calamitate mœrentes, impulit ad ultima consilia. Cùm enim in Brecislao nulla defendendi spes in præsens appareret, authore Pragensium Episcopo, communi consensu, Henrico fecêre deditionem, polliciti, se Ducem eò necessitatis adacturos, ut vel rediret ad officium, vel, si id detrectaret, se eum vinctum Henrico tradituros. Brecislaus desertus undique, ut suorum insidias anteverteret, positâ ferociâ, per Legatos rogat, in postremum saltem gratiæ locum admitti, professus se Ratisbonæ, ad dictam diem, Regi adfuturum, daturum obsides suos, & quatuor Optimatum filios: citra pretium reddituturum captivos omnes, repræsentaturum pondo octo millia, sive argenti centum viginti octo, Germanici ponderis unciarum millia, loco vectigalis, & damna omnia, quæ vi, aut fraude fecisset, restituturum. Henricus suo usus ingenio, postulatis annuit, incruentam victoriam DEO unicè gratulatus. Ut promptiùs sine maleficio exercitum in Boicam reduceret, jussit itinera, sublatis arborum munimentorúmque obicibus, expediri; quod à Bojæmis obsequenter est festinatum, lætis, se ingratorum hospitum contubernijs esse levandos. Brecislaus, vigesimo pòst die secutus, nudus pedes, aperto capite, Reginoburgi, in frequenti Principum senatu, affusus Regis, in sellâ curuli habitu regio sedentis, vestigijs, admissorum veniam eâ demissione precatus est, ut, qui aderant Pontifices aliíque proceres, ejus sortem miserati, Henricum obtestarentur, ut misero, suum scelus profitenti, ignosceret. Jam in misericordiæ partem incumbenti, nihil opus fuit adhibere potentiores machinas. Supplicem, humo levatum, & compellatum benignè, in pristinos honores reposuit honestis conditionibus, posteaquam recitaverat solenne sacramentum.

Stratagema. — *Pacis leges.* — *Sigebert.*

Dum Henricus ista gereret, Luitpolpus, Alberti Marchionis Austriæ filius, urbem in Bojariæ confinio, parenti suo à Bojæmis ereptam, vi recepit & solo æquavit. Præfecti filium abduxit captivum cum magnis hominum pecorúmque gregibus. Miles successu elatus, suíque animi secutus impetum, in Bojæmiam se, spe prædæ, infudit, latéque vagatus, locuples redijt ad Luitpoldum. Henricus publicè laudatum, equo, quem à Brecislao acceperat, cum non vulgari honoris significatione donavit.

Luitpoldus Austriæ Marchio Boiæmiam vexat.

An. Christ. M.XLII.

III.

Bohemo quiescente, Germaniæ otium ab Ungaris turbatum est. D. Stephanus, anno trigesimo octavo, ad Cœlites migraturus, Petrum, ex sorore nepotem, sibi successorem, non illubentibus regni Ordinibus, dixerat. Cùm enim S. Emericus, quem ex Giselâ Boicâ unicum tulerat, sceptro fastidito & abjectâ prolis excitandæ curâ, divinum Oraculùm & D. Henrici Imperatoris exemplum secutus, in geniali thoro perpetuam castitatem coleret, ad Superos raptus, immaturâ morte, parentum spem frustratus, regnum, mortali longè nobilius, adijt. Quæ causa D. Stephano fuit, Petrum, quem jam dixi, solio imponendi, Vazule, qui dia-

S. Emerici castimonia. — *Bonfin. Dec. 2. l. 2.*

diademati imminebat, exoculato. Sed à successore exegerat, ut Giselam Reginam, si quid sibi humanitus contingeret, quando illa quidem de Ungaris esset optimè merita, quibuscunque officijs & veneratione prosequeretur. Petrus abunde omnia pollicitus, avunculo extincto, fidem observantiámque adversus Giselam sævitiâ mutavit, ablatis omnibus non modò regiæ fortunæ ornamentis, sed etiam vitæ subsidijs, ipsâque adeò libertate. Publico enim submotam, retrusámque in carceris angustias, domesticorum etiam ope alloquióque spoliavit. Et jam ejus improbitas eò devenerat insolentiæ, ut cuique nobilissimo, ipsi adeò virtuti infestus, nihil pro frugi homine, neque pro Rege, quem publici cura tangeret, sed pro tyranno omnia gereret, non crudelis modò, sed etiam ad infamiam libidinosus, nulli ut matronæ, nulli virgini satis esset tuta, à monstro spurcissimo, pudicitia. Accedebat indigenarum contemptus, qui haud facilè ulli Principum fuit impune. Ungaros habebat ludibrio, & se ipsum, arces, honores, præfecturas, magistratus, credebat Alemannis, súsque deque habens, quàm superbè, quàm avarè commissâ potestate uterentur. Cùm regni proceres nihil monendo proficerent, initâ conspiratione, velut in re desperatâ, Budonem, palatinorum nequissimum, cujus potissimùm suasionibus Petrus agebatur in transversum, in frusta concidunt, binis ejus filijs expungunt oculos, &, quod erat proximum, in Regis caput conjurant, eóque abdicato, Ovonem, qui D. Stephani sororem duxerat, summæ rei imponunt, parántque vim in Regem & Germanos, tandémque eos regno, veluti reipublicæ hostes, exigunt. Petrus fugit in Boicam ad Adalbertum Austriæ Marchionem, suum ex sororis nuptijs affinem. Verebatur Henrici Cæsaris fidem implorare, quòd nôsset, se in ejus indignationem incurrisse, cùm, superiore bello, Brecislao auxilia junxisset: sed denique Adalberti consilio, rebus afflictis, ab ejus clementiâ subsidium oravit, meliore, quàm sperabat, eventu. Prona est Regum in sui similes misericordia. Ut eum vidit Henricus suis affusum genibus, non tenuit lachrymas, sed bono esse jussum animo, ad spem fortunæ melioris erexit.

Petrus D. Stephani successor crudelis in Giselam Reginam.

Alia ipsius vitia.

Profugit in Austriam.

IV.

Ne tamen mox ei succurreret, obstiterunt Burgundiæ negotia, quæ eum præsentem poscebant. Hermannus motus aliquos Burgundionum insinuat, cùm ait, Henricum Regem sub hiemem Burgundiam invasisse, multósque principum, ultrò obsequentes, in fidem recepisse, & cæteroqui jure dicundo exercuisse leges. Inde concessit Argentoratum, ubi in frequenti Principum consessu, Ovonis Ungari Legatos audivit. Petri tyrannidem, aliáque scelera gravissimè accusantes, permittentésque Henrico optionem, velletne sceleratum hominem tueri, an cum amicâ gente pacem servare. Et se quidem ab Ovone jussos, pacem, vel bellum in patriam referre. Cæsar offensus legationis insolentiâ, paucis respondit: Regium jus, quod ubique debeat esse sacrosanctum, ab Ungaris in Petro manifestè esse violatum: eam esse communem Principum omnium injuriam, & Cæsaris potissimùm, qui eam neutiquam passurus sit inultam. Fore penes Ungaros belli pacisve electionem: pacem habituros, si suo Regi faciant satis; bellum suo malo experturos, si secus faxint. Se verò in utrumque paratum, ita ut neque malos metuat, neque bonis optet esse metuendus. Id responsi Ovo, velut classicum accepit, eóque jussit ad arma, totâ Pannoniâ, rigente adhuc brumâ conclamari. Tum bipartito agmine in Austriam irrumpens, utramque Danubij ripam, omnibus hostilitatis exemplis miscuit. Regionem, quæ vergit ad Septentrionem, Vicario, decem legionibus armato, vastandam objecit: ipse Australem tractum sumpsit lacerandum.

Henricus Cæsar res componit in Burgundia.

Ovonis Ungari ad Cæsarem insolens legatio.

Ovo irrumpit in Austriam.

An. Christ. M.XLIII.

Neutrobi Boijs erant vires ad sistendum impetum comparatæ. Adulto Februario, hostis improvisus Tulnam progressus, cives Bacchanalia agentes, nocte intempestâ, oppressit vino somnóqne sepultos, tecta diripuit, incendit. Inter hæc Ovonis Legatus ingentem prædam legerat, quam, ut levaret exercitum, jusserat in tutum comportari. In eâ totius provinciæ consternatione, Adalbertus Marchio & Luitpoldus filius ausi sunt facinus penè supra fidem. Primùm, armârunt

Tulnenses opprimit.

Exiguus numerus profligat decem Ungarorum millia.

runt ex suis domesticis omnino triginta: deinde contractâ popularium trecentorum, plus minus, manu, sese pro patriæ salute ultimo discrimini devoverunt, ausi invadere decem hostium legiones in tres globos divisas. Invecti in primos, tantâ eos cæde profligârunt, ut non stragem, sed ruinam viderentur edidisse. In medio Ungarorum agmine, ducebantur captivi magno numero. In hos progressi ardore non impari, pari felicitate, perruptis undique ordinibus, viam sibi fecêre ad captivos, qui vinculis soluti, arreptâ hostium vivorum mortuorúmque armaturâ, se adjunxêre Boijs: fœminæ adeò, telis, quæ sors obtulit, armatæ, plusquam muliebri ferociâ in obvios sævierunt. Hîc rursum exaggerata funera eo numero, ut manus, tametsi victrices, cædendo fatigatæ, ad prensandam victoriam vix sufficere viderentur. Tertium hostium agmen supererat, quod erumpens ex insidijs, pugnam instauravit. Hîc denuo itum, DEO animos faciente, in recentes legiones. Certamen acerrimè tenuit, donec ultima desperatio hosti injecta, fugam fecit, quam cùm Maraha fluvius interciperet, multi tranantes aquis hausti, plures obtruncati, complures capti, pauci admodum, qui cladis nuntium ad suos referrent. Inter fugitivos, fuit Ovonis Legatus, qui, cùm ope equi generosi flumen trajecisset, admissus in Ovonis conspectum, miserandam suorum jacturam ubi recensuerat, jussus est orbari luminibus & in vitam servari, ipsâ morte ærumnosiorem. E Boijs, alieno sanguine cruentis, nulli, quos Annales memorent, fuêre desiderati. Alia ex parte Ungari, in Carantanos erumpentes, læta quidem sortiti sunt initia, sed cùm tristia successissent, cæsi à Godefrido Marchione, qui cædem evaserunt, nihil præter ignominiam, & infaustum secuturæ calamitatis omen suis renuntiârunt.

UNGARI COESI IN CARANTANIS.

V.

Herm.

HENRICUS D. CUNEGUNDIS NEPOS DUX BAVARIÆ. BELLUM UNGARICUM.

Cæsar nondum exactis hilaribus, Boicæ principem dedit Henricum, D. Cunegundis ex fratre nepotem. Actis esurialibus, bellum decrevit in Ungaros. Æstas collocata est in faciendis delectibus: ineunte autumno, castra mota per Aquilonarem Danubij oram, eò quòd Australis, objectu fluminum & paludum, esset inaccessa. Primo impetu Heimenburgum & Posonium per vim occupatæ, direptæ, ac denique flammis vastatæ. Novem aliæ urbes, metu similis excidij, sese Cæsari permiserunt. Quicquid præterea usque ad Granam flumen terrarum fuit, venit in deditionem. Signa bis cum hoste collata marte secundo, & grandi Ungarorum strage; qui tamen cùm Petri imperium contumaces detrectarent, Cæsar alium regiæ stirpis exulem, qui erat in Bretislai Bojæmiæ Principis comitatu, non illubentibus Pannonum ordinibus, regno imposuit, cujus tamen brevis fuit dominatus. Cùm enim nondum deflagrâssent popularium in Ovonem studia, Regi novello cedendum fuit odijs & æmulo potentiori, & vix degustatâ dulcedine dominandi, solium solúmque exilio mutandum.

LEODEGARIUS LECHSMUNDIANUS, MAGNARUM VIRTUTUM.

Sub hæc tempora vixit Leodegarius Comes Lechsmundianus, gente Bojus, qui cùm, relictâ militiâ, ad Ordines sacros transijsset, claram sanctitatis famam est adeptus. Ad aram facienti, populus libenter aderat, quòd eum notaret cum insigni reverentiâ divina tractare. Sacerdotij, quod illi quadraginta annorum fuit, postremum quinquennium cœcus egit, eâ constantiâ, ut, cùm simul ipsi corpus in saniem difflueret, mira daret patientiæ, quæ vera dos est adultæ virtutis, exempla. Quo momento expiravit, visa fax ex morientis ore in cœlum evolare. Opes, quas illi fortuna luculentas dederat, DEO ex asse transscripsit, in fundationem Gempfingensis Monasterij, & Asceterij D. Walburgis.

GEBHARDUS COMES HIRSBERG. EPISC. EISTETTENSIS.

Claruit eodem tempore Gebhardus, è stirpe Comitum Hirsbergensium, Boici sanguinis, quem Henricus Cæsar, hoc anno, Eistettensibus dedit Antistitem in comitijs Goslariensibus, quæ Lambertus scribit habita in festo Dominicæ incarnationis. In eo conventu, Russi per Legatos, Cæsari filiæ regiæ nuptias obtulerunt, sed jam aliam exambierat, Agnetem Wilhelmi Pictaviensis filiam, vel sororem (utrumque enim traditur) quam Bisontij desponsam, Ingelheimij celeberrimâ pompâ domum duxit. Eò cùm parasiti, ludiones & histriones frequentes confluxissent, omnes jussit facessere, &, quas in eos facturus fuisset impensas, in

HENRICI CÆS. NUPTIÆ.

pau-

pauperum annonam erogari. Publicam nuptiarum hilaritatem temperavit Luitpoldi Austrij, Ungarorum victoris, mors immatura. Illi Poppo Archiepiscopus, patruus, Treviris tumulum dedit & justa funebria: de eo sic fasti veteres Trevirorum: LUITPOLDI AUSTRII MORS.

V. ID. DECEMB. OBIJT LUPOLDUS FILIUS ADALBERTI MARCHIONIS.

Gisela Henrici Regis mater, Ingelheimij, alvi profluvio 15. Cal. Maij est extincta, ac deinde Spiræ, juxta maritum, terræ mandata; quanquam, decepta à conjectoribus, crediderat, se filio Regi esse supervicturam. GISELÆ CÆSARIS MATRIS OBITUS.

Eam ad alteram vitam anno superiori præcessit Ditmarus II. Salisburgensis Archiepiscopus, posteaquam annos sedecim, optimâ fide, sedem Metropolitanam tenuerat. VI. Ei suffectus est Balduinus, quem aliqui Baldingum, alij Baldovinum appellant. Eodem anno Ditmarum secutus est Heribertus Episcopus Eistettensis, genere nobilis, virtute nobilior, & eleganti litteraturâ, S. Heriberti Coloniensis consanguineus, ornandæ augendæque suæ Ecclesiæ mirum in modum studiosus. *Hasenriet, Anonym.* Quo in genere illud est missum in litteras, quòd, cùm totus in eo esset, ut jurisdictionis imminutionem, quam Babenbergensis Ecclesia Eistettensi attulerat, sarciret, abs Henrico Rege, cujus res modò scribimus, impetravit, ut sedem Eistettensem Neoburgum unà cum D. Wilibaldi reliquijs liceret transferre. Verùm, cùm id Divo cordi non esset, subitò Henricum facti pœnituit, quod Heribertum adeò afflixit, ut D. Wilibaldum precatus sit, vellet jubere, eum extra Eistadium emori. Factus voti compos, in itinere obijt, & à Nitgero Frisingensi Episcopo tumulum est consecutus. HERIBERTI EISTETTEN. EPISC. MORS.

Henricum Regem, anno quadragesimo tertio, agentem Padebornæ, Ungarorum oratores convenerunt, violatæ fidei veniam precantes. Cùm simul Boicæ ab ijs vexatæ causa verteretur, Ratisbonam sunt rejecti, ut Boijs præsentibus leges pacis disceptarentur. Disceptatæ illæ quidem; sed cùm Legati præter crudas altercationes nihil adferrent, jussi sunt Bojcæ finibus excedere. Mox ubi excesserant, exercitus, infestis signis, eos est insecutus. Bellum unius castelli, ad Rabinissam flumen, oppugnatione confectum, Ungaris spondentibus, se imperata facturos: Ovonem regni parte fore contentum: ingentem auri vim, & certum vestium numerum repræsentaturum, restituturum Giselæ viduæ pristinum fortunæ regiæ apparatum: illata damna ex æquo dissoluturum: alteram regni partem, quæ olim Stephano Regi fuerat honoris causâ contributa, dimissurum, daturum obsides. Et hæc quidem fluxâ fide, Ovone brevi ad ingenium exitiúmque redituro. PAX UNGARICA FALLAX ET BREVIS. Henricus reversus Constantiam, in publico procerum consessu, memorabili ad posteros exemplo, *pacem* (ita scribit Hermannus) *multis sæculis inauditam, per edictum confirmavit*: quæ, ut toto imperio rata esset, ultrò veniam fecit noxarum omnibus, qui, quacunque re, ejus majestatem violâssent. PAX GENERALIS. Dein hortatus est Sueviæ Dynastas, uti pari modo suos hostes in gratiam reciperent, & sublatis discordijs, deinceps pacem colerent, quod postmodum, simili ratione, per universam Germaniam, voluit esse sacrosanctum. Edictum Constantiæ conceptum, Treviris in vulgus editum est, quod Lambertus insinuat. Grande fuisset operæ pretium, si, quàm promptum fuit pacem imperare, tam fuisset expeditum tollere belli causas.

Nata, si non data, est turbarum causa, Gothelone Mosellanorum Duce extincto. AN. CHRIST. M.XLIV. Is cùm duos filios Godefridum & Gothelonem reliquisset, Henricus Cæsar, posteriore, propter ignaviam, repudiato, altero arrogantiæ obtentu (cum certè Lambertus nobilissimæ indolis atque bellicosissimi spiritûs juvenem deprædicat) Adalberto Austriæ Marchioni Ducatum Mosellanicum donavit. VII. Atqui Godefridus, dolens se avitâ possessione depulsum, relictâ fratri Gotheloni Lotharingiæ possessione, se palàm imperij hostem professus, Adalbertum prælio superatum occidit, edidit cædes plurimorum mortalium, & agrorum populationes, quas ad Rhenum usque propagavit, nemini parcens, nisi qui se auro redemisset. TURBÆ LOTHARIENSES. Aventinus eum scribit denique principatui ab Henrico fuisse restitutum.

HIEMS ACRIS, ÆSTAS PESTILENS. *Herm. Marian. Glab. lib. 5. c. 4.* OVO FOEDIFRAGUS.

Hunc annum hiems, præter modum aspera, viribus passim ustis, fecit calamitosum. Æstas pestilens animantibus, fames, sterilitas per sex propè annos secuta, Germaniam & Galliam vehementer afflixit. Pacem turbavit Ovo Ungarus. Ut enim difficilius est ferre res secundas, quàm in adversis servare constantiam, tametsi anno superiore, ægrè ab Henrico pacem impetraverat, relapsus tamen ad fraudes, Cæsarem ad vindictam excivit. Ille contraxerat tantam armatorum multitudinem, ut inter suos jactaret, se non tam de reprimendo hoste, quàm de eo ad pugnam proliciendo laboraturum, eóque Henricum in Ungariæ fines studio admissurum, ne pugnandi occasio deesset. Ad insolentem hominis ferociam, accesserat dira in subjectos immanitas, optimi cujusque præscriptio, nobilitatis odium, probitatis contemptus, scelerum impunitas, & quicquid à tyranno poterat iniquitatis formidari. Quibus ex sceleribus, conflata est in caput tam noxium conjuratio, quæ antequam maturuisset, prodita per conscios, in certam authorum perniciem erat evasura, nisi se tempestivè tyranni ferro subduxissent.

BELLUM IN EUM DECERNITUR.

Profugos Henricus clementer accepit, & festinatis Bojorum & Bojæmorum delectibus, sex, non amplius, armatorum millia sub signa coëgit, multis improbantibus, quòd tantillum numerum ducentis Ungarorum millibus esset objecturus. Jam jam moturo Ovonis Legati adfuêre, cum speciosis mandatis, quibus fucum facerent, & nostrorum vires certò explorarent. Id tametsi Henricum non latebat, patiebatur tamen, ut hosti ferocia cresceret ex contemptu minutarum copiarum. Unius diei itinere ambo exercitus à se aberant, cùm Cæsar Legatis edixit, Ovoni ut referrent, se in diem tertium pugnæ copiam esse facturum. Eam illi fiduciam divinitus fuisse injectam, author est Marianus, quòd D. Udalrici monitu, ad hoc certamen, periculosæ licèt plenum aleæ, fuisset impulsus. Cùm suos cordatâ oratione ad pugnam animaret, tam certam illis victoriam addixit, ut non tam hortari, quàm loqui oracula videretur. Credebatur Ovo, ad condictam diem, in loco, qui prælio delectus erat, futurus; verùm ultra Rabinissam amnem recessit, sive ut æquiorem castris campum occuparet, sive, quòd plurimum illi confidentiæ decesserat, longè exiliora facturo, quàm dixerat. Henricus, nihilo secius eum insecutus per vadum, bono omine repertum, suos, noctis beneficio, in adversam ripam exposuit, & disjectâ Ungarorum statione, magnâ annonæ vi, & non paucis machinis est potitus. Eâdem fortunâ Arrabonem, hodie Rabam, fluvium transgressus, hostem habuit in conspectu, in planicie, ubi aciem explicuerat, nihil dubitans, paucas Henrici legiones, ab innumerâ suorum multitudine circumfusas, non secus atque feras plagis inclusas, ad ictum fore patentes. Verùm, ubi ventum est ad teli jactum, longè illi fuit alia mens, cœlo, quod ejus sceleribus erat iratum, pugnante pro causâ meliore. Vix cœperant signa committi, cùm Ungaris offusæ tenebræ, non modò nostrorum, sed mutuum quoque conspectum eripuerunt, ut se invicem hostium loco haberent, cùm tamen se interim amœna lux in Bojorum aciem infunderet: ita non multorum passuum intervallum noctem dirimebat non minori prodigio, quàm in Ægypti densissimâ olim caligine. Exorta simul horribilis ventorum procella, arenas humi collectas, in adversa Ungarorum ora oculósque sparsit tanto impetu, ut stare nusquam, vel caput possent in hostem erigere. Nostri interea, non secus atque Cœlites haberent antesignanos, ibant in perculsos, fodiebant ora restitantium, fugientium tergis hærebant, tantâ strage, ut sex passuum millia occisorum cadaveribus sternerentur. Pugnatum 3. Non. Julij. Cæsorum numerum nemo recensuit: è nostris pauci admodum occubuerunt. *Henricus fortissimè pugnans* (utor Hermanni verbis) non modò sapientissimi Ducis, sed fortissimi etiam militis partes, omnibus numeris implevit. Tam sibi nullam victoriæ laudem passus est adscribi, ut, posito paludamento, laneum indutus sagum, & excalceatus, ante Crucifixi effigiem prostratus, exercitu DEO gratulante, soli Christo triumphum accinuerit. Ovo, ex acie dilapsus, se in humile tugurium abdidit, in quod excussum fulmen, cum per varia latibula vagum egit, donec tandem ab æmulo protractus ad supplicium, dignas scele-

CÆSAR RABINISSAM FLUMEN TRAIICIT ET ARRABONEM.

MIRANDA DE UNGARIS VICTORIA.

VIII. *Hepidan. Glaber. Herman. Bonfin.*

OVO SECURI PERCUSSUS.

sceleribus pœnas, securi percussus, exolvit. Henricus victoriâ bene usus, Ungariam accepit in deditionem: Petrum Albæ Regiæ, majorum more inauguratum, regno restituit, & Ordines jussit in ejus verba jurare. Ungari, Bojorum fortunam admirati, se deinceps eorum legibus victuros permiserunt. Henricum è bello redeuntem, Ratisbona triumphali pompâ recepit: ipse verò simplici indutus cultu & nudus pedes, omnia civitatis templa religiosè obijt, nec fuit ara, quam festo ornatu non convestiret. Cives in DEI laudes & Regis commendationem effusi, ejus sunt imitati pietatem, cùm pro suo quisque modo, templa donis, DEUM supplicatione honorârunt. UNGARIA DEDITA. PETRUS REGNO REDDITUS.

Inter hæc nonnulli in Burgundiâ motus extiterunt. Reginoldus & Geroldus, Dynastæ, quorum ille, Reginæ Agnetis avunculus, Henrico dudum infensus, Montem Pelicardum, hodie Monpelgardum castrum, quod Burgundiæ accensebatur, obsidebant, quos Ludovicus prætor, contractis ad signa popularium centurijs, prælio victos egit in fugam. Supererant nihilo minus seditionum faces, quas ut extingueret Henricus, armatus ivit in Burgundiam, & utrumque Comitem ad obsequium redegit. *Herman.* MOTUS BURGUNDICI SEDATI. AN. CHRIST. M.XLV.

Subinde Ungari, gens armis assueta, res novas moliebantur, quòd eos non sui duntaxat Regis, sed etiam religionis, quam, D. Stephano authore, susceperant, cœpisset tædere, volente Petro Rege, miserunt Legatos ad Cæsarem, quadragintadiale jejunium Frisingæ ineuntem, infimis precibus rogantes, ut, quam pacem salutémque armis recens peperisset, eam suâ authoritate & præsentiâ firmaret. Promisit Cæsar se ad Pentecostes ferias adfuturum. Conscensâ ergo navi ad Reginoburgum, secundo cursu delapsus, ad eum venit locum, qui Danubio adsitus, Greinon vocabatur, &, ob strepentium undarum fremitus, à Germanis Strudelij nomen accepit, éstque naufragijs infamis ob latentes scopulos, quibus allisæ naves, undarum æstuantium gurgitibus aliquando hauriuntur. Scopulos excipiunt haud paulò periculosiores vortices, qui, nisi nautarum diligentiâ vitentur, naves in gyrum abripiunt, & obliquatas absorbent, nusquam de cætero nisi (quod quidam narrant) post longum terrarum spatium, apparentes. Hanc Scyllam atque Charybdim cùm Henricus feliciter præternavigaret, Bruno Herbipolensis Episcopus Regem secutus, dum latentia saxa transmittit, videt in eminenti rupe, haud procul à ripâ, monstrum tartareum Æthiopis specie, cujus aspectu territus, sese crucis signo communivit. Laverna infernalis, horrificâ voce exclamat: *Audin' Episcope? In meas manus venies. Sed abi modò, brevi me rursum visurus.* Bruno, monstrum oménque execratus, cum Rege in Richlindis viduæ illustrissimæ Dynastiam defertur, quæ, honoris causâ, utrumque in arce accepit. Tendebat videlicet pedicas toparchiæ Pœsenburgensis Comitatus, quam Adalberto III. Comes Ebersspergensis recens defunctus, Richlindis maritus D. Sebastiano Eberspergæ donaverat. Huic toparchiæ Welfo Carantanorum Dux, Richlindis ex fratre nepos, oculos cupiditatis adjecerat. Ejus causam apud Cæsarem egerunt Bruno unáque Richlindis, eo successu, ut, Altmanno Ebersspergensi Abbate haud refragante, Rex postulatis annueret, concessâ Welfoni istius Comitatûs clientelâ. Sed mirabile dictu, cùm inter epulas Cæsar dextram Welfoni, testem concessi beneficij, porrexisset, cœnaculum, in quo accumbebant, repentè corruit, convivásque omnes in subjectum balneum effudit. Cæsari summa brachij cutis perstricta est; Richlindis, Altmannus & Bruno gravissimè contusi, non multò pòst, sed expiati, & sceleris pœnitentes, expirârunt. UNGARI RURSUS TURBANT. *Annal. Altahen. M.S. Eberssp. lib. 1. c. 32. & 33.* VISUM PORTENTOSUM. CÆSAR COENACULI RUINA LEVITER PERSTRICTUS, ALII OCCISI.

X.

Cæsar eo casu tristis, iter persecutus, Albæ Regiæ, à Petro Rege & omnibus Ungariæ Ordinibus, magno, ad speciem saltem, gaudio receptus est. Petrus ad Pentecosten, advocatâ Procerum populique concione, Cæsari diadema, hastam auream, regni insignia, dedit in manus, séque ejus beneficiarium palàm est professus. Addidit ingentem auri vim, quod Cæsar, ne teruntio quidem delibato, totum in militem, Ungariæ nuper victorem, effudit. Septem inde dies cum Petro moratus, non sine tamen aliquâ insidiarum suspicione, vix unquam in publicum, PETRUS UNGARIÆ REX REGNUM CLIENTELARE PROFESSUS.

ne ad epulum quidem, nisi loricâ armatus, prodijt. Discessurus, Petro regni ornamenta reddidit, & sacramento adegit Ungaros, fore, ut Petro, quoad viveret, ipsiúsque deinde filio, essent obsequentes, nec alium interea Regem admitterent.

Gisela Regina D. Henrici Imp. soror in Boicam revertitur.

Henricum in Boicam revertentem, comitata est Gisela D. Stephani vidua, ut, extra Ungaricas insidias, in patriâ tranquillè vitæ reliquum exigeret. Eam Batavij fato concessisse, mausoleum, quod isthic visitur, ostendit. Henricus, dum Triburiam ad Comitia proficisceretur, Francofurti, morbo ad usque medicorum desperationem oppressus, propè ab ultimâ lineâ abfuit. Cùm ejus salus esset in ambiguo, complures utriusque Ordinis Principes, de successione consilia agitârunt: quo tempore Agnes Regina eum prole donavit. Proceribus curam novi Regis optandi exemit Henricus, ex insperato convalescens.

Cæsar periculose ægrotat.

Mors Guntheri Monachi.

Arnolf. Comes lib. 2. de S. Emmeram.

Guntherus, quem spreto natalium splendore, in sylvâ Bojæmicâ solitariam vitam coluisse diximus, autumno è terris abijt, relictâ insigni famâ sanctitatis. Eum Pragæ conditum, Hermannus scribit; alij in Brunoviensi Cœnobio. Vitam egit corporis afflictatione valde asperam. Arnolfus, qui illo familiariter usus est, asserit, cum arborum folia & herbas crebrò pro cibo habuisse, nec defuisse pios aliquos tantæ austeritatis æmulatores, quibus accessit Tammo, gente Saxo, ordine sacerdos, apprimè discolus & cerebrosus. Hic, cùm se Guntheri disciplinæ tradidisset, brevi cœpit severo magisterio, ipsique magistro, qui ad calumnias perstabat immotus, inter æquales obtrectare, ferrique eò licentiæ, ut relictis sodalibus, solitarius, extra omnem ductoris censuram, ageret, séque redderet dæmonis fraudibus opportunum, qui misero persuasit supremum judicij diem propè abesse, & Tammonem quidem, Christo, in erudiendis animandispue mortalibus, doctrinam, & tandem animam martyrio impensurum; opera supra omnem naturæ vim patraturum, Gunthero oculi sinistri, quo carebat, usum, duobus præterea cœcis, redditurum vivendi facultatem. Nec dubitavit, Gunthero in visu integrando, suam operam venditare, & jactare intimam cum Numine familiaritatem. Sed Gunthero longè oculatiori, ex hominis arrogantiâ, haud fuit difficile æstimare, eum tam vanos spiritus ex superbissimi veteratoris scholâ hausisse. Quare eum etiam atque etiam monuit, ne se tartareis vafrамentis ultrà permitteret. Ille tamen insanâ fiduciâ conatus est cœco prodigiosè subvenire; sed cùm lusisset operam, didicit execrari animi sui cœcitatem, & Orci præstigias, velléque Gunthero Duce, ab erroribus abduci. Meliora promittentem, pro suâ charitate, curandum suscepit; sed luctandum fuit per sex omnino menses cum inferni monstris, à quibus, velut mancipium, crebris terroribus, cùm aspectabili formâ apparerent, miser infestabatur. Ratmundus Abbas Altahensis, in eo curando in cassum laboravit: Batavensis Episcopus, cùm eum ab aris amovisset, arrogantiam compressit quidem, sed larvas, adhibitis etiam piorum votis, non proscripsit. Deus Gunthero victoriam reservabat. Dæmon, cùm ab eo urgeretur, ejus senectutem & ovillum amiculum cavillo deridebat: At ille; *Hæc ovis*, dixit, *te lupum* Deo *invisum nihil timet*. Exinde perrexit constanter sacras machinas illi adhibere, donec victum profligatúmque coëgit à misero divexando abstinere.

Tammo cerebrosus sacerdos, a stygio impostore deceptus.

An. Christ. M. XLVI.

XI.

Ungari in Petrum Regem tumultuantur: exoculatum conijciunt in carcerem. Furunt in sacra Christiana.

Anno sequenti, Cæsar excitus in Italiam, intestinis discordijs laborantem, profectionem adornabat, cùm Ungari, suo usi ingenio, in Petrum Regem denuo conjurati, ejus præsidiarios, cohortem prætorianam, & Germanos, quos, memor accepti per eos beneficij, præfecturis, Magistratibus, aliísque honoribus admoverat, contrucidant: ipsum Regem è fugâ retractum, luminibus spoliant, & paulò pòst moriturum, in arcem unà cum conjuge compingunt; captivo, ne quà elabatur, excubias circumponunt, ac demum Andream, Stephani Regis ex fratre nepotem, sive Ladislai Calvi filium, ab exilio revocatum, summæ rei præficiunt, spe eliminandi Sacra Christiana, & Scythicas superstitiones ad nefarios usus revocandi. Furor proinde conversus in sacras religionis aras: sacerdotes dirè trucidati, pietatis cultores immaniter excarnificati.

Hæc

Hæc licèt Henricum incredibiliter urerent, prætulit tamen causam Ecclesiæ in commune laborantis; quâ adjutâ, futurum non esset difficile, Ungariæ opitulari. *Sigon. lib. 8. de regn. Ital.* Autumno ineunte, transcensurus alpes, jussit copias Italicas convenire Roncalijs: & convenerunt quidem justo numero, sed cùm triduo, ultra præscriptum tempus, expectâssent, connivente Welfone, Suevo limitis Comite, velut sacramento solutæ, discesserunt à signis, ad quæ non potuerunt, neque promissis, neque minis reduci. PROFECTIO ITALICA. Ausus super hæc Welfo, fiscum regium repetundarum appellare, sat gnarus, ejus causam sub justo principe damnandam, cùm alioqui sub injusto soleat plerumque triumphare. WELFO FISCUM REGIUM REPETUNDARUM ACCUSAT. Reposcebat mille auri marcas à populo, iniquè per regios exactores extortas, illatásque Cæsaris ærario. Henricus, causâ cognitâ, aurum jussit populo extemplo exactéque refundi, contestatus, se neutiquam passurum, æris alieni vel unicum obulum in suas arcas inferri. Et ea quidem Welfonis fidentia, tam eum non fecit Cæsari exosum, ut anno sequenti, Carantanis Ducem dederit, manifesto præcipuæ gratiæ indicio. Mediolani coronatus egit conventum, atque inde Placentiam profectus, Joannem Gratianum Romanum Pontificem, quem Gregorium VI. dixerunt, eâ, quâ par erat, veneratione coluit. CÆSAR PERPERAM SE CAUSÆ PONTIFICIÆ INGERIT. Cùm verò, Sutrij, ejus causa à minoribus Pontificibus fuisset agitata, eum sponte cedentem pacis causâ, ad comprimendam Comitum Tusculanorum, in creandis Pontificibus, audaciam, loco sine vitio motum pronunciavit, judex nullo modo idoneus, & pessimi author exempli, quod ad duos Henricos, filium ac nepotem, transmissum, ingentes Ecclesiæ turbas concivit, dedítque initium hæresi Henricianæ, quam impij quidam Politici arripientes, Imperatoribus ac Regibus sanctam & Apostolicam Ecclesiam Romanam, omnium Ecclesiarum matrem ac magistram vellent esse subjectam. Certè Gregorium more majorum citráque omne vitium, ad sedem Romanam fuisse assumptum, Baronius locupletissimè ostendit, nec dissimulat, Henricum, eò faciliùs eius cessioni annuisse, quòd sciret, eum, à populo Romano, neglectâ regiâ auctoritate, quæ jam inde à Caroli Magni ævo invaluerat, in Romanis comitijs fuisse electum. *Baron. ad an. 1044.* Errant verò, qui eum labis simoniacæ arguunt: tametsi enim redimendæ vexationis causâ, spurios sedis Apostolicæ incubatores, attributis quibusdam Ecclesiæ proventibus, in ordinem redegit, ad pacandam Ecclesiam; nemo tamen Jurisperitorum judicavit, id genus pactionis, esse instar sacrilegæ emptionis, vel nundinationis lege reprobatæ. *Epist. Petri Damian. ad Greg. VI. Acta Conc. Rom. an. 1050. Glaber. lib. 5. in fin.* Et verò longè recentior est Julij II. sanctio, qui anno M. D. III. pontificatum inijt, antequam ex communi Juris interpretum sententiâ, Romani Pontificis electio, per Simoniam non reddebatur vitiosa, nec eo nomine poterat oppugnari. *Ioan. Azor. tom. 2. lib. 4. c. 5.*

XII. Gregorio igitur abdicato, Henricus Suitgerum, natione Saxonem, Babenbergensem Episcopum, virum probum & eruditum, oppidò invitum atque reluctantem, cooptavit, quem non Romani modò, sed etiam aliarum nationum, quotquot adfuêre, Præsules Proceresque, communi consensione, probârunt. SUITGERUS BABENBERGENSIS EPISC. DICTUS CLEMENS II. Is Christi natalitiis creatus, Clementis II. nomen accepit, & eo ipso die Henricum & Agnetem Augustos renunciavit. Re divinâ peractâ, Clemens, Imperator & Agnes, omnes, ut erant coronis cæteróque paratu insignes, ad Lateranensem Regiam, spectante & plaudente urbe, processerunt. *Leo Ostien. l. 2. c. 81. Glab. lib. 5. c.* Romani Henrico instaurârunt veteres honores, priscámque auctoritatem cavendi, ne sedes Romana factiosorum insolentiâ de cætero à quoquam invaderetur. Eo adnitente, novus Pontifex Romæ concilium habuit, in quo Simoniacam luem, quæ longè latéque orbem Christianum temeraverat, conatus est eliminare. AN. CHRIST. M. XLVII. Quâ de re Imperator, in frequentissimo Patrum senatu, gravissimam habuit orationem, in quâ, calente facundiâ, istud orbis dedecus aculeatè perstrinxit, suam verò, in eo genere, abstinentiam professus, palàm asserens se sacra ad turpem quæstum venalia nunquam habuisse. HENRICUS A SIMONIÆ QUAVIS SPECIE DIVINITUS ABSTERRITUS. Quam innocentiam à teneris annis altè menti impresserat divino monitu. Etenim (ita referunt Angli Scriptores) puer admodum à quodam Clerico argenteum siphunculum, quo per ludum aquam jacularetur,

laretur, donum pueritiæ gratissimum, acceperat, cum promisso, se id largitionis, olim Episcopatu remuneraturum; quod re ipsâ præstitit, cùm rerum potito, à Clerico fuisset promissio in memoriam revocata. Quam culpam, judicio mortalium non gravem admodum, DEUS severiore judicio arbitratus, gravi supplicio castigavit. Immisit Henrico molestissimam ægritudinem, & interclusâ ad triduum respirandi facultate, propè exanimem lecto afflixit. Ubi primùm sibi fuit redditus, mox Episcopum venalitium jussit moveri loco: *Qui enim* (inquiebat) *patiar hominem frui sacris opibus, qui mihi causa fuit ardoris vehementissimi, quem ex inferorum fornacibus, per donatum mihi siphonem coactus sum haurire. Nisi juvenis* (addebat) *& ipse olim ustulatus, humanâ formâ augustior, ex aureo cratere frigidam propinâsset, mihi utique in cineres erat abeundum.* Credibile est, fuisse D. Laurentium, cujus ipse ædem, magnificè instauratam, aureo calice donaverat: quod ostentum aliqui, quos superiùs refelli, D. Henrico perperam affinxerunt. Utut res habeat, in Concilio Romano omni ope adnisus est, orbem à scelestâ rerum sacrarum nundinatione revocare.

Henrici gesta per Italiam.

Diebus aliquot Romæ tranquillissimè consumptis, citra omnem suorum rixam, cum uxore, quæ in agro Ravennate filiam enixa est, in Germaniam remisit. Tum ipse ex urbe digressus, castella quædam, quæ ejus imperium detrectabant, expugnavit, & vicarios præfecit civitatibus: Cassinum adijt, & ad rei divinæ usum, magni pretij vestes sacrario largitus est, se Monachorum orationibus religiosè commendans. Capuæ principatum Pandulfo restituit à Guaimaro sponte abdicatum. Comitatum Aversanum Ranulfo, Apuliam Drogoni, auctoritate Cæsareâ firmavit. A Pontifice obtinuit, ut Beneventani Sacrorum usu prohiberentur, quòd ipsum mœnibus non reciperent metu pœnarum, quas erant promeriti, quòd ejus socrum à monte Gargano redeuntem, per tumultum, injurijs affecissent. Agrum Capuanum Nortmannis permisit, cùm ipsi ad urbis expugnationem neque pares copiæ essent in promptu. Alioqui cæteram Italiam habuit obsequentem. Mantuæ acerbè ægrotavit. E Parmensi conditorio D. Guidonis Pompasiani Abbatis, non ita pridem defuncti, exuvias, ob insignem viri sanctitatem, & permulta, quibus inclarescebat, miracula, cum magnâ veneratione Spiram avexit. Adalberonem Henrici Boij fratrem, Ecclesiæ Metensi dedit Episcopum, in locum Theodorici. Popponi Trevirensi subrogavit Everhardum, ex Præposito Wormatiensi, Archiepiscopum, Ezelini Alemanniæ Comitis filium, quem Clerus atque populus suis suffragijs comprobârunt. Adulto autumno, Henricus Bojariæ Dux, Treviris mortem oppetijt, eodémque loci fuit tumulatus. Diem pariter obijt Clemens II. pontificatûs mense nono, & Babenbergæ est sepultus.

Tritbem. Annal. Trev.

Henricus Boiariæ Dux Treviris mortuus.

An. Christ. M.XLVIII.

Motus in Lotharingia.

Cùm Benedictus, qui anno abhinc quarto Pontificatu abierat, sedem Apostolicam invasisset, Poppo, natione Bojus, Brixinensis Episcopus, à Romanis per Oratores à Cæsare postulatus, cum honestissimo comitatu missus in urbem, rite atque ordine electus, & dictus Damasus II. non ultra vigesimum diem D. Petri Cathedram tenuit.

Godefridus Lotharingiæ Dux, & Balduinus Comes Flandriæ, conjurati, cùm res novas molirentur, ab Henrico proscripti sunt. Godefridus Virdunum, ex improviso captum, incendit & fœdè devastavit: quamobrem Ducatu exutus, Adalbertum, quem ei Cæsar suffecerat, interemit, unáque stipatores, qui ausi fuerant vim apponere: demum tamen, anno quinquagesimo, cùm Cæsaris iræ remisissent, una cum Balduino in gratiam est receptus. Agnes Imperatrix, hoc anno, filiam rursus peperit, filium paritura post biennium. Sub autumnum duo Henrici, Imperator, & Rex Galliarum, apud Mediomatricos venerunt in colloquium, quo publicam quietem, novis pactis & sacramenti religione, firmârunt.

Henricus, anno postero, ineunte Februario, Reginoburgi, Conradum, sive Cunonem, Bojariæ Ducem dixit. Hunc Colnerus, Boicæ Ducibus à secretis, scriptor domesticus & minimè vetustus, qui linguâ patriâ Ducum Bojariæ stirpem descripsit, affirmat, Eccardi Schirensis, Bojorum principis, filium fuisse: cui refragatur Gewoldus ex variorum scriptorum authoritate. Porrò nobis non est prætereundus Leo IX. Pontifex, natione Germanus, Alsata, è nobilissimo stemmate Comitum Dagsburgicorum, qui Damaso II. Pont. successit. Romani, comperto hujus obitu, misêre legatos ad Imperatorem, petentes, ut ne diutiùs vacua sedes Pontifice careret. Cæsar, consultis Germaniæ Episcopis, misit, quem dixi, Leonem, qui ante Pontificatum Brunonis nomine appellabatur, quique supergressus sanguinis claritudinem eximiâ sanctitate, ex Superûm familiaritate, multa divinitus cognoscebat. Eum, ferunt, tendentem in urbem audìsse cœlestium geniorum voces, canentium hæc verba: *Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis*; eóque cantu vehementer esse recreatum. Cùm, assumptâ purpurâ, venisset Cluniacum, Hildebrandus Cœnobij Prior, postea summus Pontifex sanctissimus, Gregorij VII. nomine, eum intrepidè monuit, fas non esse, cum manifestâ sacri ordinis injuriâ, profanâ nixum auctoritate, Romani Pontificatûs insignia gestare: suadere se, ut mediam viam iniret, quâ & Cæsaris voluntati, & dignitati Ecclesiæ satisfaceret. Poneret purpuram, & assumpto habitu viatorio Romam proficisceretur, & se quidem fore itineris comitem, Deóque auspice, à Romanis impetraturum, ut jure quo optimo, Cleri populique Romani votis Pontifex optaretur. Quod re ipsâ evenit, ineunte verno jejunio. Mox ab inito Pontificatu, montem Garganum adijt, se ut genijs cœlestibus gratum testaretur, quòd Romanum iter ingresso pacem accinuissent. Duas Synodos celebravit adversus Simoniacam pravitatem; Romæ unam, alteram Papiæ. Duas alias habuit trans alpes; Remis primam, cum Galliæ Episcopis; secundam Moguntiæ, cui interfuêre quadraginta Episcopi, ipséque Imperator, & alii Germaniæ Principes, in quâ multa decreta sunt adversus Simoniacam hæresin, & nefanda conjugia sacerdotum. In Remensi Synodo, cùm Nitgerus Episcopus Frisingensis, contra Apostolicam auctoritatem præfractè ageret, repentè in omnium oculis, non secus atque elinguis, obmutuit. Sancti Pontificis virtutes & signa divinitus edita, præclarè describuntur à Desiderio Abbate Cassinensi, & Leone Ostiensi. Consueverat, quando Romæ agebat, quot septimanis tribus diebus ab Ecclesiâ Lateranensi usque ad S. Petri Basilicam, cum duobus aut tribus clericis, noctis silentio, privato habitu, nudísque pedibus supplex procedere inter ardentes preces, quibus à DEO impetrabat opem, ad felicem totius Ecclesiæ gubernationem, accuratam legum Ecclesiasticarum defensionem, & suavem efficacémque peccantium emendationem. Tanto amore Tullensem Ecclesiam, quam sibi primam desponderat, est prosecutus, ut etiamnum Romanus Pontifex, Tullensis Episcopi titulum retinuerit. Quicquid habuit patrimonij, in structuram Monasterij S. Crucis voluit impendi, ejusdémq; censum locupletem. Adjecit amplissimam prærogativam, ut nullius interpositu, solis Romanis Pontificibus subesset. Semel iterum transiens per Bojariam, maximis affectus est honoribus.

AN. CHRIST. M. XLIX. CONRADUS DUX BAVARIÆ. XIII. *Herman. Marian. Lambert. Sigeb. Leo Ost.* LEO IX. PONTIFEX. *Otho Frising. lib. 6, Chron. cap. 33.* VARIÆ SYNODI. *Sigeb.*

Henricus Imperator, anno quinquagesimo, adversus Gazmerum Poloniæ Ducem, qui rebellionem moliebatur, castra moturus, domi retentus est morbo, qui jam accinctum lecto affixit. Bellum solâ famâ confectum est. Polonus enim missâ ad eum legatione, pacem rogavit, & haud ægrè impetravit. Eâdem tempestate, Gebhardus Ratisbonensis Episcopus, Cæsaris patruus auctus Campidonensi Abbatiâ, in Ungariâ bellum gessit, incertum quâ causâ, nisi, quod insinuat Hermannus, Ungari priores Boicæ vim intulerint, & Gebhardum, qui limitem Cæsaris voluntate tuebatur, ad defensionis necessitatem adegerint. Ille enim Ungaros insecutus, optimas de eis prædas, non sine aliquâ ipsorum clade, reportavit. Verùm ubi eorum finibus, cum incolumi exercitu, excesserat, illi, novis aucti delectibus, irrumpunt in Boicam, & damna longè, quàm acceperant, majora repo-

AN. CHRIST. M L. XIV. REBELLIO ET PAX POLONICA. BELLUM UNGARICUM.

reponunt, cum nonnullâ Episcopi invidiâ, quæ ferè in sacras personas arma improsperè tractantes, consuevit esse flagrantior, quasi in commendatam à Cæsare provinciam, hostem bellique sedem traxisset, cum aliquâ nominis Germanici ignominiâ, quæ sine virorum fortium sanguine communíque periculo nequibat deleri.

Quod bellum cùm Cæsar, valetudini restitutus, suis & Boicæ procerum auspicijs, crederet esse gerendum, in conventu Norimbergensi, de ejus ratione voluit in commune consultari. Boij, quorum res maximè agebatur, facilè impetrârunt invadendæ Ungariæ negotium, quòd Cæsaris arma aliò vocarentur. Quò tutiùs bellum aggrederentur, visum est, instaurare Heimeneburgi munimenta, quæ Cæsar ante octennium vastaverat. Additi defensores, qui operas tutarentur. Gebhardo adjunctus est Conradus Dux Bojariæ, ut sui principatûs initia factis illustribus nobilitaret. Accesserunt Adelbertus, Ungaris sæpius devictis nominatissimus, aliíque Ordinis utriusque Boicæ Principes, cum insigni rerum & virorum fortium apparatu, quos legerant ex solo totius gentis flore, ut, si apud hostem foret numerus, apud nostros esset virtus, gloriæ stimulus & militaris fortitudo. Heimeneburgi fervebat opus, labore in impigras artificum manus æquis partibus distributo, jam è fundamentis surgebant mœnia, cùm Ungari, haud nescij, quanto fortunarum suarum periculo ea munitio esset statura, 10. Cal. Octobris nocte intempestâ, Bojos ad urbis vallum, telorum grandi procellâ lacessunt, & oppugnationem ad septimum diem continuant casso eventu, cùm ipsi è diverso magno numero sternerentur. Miles successu animatus, tametsi vallo protectus, bellum posset extrahere, ultrò pugnam à Ducibus poposcit, &, signis explicatis, aciem in aperto instruxit, pauci contra innumeros. Pugnatum magnâ contentione, Ungarorum ingens cæsa multitudo, cæteri omnes aversi in fugam. Id Hermannus prodigio adscripsit & panico terrori, qui divinitus in Ungaros immissus, eos sic perculit, ut nec gradum figere, nec cædentium ora possent sustinere. Hoc ipsum agnovêre Boij, qui universam rei gestæ gloriam Deo in acceptis retulerunt. Hostes, comperto, Bojos, tenui relicto præsidio, discessisse, redière ad oppugnationem, quam posteaquam per triduum irritam sunt experti, clade rursus ab obsessis acceptâ, pleni ignominiæ, ad suos sunt reversi. In secundâ hac impressione tot amiserunt, ut sex naves vix essent satis, cæsorum cadaveribus avehendis. E nostris unicus fuit desideratus.

Boiis demandatum. *Ungari cæsi.* *Heimeneburgum bis frustra ab Ungaris obsessum.*

Hoc anno, Augusta filium peperit, si Hermanno fides est, sin Lamberto credimus, peperit anno sequenti Henricum, quem postea videbimus Cæsarem, patri longè dissimillimum, quod videtur præsagijsse mater, quando gerens uterum, se dracone gravidam esse somniavit. Cæsar futuri nescius, neque reputans, sæpe Heroum filios noxas esse, & à parentum virtute degenerare, cum maximo Reipublicæ incommodo, præmaturè volebat infanti esse prospectum. Quam ad rem, per Natales Christi ferias, comitia Principum egit Wormatiæ, vel, ut quidam malunt, Polédæ, in quo egit, ut Ordines nondum baptizato suam fidem obligarent, quem demum, festis Paschalibus, per Hermannum Archiepiscopum Coloniæ Agrippinæ sacris undis curavit expiandum.

Henrici IV. dies natalis. *Cæsaris cura præcox de eo promovendo.* *Lambertus.*

An. Christ. M.L.I. XV.

Expedio Ungariga.

Inter hæc Andreas Ungariæ Rex misit oratores, qui pacem peterent, ijs conditionibus, quas suopte ingenio dictaverat. Eas cùm Henricus respuisset, bellum recruduit, majore, quàm antè, apparatu, sed minore gloriâ, unde patuit, quàm sint infirmi mortalium conatus, quando humanâ vi potiùs, quàm divinâ nituntur. Lectus est ex Polonis, Burgundis, Boijs, Saxonibus, Suevis, Franconibus, & Slavis miles numerosus. Autumno ineunte, ejusce unam partem Cæsar commisit Gebhardo Ratisbonensi Episcopo, Welfoni Carantano, & Bretislao Bojæmo, jussis, Danubij confinia ad Aquilonem populari: alteram duxit ipse longo flexu per Carantanos, quod rebus necessarijs fuit faciendum, ob paludes & occurrentes passim fluviorum eluviones, quas frequentes nimbi in Ungariæ finibus excitârunt. Hinc orta annonæ penuria, quòd à fronte omnis frumentatio

mentario prohiberetur ab hoste, & à tergo, è longinquo, jumentorum subvectione malignè adduceretur. Cùm serò & tenuiter cibaria militi præberentur, orta primùm inedia, deinde valida fames, denique legionum quiritationes, dolentium, se non ad debellandum hostem, sed ad duram inopiæ tolerantiam, gloriosâ morte acerbiorem, esse adductos. Enimvero Andreas, proviso, bellum, sine suorum jacturâ, cunctando posse confici, nusquam sui copiam faciebat, satis habens, subinde partem copiarum ostentare, tutari se paludibus, ex insidijs nostros, regionis interiora petentes, carpere, prohibere pabulationem, intercipere commeatus, subinde, si erat ex ejus commodo, committere velitares conflictus, verbo, nihil tentare ad rei summam; ut satis appareret, eum suas spes non in armis, sed in Cæsarianorum lentâ maceratione collocare. Ventum denique in eas rerum angustias, ut Cæsari fuerit, vellet, nollet, de reditu in Germaniam seriò cogitandum. Sed neque id erat expeditum, Ungaris itinera & fluminum vada sic occupantibus, ut sine vi nusquam pateret regressus. Quare virtute viam oportuit aperire. Arx, quæ Rabinissæ flumini imminebat ad pontem, omnium maximè nostros moratura videbatur. Hanc, amne superato, Burgundiones, Poloni, & Saxones brevi suæ ditionis fecerunt, sicque muniêre viam, ut reliquæ copiæ in adversam fluvij ripam, indéque in patriam impune evaderent, nullâ re magis, quàm insuetâ famis patientiâ insignes. Qui Boream versus Gebhardi signa fuerant secuti, vastatis agris, dudum ante Cæsarem domum erant reversi.

FAMES IN EXERCITU.

DIFFICILIS REGRESSUS IN GERMANIAM.

Andreas eo periculo defunctus, primò ab Adelberto Marchione pacem petijt, Cæsaris consilia tantisper & arma moraturus, dum apud Leonem Pontificem, belli sopiendi potiùs, quàm finiendi, rationes expediret. Cæsar, nihilominus æstate proximâ regressus in Ungariam, Posonium obsidione pressit, & jam erat in eo, ut deditionem exprimeret. Andreas, eam jacturam veritus, Pontificem urgebat, ut, quas susceperat conciliatoris partes, ageret, antequam in majus bellum exardesceret. Pontifex nihil fraudis, in homine alioqui vafro, suspicatus, Cæsari significat, omnino sibi placere, ut partium voluntate, de pace colloquium ineatur, & se quidem ex æquo & bono, quantum fas fuerit, utriusque Regis commodo controversiam finiturum; non admissurum tamen, ut sententia, quæ inter arma parùm sit valitura, ad armatos referretur: Ungarum paratum esse ad paciscendas inducias, eóque videri esse conveniens, ut Henricus interea à Posonij obsidione abstineret. Cæsar certus stare Pontificis arbitrio, spem urbis potiundæ decollavit. Andreas eo metu solutus, Punicâ fide colloquium protelare, causas alias ex alijs nectere, eludere Leonis consilia, ac tandem rebus ipsis prodere animum à pace alienum. Quæ causa digna visa est, cur diris devoveretur. Ad eas ludificationes accessit commeatûs inopia, quæ Cæsari arma excussit: ita hoc bello, quemadmodum veteres chartæ loquuntur, *nihil honoris & utilitatis, regno acquisitum est.*

AN. CHRIST. M.LII.

XVI.

POSONII OBSIDIO.

SOLVITUR.

Leo, qui rebus interfuit, cum Cæsare Ratisbonam reversus, Divos Wolfgangum & Erhardum, in Cœlitum Album retulit: ædem D. Emerammi incendio corruptam & pristino nitori restitutam, sacris cæremonijs initiavit, Sacellum SS. Simonis & Judæ supra curiam consecravit. Fertur etiam edidisse Epistolam, quâ declaravit, S. Dionysij Areopagitæ reliquias in D. Emmerammi cœnobio asservari, jam inde ab Arnolfi Imperatoris ævo, & eas quidem pio furto ex antiquâ Parisiorum sede sublatas. Eas litteras, Baronius scribit, se inter vetera Romanorum Pontificum scripta, apud Antonium Augustinum reperisse. Verùm has esse commentitias affirmant Franci, in quibus Rigordus, qui sub Ludovico Philippi Regis filio claruit.

Hund.

DD. WOLFGANGI ET ERHARDI CANONIZATIO.

Memorabile est, quod recensent Annales domestici de templi Prugdorfiani dedicatione. Schwartzenburgici Comites sacram ædem suis sumptibus construxerant: petierunt supplices à Leone, Norinbergam proficiscente, ut eam dignaretur sacris ritibus expiare. Cùm sancto Pontifici non esset integrum, Prugdorfium divertere, nec vellet id officij intermittere, satis habuit, converso ad locum vultu,

DEDICATIO TEMPLI PRUGDORFIANI MIRABILIS.

ductáque in modum crucis dextrâ, inaugurationem absolvere. Sed cùm inusitata hæc dedicandi forma Dynastis non satisfaceret; *Mittite*, inquit, *qui diligenter inspiciat, referátque, utrùm non omnia sacra expiationis signa parietibus impressa sint, &, si quidem ullum defuerit, ego vestro desiderio neutiquam deero.* Mirum dictu: deprehensæ sunt in parietibus cruces ritè delineatæ, & sacræ cæremoniæ cætera vestigia; quo factum, ut crederentur Angeli Pontificis vices implevisse.

NITGERI FRISINGENSIS EPISCOPI MORS ET MORES.

Annus hic, Nitgerum Frisingensem Episcopum è vivis abstulit, fato improviso, virum famâ tam variâ, quàm dubijs moribus. Initia pontificatûs fastu & insolentiâ deformavit. Cùm se eam ob rem sentiret per hominum ora traduci, positâ arrogantiâ exteriore, modestiæ qualem demum cunque speciem induit, eóque redditus Imperatori charior, in amicorum numerum est receptus. Fuit quoque in D. Viti Ecclesiâ perficiendâ & locupletandâ liberalis, quam Engelbertus Frisingæ reliquerat affectam, unde fundatoris nomen est adeptus. Sub vitæ finem, miserandâ inconstantiâ ad pristinos mores relapsus, facto cum virtutibus divortio, modestiam, & quod seni & Episcopo quidem erat probrosissimum, ipsam animi corporisque nitelam juventæ obscœnitate fœdavit, eo tempore, quo sibi ad æternitatem propinquanti, debuisset conciliare honestissimum virtutum comitatum. Omnia alia agentem, mors subitaria miniméque provisa, Ravennæ, oppressit, quò unà cum Henrico, quem Cæsar Ravennatibus dederat Archiepiscopum, profectus erat. *Herman.* Aventinus cum scribit Ravennam fuisse relegatum, quòd nimis protervè Cæsarem incessisset, quasi per injuriam duos ipsius fratres, Bernulfum & Machtunum, majestatis reos in crucem egisset.

CONRADUS CÆSARI FILIUS NASCITUR. MANICHÆI CAPITE PLEXI.

Natus hoc anno Imperatori alter filius Conradus, quem Bojariæ Ducem nominavit quidem, sed mors præmatura quadrimum abstulit. Cùm Henricus Christi natalitia, Goslariæ, ageret, deprehensi sunt aliqui, quos nefarij Manichæorum errores infecerant, erátque periculum, ne id malum ad alios, more aliarum hæresium, serperet. Quamobrem de ijs jussit Cæsar accuratas haberi quæstiones, omnésque ejusce culpæ compertos, agi in malam crucem, ad terrorem aliorum.

AN. CHRIST. M. LIII.

XVII.

COPIÆ CÆSARIS AUXILIARES A NORTMANNIS AD BENEVENTUM DELETÆ. PONTIFEX OBSESSUS. GEBHARDUS EISTETTENSIS DEFENDITUR.

Leo Pontifex, eâ potissimùm causâ, venerat in Germaniam, ut auxilium impetraret à Cæsare contra Nortmannos, qui Ecclesiæ Romanæ terras aliquas involaverant, multáque faciebant barbarè & crudeliter. Redeunti in Italiam, Cæsar auxiliares Germanorum copias, Guarnerio Suevo ductore, adjunxit, quæ omnes ad Beneventum occidione deletæ fuerunt. Cùm enim Leo, Synodo Romæ habitâ, in Nortmannos movisset, neque admitteret, quasi ipsi offerebant pacis conditiones, renuntiârunt, se bello parta, quando pactis non possent, bello defensuros, vel si sors adversa ferret, saltem cadendo honestum sepulchrum in Italiâ quæsituros. Pugnatum 14. Cal. Junij. Germani, qui curabant in primâ acie, tantâ virtute in hostem sunt invecti, ut jam victoriam prensare viderentur. Verùm Nortmanni, restituto per subsidiarios certamine, primùm Italos egerunt in fugam, tum totâ mole Germanis incumbentes, tantam edidêre stragem, ut vix ullus fuerit reliquus, qui cladis nuntium in patriam referret. Pontifex ab hoste obsessus, adactus ad deditionis necessitatem, reddendúmque victoribus sacrorum usum. Beneventum, cum aliquâ tamen reverentiæ specie abductus & custoditus, noluit priùs reddi libertati, quàm omnes simul partium suarum captivi pariter redderentur. Eam jacturam, quoad vixit, ipsum luxisse, Hermannus auctor est, egisséque in grandi mœrore, donec divinitus edoctus est, deflendos non esse, qui tam pio bello, pro DEI gloriâ interfecti, cœlestem triumphum meruissent. Leo Ostiensis Gebhardo Aichstettensi Episcopo eam calamitatem adscribit, quòd, cùm Cæsar numerosum valde exercitum Leoni permisisset, Gebhardus non nisi quingentorum manum passus sit trans alpes proficisci. Sed quia Lambertus & Hermannus rei gestæ, loco atque tempore propiores, rem tam memorabilem omnino tacent, & Gebhardi secundissima fama, ipse adeò Romanus Pontificatus, ad quem evectus est, recenti adhuc infelicis pugnæ memoriâ, istam Ostiensis accusationem refellunt, non video, cur ea labes homini, alioqui probo & sapienti, sit inurenda.

Hoc

Hoc certius est, alium Gebhardum, Reginoburgensem Episcopum, magnos in Bojariâ motus excitâsse, quorum causam Urspergensis perfidiæ & rebellioni attribuit. Aventinus accusat Conradi Bojariæ Ducis oscitantiam & rei publicæ neglectum, quòd, eo conscio, Præfecti & aulæ sorices, impunè in privatorum fortunas grassarentur. Et illum quidem, gravi Antistitis oratione officij admonitum, non modò non coërcuisse suorum avaritiam, sed etiam offensum, quod sua vitia severiùs notata fuissent, amicorum suasu, popularium manum legisse, & Parcsteniam transdanubianam, Nariscorum urbem, odio Episcopi, cujus illa erat in ditione, dolo captam, subjectis facibus delevisse. Quæ res Conrado magnam conflavit invidiam. Jussus, ad dicendam causam, Merseburgi adesse, cùm Cæsari non fecisset satis, ex quorundam Principum sententiâ Ducatu exutus est, redactúsque ad privatæ fortunæ dedecus, prioris conditionis subsidio in fiscum redacto. Quæ species severitatis, non eum modò fecit multis Optimatum miserabilem, sed etiam Cæsarem exosum illis, qui parem sortem sibi à tali judice contingere posse querebantur. Cujus enim fortuna deinceps secura sit futura, si princeps irascatur, habeátque flabella assentatorum, qui ardenti foco oleum affundant? Neminem non videre, quàm procul à pristinis moribus Cæsar abierit. Olim ipsum non tam pro domino, quàm pro patre se gessisse, bonum commune æquis legibus & clementiâ fuisse moderatum, ab avaritiâ servâsse manus innocentes, nullum prorsus quæstum ex sontium delictis attigisse: at verò jam degenerâsse in fastum intolerabilem, & non prensare causas innocentiæ defendendæ, sed inhiare fortunis alienis. In adolescentiâ majestatem temperâsse comitate, cui jam successerit asperitas & supercilium intolerabile. Talia cùm privatim, malè affectorum sermonibus, agitarentur, non defuerunt, qui Conrado suam operam, pro communi libertate, aut astringendâ saltem Principis licentiâ, pollicerentur. In his antesignani fuerunt Comites Schyrenses, sive odio Cæsaris, sive spe familiæ ad antiqua decora reducendæ. Se quoque vendicârunt alij, qui spes alebant in turbido, merásque felicitates, Principe mutato, sibi somniabant, vitio mortalium, qui priora pertæsi, futura sperant usque & usque meliora. Conradus, Schyrensibus in patriâ relictis, cum asseclis cæteris profectus est in Carantanos. Sed neque isthic pedem figere permissus, ad Andream Ungarorum Regem, Cæsaris hostem, abijt, veteres irarum causas refricaturus, suggesturúsque novas, quibus eum ad reparandum bellum stimularet. Sub idem tempus Cæsar Principes ad augustalia comitia, & in his etiam Conradum, Triburiam vocavit, id acturus potissimùm, ne, si quid humanitus sibi contingeret, quemquam alium, quàm Henricum filium, etiamnum triennem, regno præficerent. Et istud quidem à volentibus impetratum, firmatúmque jurejurando. Conradus, irâ tumens, conventui non adfuit. Eò miserat Ungarus Legatos de pace acturos, quam cùm rigidioribus legibus fecissent, Andreas aspernatus, eò se faciliorem Conrado præstitit arma & vindicias spiranti, suadentique, ne specioso pacis nomine, servitutem indueret, cujus pedicas Legati domum attulissent. Ita damnato fœdere, Conradus copijs instructus, ab Andreâ missus est ad Carantanos, ubi tantisper belli sedem figeret. Conrado accessêre conjurati, nullóque propè negotio, non exiguam provinciæ partem occupârunt, Hengstburgum oppidum vi ceperunt, & ad frenandos populorum motus, præsidio munierunt. Inde Conradus, in Ungariâ hibernaturus, se ad suum hospitem retulit.

Conradus Boiariæ Dux exauctoratus.

Henrici mores accusantur.

Conspiratio Schyrensium.

Conradi exilium.

Cæsar filium triennem collegam renuntiat.

Conradus Carantanos invadit.

XIIX.

Cæsar, quò foret rebus propior, Boicam ingressus, Christi natalem egit Oetingæ, ubi Henricum filium, admodum puerum, Boicæ imposuit, regendæque ejus pueritiæ Gebhardum Eistettensem Episcopum adhibuit, natione Suevum, &, quemadmodum loquitur Hasenrietanus, à Rege secundum, solóque solio minorem. Hic, ut Bojos in fide contineret, Schyrensium familiam, vetustis majorum titulis cerisque superbam, incendijs, agrorum populatione, aliísque maleficijs sic attrivit, ut, cùm antea finitimis, quos grassationibus latrociniisque ejusce stirpis partiarij fatigabant, tota domus esset formidabilis, in posterum desineret timeri.

Henricus Cæsaris filiolum Boicæ Ducem imponit.

Schyrenses vexati.

meri. Quibus rebus, Gebhardus secundam admodum famam principémque gratiæ locum apud Cæsarem firmavit & auxit, qui illi gradus fuit ad fastigium Romani Pontificatûs, quem illi quondam Bardo Moguntinus, egregiæ sanctitatis Antistes, erat vaticinatus.

An.Christ. M.LIV. *Leo Ostien, l.2.c.89. Desider. Abb. l.3. Dialog.* Gebhardus Eistetensis invitus Leoni Pontifici successor datus.

Etenim Leoni Pontifici, 13. Cal. Maij Romæ defuncto, successor è Germania petitus est, eò quòd (si verum habet Leo Ostiensis) in Ecclesiâ Romanâ, nullus esse crederetur, qui defuncti locum pari sanctitatis & sapientiæ laude occuparet. Legationem obijt Hildebrandus S. R. E. Cardinalis, & ægrè ab Henrico obtinuit, ut Gebhardum, oppidò charum & imperio valde utilem, à se divelli pateretur. Leo morti proximus, divino ostento fertur successorem agnovisse, cùm de eo cogitanti objectus esset juvenis, tiarâ & Pontificio cultu decorus, tres gestans pateras: quo viso, citra ambiguitatem pronuntiavit, se enimvero jam nôsse eum, qui proximè ad Romanam sedem esset evehendus, & eum quidem tres omnino annos, nec plures, quos tergemini crateres designâssent, in Pontificatu superfuturum. Gebhardus Moguntiæ, in publico Episcoporum conventu à Cæsare propositus, modis omnibus, etiam se palàm ad tantum onus esse inhabilem professus, ne eo prægravaretur, cœpit obtestari. Cùm nihil profecisset, per certos homines Romæ suam famam ipse traduxit; verùm tantum abfuit, ut commentitiæ obtrectationes urbis studia extinguerent, ut etiam accenderint vehementiùs, Clero populóque sapienter ratiocinantibus, bene honoribus usurum, qui tanto conatu eos defugeret.

Conradus Boicam incursat.

Inter hæc præsidiarij, quos Conradus Hengstburgo in Carantanis imposuerat, provincialium armis & continuâ oppugnatione ad retinendæ munitionis desperationem adacti, civitate direptâ, ad Ungaros profugerunt: quæ res Conradum accendit, ut Boicam frequenti irruptione incursaret, Boijs ad patriæ injurias cessantibus, sive prioris domini reverentiâ, sive metu, ne, ut mutabiles sunt rerum humanarum vices, Conradus aliquando pristinæ dignitati restitutus, restitantibus se præstaret duriorem. Ubi tamen suorum damna, captivitatem, tectorum incendia, cœperunt æstimare, correptis armis, sese ulti gnaviter, prædones insigni clade multatos fugatósque à suis finibus rejecerunt.

An.Christ. M.LV.

Anno postero, Gebhardus, in Ratisbonensibus Comitijs, universorum Imperij Procerum & Cæsaris judicium secutus, desijt supremos Romanæ Ecclesiæ honores detrectare, hæc ad Cæsarem præfatus (verba sunt Hasenrietani) *En, S. Petro totum me, hoc est, corpore & animo contrado, & licèt tantæ sanctitatis sede me indignissimum sciam, vestris tamen jussionibus obtempero, eâ scilicet pactione, ut vos S. Petro reddatis, quæ sui juris sunt.* Quod cùm Henricus se facturum promisisset, Romam profectus & flagrantissimis urbis studijs acceptus, ipsâ Cœnæ dominicæ feriâ quintâ, hebdomadæ sanctioris, sacris cæremonijs inauguratus, Victoris II. nomen accepit. In ijs, quæ dixi, Ratisbonensibus comitijs, Cæsar Spitigneum Bojæmum, Bretislao patri defuncto subrogavit. Secuta est subinde Italica profectio, ad quam Cæsar Italorum legatione solicitabatur, eâ causâ, quòd Godefridi Lotharingiæ Ducis opes tantopere creverant, ut, nisi tempestivè acciderentur, Italiæ regnum brevi videretur invasurus. Duxerat enim Beatricem Bonifacij Ducis Tusciæ, Canussij Comitis, Parmæ, Mantuæ, Lucæ, Rhegij potentissimi Marchionis viduam, iisque nuptijs multas clientelas magnámque potentiam consecutus, à timidis accusabatur, res novas moliri. Godefridus missis obviam Cæsari Legatis, ostendit nihil sibi minùs esse in votis, quàm invadere inquietas alieni regni curas: Beatrix verò novi matrimonij rationem Cæsari coràm reddidit: nec tamen ita diluit accusationem, quin velut dedititia abduceretur, quasi fecisset contra Rempublicam nubendo hosti publico, idque Cæsare inconsulto. Maritus in speciem absolutus est, non quòd ita suaderet æquitas, sed quòd tempori esset serviendum, neque committendum, ut offensus sese Nortmannis sociaret.

Gebhardus Romæ inauguratus assumpto Victoris II. nomine. *Lamb. Herm. Berthol. Constant.*

Godefridus Lotharingus ambitionis accusatus. Absolvitur.

Conflata interim in caput Augusti atrox conjuratio, ab ijs, à quibus minimè debuisset. Gebhardus Ratisbonensis Pontifex, Cæsaris patruus, magnis affectus bene-

beneficijs, ducem se præstitit conjuratis, in quibus Welfo Marchio Carantanorum magníque alij proceres, qui receperunt in sceleris societatem Conradum exulem dejectum Boicæ Principatu, quòd speraret, se eâ ratione patriam ablatósque honores recuperaturum. Quâ potissimùm causâ tantum nefas fuerit cogitatum à Gebhardo, nemo fidei antiquæ prodidit. Aventinus arbitratur, originem conspirationi dedisse, inæquabile Henrici imperium, quódque Boicæ filium puerum, rebus prorsus immaturum, & alienæ gubernationis quàm maximè egentem, præfecisset. Non est incredibile, eviluisse apud Bojos plerosque Henrici majestatem, & viguisse etiamnum desiderium Conradi, quem puero sperare poterant non habiliorem modò, sed etiam utiliorem. Verùm is morbo extinctus, conjuratorum studia destituit: Welfo verò detectâ conjuratione, Cæsari reconciliatus, in castro Potamico, florenti adhuc ætate, finem fecit vivendi. Gebhardus jussus Ratisbonæ causam dicere, damnatus majestatis, in carcerem est conjectus, & anno sequenti in Cæsaris gratiam unà cum Cunone, qui nepos erat Henrici, est admissus.

CONIURATIO IN CÆSAREM.

CONRADUS EXAUCTORATUS MORITUR.

XIX.

VENENUM VICTORI PONTIFICI PROPINATUM DIVINITUS DEPREHENDITUR.

Quod exitium in Germaniâ cogitato bello parabatur, Victori Pontifici nefando maleficio fuit in Italiâ propinatum. Subdiaconus manu parricidali Victori, ad aram facienti, vinum in sacro calice veneno diluit, cum certâ peste, nisi divinus oculus pro Pontifice vigilâsset. Scelus propalatum est duplici prodigio. Victor calicem attollere conatus, nullâ vi potuit. Ut ponderis portentosi causam exploraret, fundens unà cum præsente populo ferventes ad DEUM preces, videt Subdiaconum à cacodæmone tantis intemperijs agitari, ut de sceleris authore atque maleficio causam non haberet ambigendi. Jussit proinde calicem, unà cum sanguine Dominico, altari inclusum, religiosè asservari; & rursum effusus in precationem, tam diu prostratus jacuit, donec Subdiaconum, Stygio insessore liberavit. Quod verò addit Benno, scriptor schismaticus plusquàm ambiguæ fidei, utpote multorum mendaciorum compertus, sex ordine Pontifices, per quendam Gerardum Braxatum, virulentâ potione fuisse interemptos, Baronius ut falsum & intestabile nullâque historiæ suffragatione nixum, respuit. Suspicionem homini vano fecit periculum Victoris, & quòd Clemens atque Stephanus intra nonum mensem, Damasus intra diem tertium & vigesimum Pontificatûs, morti succubuerunt: Leo non expleverit sexennium, neque Nicolaus triennium, neque Stephanus biennium. Hæc de Pontificibus.

D. ANNO COLONIENSIS CÆSARIS MONITOR, CUI

Henrico ad vitæ exitum properanti, DEUS dedit opportunissimum monitorem D. Annonem, oriundum è stirpe Comitum Dassellensium, qui hoc anno ad Cathedram Coloniensem, ex Goslariensi Præpositurâ, assumptus est, ob præclara sapientiæ religionisque documenta, quibus magnam de se spem concitârat, æqui verique observantissimus. Immota erat in viro constantia, quâ, seposito omni quarumvis personarum imprudente respectu, apertissimo pectore, pro Numinis honore certabat. Eum Cæsar suæ conscientiæ arbitrum delegit. Quo munere fungebatur integerrimè, nihil veritus, non modò si quas notabat culpas, citra dissimulationem arguere, sed etiam ad earum expeditionem liberales eleemosynas & voluntarias corporis verberationes, aliáque id generis piacula injungere, quæ eâ tempestate ad priscæ severitatis normam sacerdotes à pœnitentibus exigebant. Quâ ex accuratione sumpserunt nefarij quidam, Germani candoris osores, occasionem, optimi viri nomen apud Cæsarem, vanis criminationibus traducendi, quibus deceptus, cœpit accidere monendi libertatem, & contractiore, quàm solebat, fronte, durioribúsque verbis, æqua suadentem excipere. Ad hæc Anno imperterritus, divino haud dubiè instinctu; *Oro te*, inquit, *ò Cæsar, ne patiaris quicquam inter nos discordiarum hoc anno seminari. Omnia fati nostri momenta DEUS habet in numerato, nos curtæ provinciæ homines vix præsentia novimus, nedum scimus, quid nobis anno proximo sit eventurum. Non habent suam salutem in consilio, sed sua commoda, qui suadent aliud, tibique inanibus præstigijs lenocinantur.* Hæc vaticinabatur divinitus edoctus, quo tempore Henricus esset moriturus. Verùm cùm isto

AN. CHRIST. M. LVI.

ULTIMUM DIEM PRÆDICIT.

oraculo nihil profecisset, gliscente indies in majus Palatinorum invidiâ, Goslariam abiJt, ubi Victor Pontifex sedavit Cæsaris animum, edoctúmque, æquiora de Annone sentire, ad saniorem mentem reduxit. Anno rediturus Coloniam, mortem proximè imminentem apertè Cæsari denuntiavit, sedulámque operam in pueri Regis institutione pollicitus, ad sui gregis procurationem est reversus.

Lambert. Marian. GUNTHERI CANCELLARII VISUM.

Sub idem tempus Gunthero, Cæsaris Cancellario, objectum est triste futuri mali ostentum. Dum in rerum divinarum meditationem incumbit, videre sibi visus est, DEUM è solio suæ majestatis, hominibus sceleratis promerita supplicia minitantem, &, elatâ sursum dextrâ, vibrantem gladium, has voces intonare: *Reddam ultionem hostibus meis, & his, qui me oderunt, retribuam.* Prodigij veritatem asseruit, præter ingentes rerum conversiones, subsecuta Principum (quorum consilijs & incolumitate stat rerum prosperitas) crebra mors. In domo regia, Conradus Cæsaris filius, cui parens Boicæ Ducatum destinaverat, quadrimus mortuus est. Eum sunt secuti, Wilhelmus Marchio Turingiæ, Arnoldus Spirensis Antistes, Desiderius Comes Palatinus, aliíque viri illustres. In eundem Libitinæ censum ipse Cæsar venit, Bottfeldij, in Saxoniâ, 3. Non. Octob. anno ætatis trigesimo nono, posteaquam Henricum filium, orbis Romani fatale malum, Victori Pontifici, qui adfuit morienti, impensè commendaverat in magnâ procerum frequentia. Jussi præterea fuerant immaturam fastigio pueri ætatem formare, Agnes Augusta mater, Anno Coloniensis, Eberhardus Trevirensis, Archiepiscopi; qui omnes, præfractæ indolis educatione, sedulam licèt industriam perdiderunt. Causam morbi, qui Cæsari brevis fuit, aliqui contulerunt in mœrorem, quem concepit ex luculentâ suorum clade, qui signis adversus Luitirios & Venedos, adverso marte, collatis, omnes propè fuerant, unà cum ductoribus, internecione deleti. Dodechinus scribit, eum jecoris cervini esu mortem acceleràsse. Sacris piè procuratus, præsente summo Pontifice, adstante, præter solitum, magno virorum illustrissimorum cœtu, rarâ modestiâ veniam poposcit ab omnibus, quos duriùs aliquando habuisset, & compluribus jussit bona in fiscum redacta, restitui, distribuíque largas eleemosynas in egentes. Demortui funus 28. Octobris, qui dies illi natalis erat, regiè compositum est Augustæ Nemetum, cum hoc titulo:

PRINCIPUM FUNERA.

MORS CÆSARIS.

ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS
M.LVI. HENRICUS III. NIGER
III. NON. OCTOB. OBIJT.

AN. CHRIST. M.LVII. AGNETI REGINÆ COMMISSA BOIARIA. FULMEN IN CÆSARIS HENRICI IV. CONCLAVI.

Agneti Augustæ, ob spem prolis, quâ se ferebat gravidam, Bojariæ Ducatus est permissus. Saxoniæ Annales memorant, Henricum filium, cùm Goslariæ diem Pentecostes ageret, gravi perfunctum esse periculo. In dormientis conclave excussum fulmen, ejus clypeum & ensem è lecti spondâ suspensum, colliquefecit, Rege tamen illæso. Id conjectores ad sexaginta duos conflictus, quibus non sine vitæ discrimine interfuit, retulerunt.

XX. MORS VICTORIS II. *Leo Ostien. lib. 3. c. 8.* SUCCEDIT FRIDERICUS LOTHARINGUS, STEPHANI X. NOMINE.

Victor Pontifex redux in Italiam, cum non vulgari orbis Christiani luctu, Florentiæ, (ut vult Leo Ostiensis) defunctus est & tumulatus. Sunt, qui eum Aterij 5. Cal. Augusti diem clausisse asserunt, ejúsque corpus, quod domestici Aichstadium referre cogitabant, in itinere à Ravennatibus surreptum, in basilicâ D. Mariæ Rotunda esse sepultum. Romani, accepto de ejus morte nuntio, mox comitia de subrogando successore habuerunt. Cùm aliqui Hildebrandum, qui Victorem in Germaniam erat comitatus, expectandum, alij nullam comitijs moram interponendam esse ducerent, conspiràrunt tamen omnes communi voto in Fridericum, Godefridi Lotharingi Ducis Tusciæ fratrem, virum Constantinopolitanâ legatione, alijsque pro Romanâ Ecclesiâ laboribus probatum. Js dudum animadverso, se apud Henricum III. Imperatorem iniquâ suspicione laborare, quò se invidiæ & rerum mortalium curis subduceret, Cassinense institutum religiosè erat amplexus, & à Victore assumptus ad Romanam purpuram. Hunc Romani domo extractum, productúmque ad S. Petri ad vincula, quamlibet renitentem 4. Non. Augusti Pontificem eligunt, & nuncupant Stephanum

X. Non

X. Non facilè quisquam flagrantiore orbis studio & expectatione, aliquot retro sæculis, ad summum Ecclesiæ clavum sederat, cùm piorum vota mors anno sequenti 4. Cal. Aprilis abrupit. Gunzo Eistettensem Episcopatum, quem Victor Pontifex, quod superfuit, retinuerat, iniit. Cuno Henrici IV. consanguineus Carantanorum præfecturæ est admotus. Othone Schweinfurtensi, Suevorum Principe, rebus humanis erepto, Rudolfus Rheinfeldensis Sueviam, dotis nomine, unà cum Mathilde Regis sorore accepit, quæ nubiles annos nondum attigerat. Ea Sueviæ donatio semina jecit turbarum, quæ novelli Regis prima regnandi auspicia occupârunt his de causis. Henricus Niger Imperator, ante obitum, vivo etiamnum Othone, Sueviæ dominatum addixerat Bertholdo Zäringiæ Comiti, eámque promissionem regij annuli pignore firmaverat. Comes, ut se vidit suâ spe frustratum, Augustæ, Regis tutrici, annulum repræsentavit, conquestus de injuriâ, & regij nominis nimis vili æstimatione, quippe cujus verba atque imperia tam citò obsolevissent: satius futurum fuisse, nihil fuisse promissum, quam sine causâ promissa rescindi. Agnes, ut justum ejus dolorem leniret, Carinthiam, Cunone post breve imperium defuncto, rectore destitutam, illi permisit. Sed neque fuit stabile, aut diutinum istud Augustæ beneficium. Cùm enim Bertholdus filio cognomini Carinthiam ab Henrico Rege impetrâsset, Rex mutatâ subitò voluntate, quasi crepundia tractaret, Bertholdi filium amovit, & provinciam Luitolfo cuidam (Marquardum nominat Lambertus) cognati sanguinis intuitu, commisit: quæ levitas patrem juxtà ac filium vehementer irritavit, effecitque, ut irâ stimulante, pater omnia consilia in Regis pariter & Luitolfi perniciem verteret: tam facili momento improvida dominantium decreta vergunt in malum commune. TURBATUM OB SUEVIÆ DOTALEM CLIENTELAM.

Accessit ex insperato validus è Saxoniâ motus. Saxones, quorum fides credebatur omnium fore constantissima, nutare cœperunt. In conventiculis revocabant in memoriam acceptas (sic interpretabantur) ab Henrico III. injurias, credebántque earum ulciscendarum adesse tempus, dum successoris ætas, fraudibus & præcipitio opportuna, minùs foret metuenda. Et licèt nihil adhuc esset momenti gravioris, quo ejus indolem carperent, tamen vix inducebant animum, ut sperarent, eum longè abiturum à severioribus parentis institutis: enim verò faciliùs degenerari in deterius, quàm patrissari in meliora, vitia patrum, velut è traduce, virtutes autem exercitatione in filios transfundi. Conspirationem inflavit Otho, ex impari thoro, frater Guilielmi Marchionis Turingiæ, vir acer & manu promptus, qui cùm in Bojæmiâ à puero exulâsset, cognitâ fratris morte, spe cernendæ hæreditatis, reversus in Saxoniam, benignè à Principibus acceptus, erectúsque in spem, non occupandi modò patrimonij, sed regni etiam, Henrico depulso, invadendi, se professus est conjurationis caput & antesignanum. Perculsis metu integrioribus, quos Reipublicæ cura in officio retinebat, visum est, Henricum, quantumvis tenerum & imbellem, publico apud Saxonem exhibere, si quâ fortè avorum reverentiâ & pueri respectu ad æquiores rationes moverentur. Quamobrem placuit, agi comitia Erlenburgi ad 3. Cal. Julij, eóque vocari omnes Saxoniæ Principes, magnum videlicet adversus factiones emolumentum. Adfuêre ad diem dictam perfrequentes, quisque cum valido comitatu. Othoni, quem jam dixi, eodem cum non exiguâ armatorum manu tendenti, fors Brunonem & Ecbertum Regis patrueles, quos præter causam publicam privata odia accendebant, dedit obvios. Nec mora; mutuo conspectu versi in iras, ruunt in pugnam. Bruno, primo mox incursu, Othonem, lethali confossum vulnere & effusum equo sternit, ipséque pariter sauciatus sternitur. Ducibus interemptis, certatum aliquamdiu marte ancipiti: demum Ecbertus, tametsi vulnere debilis, amissi fratris impellente dolore, in confertos hostes invectus, occiso Bernardo Comite, adolescente vixdum militiæ maturo, cæteros languidiùs pugnantes in fugam avertit. Ita Respublica, sublato capite perduellionis, perculsisque factiosis, magno metu liberata est. Spem tranquillitatis auxit Andreæ, Ungariæ Regis, MOTUS SAXONUM. OPPRESSI.

ANDREAS UNGARIÆ REX SOPHIAM HENRICI SORORem DUCIT.

Regis, legatio, pacem ab Henrico petentis, simúlque filio Salomoni sponsam. Henricus Sophiam illi sororem concessit, quam Augusta ad Ungariæ fines deduxit. Cuno Dux Carantanorum, ad occupandam Veronensium ditionem, quam dicebat esse suam, facto ingenti apparatu, nullum operæ fructum tulit, cassæ expeditioni immortuus.

AN. CHRIST. M. LIIX. FRUSTRANEUS CUNONIS CARANTANI APPARATUS.

Annus quinquagesimus nonus fuit omnium frugum ubertate nobilis, sed fœdus hominum animantiúmque mortalitate, quam hiems asperrima secuta est, & insolenti rigore plurimos exanimavit. Nives deinde, tempore veris solutæ, plana camporum inundârunt cum insigni sementis calamitate. Ad ætatis ingressum, Gebhardus, clarum Boicæ sidus, in quem sanguinis, ingenij, cæteráque animi decora abunde cœlum contulerat, Balduino Salisburgensi Archiepiscopo demortuo successit. Diem quoque extremum egit Mathildis Regis soror, & Conradus Dux olim Bojariæ. Otho Babenbergensis Ecclesiæ Canonicus, Gebhardo Ratisbonensi Antistiti successit.

AN. CHRIST. M. LIX. ET LX.

XXI.

BALDUINI SALISBURG. MORS. VARIA PRINCIPUM FUNERA.

Herm. continuator. Lambert. Bonfin.

MOTUS IN UNGARIA. ANDREAS REX à BELA FRATRE OCCISUS. POTO BOIUS COMES BURGHUSINUS MIRÆ FORTITUDINIS.

Ambitu & fraternâ invidiâ stimulante, novi in Ungariâ motus extiterunt. Andreas Rex à Belâ fratre bello petitus, ab Henrico Rege è Boijs & Bojæmis, Wilhelmo Turingiæ Marchione, & Eppone Episcopo Citicensi ductoribus, auxilia impetravit. Boij Ungariam ingressi, cùm Bojæmorum suppetiæ nondum advenissent, semel iterum secundâ fortunâ pugnaverunt: & prope jam erat debellatum, cùm Bela, Polonorum auxilijs & totis Ungariæ viribus longè instructior, bellum est prosecutus. Andreas, tempori cedendum ratus, cum conjuge, nuru, & filio, in Bojariam se regiámque gazam recipiebat, cùm ad regni fines Bela eum assecutus, desertum à suis, & equo effusum, pugnatorúmque vestigijs obtritum, inter mortuos numeravit. Otto vivus venit in hostium manus. Wilhelmus fame veriùs, quàm ferro domitus, ad extremum fecit deditionem post longum & atrox cum hoste certamen. Ejus lateri hæsit Poto Bojus è familiâ Comitum Burghusianorum. Ambo destituti à commilitonibus, ne caderent inglorij, incredibili fortitudine, tumulum vi defendendum occupantes, à valido Ungarorum globo petiti, tantam edidère stragem, ut, nocte dimicationi intercedente, hostium sanguine madentes, post hostilium cadaverum aggerem circumsessi, pernoctaverint. Cùm non tam pugnandi ardor, quàm vires immensum quantum, ob prioris diei immanem contentionem & cibi inopiam fatigatos, destituissent; sub solis ortum admiserunt faciendæ deditionis mentionem, séseque fide acceptâ, hosti permiserunt. Eorum virtutem Jojada (Ungaris Geysa) Belæ filius admiratus, bonæ indolis adolescens, ultro patrem impulit, ut Wilhelmo filiam desponsaret, liberúmque in patriam dimitteret; in quam Wilhelmus redux, cùm anno postero, sponsam domum ducturus, Ungariam repeteret, in via ex morbo finem fecit vivendi. Duorum istorum Heroum laudes carminibus patrijs posteritas immortalitati consecravit.

XXII.

AGNES AUGUSTA BOJARIAM ABDICAT. SUCCEDIT OTHO GOTTINGENSIS SAXO.

Agnes Augusta, cùm Bojariam per quinquennium administrâsset, abdicatâ ejus gubernatione, totam se regno & Regis filij institutioni impendit, Boicâ Othoni Saxoni Gottingensi, illustrissimis orto natalibus, relictâ. Per id tempus ipsa cum filio Rege, Reginoburgi, Viduam Andreæ Ungarorum Regis unà cum Salomone genero & Sophiâ filiâ humanissimè excepit hospitio, præbuitque de publico sumptus, quibus pro dignitate haberentur. Salomon regulus cum sponsâ se, non multò pòst, recepit in Franconiam. Bela spe pacis, captivos sine pretio in Germaniam remisit, tamen pacem non impetravit. Subinde grandis rerum mutatio coorta est in Germania. Augusta, in regni administratione, Henrici Augustani Antistitis consilio atque operâ plurimùm utebatur, qui, cùm ferè unus apud ipsam omnia posse crederetur, venit in amoris incesti suspicionem, vulgi famam, assiduam ipsius cum Agnete familiaritatem non esse citra flagitium. Ea res vehementer urebat Principes, quòd unius culpâ regni majestas noménque Germanicum, cum insigni domi atque apud exteros infamiâ, evilesceret. Igitur illi crebros cœtus clàm agere, capita inter se conferre, remissiùs tractare publica, fastidire

AN. CHRIST. M. LXII. CRIMINATIONES IN AGNETEM AUGUSTAM.

fastidire aulam, solicitare popularium animos, ac demum modos circumspicere, Regem à matre unà cum rerum summâ abstrahendi. Anno Archiepiscopus Coloniensis, princeps factionis, Othone Bojariæ Duce, & Ecberto Comite Saxone, Regis patruele, connitentibus, puerum matri prorsus incogitanti hâc arte eripuit. Agebat Henricus in insulâ D. Suitberti, quæ Rheno tota alluitur. Ad eum Archiepiscopus die quâdam vectus, post solennes epulas, puerum, ad visendum, animi causâ, navigium bellè ornatum, invitat, abducítque, nihil insidiarum metuentem. Ut pedem in navim intulerat, eum remiges summâ vi, dicto citiùs à ripâ proripiunt. Puer incertus animi, cædem sibi paratam suspicatus, in undas exilit, mergitúrque, mox præfocandus, nisi Ecbertus se librans in aquas, arreptum navi reddidisset. Blanditijs delinitus, jámque vitæ securus, Coloniam avehitur. Turba Palatinorum ad facinus exhorrescere, auras implere quiritatu, Episcopum maledictis incessere, quòd ereptâ libertate, Regis majestatem violâsset. Anno, ut à se facti invidiam amoliretur, Regem produxit in publicum, reddidítque consilij sui rationem; Regem fœminæ imperio subductum, nunc primùm servire desijsse, ipsámque Rempublicam libertati esse restitutam. Ne ad se unum, inconsulto ambitu, videretur rapuisse imperium, decreto jussit, omnes Episcopos, eodem, quo ipse jure, tutelam regiam & regni munia, ut cujusque fines puer ingressus esset, gerere sibíque habere cordi, ne quid res publica acciperet detrimenti, & dare responsa de causis, quæ ad Regem referrentur. HENRICUS REX A MATRE AVELLITUR.

Augusta injuriam vel non sensit, vel, quod est vero simile, plùs quàm virili fortitudine toleravit. . Nullâ enim, ne tentatâ quidem rapti filij vendicatione, sceptro dimisso, sine omni tumultu, hortatu Petri Damiani Cardinalis, quo viro nemo eâ tempestate virtutem meliùs intellexit, nemo certè integriùs coluit; abdicatis rerum caducarum curis, sanctè vivendi leges accepit à suo hortatore, fecítque non mediocres in pietate progressus, longè in sancto otio, quàm in quotidianis turbis felicior. AGNES PRIVATAM VITAM INIT.

Henricus inter hæc, sub accuratâ Annonis manu, uti se dabant initia, in magnas spes crescebat. Cujus rei exemplum, Lambertus scriptor istius ævi, testísque penè oculatus, Wilhelmus item Malmesburiensis, cum aliquo tamen loci temporísque discrimine, miserunt in chartas. Juvat primo loco audire Lambertum, narrantem haud paulò, quàm alij, exploratiora. *Rex* (inquit) *Natalem Domini Goslariæ celebravit. Ubi ipsâ die. cùm ad vesperam, sellæ Episcoporum locarentur, inter camerarios Hecelonis Hildenesheimensis Episcopi, & camerarios Wideradi Fuldensis Abbatis gravis concertatio oborta est, & primò jurgijs, deinde pugnis res gesta est, citòque ad gladios prorupissent, nisi Othonis Bajoariorum Ducis, qui causam Abbatis tuebatur, authoritas intercessisset. Causa verò talis erat. Consuetudo erat in regno, per multos retrò majores observata, ut semper in Conventu Episcoporum, Abbas Fuldensis Archiepiscopo Moguntino proximus assideret: sed Episcopus causabatur, neminem sibi, intra Diœcesim suam, post Archiepiscopum, debere præferri, animatus ad hoc & opum gloriâ, quâ antecessores suos longè supergrediebatur, & temporis opportunitate, quia Rege adhuc in puerilibus annis constituto, singuli, quod sibi animus suggessisset, facilè impune poterant.* Hæc Lambertus, qui alterum certamen longè truculentius, Goslariæ, eâdem de causâ, in die Pentecostes, obortum, paulò pòst describit, atque in eo quidem aras occisorum sanguine temeratas, templi pavimentum cruore perfusum, horribiles morientium juxtà ac digladiantium ululatus, Episcopo Hildesheimensi canente classicum & suos accendente ad pugnam, Ecberto Regis patruele antesignano, tametsi Rex, quà voce, quà majestatis objectu, tumultuantes conaretur compescere, qui denique periclitatus, ægrè per confertam multitudinem suæ saluti consuluit. Stetit verò atrocissimi facinoris invidia penes Episcopum, qui ex composito, validâ manu stipatus, ad præmeditatum scelus venerat; valuit tamen Ecberti gratia apud Regem, ut, cùm die postero quæstiones de authore haberentur, totum accusationis pondus & venalis quæsitorum sententia, in Abbatem, & Fuldensis Monasterij fortunas, quas vehementer eâ causâ fuisse accisas deplorat Lambertus, incumberet. AN. CHRIST. M. LXIII. TUMULTUS IN ÆDE GOSLARIENSI GEMINUS. XXIII.

Malmesbur. de gestis Angl. l. 2. c. 12. Magn. Chron. fol. 189.

Malmesburienſis, &, Magnum, quod vocant, Chronicum ajunt, iſtam tragœdiam Moguntiæ fuiſſe editam in feſto Pentecoſtes, &, cùm à Phonaſcis Chriſto epinicion de more caneretur, *Hunc diem glorioſum feciſti*, auditum fuiſſe cacodæmonis clamorem, jactantis, ſe diem ſacrilegâ rixâ feciſſe bellicoſum: Regem verò, cæteris attonitis, extemporaneo reſponſo occurriſſe: *Ego hunc diem faciam glorioſum*, & feciſſe quidem epulo liberali, quod egentium multitudini curavit inſtruendum.

AN. CHRIST. M. LXIV. IOÆ UNGARI MODERATIO. SALOMON REX UNGARIÆ.

Rixæ deteſtabili ſucceſſit pium juſtúmque bellum, quod, Belâ Ungarici regni invaſore demortuo, Joas filius, ſapienti moderatione diſcuſſit: is parente orbatus, ſecum reputans, ſibi longè dulciorem opum modicarum fructum, quas tranquillè retineret, quàm Regni per vim quæſiti incertam & periculi plenam poſſeſſionem, ſimul veritus, ne auditâ Belæ parentis morte, totius Germaniæ nomen, pro Salomone exule, ad arma confluerет; per oratores Henrico Regi reſpondit, ſe haud gravatè regnum abdicaturum, ſi modò dignum natalibus locum & convenientem fortunæ apparatum certò poſſet obtinere, neque repugnaturum, quin Salomon ad paternum ſolium pacificè rediret. Eadem Ungari aſſiduis legationibus addicebant, nec abnuebant Henrici tutores, rati, malè quæri per vim, quod pacatè poſſet haberi: verebantur tamen, ne, quod crebrò contigerat, iſta promiſſa ad faciendum temporis compendium, donec in Ungariâ meliùs eſſet rei communi proſpectum, fraudibus prætexerentur. Viſum igitur, armatâ manu, venire in rem præſentem, & pacis leges, ſi qua vis obſtaret, ferro ſancire, eáſque tantiſper tueri, dum ſublatâ rerum novandarum facultate, Salomon ſecurus regnaret. Ad inflandam Henrici famam, ſcribunt nonnulli, Belam, ante omnem pacis mentionem, in pugnâ occubuiſſe, & Joam, frigeſcentibus popularium ſtudijs, ab Ungaris deſertum, ad quietis pactionem deſcendiſſe: verùm quia Lambertus, quem ut ſinceriorem ſequimur, nihil horum habet, ei maluimus ſubſcribere, quàm exponi periculo vanitatis. Id conſtat, Salomonem, pronâ Ungarorum voluntate, quietam regni poſſeſſionem, Henrici auxilijs, adijſſe, & exercitum incolumem in Germaniam rediviſſe.

XXIV. *Lambert. Adelbertus.* ALBERTUS BREMENSIS ARCHIEPISCOPUS HENRICUM REGEM PERVERTIT.

Ungariâ ad eum modum compoſitâ, res Germaniæ cœperunt ire in deterius, ex mutatâ Regis educatione. Pueri ætatem, Moguntinus & Colonienſis Archiepiſcopi, adhuc ſat commodè ad virtutis ſtudium flexerant. Verùm ubi Albertus Bremenſis Archiepiſcopus, ob nonnullam prudentiæ ſpeciem & generis claritudinem, in partem conſiliorum irrepſit, nactus ad abſentiam Annonis Agrippinenſis, occaſionem Regis pervertendi, aſſentando, quo nihil principibus eſt peſtilentius, & moliendo eſt aſſecutus, ut collegas authoritate & gratiâ ſupergreſſus, graviſſima quæque negotia ad ſe raperet, &, quod ambitionis proprium eſt, omnia regni munia, ſuo arbitratu gereret verſarétque. Illi ad ſummam poteſtatem graſſanti, foventíque juvenilem Henrici laſciviam, acceſſit Wernherus Comes, homo ferox & inſolens, cuius audaciâ ad firmandam improbitatem utebatur. His inſtructus præſidijs, nihil penſi habebat, Epiſcopatus, velut ſub haſtâ, venum habere, Monaſteriorum opima diſtrahere, Eccleſiæ honores turpiſſimo quæſtu vendere, illuſtriora reipublicæ munera non virtuti aut bene meritis, ſed nundinatoribus committere: habuit quidem paulò molliùs potentiores Epiſcopos, metu factionum, ſed tantâ licentiâ uſus eſt in minùs validos, ut non cum hominibus, religionis immunitate tutis, ſed cum vilibus mancipijs, quà exigendo inſueta tributa, quà cogendo ad indigna ſervitia, per inſatiabilem avaritiam, ſummo jure agere videretur. Cùm Corbejenſem & Laurisheimenſem opulentas Abbatias invaſiſſet, ut ejus rapinæ infamiam & publicum odium minueret, haberétque, unde, bolo objecto, os æmulis obſtrueret, Regi perſuaſit, ut Colonienſi Antiſtiti donaret Malmundarienſe & Endanum Cœnobium, Moguntino Seligenſtadianum; Rudolfo Suevorum Duci Campidonenſe, Wernero Comiti ſacras Kirchbergæ poſſeſſiones, Othoni Bojorum Duci Altahenſes, quæ hunc demum calamitoſum, inopémque reddiderunt.

Lambert. Marian. Vrſpergen.

Fin-

Fingebat homo vanissimus, se frui cœlestium geniorum alloquio, & Dei arcanis interesse: Sanctimonialium Antistitam, quam oderat, velut Elias quispiam jussit intra decimum diem mori; cùm accepisset conclamatam à medicis, crederetque non superfuturam diutiùs: cùm mortuam existimaret, nuntium accepit, eam valentem salvámque, ægrotare desijsse. Jactatus rumor, quasi Wormatiæ hominem ab impurissimo dæmone liberâsset, qui si verus sit, id certè non ipsius virtuti, sed Ecclesiæ precibus & sacerdotij meritis est tribuendum. Et licèt demus, eum aliquando triginta mendicis abluisse pedes, non condonamus tamen, quòd cum immani scelere & pessimo publico, Regis simplicitatem fœdissimis moribus conspurcârit; quicquid tandem se Brunnerus unà cum Crantzio in eo purgando fatiget.

Dum istiusmodi dedecora, Regis educationem fœdarent, fuêre tamen viri Principes, qui impietatem detestati, procul aberant ab istâ malorum contagione. In ijs fuerunt Antistites, Sigefridus Moguntinus, Wilhelmus Trajectensis, Guntherus Babenbergensis, Otho Ratisbonensis, quibus accesserunt è Boijs Dynastis, Fridericus Diessensis, Eccardus Schyrensis, Ortulfus Hohenwartensis. Ij, susceptâ in Palæstinam votivâ peregrinatione, septem, vel, ut alij volunt, duodecim hominum millia, autumno jam senescente, secum traxerunt, inter quos honesti cives permulti, plures fortunæ tenuioris. Malè vertit, quòd Principes Christianæ frugalitatis & modestiæ immemores, intempestivo luxu & inani opum ostentatione, Barbarorum rapacitatem proritârint. Sicubi enim corpora refecturi accumbebant, mensæ fulgebant ostro & aureâ argenteâque supellectile, sedilia convestiebantur pretioso vestium apparatu; tanta erat rerum elegantia, ut totidem Reges, quot Episcopos ac proceres, Barbari numerarent. Magnus indies fiebat ex urbibus & agris, ad peregrinorum spectaculum, concursus, & cum admiratione opulentiæ, crescebat desiderium prædæ insolentis. Arabum fines ingressis, ipsâ die sacræ Parasceves ad Ramulam oppidum, accurrit ingens prædonum turba ad spolia expeditorum. Plerisque peregrinantium religioni ducentibus, diei sanctitatem, stricto ferro, violare, ad primum hostis conspectum animus defuit ad arma capienda, cùm sibi non persuaderent, fore quemquam, qui sæviret in inermes. Quare universum agmen, nullo negotio, ab Arabibus evertitur, cæduntur quàm plurimi, multi vulneribus debiles sternuntur, omnes rebus omnibus ipsisque corporum amiculis spoliantur. Wilhelmus Episcopus Trajectensis, brachio saucius & nudus, inter cæterum cadavera semianimis jacuit. Quibus aliquid roboris fuit reliquum, saxis, quæ ager dabat, non tam propulsabant periculum, quàm differebant mortem. Tandem & hi, omissâ defensione, in villam Capharsalam refugientes, aream, caducâ, præ vetustate, maceriâ utcunque tectam, domúmque mediam, aliquanto firmiorem, occupant, & telorum procellam excipiunt. Revixit ex successu animus, ut non modò incursantes reijcerent, sed etiam crebris eruptionibus hostem lacesserent armati clypeis & jaculis, quæ occisis detrahebant. Cùm Barbari oppugnando nihil promoverent, tandem cepêre consilium, fame ad deditionem coronâ cinctos adigendi, & leves subinde incursiones, partitis inter se vicibus, inferendi. Jam triduum obsidio tenuerat, cùm ultima ausos passósque, sacerdos aliquis hortatus est, ut vitam libertatémque, viatici reliquijs, vix jam trahentes animam, redimerent. Per interpretem impetravêre deditionem ad hostis arbitrium. Latronum antesignanus, ut solus prædâ potiretur, submotâ suorum turbâ, cum decem & septem commilitonibus, nostrorum septum ingreditur, filio, præsidij causâ, ne quis alius intraret, ad portam relicto. Illum, cum paucis ad superiorem ædificij contignationem admissum, (in eam enim se Moguntinus & Babenbergensis receperant) Guntherus, in quo eminebat præcipua formæ majestas, precatus est, vellet spolijs omnibus, vitæ saltem veniam, cum dedititijs pacisci. Respuit Barbarus omnem conditionem, minatus, se sociorum manes sanguine nostrorum post triduum, placaturum, & cum dicto tæniam in restim contortam, Episcopi collo injecit. Quam ignominiam

An. Christ. M.LXV. XXV.

Peregrinatio in terram sanctam.

Luxu malè habita.

Clades peregrinantium.

niam Guntherus non ferens, impacto pugno, Barbarum humi affligit. Eo facto excitati commilitones, cæteros, qui in conclave ascenderant, vinciunt, animántque socios, ad Arabes, qui infrà manserant, vinciendos. Id ubi animadversum à cæteris, qui circum aream stabant in armis, cum horrendâ vociferatione densam telorum nubem effundunt in obsessos, qui, ut tuerentur, vinctos Arabes, quâ parte atrociter erat impetus, telis obijciunt, minantúrque, si pergant insultare, missilia per vinctorum jugulum, ad jaculantes reditura. Filius antesignani parentis periculo territus, se in confertum suorum globum inferens, manu, voce, increpitans furentes, ac subinde rogitans, impetrat; ut concessis tantisper inducijs, de libertate captivorum liceat pacisci. Sedatâ turbâ, diei reliquum noctémque proximam quieverunt. Missus interim ab obsessis, qui Ramulæ Dynastam, qui veteres cum Arabibus gerebat inimicitias, de Christianorum periculo edoctum, amplis promissis in auxilium vocaret; qui mox contractis popularium centurijs, adventûs sui famâ prædones abegit, &, pactâ quingentorum Bizantinorum nummûm aureorum mercede, peregrinos, attributis defensoribus, ad gloriosum Christi sepulchrum, atque inde ad naves, deduxit, jussítque, vinctos Arabes, ad Babyloniæ Regem, capitalem eorum hostem, deportari.

LIBERATIO OBSESSORUM.

Guntherum Babenbergensem 10. Cal. Augusti Oedenburgi in Ungariâ mors oppressit. Ejus funus revectum in patriam, Babenbergæ est sepultum: reliquus comitatus duorum non amplius millium, cùm Othone Ratisbonensi in Germaniam redijt. In eo fuit Altmannus divino (ut apparet) nutu, ad Batavensem Episcopatum destinatus, cujus insignia Engelbertus, morti proximus, è terrâ sanctâ redeunti, misit in Hungariam. Is à Gebhardo Salisburgensi inauguratus, magnâ cum laude laboravit in reducendâ per Boicam avorum pietate.

ALTMANNUS BATAVENSIS EPISCOPUS.

XXVI. HENRICI REGIS MALI MORES.

Henricus Rex, hoc anno, ephebos egressus, Wormatiæ cœpit armis accingi. Ab assentatoribus depravatus oderat astrictiorem Annonis Agrippinensis disciplinam, ipsúmque magistrum: unde bono viro aula deinceps fuit instar maris, quod modò tranquillum est, mox turbulentum: ita aliquando admittebatur ad intimam Regis familiaritatem, aliàs contumeliosè jubebatur Regiâ excedere, prout læta vel tristia suggerebat adolescenti, qui solis jucundis ducebatur.

AN. CHRIST. M.LXVI.

ADELBERTUS A REGIS AULA DIMOTUS.

Annus sextus supra sexagesimum, Adelberti dominatui fatalis fuit, & nimis quidem serò, nam Reipublicæ Regúmque eversores nunquam satis citò publico amoventur. Jamdudum passim querimoniæ jactabantur, eum regiarum curarum obtentu, occupasse tyrannidem: fiscus regius ad minuta vectigalia & egestatem erat redactus: monasteria, aliunde hominis avaritiâ exhausta, ordinarias contributiones non ferebant. Et jam maturuerat in ipsius caput conspiratio, instinctu Moguntini & Coloniensis. Commodum accidit, ut Triburiæ Comitia agerentur, in quibus auditæ palàm voces, aut Regi adimendos esse fasces, aut dominatum ab Adelberto ejurandum. Regem cùm non lateret conjuratio, tamen ne deesset amici periculo, ad diem constitutam, Triburiæ adfuit, ubi geminum adijt discrimen. Primum à conjuratis intentatum, cùm atrox in ipsum dicta est sententia, nisi mox Adelbertum ex aulâ proscriberet. Ferrum in utrumque stringebatur, cùm fugam coactus adornare, & gazam regiam, die ad tenebras præcipiti, per satellites cœpit avehere, quam è vestigio sequeretur; cùm fugæ consilium conjuratis suboluit. Quare, ne elaberetur, dispositæ sunt circum Regiam excubiæ, & Adelbertus ad necem postulatus, & jam in eo erat, ut percussores ejus sanguine manus imbuerent, cùm Henricus precibus obtinuit, ut incolumi liceret ex aulâ discedere. Alterum fuit periculum ex gravi morbo, qui medicos in desperationem adduxit. Cùm plerique Regis exitium non tam timerent, quàm sperarent, omen capiebant ex tristi criniti sideris aspectu, quem conjectores, Principi fatalem pronuntiabant, inani tamen, ut solent, conjecturâ. Henricus enim, ægritudine sensim remittente, viribus restitutus, non multò pòst, Bertham Othonis Italiæ Marchionis filiam, olim ex patris voluntate desponsam, regni thorique sociam accepit, non infausto consortio, nisi tertio pòst anno, vagæ adolescentis libidines justum amorem incestis flagitijs extinxissent.

HENRICI NUPTIÆ.

His

Hic annus Bennonem, sacrosanctum fortunatúmque Bajoariæ nomen, patre clarissimo, inter Saxones Comite, oriundum, è Goslariensi Collegio ad Misnensem cathedram produxit. Præcessorem habuit Craftonem, hominem perditè avarum, qui fractâ cervice, colore tetro, incubans opulentæ gazæ, quam humi defoderat, à domesticis repertus est obijsse. D. Bennonem in Misnia à Luthero vituperatum, & cum honore in Boicam migrantem, in loco laudabimus.

S. Benno Episc. Misnensis. Craftonis Episc. infelix exitus.

Longè feliciùs, quàm miser, quem dixi, Euclio, Altmannus Episcopus Bataviensis, hoc anno justas opes magnificè locavit in condendo suburbano D. Nicolai cœnobio, quod D. Augustini sodalibus transscripsit, Agnete Augustâ in partem fundationis veniente, donato agro ad aream cæterúmque usum recentis domicilij. Alia ex parte, Boica latrocinijs lacerata est, civilibúsque discordijs, quæ tamen sine sanguine in arenâ fuerunt compositæ, cùm armatæ acies in mutuas cædes jam jam essent ituræ. Annales Altahenses (quod superiùs ex eorum mente insinuavimus) Othonis Bojariæ Ducis avaritiæ, haud scio, an satis justè, adscribunt, quòd Monasterij opes ab Henrico dono accepisset, quasi ex sacris spolijs fecisset quæstum. Sed aliorum, qui istâ tempestate scripserunt, altum eâ de re silentium, qui istas sordes fuissent relaturi inter causas Othonianæ exauctorationis, si ex vero referri potuissent, facit, ut credam, attributas fuisse prædonum grassationes Principi, quòd eas seriùs, quàm ferrent vota populi, ad lacerandam famam Optimatum proclivis, cùm pro communi salute peregrè profectus abesset, prohibuerit.

XXVII. S. Nicolai ad Bataviam Monasterium inchoatum An. Christ. M. LXVII. et LXIIX.

Eum enim, constat in Italiam cum Annone Coloniensi & Henrico Tridentino, Episcopis, rei publicæ causâ, Legatum, malis domesticis mederi per absentiam non potuisse. Romam appulsos, Alexander Pontifex in conspectum non admisit, eò quòd Ravennæ & Parmæ, cum Episcopis, quos ipse piorum cœtu moverat, essent collocuti, sed tam diu distulit, donec per Romana templa nudis pedibus, piaculari supplicatione, fuerunt perfuncti. Otho obitâ in urbe legatione, cùm Anno & Henricus in Germaniam abivissent, in agro Placentino operam & colloquium cum Italis perdidit, negantibus, exteri principis consilia, citra libertatis Italicæ diminutionem, admitti posse. Jam tum Henricus de opprimendâ Saxoniæ & Sueviæ nobilitate, civibúsque servitute premendis, stimulantibus domesticis, cogitabat, & qui genius est impotenter imperantium, cœperat viros fortes, quorum studijs majorum jura morésque sustentabantur, non suspectare modò, sed etiam, captatâ undique occasione, clientelis exuere, arcere à publico, ne essent, qui pestilentes malè feriatorum molitiones sufflaminarent.

Anno Coloniensis, Henricus Tridentinus, Episcopi, Otho Baioariæ Dux Legati ad Pontificem. *Triumph. S. Remachli. c. 22.*

Otho noster, qui si quisquam alius, se publico bono addixerat, & pravis consultoribus adversabatur, sudes illis erat in oculo, & erat ipsi Rex infensus, quòd communicato cum Annone Coloniensi consilio, eum à matre abstraxisset invitum, & crebrò cum eo de salute communi conferret: iras tamen premebat, donec speciosa aliqua ejus evertendi occasio proveniret. Quam in rem evenit, ut Otho, soluto Italorum conventu, seorsim Godefridum Lotharingiæ & Tusciæ Ducem conveniret: quid agitârint, incertum: certum tamen, utrumque malevolorum obtrectationibus fuisse traductum, quasi in Regis perniciem capita contulissent. Semper sibi malè timet, qui causam dat malefaciendi. Habebat Rex inter primæ admissionis gnathones, Eginonem, hominem ex fraudibus consutum, quo authore, ad struendas viris primoribus insidias, plurimùm utebatur. Ille sparsit in vulgus, Othonem Regi struxisse insidias, cùm à debellatis Luiticijs rediret, & in hospitali mensâ, per tumultum tollere voluisse. Ergo, publicâ infamiâ iniquissimè laborantem, Moguntiam evocat, neque solâ inficiatione, aut verissimis in contrarium conjecturis contentus, jubet singulari certamine adversus Eginonem refellere infamem calumniam, & crimen purgare. Otho tametsi gravatè sentiret, se cum infami latrone committi, accepit tamen conditionem, si modò fide publicâ, suæ incolumitati, contra vim quamcunque extra duellum, caveretur. Rex qui illum quocunque tandem modo volebat esse sublatum, negat, publicæ securitatis tesseram deberi homini majestatis accusato: enimverò certaminis eventum, de alter-


XXIX. Othonis innocentia premitur.

alterutrius antagonistæ capite fortunísque abunde pronunciaturum: satis fore tutum, qui Marte arbitro innocentiam assereret. Otho, animadverso, strui suo capiti insidias, quæcunque tandem sors foret pugilatûs, publico excessit, cum minis, brevi visurum Regem, ludos haud paulò innocentiores, cœpitque apud amicos suæ defensionis subsidia comparare. Hæc agentem, Henricus pro confesso, & Reipublicæ hoste manifesto declaratum, armatus insectatur, & immisso in Boicam milite, flammâ, ferro, violatis etiam sacrorum aris atque domicilijs, irritat. Otho contrà, coactis ad signa tribus armatorum millibus, indictisque publicis piorum supplicationibus, irrumpit in Turingiam, ubi 4. Nonas Septembris, hoste fugato, Numinis favorem expertus, Regem inter Goslariæ mœnia, totâ hieme continuit. Belli exitus rarò secundus subjectis fuit. Ita eum Rex Boicæ principatu exutum proscripsit, eique subrogavit Welfonem, Azone Estensi & Cunissâ Welfonis II. filiâ progenitum. Ab hoc Welfone propagati Welfones Suevi, qui Boicum imperium post Agilolfingos, Francos, Saxones, eorúmque beneficiarios tenuerunt, qua de re plura ad annum septuagesimum, cui Lambertus Turingorum cladem adscripsit. Anno octavo supra octogesimum, Monasterium S. Crucis Werdeanum, olim à Thassilone Boicæ Principe conditum, quod Mangoldus Dilingensis & Kiburgensis Comes, ejúsque conjunx Tuta, anno circiter M.XXX. cœperant excitare, juxta arcem Mangolstainiam, in planitiem translatum est, & tandem circa annum millesimum centesimum, intra mœnia Werdeæ civitatis erectum, Benedictini instituti religiosos accepit.

Et vindicatur.



BOICÆ



BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS I.
LIBER XVIII.

Henrici IV. crimina, clades, ficta pœnitentia, fraudes, perjuria, odia in Saxones piósque alios. Sublecti Henrico Reges, Hermannus, Rudolfus Suevus. Bella domestica, Saxonica, Italica, Vngaricum, Moravicum, Palæstinum. Infelix Welfonis in terram sacram expeditio. Varia Comitia, sacra, profana. Schisma sub Guiberto à Corrigiâ. Res gestæ à D. Annone Coloniensi, Gebhardo Salisburgensi, D. Thyemone Salisburgensi Martyre, D. Altmanno Batavensi, Wilhelmo Hirsaugiensi, Engelmaro, Wilhelmo Windebergio, Boijs Welfonibus, Othone Götingano. Henricus V. patris Henrici IV. collega. Immanis Simoniæ colluvies & concubinariorum. Agnetis Imperatricis pietas. Exitus Mathildis, Giselæ Vngaricæ, Iudithæ Boicæ. Variorum monasteriorum origines.



AGgredimur tempora toti Romano imperio admodum funesta. Potissimæ malorum causæ à capite, quo laborante, cæteris Reipublicæ partibus bene esse non poterat. Quod superiore libro notavimus, Henricus Rex, adolescens effreni morum licentiâ, cum ætate flagitia in majus proferebat. Cùm à primis annis, in libidinem esset projectissimus, evadebat se ipso indies turpior: nullus erat avaritiæ modus, vel finis sacrilegarum nundinationum, quibus opes sacræ palàm, velut sub hastâ, vendebantur. Creditum fuerat, vagis Henrici amoribus frenos ex casto Berthæ Reginæ thoro prodituros: sed improbitas, quæ in uno gradu non subsistit, sic eum dementârat, ut, cùm uxorem fastidiret, consilium ceperit ab ea, Lotharij Cæsaris exemplo, divertendi, hoc obtentu, quòd post triennem thalami genialis consortium, nullum rei maritalis usum habere potuisset.

I. *Lambert. Schafnab.* HENRICI MORES IMPROBI. AN. CHRIST. M. LXIX. SIMONIÆ EFFRENIS USUS. HENRICUS DIVORTIUM MOLITUR.

Ut com-

II. Quam in rem aguntur Episcoporum comitia.

Ut commento fucum faceret, Sigefrido Moguntinensi Archiepiscopo grandibus promissis persuasit, ut eâ de causâ Antistitum Comitia indiceret, certus, fore ut, si Regem voti faceret compotem, rei bene gestæ præmium acciperet perpetuam decumarum pensitationem à Turingis, qui adhuc id oneris detrectârant. Wormatiæ convenerunt Episcopi, post ferias Pentecostes. Henricus, oratione ad fraudem compositâ, conquestus est, se ad eam diem fefellisse hominum oculos, quasi cum Reginâ sibi rectè conveniret, sed ducere religioni, eam fabulam diutiùs ludere cum ingente animi periculo, in quo simul domûs suæ & publica salus verteretur. Non latere Patres, quæ prima sint vota nubentium, & quæ pactio mutui in sua corpora dominatûs, quo deficiente, ab ipsis nuptiarum principijs, & perseverante citra omnem spem remedij, omnis matrimonij ratio corruat. Jam abiisse triennium expers consortij conjugalis, ob uxoris impotentiam, ad quam probandam plus temporis jura non requirant. Nihil quidem esse, cur optaret uxorem meliorem, si, quam parens olim dederat, uxor esse potuisset; sed cùm fata aliud voluerint, accipiendum esse æquo animo, quod emendari non posset. Quâ de re, ne Patres ambigerent, se fide regiâ & jurisjurandi religione asseverare, Reginam, illæso prorsus pudore, puram putam thalami consuetudinem habuisse. Se proinde orare Patres, ne malè nuptos inauspicatis vinculis, præter jus fásque, irretiri diutiùs patiantur; sed faciant utrique potestatem, ad alia vota transeundi. Antistites, qui mendax hominis ingenium noverant, dicenti fidem non habuerunt, rati, tam grave negotium inauditâ Reginâ, quam de industriâ maritus Laurisheimium amandârat, non posse definiri, neque consultò credi assueto mentiri, cui, ne vera quidem dicenti, crederetur. Unus Sigefridus, quem magnificæ pollicitationes labefecerant, timidè pro iniquâ petitione nitebatur. Nec verò par erat omnium Episcoporum constantia, ut præfractâ refragatione ilicò tam flagrantia Regis postulata damnarent; nec deerant è Palatinorum grege quidam, ad omnem domini nutum cerei, quos novarum rerum spes corruperat: visum tamen in commune, ad faciendum temporis compendium orandásque ex urbe Pontificis suppetias, Sigefrido authore, Synodum Moguntiam indicere, in quâ turpissimæ causæ suprema manus imponeretur, ad Octobrem ineuntem.

Proponuntur causæ fallaces.

Sigefridus Moguntinus malæ causæ patronus, Cæteris refragantibus.

Alexander Pontif. Henrico adversatur.

Id ubi renunciatum Alexandro II. Pontifici, Petrum Damiani, virum prisci moris atque integritatis, legatum misit Moguntiam, qui nefariæ molitioni intercederet. Henricus eodem properabat, cùm ex itinere per internuntios cognoscit, legatum Pontificium ejus adventum præstolari, cum mandatis, ne quid contra Ecclesiæ sanctiones fieri sineret: & cum quidem attulisse ab Alexandro, minaces expostulationes ad Sigefridum, quòd stimulante avaritiâ, sedis Apostolicæ injussu, infamis causæ venale patrocinium in se suscepisset. Rex eâ denunciatione territus, velut lapsâ è manibus voti potiundi occasione, decreverat ilicò reverti in Saxoniam, & vitare legati Apostolici congressum: amicorum tamen consilio ægrè adductus est, ut ne vellet tot Principum, qui frequentes Moguntiam confluxerant, frustrari expeditionem, sed eos Francofurti juberet adesse. Illuc, ubi magnâ frequentiâ convenerant, Petrus Damiani, intrepidè Pontificis jussa Regi exposuit, & severè monuit, seriò revocaret ad animum, quam rem, pessimo ad orbem Christianum omnémque posteritatem exemplo, contra sacrarum legum instituta moliretur. Haberet saltem in consilio sui nominis existimationem, nec speraret, ullum unquam Romanorum Pontificum, augustali diademate redimiturum caput, quod se facinore tam nefario esset impiaturum. Quòd si denique Pontifici morem non gereret, proximum fore, ut pro supremâ Ecclesiæ potestate, legum vim & dirarum execrationes experiretur. Iverunt in Legati sententiam, quotquot adfuêre Principes, Regem per divina & humana omnia obsecrantes, ne usque eò turpem notam regiæ majestati inureret, justámve daret causam Reginæ agnatis, qui armis, clientelis, & fœderibus plurimum possent, res novas in Italiâ tentandi, ad cognati sanguinis ignominiam, insigni aliquo facinore vindicandam. Henricus istis rationum momentis non tam fractus, quàm flexus ad metum, respon-

III. Synodus Francofordiam transfertur.

Petri Damiani Legati monita nomine Pontificis.

Henricus monenti acquiescit.

spondit, se fore in Romanæ sedis authoritate, sicque suo animo imperatutum, ut, quas nequiret excutere pedicas, moderatè saltem toleraret. Subinde voluit Reginam, ex Laurisheimensi cœnobio, in aulam revocari: quia tamen nondum satis suum genium ad æquitatem composuerat, ne in ejus conspectum veniret, mox se, cum exiguo quadraginta stipatorum comitatu, in Saxoniam proripuit, distulitque in præsens thori consortionem, quâ, non multò pòst, restitutâ, Regina tergemino filiorum partu, mariti accusationem refutavit, & suam probavit fœcunditatem. Primo in Moguntinis Comitijs edidit filiolum, qui sacris undis ritè expiatus, mox vivere desijt; altero enixa est Henricum, qui patri in imperio successit; tertio peperit Conradum: omitto Adelheidem & Agnetem filias. *Lambert.*

Inter hæc Otho Gottinganus, non ita pridem exutus Bojariæ principatu, contractâ, pro præsentis fortunæ conditione, armatorum manu, castra in Hasengunensi monte, situ naturâque apprimè firmo, adjectis operibus & comportatâ ex agro confini annonâ, bene munierat, in id unum intentus, ne sine indecori periret inultus, ratus, in supremâ rerum desperatione, nihil sibi ampliùs, quàm nominis sui curam superesse. Welfo, de quo paulò superiùs, immensum quantum auxit ejus ærumnas. Is, inclinante Othonis fortunâ, ut est mobilis amicitiæ desultoria fides in rebus adversis, benevolentiam, quam remissè cum Othone coluerat, duplici maleficio extinxit. Etenim non contentus, veteri amico negâsse auxilia, per corruptos auro interpretes, apud Regem eum fortunis evertit, impetrato Bojariæ Ducatu. Tolerabile id & ignoscendum homini ambitioso, nisi aliud longè gravius accessisset. Non poterat meliùs Henrici gratiam aucupari, quàm professo Othonis odio, quod executus est in hunc modum. Othonis, dum ejus fortuna floreret, filiam sibi matrimonio, sanctè semel iterúmque juratâ fide, sociaverat. Hanc rebus mutatis, à suo complexu repulit, & afflictissimo socero domum remisit, quibus rebus se Henrico plurimùm commendavit, internuntio Rudolfo Sueviæ Duce, quem Welfonis largitiones fecerant in eâ causâ facundum. Henrico per se ad nocendum prono, nihil opus fuit fortioribus machinis, ad subruendum veterem inimicum. Goslariæ, ubi natalitias Christi ferias agebat, Welfonem, solenni ritu, in vacuum Bojariæ dominatum immittit, tametsi non nesciret, id ægrè futurum Boicæ Ordinibus, quòd, novo exemplo, & cum vetustæ libertatis imminutione, ipsis inconsultis, daret Ducem, quem more majorum legere, vel saltem probare debuissent. Ut tamen ad eos in officio continendos in Boicam non proficisceretur, effecit timor, ne per ipsius absentiam, Otho ansam caperet, Goslariam, princeps & gratissimum regni domicilium, ferro flammáque exscindendi.

An. Christ. M. LXX. IV. Otho Gottinganus à Welfone evertitur. Welfo uxorem, Othonis filiam repudiat. Creatur Dux Boiariæ.

Otho, ut cui in re prorsus desperatâ haud quicquam erat, præter famam, reliquum, nihil prius habebat in votis, quàm ut, Marte abitro, supremam aleam periclitaretur. Quam ad rem Henricus justum exercitum è Saxonibus, Turingis & Catimelibocis sub signa contraxerat, jussis Principibus, qui remotiores erant, cùm primùm possent, properare suppetias. Ne ferro decerneretur, intercessit Eberhardi Comitis Ellenburgici, qui unus apud Regem penè omnia poterat, aûctoritas atque moderatio. Huic visum, in magnâ armorum civilium acerbitate, nec esse honestum vinci ab hoste, nec vincere rei communi salutare. Sibi igitur ultro sumpsit rei componendæ negotium voluntarius ad Othonem legatus, sine publicis mandatis, quæ erat ratio, pacta omnia ad Henrici arbitrium, qualicunque demum Othonis damno, revocandi. Ivit tamen, & spe veniæ largiter ostentatâ, bonum Principem cœpit obtestari, ne omne Germanum nomen, adversus fatiscentem suáque sorte labantem fortunam, temere concitaret, & Regis iras pertinaciâ redderet acriores. Ne fideret tumulo malè protecto, & pejus à rebus necessarijs comparato, vel sibi persuaderet, satis esse in paucorum hominum malefidâ societate præsidij: infirmam stationem desereret, & justis conditionibus se inermem Regis clementiæ permitteret; id si faceret, sanctè se polliceri, fore, ut in gratiam receptus, ad pristinam dignitatem & ablatum principatum rediret. Hæc, ad speciem potiùs, quàm ad fidem dicta, moverunt Otho-

Otho bellum parat in Henricum. V. An. Christ. M. LXXI. Decipitur ab Henrico.

Othonem, ut ostenderet, se tam bellam occasionem non aspernari. Haud fuit operosum Eberhardo, Henricum adducere in suam sententiam, quippe quem cœperat tædere belli, quod à Principibus, qui proniore erant in Othonem studio, duci potiùs, quàm geri videbat. Quare pactis inducijs & die constitutâ, quâ post vernum jejunium pax, Coloniæ Ubiorum, ex procerum sententiâ conficeretur; Otho pectore nimis candido suos à signis dimisit.

Secundum hæc in Bojariam Henricus abijt, ubi redditâ facti sui ratione, sic satisfecit Ordinibus, ut nemo esset, qui Welfoni obsisteret. Exinde Othoni ad quinquaginta dies induciæ fuerunt prorogatæ, quibus exactis, Halberstadij, se suáque Regi dedidit, eventu longè, quàm Eberhardus in se receperat, tristiore.

VI. Retinetur in custodia. Non enim modò priori fortunæ non est redditus, sed libertatis exors, dubiúsque salutis, jussus est in custodiâ retineri, unà cum cæteris, qui arma in Regem gesserant, donec de singulorum capite & facultatibus, quid certius à Rege ex Principum judicio decerneretur: quod decretum, cordati quique, ut immane & plenum perfidiæ sunt detestati.

Leopoldi Mersburgii infelix interitus. Subinde, cùm Henricus ad Synodum Moguntinam se conferret; Leopoldus Mersburgius, qui omnium flagrantissimè Regem in Othonis exitium impulerat, visus est justas injusti odij pœnas dedisse, quando effusus equo in ensem evaginatum (quem Martis primùm, deinde Attilæ, aliorúmque Principum, per longam avorum annorúmque seriem, fuisse quidam fabulantur) hausto latere confossus est, cum ingenti Regis mœrore, cui charus erat in paucis.

Carolus Simoniacus ab adeundo Constantiæ episcopatu repellitur. Potissima Comitiorum causa fuit Carolus Constantiensis, quem sacrilegi peculatûs & nefariæ Sacrorum nundinationis compertum, Constantiense Collegium ab Episcopatûs aditione, ringente quamvis Henrico, repellebat. Ille confixus omnium Antistitum sententiâ, inter quos sedit Gebhardus Salisburgensis, quicquid demum artis pro ejus defensione Rex adferret, indignus est habitus, qui Constantiensem mitram indueret.

Immanis Simoniæ colluvies inter religiosos. Istâ Simoniæ contagione non modò Episcopus, sed etiam monasteria passim afflabantur. Tanta enim in religionis contubernia rei faciendæ libido irrepserat, ut, extincto apud multos rerum divinarum studio, toti essent in auro privatim corradendo, quo ad sacras præfecturas grassabantur tam stupendâ profusione, ut profanorum etiam virorum ambitum largitionibus anteverterent, homines, qui sub vili lacernâ simulabant studium sacræ paupertatis. Evocati quidem sunt ex Italiâ Monachi, qui errantes in viam reducerent; sed, quos à suo instituto reperiebant abhorrentes, è vestigio proscribebant è Monasterijs nimiùm duri impatientésque morum magistri.

Annonis Coloniensis in reformandis monasteriis industria. Sapientiùs Anno, Coloniensis Archiepiscopus, colonias ducebat è Cœnobijs integrioribus, ad instaurandam prisci moris disciplinam, quod, quia minus habebat peregrinitatis, suaviùs influebat in animos suæ nationis amantes.

An. Christ. M. LXXII.

VII. Adalbertus Bremensis redit in aulam. In Regis aulam rursus sese insinuaverat Adalbertus Bremensis Antistes, & superatis æmulis, per quos ante sexennium fuerat eliminatus, solus ferè Henrico fruebatur, receptus ad intimam familiaritatem & quasi regnandi consortium: tam nôrat callidè sese Regis genio accommodare.

Moritur. Eum tandem mors è medio sustulit annis exhaustum, vigente adhuc ambitione, mense Martio, quando frustra omnem medicorum artem expertus, morbo succubuit publici odij victima, cui, quod vivendo non potuerat, moriendo satisfecit, homo insolentis jactantiæ & levitatis, quæ vanitatis arguebant, quam præseferebat speciem pietatis.

Henricus admonitus. Eo sublato, visa est libertas, vera sentiendi, & loquendi respirare. Cùm, illo demortuo, Henricus Trajecti, Christi redivivi festis operaretur, palàm sunt auditæ voces deplorantium rei communis & privatorum injurias, calamitates insontium, Judiciorum perversitatem, miserorum oppressiones, boni publici neglectum exitiabilem.

D. Annonem publicæ rei rursus admovet. Nec defuerunt, qui Regem intrepidè hortarentur, vellet tandem aliquando se rebus ipsis præstare, qualem Regis nomen exigebat, curarum partem reipublicæ impendendo, & viros idoneos publicis muneribus adhibendo. Quisque inter Proceres optimus, eadem cum civibus sentiebat; quæ proborum conspiratio, Henricum velut

velut è veterno excitavit, ut Annonem Coloniensem, verum sui ævi Catonem, quamlibet invitum & obluctantem, summæ rei denuo admoveret.

Sub id temporis jacta sunt fundamenta Gurcensis Episcopatûs apud Carantanos. Gebhardus Archiepiscopus Salisburgensis, ab Alexandro II. Romano Pontifice, anno superiore, facultatem impetraverat, condendi novam sedem intra fines suæ diœcesis, à quâ faciliùs, quàm è longinquo, Sacra peterentur, & sublevarentur curæ Metropolitani, quas operosum erat, per longè diffusas Ecclesiæ suæ regiones, subjectarum animarum commodis, eâ, quâ par esset, accuratione, in tempore dispertiri. Henricus pontificiam concessionem secutus, diplomate dato Ratisbonæ, anno sæculi, supra septuagesimum secundo, assensus est, ut Gurcæ in Ecclesiâ S. Mariæ, quâ sanctimoniales habitaverant, novus Episcopatus conderetur, quem Guntherus primus tenuit ab Gebhardo sacris cæremonijs initiatus, Albuino Brixinensi & Ellerhardo Frisingensi, inaugurationi assistentibus, die sextâ Maij.

Hund. in Metrop. PRIMORDIA GURCENSIS EPISCOPATUS.

Sub Annonis Agrippinensis manu, videbatur Germania reflorescere. Illo nemo abstinentior, nemo à cupiditatibus magis alienus; nihil cujusquam gratiæ vel odio tribuere solitus, omnia ad justitiæ libellam summis juxtà ac infimis dimetiebatur, tantâ æquitate, ut ambigeres, digniúsne Pontificis munia, an Regis tractaret. Si quos resciebat è potentioribus, tenuioris fortunæ homines injurijs opprimere, in eos severissimè animadvertebat. Erant, qui nobilium arces in prædonum spolia verterant, quas omnes jussit solo æquari. Fuit inter eos famosissimus Egino, idem ille, qui ad Othonis Bojariæ Ducis perniciem auctoratus per insignem calumniam, eum Regis odio objectum, de gradu dejecerat. Mox ubi citra metum licuit apud Annonem de flagitijs expostulare, plurimi, qui ab impurissimo nebulone passi erant atrocia, eum variorum scelerum reum egerunt, quorum compertum, Anno ferro onustum, ad ludibrium, pascendósque popularium oculos jussit palàm exponi, repetito sæpe spectaculo ad exemplum publicæ severitatis. Fecit tamen homini facinoroso vitæ veniam, quâ insigniter abusus & in latrocinio deprehensus, effosis oculis coactus est infamem omnibúsque detestabilem spiritum, emendicatâ stipe, ducere. Visus quoque DEUS est, Othonis innocentiam vindicâsse, quando Giso, Comes Adelbertus cum quatuor filijs, quibus inventoribus Egino calumniam Othoni fecerat, ob privatas inimicitias, ab æmulis fuêre trucidati.

ANNONIS ÆQUITAS ET MODERATIO. EGINO LATRONUM DUX, ALIIQUE OTHONIS BOICI CALUMNIATORES IUSTO DEI IUDICIO PUNITI. IIX.

E diverso Othoni libertas est reddita ferijs Pentecostes, post toleratam unius anni custodiam, non sine tamen luculento suarum fortunarum dispendio, quas eum oportuit Regis avaritiæ, aliorúmque, qui causam ipsius egerant, cupiditati donare. Ita virum optimum in optimâ causâ, pretium debuit facere innocentem. Tametsi Annonis virtute atque industriâ, multa præclarè gererentur, erant tamen semper aliqui, qui facti ad Regis ingenium, sancti Antistitis conatus sufflaminabant, bonis insidiosi, improborum defensores. Et erat ea tempestas viris Principibus frangendis fingendisque, ob insanos Regis impetus, valde opportuna. Otho vix in qualemcunque Regis gratiam rediverat, cùm Rudolfus Sueviæ Dux, qui non vulgarem operam in Othone evertendo posuerat, propè abfuit à præcipitio. Fuerat apud Regem delatus ab æmulis, res novas contra Rempublicam & Henricum moliri. Satis fuit vocari in suspicionem, ut ad dicendam causam citaretur. Is, tametsi se nôsset prorsus insontem, vadimonium tamen neglexit, quod acceptum est pro specie aliquâ contumaciæ & professæ rebellionis. Noverat ille Regis iras implacabiles, & eum terrebant Othonis nostri & aliorum exempla, qui præcipiti odio, citra justam causæ cognitionem, fuerant damnati. In aulâ nihil erat, cur quæreret suæ innocentiæ patronos, quòd metus dicendi vera, securitatem probis adimeret, Regis genius permitteret improbis effrenem maledicendi licentiam. Ne tamen causam omnino desereret, Agnetem Henrici matrem, quæ rerum humanarum pertæsa, Romæ rebus divinis se totam addixerat, infimis precibus adduxit, ut rei deploratæ patrocinium susciperet. Id illa suscepit eò promptiùs,

OTHO CUSTODIA EXIMITUR. RUDOLFUS SUEVIÆ DUX FALSO DELATUS REGI.

quòd Rudolfi virtutem magni faceret, & eum generum sibi legerat filiæ Mathildis nuptijs, quas tamen hujus præmatura mors brevi abruperat. Illa filio Wormatiæ occurrit, cum honestissimo Præsulum & virorum religiosorum comitatu, & Agrippinensis Moguntinensisque Archiepiscoporum fide interpositâ, Rudolfum evocatum in aulam, visa est Henrico reconciliâsse, sed re ipsâ id duntaxat effecit, ut sopita nonnihil Regis ira, paulisper quiesceret, donec erumperet in atrocem tempestatem.

FICTE RECIPITUR IN GRATIAM.

ANNO AB AULA RECEDIT.

IX.

Annoni Coloniensi, Regis fallax & inextricabilis improbitas, evadebat in dies intolerabilior, quæ demum eum impulit, ut desperatâ ingenij deploratissimi sanatione, simul ne permulta, quæ iniquè à Palatinis gerebantur, cogeretur diutiùs intueri, senium regni negotijs impar causatus, missionem ab aulâ rogârit, obtinueritque à Rege non invito, lætóque vehementer, quòd viri probissimi magisterium tam speciosè excuteret. Solutus assiduâ severi pædagogi censurâ, mox frena cupiditatibus, ad omnem perversissimorum morum indignitatem, ruptis verecundiæ repagulis, laxavit, nulla famæ honestíve curâ. Ut verò peccaret licentiùs, & extra omnem metum, Saxoniam, cui se nôrat valde invisum, frenare instituit, arcium, quas in locis editioribus construxit, præsidijs, fecitque earum defensoribus potestatem, ut, si quid eos rerum necessariarum deficeret, id omne ex circumjacentibus agris, si parciùs à colonis conferretur, ipsi per vim raperent. Exinde tam nihil fuit sub iniquo Rege inconcessum, ut miles ne à stupris quidem matronarum & puellaris ætatis, quæ mariti, parentésque, penè aspicientes, cogebantur tolerare, posset abstineri. Ad alendum immanem luxum & æris publici profusionem, universæ Saxonum possessiones fisco mancipabantur, liberi juxtà ac servi publicis operibus obruebantur, nobilitas ignominiosè, & servilem in modum, habebatur, neque miseris quicquam erat reliquum, præter aërem patrium & exile nomen eversæ libertatis. Quod in malis est acerbissimum, nemini fas erat suas calamitates palàm lugere, nisi confestim rapi vellet in carceres, & tam diu in pædore jacere, donec auram liberam vitámque rerum omnium jacturâ redimeret.

HENRICUS REX FIT IN DIES DETERIOR.

SAXONUM VEXATIONES.

Talia ne manifestæ atrocitatis arguerentur, visum est, religionis aliquem obtentum mentiri, quasi non sufficeret, apertè esse crudelem & impium, nisi etiam gravissimis facinoribus, pietatis larva prætexeretur. Si qui è Turingis, de maleficijs, magistratus appellabant, id ferebant responsi, ea inferri DEO vindice, quòd ipsi, more aliarum gentium, sacras decimas pendere recusarent. Ut ad earum pensitationem adigerentur, Henricus Sigefridi Moguntini cupiditatem, ante quadriennium, utcunque sopitam, excitavit. Ille nuper redux è Cluniacensi secessu, ad quem se, mitrâ relictâ, religionis causâ receperat, Abbatis imperio & assiduâ Cleri Moguntini flagitatione falces resumpserat. Impulsus Regis suasu, veterem de decimis litem revocavit ad incudem, certus, Henricum summâ, quâ posset ope (ita enim promiserat) reluctantibus vim allaturum. Quam ad rem Archiepiscopus ad 7. Idus Martias Synodum Francofordiæ indixit aliquot Episcoporum, qui auribus potiùs servirent, quàm justæ disceptationi. Constabat enim, Regem decumarum non exiguâ portione suam operam Sigefrido vendidisse. Antistitum subsellia præter Archiepiscopum, parùm idoneum in propriâ causâ judicem, occupârunt, Herimannus Babenbergensis, Hecelo Hildesiensis, Eppo Citicensis, Benno Osnabrugensis, homines ingenij venalis. Rex ipse comitio adfuit, validâ stipatus armatorum manu, quorum formidine, vera sentientes, à liberis suffragijs absterreret. Adduxit simul haud paucorum argutulorum gregem, qui linguam regiæ cupiditati commodarent. Pro Turingis nitebantur, Fuldensis & Herveldensis, Abbates, quippe qui plurimas Ecclesias decimales, & prædia in Turingiâ possidebant, nec credebantur facilè concessuri, ut jura à Romanis Pontificibus, Cæsaribus, Regibúsque, vetustis recentibúsque privilegiis firmata, sinerent à suis Monasterijs avelli. Cùm ancipiti altercatione biduum consumpsissent, res in eo erat, ut Turingi, judicum iniquitate perspectâ, sedem Apostolicam appellarent, quod & haud dubiè erant facturi, nisi Rex ultima omnia appellaturis fuisset

X.

SIGEFRIDUS MOGUNTINUS LITEM DE DECUMIS INSTAURAT.

AN. CHRIST. M.LXXIII.

SYNODUS FRANCOFORDIÆ.

EPISCOPI AD HENRICI NUTUM FACTI.

inter-

interminatus. Quâ denunciatione territus Abbas Herveldensis, suam causam Regis & Archiepiscopi arbitrio permisit. Fuldensis, tametsi paulò constantior, fractus denique minis & penè inexplicabilibus negotij ambagibus, in Herveldensis sententiam concessit, ut certis portionibus pro diversitate Ecclesiarum, inter Archiepiscopum & Monasteria, decimæ, novo instituto dividerentur. Ita vis pro jure valuit. Cùm Regem non lateret, iniquum agendi modum neutiquam posse probari Romano Pontifici, utrumque Abbatem gravissimis verbis vetuit, quicquam per se aliósve, de eâ causâ, in urbe movere. Rebus pro libidine, Francofurti, confectis, Ratisbonam se ad celebrandum Pascha recepit.

LIS VIOLENTER A REGE FINITA.

XI.

Haud multò pòst, Alexander II. Pontifex Maximus è vivis excessit, cui Clerus populúsque Romanus Gregorium VII. Tuscum Soanensem, nomine Hildebrandum, Virum incomparabilem & de Ecclesiâ optimè meritum, dedit successorem, non sine divini Numinis instinctu, ut esset, qui effrenatos mali Regis impetus intrepidè constantérque reprimeret. Facta quidem electio Henrici injussu, sed Gregorius, quâ erat sapientiâ, adduci non potuit, ut sacro se ritu sineret inaugurari, donec Henricus ostendit, se nihil obstare, quo minùs majorum more initiaretur, tametsi è Germanis Episcopis, sibi malè quidam conscij, acre Gregorij ingenium veriti, modis omnibus contrà niterentur.

ALEXANDRO II. SUCCEDIT GREGORIUS VII.

Maturescebat interea conspiratio Saxonum, quos exaggeratæ in dies Regis injuriæ metúsque servitutis agebant in desperationem. Conjurationis antesignani, Bucco Episcopus Halberstattensis, Otho nuper Dux Bojariæ, Hermannus ejus frater, Egbertus Marchio Turingiæ, Fridericus Palatinus, & complures alij Comites, quibus se junxêre, Wezelo Magdeburgensis, Hezelo Hildesiensis, Wernerus Merspurgensis, alijque Antistites, in quibus Benno Misnensis. In promptu erant sexaginta armatorum millia. Liemarus Bremensis, Eppo Citicensis, Benno Osnabrugensis, Episcopi ficti factique ad Regis ingenium, pulsi è Saxoniâ, ut, cujus fovebant vitia, eundem ducem sequerentur. Conjuratis, in Nokmeslovij comitijs, ubi se jurisjurandi religione, pro communi salute ultima facturos passurósque spoponderant, sub ineuntem Sextilem, visum est, omnium nomine Legatos ad Regem mittere, qui id temporis Goslariæ degebat, habebátque sub signis justum armatorum numerum, quorum operâ se usurum adversus Polonos fingebat, tametsi revera Saxonicum bellum meditaretur. Legationis hæc capita. Rogari Regem, ut, quos contra Polonos armaverat, domesticis periculis commodaret: Saxones continentibus Luitiziorum grassationibus vexari, ad horum arcendas populationes vix satis esse in Saxoniâ copiarum: incautè facere, qui foris adit discrimen, si ne domi quidem sit tutus. Præterea, diutiùs ferri non posse injurias regiorum militum, qui passim per montana præsidia dispositi, non secus omnes circà regiones infestent, quàm si hostilibus odijs essent imbuti: neminem non videre, strui insidias publicæ libertati, quam tot partam, servatámque dimicationibus, majores transmisissent ad posteros, qui omnes, etiam capitis sui periculo, eam, ad ultimum usque spiritum, tueri ac retinere statuissent: orare proinde, ut arces, non tam militum, quàm latronum spoliaria, sine morâ diruerentur. Rex injustè ablatas fortunas Saxoniæ Principibus restitueret; regnum subinde more Regum obiret, neque otio, ut adhuc fecerat, in Saxoniâ, continuò marcesceret, provinciæ gravis ac sumptuosus, cætero imperio inutilis. Homines nefarios, quorum consilijs publica res pessum ibat, procul ab aulâ faceret: regni negotia deinceps administraret per Principes, more majorum, quippe ad quos ea procuratio, jure quo optimo, pertineret: ut proscripto pellicum grege, quarum consuetudine regium nomen fœdabat, Reginam eo, quo decebat loco haberet: crimen hoc tantò esse conspectius, quantò celsior sit libidinosus. Cætera flagitiorum probra, quibus adolescentiam contaminaverat, seriò tandem elueret; etenim publico nimium quantum nocere exempla peccandi, quæ à Principe subjectis propinantur. Quòd si se eum præstaret, quem deceret esse bonum Regem, habiturum Saxones obsequentes quidem, sed simul ingenitæ liber-

CONSPIRATIO SAXONUM.

EPISCOPI HENRICIANI PULSI E SAXONIA.

SAXONUM QUERELÆ.

XII.

bertatis oppidò retinentes: meminisset, se liberis hominibus, non mancipijs imperare: quòd si verò belli necessitatem invitis imponere maluerit, neque arma, neque animum, ad vim prohibendam defutura. Nihil ab eo postulari, quod prisci Reges, moribus & certis legibus, quódque Principes posteri jure jurando non sanxissent: DEUM enimvero perjuriorum esse ultorem, neminem fidem fallere, quin unà fallat pietatem, & Numen irritet, testem juratæ veritatis. Orari Regem, ne prior promissa violaret, alioquin eum præmoneri, Saxones vicissim ad ea servanda, nullo pacto, teneri, sed fas ijs justúmque fore, perinde atque cum hoste jurato, pias inimicitias exercere.

Dicta hæc intrepidè à Legatis: ab Henrico trepidè accepta. Tam audax nemo est, quin timidum faciat læsa conscientia: malis consultis percellitur animus, in cujus recessus, quamlibet profundos, sese insinuat turbulenta criminum recordatio. Quamobrem Henricus de pace cogitare, circumspicere rationes pacandi Saxones, & exeundi scelerum vinculis, quibus se sentiebat irretitum. Recta meditantem, depravârunt fallacia consilia, ut crederet, ad primum belli terrorem, rebellium iras ilicò deflagraturas: malum nascens facilè opprimi, inveteratum fieri plerumque robustius quidem, sed ipsâ morâ languescere ardorem concitatæ multitudinis, sine cujus præsidio, Principum consilia evanescunt. Ergo legatos contemptim habitos, Henricus, cum ambiguo responso, ad conjuratos remisit: quod ubi in castris vulgatum acceptúmque in partem sequiorem, miros dedit animorum motus, ad sumendam vindictam, sanguinémque litandum retinendæ libertati. Passim auditæ voces, diutiùs non posse tolerari brutum hominis ingenium, quod corrigi ratione non possit, egeátque remedijs acrioribus, sine quibus ad moderationem nequeat adduci: medicum esse crudelem, qui morbum, ferro ignique egentem, lenioribus malagmatis frustra conatur amoliri. Igitur bello, à Senatu militari, decreto, jubentur signa refigi, castráque raptim moveri Goslariam. Isthic, ubi consederant, ut sunt ardentia seditionum initia, plerique pugnam poscere, increpare moras, arguere ductorum oscitantiam, quasi ad debellandum nihil opus esset, præter dubium aleæ periculosæ experimentum. Jam res in eo erat, ut Legiones in Regem ducerentur, cùm Buccone Halberstattensi Episcopo authore, paucísque alijs, quibus grata non erant præcipitata consilia, quæ quidem, si prosperè cadant, laudantur; si improsperè, neque possunt pœnitudine corrigi, neque industriâ revocari, neque ullâ prudentiâ in integrum reduci; visum est, à vi temperare, quòd sperarent, ratione posse apud regem sine sanguine confici, quod sine discrimine tentari non posset. Cauta enim cum moderatione, quàm felicia ex casu longè suscipi sapientiùs.

Henricus a malis consultoribus seducitur.

XIII.

Bellum a Saxonibus decernitur.

Mora injicitur.

Et verò cunctatione Regi concessum est spatium molliora respiciendi. Etenim metu præsentis periculi, gazam regiam, regníque insignia, quantum in magna trepidatione licuit, jubet convasari, & avehi Hartesburgum, munitionem in paucis egregiam, quò & ipse citatis itineribus est secutus. Saxones, compertâ fugâ, mox eodem delati, ducto circùm castrorum cinctu, adversus vim diuturnam à rebus imparato consternatóque, ingentem terrorem incusserunt.

Regis trepidatio, fuga.

Obsidio.

Retinuerat in comitatu, quos jam dixi, Epponem & Bennonem, Episcopos, quorum inprimis impulsu res publica vertebatur. Bertoldum, Carantanorum principatu exutum, non ita pridem sors ad castra tulerat, virum quidem cordatum, disertum atque sapientem, sed qui nondum absterserat memoriam erepti, ante annos sedecim, dominatûs. Atque hic quidem (nam quæ aliàs viderentur intempestiva, necessitate evadunt opportuna) ab Henrico magnis pollicitationibus, & purgatis, cui cuimodi commento, ablatæ Carantaniæ injurijs, delectus est, qui unà cum binis, quos memoravi, gnatonibus, legatus ad Saxones proficisceretur, si nihil aliud, saltem temporis lucrum facturus, ipsâque comperendinatione, intensas obsidionis excubias angustiásque laxaturus. Non defuêre suis partibus facundi oratores, per quicquid divinum atque humanum est, obtestantes, animis etiam atque etiam reputarent Saxones, foretne Regi honestum, ab armatis clientibus

XIV.

Legatio fallax ad Saxones.

tibus pacis conditiones accipere, an potiùs ipsis decorum atque laudabile, armis positis, æquissimas leges & pactiones, quibus meliores optare non possent, à pacato Rege expectare? Sumpsisse eos arma, aliquâ quidem specie æquitatis, sed non modò indecoro ad alios exemplo, & haud levi cæterarum gentium offensione, quæ omnes, ab omni retrò sæculorum memoriâ, regiam majestatem illæsam esse voluissent. Nihil esse novum, ferre Regum qualiacunque ingenia, quæ tametsi patiendo ad sanitatem possint sensim reduci, tolli tamen subitò, citra exitiales imperiorum convulsiones, non possunt. Recogitarent, quam rem, quàm dubiæ aleæ, quanto periculo, quàm supra unius gentis vires, indignante Germaniâ, sibi sumpsissent? Nihil esse de Regis indole, cur ita desperent; cum maturitate consiliorum & annorum, ad frugem posse revocari, & verò magnam spem facere rerum meliorum, si modò extra armorum strepitum & belli tempestates sinantur emergere. Si quid acceptum sit injuriæ, Regem haudquaquam vetare, quo minùs causæ pacatè disceptentur Principibus arbitris: cum certè inauditum ab adversarijs damnari, nedum armis incessi sine injuriâ non posse, eò præsertim tempore, quo ipsi certum sit, ea, quæ censuram merentur, comitiorum sententiæ committere. Dicebantur ista speciosè, sed incassum.

Legati hæc ad Regem jussi referre. Saxonibus perinvitis impositam fuisse sui defendendi necessitatem. Eos nec citò arma induisse, nec temere, quibus, post erepta patrimonia & longam malorum iliadem, patri majorum virtute honores libertásque, infami jugo mutentur. Quorsum enim tot nebulonum præsidia, omnibus propè Saxoniæ tumulis imposita, non ad propulsandas hostium injurias, sed ad opprimendam miserorum innocentiam, nisi ut totidem sint liberorum corporum ergastula, & carceres florentissimæ juventutis, immo & virginum matronarúmque prostibula, & sicariorum receptus, quot in montium jugis arces viserentur. Ultima perpessis, nihil superesse, præter tristem invisæ lucis usuram: ingenuos homines vilibus mancipijs accenseri, haberíque pro Regis libidine instar clitellarium jumentorum: verbo, rem ad restim redijsse, nec esse quicquam, quod desperetur, ubi nihil sit reliquum, quod speretur. Non bene insontes reijci ad Principes, quibus nullus sit sensus tam diuturnæ calamitatis, nullum mali communis experimentum. Oppressis, succumbendum esse miserijs intolerabilibus, vel propriâ virtute, quia aliena deficit, occurrendum esse injurijs. Quòd si Regem factorum pigeat & pœniteat, ei grave neutiquam futurum, tollere causas maleficiorum, castellis eliminare latrones, scelestorum gurgustia solo æquare, rapta dominis reddere, leges & instituta majorum, interpositâ juris jurandi religione, tactis aris, revocare ad usum securitatémque antiquæ libertatis Ea si mox fecerit, paci moræ nihil futurum: si minùs, Saxones sua jura armis repetituros. Saxonum responsum. XV.

Dum tempus, Legatis ultrò citróque commeantibus, de industriâ à Rege extrahitur, & Saxonum vigiliæ, præter solitum languidiùs excubant, ille nactus est spatium, cum paucis familiarium & potioribus sarcinis, Herveldiam, per abdita silvarum evadendi. Isthic, ubi constiterat, copias è toto regno confestim jussit ad signa properare. Adfuère mox, Adalbero Wirceburgensis, Hermannus Babenbergensis Episcopi, Principes alij. Aliâ ex parte Rudolfus Dux Alemanniæ, Bojariæ & Rhenensis tractûs Antistites, castris ad Moguntiam positis, Regis imperia præstolabantur, quibus incitati, convenère, haud procul ab Herueldiâ, ubi Henricus de præsenti rerum suarum conditione, tanto verborum artificio querelas posuit, ut nemo unus esset, cui lachrymas non exprimeret; ut mollis est in afflictos sensus humanitatis. Fuère in senatu militari, qui suadebant, quamprimum convelli signa, & moveri in hostem, qui prior in campum prodijsset: sed aliorum potior fuit sententia, quibus placuit tantisper à vi abstinere, donec sociorum adventu regiæ legiones firmarentur. Saxones vicissim, compertâ Regis fugâ, Turingos, qui Triteburgi convenerant, per legatos vocant in belli societatem. Nulla legatio votis lætioribus excepta est. Sancito utrinque fœdere, decretum, commune malum, communibus pariter armis depellere, próque patriæ salute nullam dimicationem Henricus elabitur. Turingi Saxonibus sociantur.

tionem aversari. Jussi simul, Herveldensis & Fuldensis, Abbates, cum auxilijs adesse, nisi mallent possessiones, quas amplas habebant in Turingiâ, patere direptioni. Prensavit etiam Turingos Henricus per oratores, qui præter contumeliam nihil reportârunt: propè fuit, ut à concitatâ multitudine violarentur; quod ne fieret, juris gentium ratio, à moderatioribus explicata, prohibuit. Archiepiscopus Moguntinus, qui id temporis Erfordiam concesserat, coactus est dare fidem & obsides, nihil se adversus Turingos armis moliturum. Creditus est, cum Coloniensi & permultis Rheni proceribus clàm contra Regem conspirâsse, ita tamen, ne quicquam apertè moveret, donec quid certius appareret de belli eventu.

IVX. Henrici arces eversæ. Colloquium Corbeiense.

Exinde conversus exercitus, non ad insectandum Regem, qui inter hæc Saxoniâ excesserat, sed ad expugnandas arces, quæ regio milite tenebantur: pars dirutæ, pars incensæ, aliæ exutæ munimentis, cæteræ intercluso commeatu redactæ in arctum. Deditarum præsidia permissa abire citra maleficium. Henricus, crescente in dies periculo, Moguntino Antistiti dedit negotium agendi cum Saxonibus, Corbejæ, ad nonum Calendas Septembris. Anno Coloniensis, tametsi jussus, conventui non interfuit, nisi per Legatos. Isthic repetitæ veteres Saxonum querelæ, additæ recentes, veteribus graviores, de Reginæ, & regiæ sororis Quidlenburgensis Antistitæ, deplorandis injurijs, vexatísque, qui probiores erant, domesticis. Quibus accusationibus id agebatur, ut palàm fieret, tolerari ampliùs non posse Regis impij effrenem intemperiem. Quod cùm in utramque partem magnis contentionibus disceptaretur, nec tamen Saxones quicquam de hostilitate remitterent, augerentque in horas belli apparatum, Henricus grandi molimine Luiticios, juratos Saxoniæ inimicos, suis partibus nitebatur adjungere. Quamobrem, ne veniretur ad malorum extrema, constitutum est, ut in villâ Gerstingensi

Conventus Gerstingensis.

ad 13. Cal. Novembris fide publicâ conventus ageretur. Henricus, metu tumultûs popularis, ausus non est interesse, sed Wirceburgi maluit comitiorum exitum opperiri. Eò confluxère Saxones magnâ frequentiâ, etiam atque etiam rogantes, ut citra omne partium studium, rei, in quâ salus Imperij verteretur, haberetur ratio, neque magis attenderetur, quale ipsi bellum suscepissent, quàm causæ gravitas, quâ ad ultima suorum malorum remedia fuissent violenter impulsi. Per triduum æquis auribus auditi, eos fecerunt animorum motus, nemo ut censeret,

XVII. De Henrico abdicando. Rudolfus Suevus coronam detrectat. Henricus territus.

ipsos contra Rempublicam deliquisse, vel habendos duriùs. Itum ab omnibus in eam sententiam, abdicandum esse Regem, aliúmque fastigio admovendum. Id certò ad Christi natalem effectum dedissent, nisi Rudolfus Sueviæ Dux, quem destinabant regno, juratus obstinâsset, nunquam Ordinum votis assentiri, nisi priùs juramenti religone, & fide Regi debitâ solveretur, ac tum demum, si ita sedisset animo, Principes in Augustali Comitio rite atque ordine rursus irent in suffragia, quæ nullâ possent infamiâ notari.

Henricus, cognito, Principum animos adversis studijs eousque descendisse, vehementer perculsus, ostendit, nullam se conditionem aspernaturum, si salvo jure majestatis, concordia posset instaurari: tum quò foret à vi remotior, sub No-

Abit in Boiariam. Henricus redditur per delatorem odiosus.

vembris initium, mœstus, omniáque suspectans, abijt in Bojariam, quam adhuc expertus erat fidei inconcussæ. In eâ profectione, Regingerus quidam, primæ cæteroqui inter familiares regios admissionis, odio, an aliorum instinctu, incertum, immensùm quantùm odia procerum, in ipsum Regem, Norimbergæ, accendit. Affirmabat palàm, se, aliósque regiæ crudelitatis administros, magnis precibus pollicitisque fuisse conductos, ut Rudolfum Suevum & Bertholdum Carantanum, quos Henricus suis luminibus obstruentes, per secretioris colloquij speciem, esset Wirceburgum vocaturus, è medio tollerent. Et cæteros quidem promptas manus addixisse, se verò sceleris atrocitatem detestatum, ægrè sicariorum Regísque iras evasisse. Nullum se dimicationis discrimen defugiturum, quò suæ delationis veritatem assereret, si Rex crimen inficiaretur. Fidem conciliavit prona, ad sequiora opinanda, credulitas, & nota delatoris, inter Palatinos non obscuri existimatio; quódque constabat, Regem nonnullis alijs primæ notæ

viris,

viris, similibus artibus, paravisse necem, & re ipsâ compluribus è domesticis, intulisse. Ergo Rudolfus & Bertholdus Regi fidem amicitiámque obnuntiant, negántque, se ullo nexu illi esse devinctos, qui prior fidem prodidisset. Rex clàm cohorrescere, palàm furere, minari, sepositâ majestate, calumniam Rudolfi sanguine, per singulare certamen expiaturum. Ad extremum, cùm id, velut indignum regio nomine, sibi passus esset dissuaderi, pugilem, qui suas vices obiret, substituit Udalricum Colheimium. Verùm ante diem dictam duello, Regingerus à Stygio carnifice abreptus, dirè vitam finijt. Subinde Henricus abijt Ratisbonam, suspectans omnes, suspectus omnibus, futuri anxius, & universis invisus. DELATOR ABRIPITUR A DÆMONE.

XIIX. COMITIA MOGUNTINA DE NOVO REGE, METU REGIS DISSOLUTA.

Inter hæc, non desinebant Saxones, Rhenensis tractûs Principes, frequentibus urgere legationibus, ut ne Rempublicam, regio scelere fatiscentem, paterentur opprimi. Quam ad rem, Moguntinus Antistes, totius Regni comitia Moguntiæ indixit, ut, quod jam ante fuerat in votis, Rudolfum Suevum summæ rei imponerent. Henricus illuc accurrens, Lovendeburgi lapsus in morbum, & per multos dies affixus lecto, spem fecit, eo sublato, Germaniam tandem aliquando quieturam. Verùm ubi cœpit habere meliùs, se recepit Wormatiam, fidam adhuc obsequentémque civitatem, cujus mœnibus, pronis civium studijs, est receptus. Secundùm hæc, Moguntinense comitium metu discussum est, tum quòd pauci Principum eò convenerant, tum quia perculsi Regis adventu, censuerunt inconsultum, in eâ suffragatorum infrequentiâ, per cæterorum absentiam de Regis exauthoratione statuere. Id duntaxat decretum, ut, datis ultrò citróque obsidibus, per Legatos à Rege poscerent, ejus, fide publicâ, ad Oppenheimium conveniendi facultatem. Quod cùm impetrâssent, Henricus stratus ad eorum pedes, obtestatúsque singulos, supplex rogavit, ignoscerent juvenilibus erroribus, sperarántque à maturiore ætate, genióque malis subacto, in reliquam vitam frugem omnium, quàm optare possent, optimam. Repositæ sunt in Senatu voces plenæ libertatis, nimirum, frustra Principem fidem exigere, quam nulli unquam servâsset, neque hosti, neque amico, quique recens virorum fortissimorum capitibus, eo ipso tempore, quo de ejus fortunis atque salute fidissimè agebant, insidias sanguinarias struxisset. Factum esse ejusmodi, ut solâ inficiatione refelli non posit: aliam exigi, si insons foret, innocentiæ defensionem. Datum tamen supplici, ut dilato comitiorum judicio, nihil in eum durius statueretur, nisi de vectigalium consuetâ pensitatione, quibus subductis, magna peccandi materia invito esset subtrahenda. HENRICUS WORMATIÆ PRINCIPIBUS FIT SUPPLEX, PRIVATUR VECTIGALIUM USU.

AN. CHRIST. M.LXXIV.

XIX. AULA PERTENUIS.

Atque ex eo quidem tempore, luxum aulæ ad pertenuem & Regi propè indecoram mediocritatem redegit, parvo ære victitans, penè desertus à Principibus: in quâ solitudine, tametsi aliquot haberet lateri hærentes, ferè tamen privato cultu & raro comitatu, verbis dandis, quàm pompæ & opi ferendæ, propiores. Cessabant inter hæc apud Turingos nuper impositæ decimationum exactiones, fervebat in Saxoniâ residuarum arcium expugnatio: quo successu accendebatur in dies Regis contemptus, ex contemptu, odium pacísque oblivio, cujus mentio gravis accidebat auribus, quietem aversantium sub inviso rectore, quem omnino exauctoratum volebant. Hoc ipsum rotundè Sigefrido Moguntino & Annoni Coloniensi, Henrici oratoribus, Corbejæ sunt professi, causantes, sibi fuisse belli necessitatem impositam, eóque loci res devenisse, unde, nisi mutato rege, vel Marte arbitro, nequirent revocari. Sed & paulatim invalescebat circa Regem solitudo, Principum maximè, qui infamem militiæ causam detestantes, suo exemplo trahebant ad defectionem paucas legiones, quæ adhuc in fide perstantes, illum Wormatiæ inani torpentem otio, cum nonnullâ exercitûs specie stipaverant. Quibus in angustijs consilium à præsentissimo periculo mutuatus, primo quidem rogavit obnixè Principes nondum apertè alienatos, vellent auxilia conferre, nec pati prorsus evilescere imperij majestatem, pro quâ tuendâ, certum haberet ultima quæque, supremámque belli aleam, sui capitis discrimine, primo quoque tempore, experiri. Verùm Moguntinus, Coloniensis, Argentoratensis, Wormatiensis

Henricus a multis Principibus deseritur. Bellum tamen parat. Spectra ominosa.

(quem proſcripſerat) Antiſtites, negârunt, ſe arma ad inſontium perniciem laturos. Hos ſecuti Bojariæ, Sueviæ, Lotharingiæ, Moſellaniæ, Carantaniæ Principes. Ille nihilominus egreſſus Wormatiâ, cum exercitu movit Herveldiam. Pridie, quàm eò veniret, ſub auroram, in cœlo viſus arcus, Iridis ſpeciem referens: poſtridie apparuerunt columnæ geminæ, colore aureo ad dextram lævámque ſolis orientis, donec horizontem longè ſupergreſſus, claram lucem induxit. Hinc conjectoribus ampla commentandi materia.

XX. Saxones pugnæ avidi.

Saxones ad quadraginta bellatorum millia, adverſam Verræ fluminis, quod Melibocos à Turingis dirimit, ripam occupaverant, pugnam avidè poſtulantes, inſtantésque Othoni Duci, ut faſcibus arreptis, ſuis auſpicijs in hoſtem duceret trans fluvium, firmâ glacie permeabilem, neque pateretur, ſibi belliſſimam Regis opprimendi occaſionem elabi, cujus exiguæ copiæ per agros prædis agendis diſpalatæ, non poſſent tempeſtivè ſatis ad caſtra revocari, vel, ſi revocarentur, ob paucitatem, nullo negotio poſſent internecione deleri, antequam ſuppetiæ alijs ex locis citatæ advenirent. Vulgus prælium urgebat, etiam cum ductorum aliquo convitio, tantò flagrantiùs, quòd comperiſſet, Herveldenſem Abbatem, à Rege miſſum, à Saxoniæ Principibus impetrâſſe legatis ultrò citróque commeandi teſſeram, eóque metus eſſet, ne tempus inutili verborum contentione tereretur, & nulla pax, vel ob fluxam Regis fidem, cum quo certi nihil poſſet decerni, fallax & ad omnem auram agitabilis iniretur. Non abludebant à vero. Cùm enim oratores quindecim Epiſcopi, duras à Saxonibus conditiones ad Regem retuliſſent, ille ſe anxiè in omnem partem verſare, alia ſuper alijs effugia circumſpicere, moras nectere, rogare ſuos, ne regio nomini tantam ignominiam ſinerent inuri, ſingulos privatim animare, ut cum bono Deo rei ſummam unius pugnæ dimicationi committerent: ſibi enimvero fore jucundius, regnum unà cum vitâ generosè projjcere, quàm retinere cum ignominiâ. Sed quicquid agendo & moliendo tentaret, ne id quidem à milite, qui erat in caſtris, impetravit, ut juſſus nomina ederet, séque extra vallum luſtrari pateretur. Unde nemini erat ambiguum, fore ut, ad claſſicum, prælium detrectaret, vel ceſſaret in acie, & ſigna ipsúmque Regem hoſti proderet: tanta erat pleriſque religio, ferrum in eos ſtringere, quos ſuprema neceſſitas ad patriæ libertatiſque defenſionem armâſſet. Regem proinde monuerunt Principes, ne ſe temere darèt in diſcrimen, ſed eos maximè haberet ſuſpectos, qui in umbrâ, plenis buccis, magna loquerentur, ne minima quidem facturi, ubi primùm cernerent ſigna explicari. Regem longè conſultiùs fuiſſe facturum, ſi vitatis brumæ frigidiſſimæ rigoribus, verna ſigna amicáſque ſuppetias, tectus Wormatiæ hibernaculis, expectâſſet, ſuámque ſalutem in tuto habuiſſet. Jam nihil ſupereſſe remedij, niſi ut ipſe protinus concedat armatis, quod ne inermibus quidem juſtè poſſet negare.

Saxones Regi duras dictant pacis conditiones. Miles eius spernit imperia.

Pax fraudulenta.

Quid denique faceret homo prodigiosè verſutus? Metu fractus, ex Saxonum ſententiâ pacem conficit, & firmat tactis aris, ipſo feſto Virginis Purificatæ, & eâ quidem lege, ut, ſi falleret, univerſis Regni Proceribus, velut ſacramento ſolutis, fas eſſet, eo proturbato, alium Regem ſolio imponere. Cum paucis ſequeſtribus ad eum venerunt Saxoniæ Principes: datis dextris, pax confecta: caſtella regia deſita oppugnari: præſidiarij juſſi à vi prædiſque abſtinere, arces deſerere, cùm primùm annona defeciſſet, ac denique eas popularibus permittere diruendas.

XXI. Henrici tergiversationes.

Saxones credebant, eo ſibi abunde conſultum, quod Regem Goslariam honorificè deducendum habituri eſſent in ſuâ poteſtate, & nihil facilè ipſis invitis tentaturum. Sed quis frenet animum rationis ſuíque impotentem? ſtatim ubi cœptæ urgeri pacis conditiones, repoſci privata publicáque jura, repeti ſpolia, poſtulari legum magiſtratuúmque tutela; mox ſe de integro exeruit pravitas ingenij fraudulenti. Etenim ille reſponſis verſipellibus tergiverſari, comminiſci vanas pactorum interpretationes, ac demum eorum judicium ad publica regni comitia reijcere.

Tametſi

Tametsi istæ frustrationes Saxonibus erant suspectæ & permolestæ, assensi tamen sunt, ut ad sextum Id. Martij Goslariæ conventus ageretur. Nemo remotiorum Principum voluit interesse. Adfuêre soli Saxones & Turingi cum ingenti armatorum multitudine, & castris, haud longè ab urbe, positis, misêre legatos, qui cum Rege, de pacis conditionibus agerent. At ille procrastinando cœpit postulata eludere, modò causari Principum absentiam, modò flagitare, ut arces, quæ supererant, omnium munitissimæ, eversis cæteris, ad finium securitatem servarentur. Et hæc quidem speciosè, re autem ipsâ, ut ijs, utcunque res caderent, ad continendos Saxonum motus & vindicandam recens acceptam contumeliam, tutúmque receptum, pro arbitratu uteretur. Cùm inter multiplices altercationes triduum abijsset, neque ille quicquam familiarium consilijs, legatorúmve precibus moveretur; ecce ibi derepente increbrescit fama, Saxones conglobatos ad Regiam tendere, neque ultrà pactorum fidem exigere, sed omnino velle Regem alium, minimè fallacem, sed constantem legum patriarum tutorem. Jam in atrium palatij conferti penetrârant, horrendáque vociferatione se ostendebant paratos ad vim inferendam, cùm denique Rex trepidus pollicetur, se Othoni, Bojariæ Ducatum reposcenti, intra anni spatium ex Principum sententiâ facturum satis, & passurum, arces Saxonibus Turingísque exosas, æquari solo, eâ tamen lege, ut ipsi quoque castella, quæ non ita pridem construxerant, pariter diruerent. Addixit præterea, se cum fide observaturum, quæcunque in Gerstingensibus comitijs spoponderat. Promissa hæc ab invito; quibus haud mediocriter turbatus, Wormatiam abijt, verni jejunij tempus, animo neutiquam sedato, acturus. SAXONUM SEDITIONE PETITUS, MULTA POLLICETUR.

Ejus iras denuo vehementer efferavit Hartesburgi excidium. Id quia, contrà ac convenerat, non erat à fundamentis eversum, sed nudatum duntaxat parte mœnium, illæsis ædibus & cæteris munimentis, accolæ rati, se eo stante, tutos à præsidiariorum injurijs esse non posse, in tumultum coorti, murum reliquum, Principum injussu, funditus eruunt: quicquid erat sacrarum profanarúmque ædium, destruunt: templum, extemporali opere è tignis fabricatum, redigunt in cineres, aras confringunt, Divorum Lipsana abripiunt, è tumulis, regij filij & fratris corpora effodiunt: de quibus injurijs ille graviter Romæ est conquestus. XXII. HARTESBURGI EXCIDIUM.

Verùm, curis grandioribus Pontificis animum fatigabant gemina Cleri flagitia, quæ nullo aliàs ævo pari fœditate invaluerant. Alterum erat, sacerdotiorum infularúmque libera nundinatio: alterum, sacrilega sacerdotum conjugia & pellicatus, & tanta utriusque licentia, ut vix esset, qui coërceret. Ea scelera Gregorius stirpitus evulsa cupiebat, conatu eò difficiliore, quòd peccantium multitudo Regis voluntate atque exemplo subnixa, curationem reddebat proximam desperationi. Egit tamen sanctus Pontifex, ex Patrum, quos Romæ in consilium adhibuerat, sententiâ, cum Henrico, per legatos, vellet auxilia ad depellendas hasce pestes Pontifici sociare. Accedebat cura spésque denique tandem aliquando pervincendi, ut summorum Pontificum electio, foret immunis à quorumvis Principum Cæsarúmque potestate: unde nata seges grandium discordiarum. Simul per frequentes Epistolas imperavit Transalpinis Episcopis, ut legem, quam de presbyterorum cælibatu per Italiam vulgaverat, in suis quisque diœcesibus mandarent executioni, arcerénturque à sacris ordinibus omnes, qui voto perpetuo, castimoniam nollent profiteri. Quam ad rem Sigefridus Moguntinus, Octobri mense suæ provinciæ conventum egit Erfordiæ. Jam in eo erat, ut, qui se nefario fœminarum consortio devinxerant, juberentur eos nexus abrumpere, vel protinus facessere ab aris, cùm propè abfuit à nece, quam ipsi parârant homines execrandi, quámque non evasisset, nisi spem fecisset, se proximo quoque tempore, per legatos in urbe acturum, ut Romani decreti austeritas, tolerabili moderatione temperaretur. CLERI LABES. SOLICITA CURA PONTIFICIS, ET LEGES AD COERCENDAM CLERI LICENTIAM. SIGEFRIDUS MOGUNTINUS A MALIS SACERDOTIBUS AD NECEM PETITUR.

XXIII. ROMANA LEGATIO. HENRICI FICTA POENITENTIA.

Advenêre inter hæc ex urbe legati, Ostiensis, Prænestinus, Curiensis & Cumensis, Episcopi, atque unà Agnes Augusta Regis mater, quibus ipse quidem Norimbergæ occurrit, sed neque priùs in matris legatorúmve alloquium admissus est,

 quàm

quàm contractam ex Sacrorum venditione labem, susceptis piaculis, ritè eluisset. Id posteaquam præstiterat, solutus anathemate, Pontificis authoritati piisque Augustæ monitionibus id detulit, ut polliceretur; se nihil obstaturum, quò minùs Antistitum Transalpinorum Synodus, ad eliminanda Simoniacorum & Nicolaitarum flagitia, celebraretur. Eam rem vehementer reformidabant complures, quos non latebat, Pontifici esse constitutum, omnes Præsules movere sacerdotijs, qui sacras dignitates pretio comparâssent. Atque id quidem Henricus percupidè avebat, non eò, quòd consultum vellet religioni, sed quòd speraret, nascituram sibi occasionem, evertendi nonnullos Antistitum, istiusmodi criminum infamiâ notatos, quos experiebatur rei Saxonicæ, quàm regiarum partium studiosiores.

XXIV. PARTHENONIS HOHENWARTENSIS ORIGO. *Antonin. in Notitiâ utr. Imp. Rader. Vol. 2. Bav. Sancta.* ORTULFI, QUI COENOBIUM LOCUPLETAVIT, RES IN PALÆSTINA GESTÆ ET OBITUS. WILLITRUDIS SANCTITAS. THIRHAUPTENSE MONASTERIUM A RUINA VINDICATUR.

Ne inter tot orbis Christiani agitationes, suus pietati locus deesset, Hohenwartense sanctimonialium domicilium, ad Parrium fluviolum, in amœno colle, in quo olim stetit Summontorium, Antonino Cæsari non incognitum, Benedictinæ familiæ, á Rapotone Comite Taurensi, quem Bruschius Tauferensem appellat, ejúsque conjuge Hemmâ, quam aliqui Werdeæ Danubianæ Dynastis, alij Austriæ Marchionibus asserunt, amborúmque liberis, Ortulpho & Willitrude, Virgine raræ sanctitatis, sub hæc tempora conditum est, Summontorio converso in palæstram virtutis & oratorium, quod hoc anno ab Imbricone Episcopo Augustano consecratum reperio. Ortulfus ille est, qui cœnobio insigniter locupletato, in Orientem cum Godefrido Bullionio profectus, post navatam in Hierosolymorum expugnatione gloriosam operam, dum in patriam, devictis Christi hostibus, revertitur, ex itinere ad cœlestem triumphum creditur evasisse. Willitrudis soror, exosa thalamos mortalium, collectis ejusdem instituti sodalibus, Monasterio contribuit non suas duntaxat opes, sed seipsam etiam, & illustria sanctitatis exempla, quam, post funus, miracula ad ipsius tumulum divinitus edita, conspicuam reddiderunt. Rapoto parens, augendo Numinis cultui, ex asse mancipatus, etiam Thirhauptense Monasterium, infra Augustam Vindelicorum, haud procul à Lyco flumine, Achensi rivo adsitum, quod Tassilonem ex Agilolfingorum stirpe Bojariæ Ducem conditorem agnoscit, ab imminente ruinâ vindicavit.

AN. CHRIST. M.LXXV. BELLUM UNGARICUM PRO REGE SALOMONE. *Sigebert. Gregor. lib. 2. Ep. 13.*

Inter hæc piorum ad virtutem incitamenta, Henricum Regem, rebus domi turbandis imminentem, bellum Ungaricum peregrè evocavit, & ipsum quidem cœptu languidum, progressu improsperum, exitu inglorium. Salomon Ungarorum Rex, cui Henricus sororem matrimonio junxerat, à suis patruelibus Jojadâ & Ladislao, cruentâ pugnâ devictus, deturbatúsque è solio, gravibus atrocis custodiæ ærumnis jam diu conflictabatur. Insimulabatur infortunatus Princeps, non ab Ungaris tantùm, qui causam accusationis bello obtenderant, sed etiam à Romano Pontifice, quòd sese regnúmque Regi, clientelæ nexu, obligâsset; cùm tamen priores Ungariæ Reges, ex quo sacra Christiana susceperant, se sceptrúmque D. Petri tutelæ subjecissent, fecissentque regnum Romanæ Ecclesiæ vectigale.

XXV. CALUMNIA IN D. ANNONEM DETECTA.

Henricus, sortem affinis miseratus, jam Reginoburgum cum exercitu moverat, cùm vano quorundam, qui Annonem Coloniensem perditum voluissent, commento, ad domestica pericula est revocatus. Vanum rumorem homines malevoli dididerant: Annonem allexisse Guiliemum, cognomento Bostarum, Angliæ Regem, spe Germanici Imperij, veterúmque Regum soli apud Aquisgranenses occupandi. Detectâ rumoris vanitate, Salomonis oratores institêre ardentiùs, ne Henricus Regem calamitosissimum, eúmque affinem clientémque, memor amicitiæ, quam à puero junxerant, desereret. Simul addicebant auxilij præmium, sex Ungariæ civitates, quas Salomon, datis obsidibus, si res ex voto caderent, esset traditurus. Sed quàm promptum erat magna polliceri, tam erat incertum accipere, quæ erant alienæ potestatis. Henricus nihilominus emptus promissi magnitudine, copias, insigni totius propè Germanici nominis accessione, nisus est, immensum quantum, augere, ídque rebus ipsis dedisset effectum, nisi complures, ejus auspicia militiámque exosi, vacationem quà veris,

quà

quâ fictis causis, obtinuissent. Causati aliqui, temporis & rei familiaris angustias, alij fortunas accisas bello Saxonico, alij alias rationes impotentiæ, quæ rarò desunt aversantibus imperia. Castra tamen delectus utcunque tumultuarij justo numero complêrunt, plerisque nihil perinde atque prædas ausuris, qui genius est gregarij militis in alieno solo, laxatis disciplinæ habenis, occupati. Quam rem egêre gnaviter ad primum statim Ungariæ ingressum, nec desivêre, donec Jojada receptus in Insulam, accessu difficillimam, continentem longè latéque rebus omnibus, ipsis adeò colonis, nudaverat, ne quid annonæ hosti superesset. Inde gravius cum fame, quàm cum Ungaro certamen. Inediam mox secuta est hominum animantiúmque fœda pestilitas, quæ Henricum nullo insignem facinore, sed inglorium, in Germaniam repulit. Sub ineuntem autumnum regni negotia Wormatiæ obiter arbitratus, Ratisbonam redijt, ad Boicam & Alemanniam, ad usque Christi natalem, obeundas. Ita Salomoni Ungaro, rebus desperatis, fortunæ fuit succumbendum. Eum, nonnemo memorat, biennium suæ calamitati superfuisse, & commissâ contra Orientis Imperatorem pugnâ, fugatum disparuisse, habitúmque pro mortuo. Vero affinius est, eum malignæ sorti infensum, secessisse in solitudinem, &, abjectis fortunæ ultrà solicitandæ, regníque recuperandi curis, uni DEO animum adjecisse, & mortalibus deinceps non nisi semel visum, auditúmque cœlitibus gratulantem, quòd, tam felici vicissitudine, eum per ultimas miserias, ad summam mentis quietem & æternitatis studium adduxissent, docuissént-que omnia in DEO possidere, postquam omnia præter DEUM amisisset. Quæ præterea egerit, & quousque provixerit, solis Superis est compertum. Ejus matrem & uxorem, ajunt, in Admontensi Asceterio, vitam exegisse.

HENRICUS UNGARIAM INGRESSUS NULLO OPERÆ PRETIO.

Berthold. *Bonfin. lib. 4. Dec. 2.*

SALOMONIS UNGARI EXITUS.

UXOR EIUS ET MATER ADMONTI VITAM EXIGUNT.

Rex Henricus, lustratâ Bojariâ, Argentoratum profectus est, quò jusserat plerosque Regni proceres convenire. Res ipsi erat, de Saxonibus (quorum odium evadebat in dies implacabilius) funditus evertendis. Quam ad rem, Principum singulis multa profusè largitus, longè plura in futurum promisit, ijs præsertim, quos instaurando bello noverat opportunos. Nullus erat, cui interpositâ juris jurandi fide, non addiceret, Saxoniæ & Turingiæ, ubi primùm forent debellatæ, amplas possessiones, quas omnes, in victores, pro navatæ operæ mercede, esset partiturus. Iras per annum integrum, verbis sericis, mandatis lenitate plenis, Saxones celaverat, altè interim menti insederat, non Saxoniæ modò, sed Turingiæ etiam delendæ sanguinaria cupido, quæ tanto silentio habita est in arcano, ut Saxones priùs resciverint, bellum jam esse comparatum, quàm habita fuisse de suo capite comitia. Res tum demum erupit in apertum, cùm Henricus paschales ferias ageret. Missi ad eum è Saxoniâ legati obvium habuêre fecialem, qui eos jussit Vangionum finibus abstinere, vel cogitare de Rege adeundo, quem, tot violatum injurijs, nondum placâssent. Tum jussæ copiæ universæ ad 6. Id. Junij in Herveldensi agro sub signis adesse, & imperatum Saxonibus, qui Goslariæ convenerant, Regi dederent, velut majestatis compertos, authores nuperæ ignominiæ: insontes verò admoniti, ne hostes Reipublicæ opibus armísve juvarent, nisi vellent sontium supplicijs involui. Saxones, ad eam denunciationem impavidi, responderunt, nihil futurum moræ, quò minùs rei, posteaquam rite atque ordine forent de crimine habitæ quæstiones, dederentur, nisi accusationis capita diluerent: sed jura divina juxtà & humana vetare, quemquam indictâ causâ damnari, nedum tolerare, ut innocentia soli criminationi succumbat. Non refragari Saxones, quin Rex diem locúmque causæ reorum tutò disceptandæ constituat in totius regni conventu. Regium esse, non iracundiæ, sed honesti habere rationem. Quòd si id modò agitur, ut conceptum odium, Principum sanguine extinguatur, frustra esse legum præsidia, sed summæ quidem meritò tribui impietati, eos præbere ad cultrum, qui pro aris focísque & communi patriæ libertate piam suscepissent dimicationem. Aut igitur eos omnes servari incolumes oportere, aut Saxones omnes, ne uno quidem excepto, eodem, quo illi, ferro mactari. Adjecère præterea Bucco Halberstattensis, Wecelo Magdeburgensis, Magnus Saxo,

AN. CHRIST. M.LXXVI. XXVI.

HENRICI IN SAXONES ODIUM RECRUDESCENS

DURA HENRICI POSTULATA.

A SAXONIBUS EXPLOSA.

Otho, Dux olim Bojariæ, quorum capita maximè petebantur, nullo se modo nuperam Gerstingæ pacem violâsse, Hartesburgi excidium, Sacrorum direptionem, effracta sepulchra, templi incendium, suo injussu, à concitatâ multitudine contigisse. Si quæ super hæc facinora objiciantur, paratos se refellere, nec detrectare pœnam, si minùs refellant, modò ab Imperij Ordinibus imponatur. Saxoniam non refugere, sarcire, quicquid iratum vulgus damni intulisset, præstituram tantum auri & prædiorum, quantum Rex justè esset exacturus, incensam ædem suis sumptibus instauraturam, reparaturam aras, ornaturámque, quantâ par esset decentiâ, si Rex desineret indignari. Quòd si verò omnino bellum mallet, Principes tamen, neque sumpturos arma, sed excalceatos velle armatis occurrere, & jugulum nudare ad ictum. Atque hæc quidem non regijs modò legatis edixêre palàm, sed etiam sæpius per oratores, Regi conati sunt explicare. Verùm ubi eos ille comperit cum hujusmodi mandatis propinquare, totis castris jussit arceri, ne Principes, ipsósve adeò manipulares, ad commiserationem provocarent. Frustra quoque fuêre crebræ legationes ad Rudolfum Suevum, Bertholdum Carantanum, aliósque Principes, quos belli socios nuper habuerant: nam Henricus, omnes aditus omniúmque aures sic obsepserat, ut sibi religioni ducerent, ob juratam Regi fidem, ulla cum supplicibus consilia communicare, suscipere innocentiæ patrocinium, vel de ijs reconciliandis miscere cum Rege sermones: rara nimirum est in rebus asperis fides & amicitia; sua cuique fortuna, quàm aliena, propior.

XXVII. Eorum legati ab Henrici castris arcentur. Fluxa foederatorum fides.

Igitur Saxonibus erat reliquum, ut, quando, post assiduas deliberationes, salutis suæ rationem humanis auxilijs expedire nequibant, ad divina confugerent, certi, è cœlo duntaxat consilia, ad mitigandam Regis ferociam, posse adferri. Quare per universam Saxoniam & Turingiam publicitus indictæ comprecationes, suscepta voluntariæ inediæ supplicia, cultus corporis in squalorem mutatus, effusæ in egenos largitiones, Divorum aræ nudis pedibus obitæ, omnis ætas sexúsque ad propitiandum Numen effusus in lamenta. Tum consilijs ad belli curas conversis, jussæ popularium centuriæ, ad Unstrutum flumen, in armis adesse, eodem ipso die, quem Rex lustrandis suorum copijs dixerat. Castra, sex leucarum intervallo, utrinque locata. Ab omni retro avorum memoriâ, nullus Regum Germaniæ tantam pugnatorum multitudinem produxit in campum. Nemini Principum, vel Præsulum data vacatio, præterquam Annoni Coloniensi, cujus fides erat Henrico suspecta, quique negabat, se illæsâ pietate, posse esse spectatorem calamitatis, quæ fratrem consobrinúmque suum, Magdeburgensem & Halberstattensem, Episcopos, esset oppressura. Concessum quoque est, à bello abesse Theodovino Leodiensi, ex regio Bojorum sanguine oriundo, tum ob ætatem fractásque morbo vires, unde hoc anno ad 9. Cal. Quintiles cum insigni famâ probitatis vitæ finem accepit; tum quòd Rex ejus curæ Reginam commendâsset. Neutri tamen à mittendis suppetijs data immunitas. Confluxêre etiam tam frequentes Bojæmi, ut soli crederentur esse pares Saxoniæ debellandæ. Missi nihilominus à Rege exploratores retulerunt, Saxones eo numero & apparatu esse in castris, ut anceps videretur belli exitus: adventare tamen ab ijs oratores, qui pacem, quibuscunque legibus, poscerent facerentque. Ea ne Henrico capiendæ vindictæ occasionem præriperet, Rudolfus Sueviæ Dux author fuit belli maturandi, eò maximè, quòd anni superioris offensam, quâ visus erat ad sceptrum aspirare, serviendo regijs affectibus, haud sanè laudabili obsequio, cuperet expiare. Proinde ubi castris secundis, regius exercitus modico à Saxonibus intervallo consederat, intentus curandis corporibus; Rudolfus Regi ad quietem composito significat, Saxones periculi ignaros, an incuriosos, inter epulas ita lascivire, ut nullo propè negotio, eâ die, cujus bona pars adhuc supererat, possint opprimi. Agebantur Idus, vel, ut Marianus notavit, 5. Id. Junij. Igitur persuadet, maturato opus esse, ne tam præclara rei bene gerendæ occasio è manibus elabatur. Quamobrem Henricus, pugnæ avidus, jubet confestim signa refigi: primam aciem duci à Rudolfo, cæteras legiones mox ejus sectari vestigia: ipséque sibi sumit quintam phalangem ex lectissi-

Publicæ Saxonum et Turingorum comprecationes.

XXIIX. Castra ad Unstrutum. Ingens Henrici exercitus.

Rudolfus Suevus pugnam in Saxones maturat.

XXIX.

lectiſſimâ juventute. Saxones propinquantis hoſtis ignari, utramque amnis ripam apricantes prætexebant, cùm repentè aſſurgentem pulverem conſpicati, advertunt innumeram hoſtium multitudinem, inſtructis ordinibus, imminere. Ergo, ut in re prorſus inopinatâ trepidi, protinus arma conclamant, pars correptis armis, extra vallum confuſi, prout cuique impetus, procurrunt; pars ſemiermes, vixque tecti loricis, ad ſigna convolant, neglectis ducum imperijs: pars, quæ in adversâ profluentis ripâ conſtiterat, priùs rei malè geſtæ, quàm pugnæ nuntium accipiunt. Omnem prorſus induſtriam repentinus Regis adventus præverterat. Fuit tamen, quantumvis turbatis, tantum virtutis, ut, collectis ex magnâ trepidatione animis, in prædenſum cuneum conglobati, ſeſe ſummâ vi, in Suevorum agmen inferrent, ederéntque ſtragem adeò formidandam, ut, niſi Welfo Dux Bojariæ cum expedito Bojorum equitatu, Suevis loco motis, confeſtim ſubſidio veniſſet, victoria ad Saxones proximè inclinaret. In eo conflictu Erneſtus Comes Boici limitis regiarum partium, vir multarum palmarum, lethale vulnus accepit, ex quo poſtridie in caſtris obijt. Engelbertus Comes, & gemini Comitis Ellenburgici filij, occubuerunt cum plurimis tum è Sueviæ nobilitate, tum è Boijs, quorum pauci, ſine vulnere, acie exceſſerunt. Rudolfus Dux, qui in primo curabat agmine, probè contuſus, ægrè vitam ſervavit. Inter Saxones Othonis, Bojariæ olim Ducis, præcipua virtus eluxit. Stipatus virorum fortiſſimorum phalange, ubicunque vis urgebat, Ducis & militis officio fungi, per hoſtium legiones ferro aperire viam, poſt principia, ceſſantes adhortari, animare ad defenſionem patriæ libertatis. A meridie uſque ad noctem imminentem Marte ancipiti certatum, jámque Suevorum & Bojorum legiones in fugam erant averſæ, cùm unâ ex parte Comes Glizbergius, Babenbergenſes & Lotharingi, recentibus inſtructi legionibus; ex aliâ Bojæmi, immiſſo in feſſos equitatu, erexêre Regis aciem tantâ vi, ut Saxones multitudine obruti, nullis Othonis hortationibus in officio potuerint retineri. Exinde facta cædes fugientium, quæ tria paſſuum millia cæſorum corporibus & cruore fœdavit. Saxoniæ Principes omnes, & viri notæ inſignioris, incolumes prælio excelsêre. Præcipua jactura fuit Saxonici peditatûs, in quem, expugnatis caſtris, ultimus furor incubuit: ſtragi nox fecit finem. Plura manipularium apud Saxones funera, multò plura nobiliorum apud regios, quod demum apparuit, quando, conquiſitis per cæſorum acervos amicis, alius patrem, filios alius, alij neceſſitudine devinctos deſiderârunt. Victoribus haud dubiè, quàm victis, jactura fuit illuſtrior. Unde Rex ipſe veritus, ne miles facti pœnitens religioni duceret, ultrà bello impio dare operam, uſus eſt Sigefridi Moguntini invento neutiquam laudabili, quo ſcrupulum defectionem muſſitantibus eximeret. Ille progreſſus in publicum, Turingos extemporali fulmine eſt execratus, neque citatos nec auditos; idque ſibi extra ordinem ex urbe conceſſum commentus eſt, eò quòd illi decumas Erfordiæ exigentem, ſtricto ferro, in æde ſacrâ, circumſtetiſſent: quæ res eò ſpectabat, ut miles regius, velut contra diris devotos redderetur audentior, quaſi egregium operæ pretium eſſet laturus, qui piorum cœtu doloſè depulſos, bellique ſocios eſſet mactaturus.

Atrox pugna.

Devicti Saxones.

XXX.

Sigefridi Moguntini commentum.

Saxones tametſi, niſi quis caſus pugnæ neceſſitatem imponeret, aliquantiſper ceſſare decreverant, donec perculſæ multitudini vigor animorum, & legionibus vires redijſſent, firmatis tamen ad Magdeburgum caſtris, toti erant in legendis ſupplementis, videbantúrque, non leve negotium hoſtibus creaturi. Quamobrem Rex aſſiduis illos legationibus ad deditionem invitabat, multa de ſuâ lenitate ſpondens, ſi eam mallent, quàm infelicem rurſus belli aleam experiri. Ad extremum miſſi ad eos Moguntinus, alijque Principes, qui ultrò ſe dedituris aureos montes pollicerentur. Pauci admodum habuêre fidem, in quibus Udo Marchio, & Merſeburgenſis Epiſcopus, quorum hîc Lauriſheimium relegatus eſt, ille conjectus in vincula, quibus paulò pòſt eſt exemptus; alij ſparſi hinc inde per cuſtodias. Cæteris una mens conſtitit & reſponſio: ſi pax conveniret, Regi ſe fore fidos & obſequentes; cæteroqui, malle ſe incolumi patriæ libertate honeſtè occum-

Henricus pacem offert Saxonibus.

occumbere, quàm, more pecudum, in ergastulis longâ captivitate macerari, ac demum implacabili Regis odio immolari. Nihil esse, cur se suámque salutem credant hominibus, qui recentem Gerstingensium pactorum aliorúmque fœderum memoriam, tot maleficijs obruissent.

XXXI. Inter hæc Regis exercitus ferro, igne grassatus, Saxoniâ excessit, posteaquam annonâ absumptâ famem invexerat. Quapropter Principes fuére authores, dimittendi à signis exercitum, polliciti, se validiores copias ad 11. Cal. Novemb. ad castra reducturos. Ea cessatio spatium dedit Saxonibus, de suâ salute cogitandi. Sensim dissociabatur animorum consensio, &, qui adversæ fortunæ comes est, malè cohærebant plebis & Magnatum animi: illa se ad bellum inauspicatum inductam, desertámque in nupero prælio querebatur; illi contrà incusabant popularium ignaviam, qui, tecti castrorum loricâ, procerum certamen suorúmque occidionem intempestivi cessatores spectare, quàm laborantibus, tempestivè succurrere maluissent. Utrisque obversabatur horror malorum præsentium, præteriti pœnitudo, futurorum metus. Gliscebant etiam inter Saxones & Turingos non obscuræ simultates, quòd hi socios pugnâ fractos, palantésque in suo passim agro, rebus omnibus, instar hostium, nudatos, Turingiæ finibus exegissent: nulla enimvero bello pietas, fides exigua. Res proximè spectabat ad tumultum, nisi Halberstatensis Episcopus, & Otho, Dux olim Bojariæ, præfervidos multitudinis animos ad æquitatem flexissent, ne arma, quæ pro communi incolumitate sumpserant, in gentis utriusque perniciem verterent. Quievére illi quidem in præsens: sed Principes veriti, ne pro plebeij ingenij instabilitate, à belli consilijs adversi, pacem apud Regem, primorum capitibus & deditione sancirent; cœperunt de suâ securitate & reconciliando Rege, solito impensiùs laborare. Quam ad rem missi oratores, Bremensis Antistes & Udo Marchio, qui omnem, quæ honestè posset exigi, satisfactionem, Henrico pollicerentur, si vitâ incolumi, salvâque libertate pax coalesceret. Eam legationem immite Regis ingenium, hoc responso elusit; se in causâ læsæ majestatis, cujus injuria ad omnes regni Ordines pertineret, ijs inconsultis, nihil velle statuere; passurum tamen, ut in castris, ad 11. Cal. Novemb. ad Gerstingam, Principum judicio committeretur: quæ erat belli ultimíque periculi denuntiatio.

Saxonum Dissensio.

Simultates in Turingos.

Henricus pacem differt.

XXII. Id maximè patuit, quando, correptis derepente armis, omnem rei componendæ rationem, Principibus prætermissis, nisi si quos habuit suis affectibus imbutos, prævenit. Finxit, se ad pacandam Ungariam vocatum proficisci; re autem ipsâ, cum expeditorum equitum quinis centurijs, & Hermanno Comite Glizbergio, tendebat in Bojæmiam, ubi ad Saxoniæ pernicem, justum Legionariorum numerum sibi adjungeret. Inde per avios calles ex insperato regressus, receptúsque pacatè Misniæ mœnibus, D. Bennonem, ejusce civitatis Episcopum, reum egit majestatis, & conjectum in vincula damnavit, eo duntaxat nomine, quòd bello Saxonico medias partes secutus, vir uni DEO addictus, & rudis rei militaris, ab armis abstinuisset. Motis inde castris, villas aliquot incendit, complures boni sanguinis terrore compulit ad deditionem. Sæviora meditantem, subitò repressit fama Saxonum, cum exercitu propinquantium. Etenim certior factus per exploratores, hostem non procul cum quindecim armatorum millibus consedisse, paratum in diem crastinam ad manus conserendas, nisi oblatas pacis conditiones acciperet; citatis itineribus refugit in Bojæmiam, haud dubiè opprimendus, nisi per Botonem Legatum, pacata omnia promittentem, Saxones tam diu retardâsset, donec nactus opportunitatem evadendi, Reginoburgum se recepit cum milite, famis fugæque ærumnis penè enecto.

D. Bennonem reum agit maiestatis, et iubet vinciri.

Henricus fugit in Boemiam.

Eo loci reperit Saxoniæ legationem, quæ ejus reditum jam diu avidè opperiebatur. Eam meris frustrationibus suspensam tenuit, dum undecimus Calendas Novembris, qui dies erat dictus instaurando bello, proximè immineret. Saxones interim in diversas opinationes distracti: alij censebant, incensâ patriâ, sedes alias trans Albim quæri oportere; alij creandum Regem, cujus imperia pace bel-

lóque

loque omnes jurati respicerent; alij, Luiticios, gentem nomini Christiano infestissimam, vocandam in auxilium; alij, è locis munitioribus bellum esse defendendum, dum Regis ira deflagraret: sed vulgus, improspero Marte semel usum, quasvis malebat leges, quàm rursus incertam pugnæ aleam subire. Dum his altercationibus dies teruntur, neque quicquam tutum satis certâ ratione decernitur, convenêre in tempore regij, minoribus, quàm aliàs, copijs instructi. Vix ullus desideratus, præter Rudolfum Sueviæ, Welfonem Bojariæ, & Bertholdum Carantanorum, Duces, negantes, se denuo ad crudelem insontium lanienam dextras commodaturos Regis inclementiæ, quæ neque cruentis rivis, neque supplicum lachrymis adhuc molliri potuisset. Regi adfuêre, Theodoricus Mosellaniæ, & Gozelo Lotharingiæ, Duces, cum tam nobili armatorum auxilio, ut soli cæteras copias, & numero & apparatûs bellici splendore facilè superarent. HENRICUS NOVAS ACCIPIT COPIAS.

XXXIII.

Saxones & Turingi versi ad ultima remedia, castris ad Northusium positis, Regis animum, per legationem, rursus tentandum putaverunt. Ægrè impetrârunt colloquendi copiam: datum tamen à Rege negotium Moguntino, Salisburgensi, Augustano, Wirceburgensi, Antistitibus, & Gozeloni Duci Lotharingiæ, cujus erat in hac expeditione præcipua authoritas, audiendi supplices. Illi in Saxonum castra profecti, ostenderunt, se quidem non admodum improbare causam Saxonum, neque laudare obstinatum Regis in eos odium; sed dolere, eò deventum esse, ut gentis nobilissimæ reliquias vel oporteat extrema tentare, vel Regi facere arbitrariam deditionem. Eam enimvero Principum omnium esse sententiam; alio pacto fieri satis non posse Regiæ majestati, quam Saxones violâssent, neque caveri Reipublicæ, quæ, Rege contempto, suam dignitatem non posset retinere. Id ipsâ morte visum gravius, & plerique, morte virorum fortium, in acie præoptârunt occumbere, quàm carceribus, exilijs, aliisque ærumnis lentè confici, vel jugulum præbere toties jam compertæ crudelitati. Sic animatis, Gozelo Regis nomine addixit, nihil esse, cur vererentur duriora: Principes enim alia omnia de ijs censuisse: salvam omnibus fore vitam, opes, libertatem; Regem momentaneâ demissione fore contentum, móxque deditios patriæ dignitatique redditurum. Hæc, tametsi per Legatos sanctè asseverarentur, non abstergebant tamen metum latentis doli sub larvâ insolitæ moderationis, quam quisquis hostium nimiùm intendit, plerumque decipit. Sed quia Saxones ferebantur resistendo impares, & diffidebant vulgi studijs à bello prorsus alienis; denique post multiplicem deliberationem, trepidi gementésque, se suáque Regis & Principum voluntati dedere statuerunt. AGIT CUM SAXONIBUS PER LEGATOS.

Luce posterâ, toto hostili exercitu ad miserabile spectaculum producto, in agro patenti Rex sublimis consedit, excepitque mœsto ordine prodeuntes. Agmen ducebant Saxoniæ & Turingiæ Principes. E sacris hominibus, Magdeburgensis, Halberstattensis, Episcopi: è profanis, Otho, Bojariæ Ducatu exutus, Magnus Dux Saxoniæ, Hermannus ejusce patruus, Comites septem illustrissimi sanguinis, & quicquid erat generis dignitatisque insignioris in utraque gente, qui omnes humo affusi, supplicum habitu, si neque Regis promissa, neque jurata Legatorum fides quicquam valeret, tamen forma lamentabilis pectus ferreum debuisset ad misericordiam flectere, nisi inveteratum odium duriora suasisset. SAXONUM DEDITIO.

XXXIV.

Cùm enim se è vestigio in gratiam recipiendos sperarent, Henricus, pactis súsque déque habitis, Principes jussit in custodiâ retineri, donec de eorum capitibus comitia haberentur. Pars deportati in Burgundiam, pars in Bojariam, alij in Sueviam, Italiam, Austrasiam. Singulorum clientelæ donatæ ijs, qui Regi operam bello navaverant. Opes alienæ cesserunt gregi parasitorum. Quidam boni sanguinis, qui à deditione, casu, metúve abfuerant, ad certum diem adesse jussi, nisi velut reipublicæ hostes mallent omni calamitatum atrocitate vexari. Sic sævus Rex illusit divinæ humanæque religioni. Exhaustis captivorum bonis, eorum quoque sanguis cultro addictus est. CAPTIVITAS, DEPORTATIO.

Othonis neci vitæque ultimus decretus, idem', qui Christo nascenti primus dies fuit. Sicariorum manus non evasisset, nisi fatum DEUS avertisset. Ejus asservandi cura demandata Ruperto Episcopo Babenbergensi, quo ad aulam profecto, venit ad custodes à Rege decretum, Othonem ut ad Regiam adducerent, &, quò id facerent tutiùs, citráque vulgi oblocutiones, iter noctu facerent, interdiu caperent quietem. Qui modus profectionis inusitatus, Othoni mali impendentis suspicionem iniecit, eo præsertim tempore, cùm è Goslariensi palatio, in vicinam sylvam traheretur, nihil ambigens, se rapi ad carnificinam. Crevit suspicio, cùm roganti copiam, ædem vicinam, precationis gratiâ, ineundi, negatum à viâ deflectere. Ille ratus, tempus adesse sui vindicandi, è satellitibus unum exarmat, ferróque, quod ejus lateri detraxerat, ipsum sociósque omnes in fugam avertit. Henricus vulgatum in aulâ facinus dissimulavit, quasi nihil ad se pertineret, & quò meditatum facinus premeret altiùs, anno postero in Comitijs Goslariensibus, Othonem, acceptis duobus ejus filijs obsidibus, deditione absolvit, pacatéque in aulâ receptum, miratus egregiam viri sapientiam, consilijs adhibuit. Cæteros, partim fortunæ custodúmque bonitas, partim captivorum virtus & industria, illubente Rege, publico reddiderunt, non uno tempore, quod recensere, visum haud multùm extra ordinem.

OTHO BOIARIÆ OLIM DUX NECEM EVADIT.

RECIPITUR IN HENRICI FAMILIARITATEM.

ALII VARIIS MODIS PUBLICO REDDITI.

Burcardum Halberstattensem Episcopum Rex odio capitali prosequebatur, quem donec habuit in suâ potestate, neque de ipsius, neque de sociorum libertate ullam admisit mentionem, tametsi satis intelligeret, proceres, alioqui regijs partibus addictos, eorum captivitate haud mediocriter offendi. Ne Burcardus tamen captivus censeretur, aut foret omnino liber, mediam viam excogitavit, quâ & patriâ & libertate careret. Henrici soror, renavigans in Ungariam, in se suscepit curam Burcardi, paratæ fraudis haudquaquam nescij, in perpetuum apud Ungaros exilium deportandi. Inter hujus amicos, quos iniqua sors nihil alienaverat, cùm cæteri præter lachrymas mœrorémque nihil profuturum abituro, vix quicquam donarent, repertus Udalricus, clarus inter Bojos Dynasta, qui ejus liberandi conatum operámque addixit. Habebat arcem haud longè à Danubio, in cujus confinio locus ex compacto dictus est vindicandæ Burcardi libertati, si modò exscendendi facultatem à nautis eò loci impetraret. Antistes eâ spe subinde causari nauseam & navigandi insolentiam, aliàs impatientiam agitationis, fastidia aliàs & ægritudinem, sæpius obtinuit, ut liceret succedere in continentem, brevíque laxamento, citra vectorum remoram, molestiámve parcè modestéque indulgere. Id velut inductum in morem, omnem sustulit fugæ suspicionem. Commodum inciderat D. Joannis Baptistæ natalis, cùm delapsus secundo flumine ad arcis Udalricianæ viciniam, copiam rogavit sacræ hostiæ ad aram in templo propinquo faciendæ. Visum id vectoribus honestum atque commodum, nautísque nullo negotio persuasum. Udalricus, cui per certos homines in horas singulas erat explorata navigatio, bellæ occasioni intentus, Episcopo Sacris operanti, quietus adstitit, militibus templo circumfusis. Absoluto sacrificio, Burcardum amicè salutatum, próque imperio abreptum, jubet jumento impositum, abduci in suam arcem unà cum sarcinis, tametsi nautæ vectorésque Regis iras obtenderent, parabéntque defensionem, quam Udalricus, ingens animi, verbo repressit. Burcardum penes se habuit tantisper perbenignè, donec, remittentibus insidiatorum vigilijs, cultu militari inobservabilem, in Saxoniam remisit, à suis civibus jam deploratum, relatúmque in demortuorum censum. Receptus ingenti suorum gaudio, visus est, velut redivivam Saxonum virtutem, ad spem recuperandæ libertatis excitâsse, & extulisse signum, ad règias arces patriæ frenum diruendas, plectendósque fisci curatores, invisam semper plebi gentem, quamvis ab ijs abesset fraus & avaritia. Eas res Henricus graviter molestéque tulit, quòd nôsset, quem virum Saxones recepissent, nec dubitaret, eo concitatore, sopitas infensæ gentis iras ad grave bellum redituras. Quamobrem veritus, ne paribus artibus reliqui deditij elaberentur, periretque fructus operosæ victoriæ, ad captandam tamen clemen-

XXXV.

BURCARDUS EPISCOPUS HALBERSTATTENSIS À BOIO DYNASTA CAPTIVITATE ERIPITUR EGREGIO STRATAGEMATE.

REDIT HALBERSTADIUM.

XXXVI.

mentiæ existimationem, Magdeburgensem, Merseburgensem, D. Bennonem Misnensem, Episcopos, Magnum Saxoniæ Ducem, Fridericum Comitem Palatinum, omnes præterea Saxoniæ & Turingiæ Principes, exacto libertatis pretio, quod Bruno notavit, non solâ humanitatis specie, nexúque servandæ imposterum fidei, (quod scripsit Lambertus) jussit pristinæ fortunæ restitui. Ne tamen lytrum præstarent, fortunæ gratia intercessit, excitato per injuriam militarem, in urbe Moguntinâ, incendio, dum singuli sunt nacti spatium fugiendi, præter duos Episcopos, qui dedignati fugam, à Rege in Saxoniam ablegati fuère ludibrio, quòd mandata attulissent hominis, cujus fides prorsus obsoleverat, quíque nihil loquebatur ex animo, nisi cùm sæva imperabat, vel sceleribus patrocinabatur. Legatis responsum, manendum utrique in patriâ, vel, si discederent, nunquam esse redeundum. Henricus tamen, ne omnino esset avarus, geminos Othonis nostri filios parenti, aliósque obsides Principibus gratuitò remisit. Udonis Marchionis filij, admodum pueri, cùm indulgentiùs custodirentur, citatis equis per avia devia, Mœnum Rhenúmque mirâ felicitate transmissi, Moguntiam ad Sigefridum, qui à Rege defecerat, evaserunt.

Alii libertatem pacto auro redimunt.
Bruno de bello Saxon. Lamb. Schaffnab.
Othonis Boiariæ ex ducis filii sine pretio redditi.
Duo pueri fuga elapsi.

Hac tempestate, Boica Transdanubiana habuit in agro Windbergensi Wilhelmum, virum haud vulgaris sanctitatis, qui, remisso rebus humanis nuntio, divinis ex asse devotus, Cœlitibus erat, quàm mortalibus similior. Ut corpus duriter affligeret, ferreis onustus catenis, sibi tamdiu malè fecit, donec rupta divinitus vincula ostenderunt Numini esse eo supplicij genere satisfactum. Ille, cùm futuri præscius, miserandas Germaniæ calamitates Luitgardi fœminæ Principi, cujus penu tenuiter alebatur, familiari colloquio prædiceret, altum ingemiscens, de cruento ad Unstrutum prælio sic loquebatur, quasi fluvium, humano tinctum sanguine, haberet ante oculos. Dies illi mortalis vitæ postremus fuit 12. Cal. Maij, incertum quo anno. Hartwicus Ratisbonensis Episcopus, ejus funus intulit sacello, quod Adelbertus Comes, non sine divino instinctu, condiderat. Wilhelmus sepulchro donavit Joannem, suum contubernalem, cujus anima migrans è corpore, cœlestes odores exhalavit, testes eximiæ sanctitatis & vitæ immortalis.

Wilhelmi Windbernensis vita, mors.

Hoc anno, receptus cœlo est Anno Archiepiscopus Coloniensis, diuturno morbo gnaviter exercitus, quo quidem (ut Lambertus loquitur) *Dominus vas electionis suæ camino tribulationis transitoriæ, purius auro, purgatius mundo obrizo decoxerat.* Insignem viri pietatem testata sunt opera naturæ vires supergressa, quæ ad ejus tumulum manus divina patravit. Diem obijt 2. Nonas Decembris.

Obitus D. Annonis Coloniensis.

XXXVII.

Annum hujus sæculi sextum supra septuagesimum, vehementer turbârunt Henrici Regis adversus Romanum Pontificem nefariæ molitiones. Variorum scelerum manifestum, ac præterea diris devotorum communione contaminatum, renuentémque præstare, quæ legatis Pontificijs & Agneti matri ante biennium addixerat, cùm Goslariæ, de filio, admodum puero, ad regnum subrogando cum Proceribus ageret, missi à Gregorio ex Urbe legati convenère, jubentes ut hebdomadæ secundæ feriâ secundâ, verni jejunij, Concilio anno superiori Romæ inchoato, causam dicturus se sisteret. Addidère minas, fore ut, si ad diem dictam non adesset, velut in contumacem, citra ullam comperendinationem, anathematis fulmine animadverteretur. Quâ ille denunciatione supra modum exasperatus, Legatos ignominiosè rejecit. Ut verò judicium eluderet, novo scelere statuit judicis partes, contra Gregorium, occupare, ratus suæ causæ fore consultum, si eum D. Petri sede exturbaret. Quare indictis, tertiâ ante ferias Cinerales Dominicâ, Wormatiæ Comitijs, ut aliquam larvam impietati suæ prætexeret, universos regni Germanici majores Antistites unà cum Cœnobiarchis, de summo totius orbis Christiani capite exauctorando, voluit audire in commune disceptantes. In eo conventu fuère complures, quibus erat exosa Gregorij in coërcendis Cleri moribus æquitas: haud pauci sacrilegâ sacerdotiorum mercaturâ aliisque flagitijs contacti, justum censorem volebant amotum, rati, se impune citráque censuræ metum, sublato judice, de cætero peccaturos. Hâc vesaniâ dementatos accen-

An. Christ. M.LXXVI.
Henricus Romam ad causam dicendam citatus.

Turbæ Romanæ in Pontificem.

XXXIIX.

Wormatiense conciliabulum adversus Pontificem.

Libellus famosus Hugonis Blanci Excardinalis.

Sententiæ in Gregorium.

Constantia aliquot Episcoporum pro eius defensione.

Alb. Crantz. Saxon. lib. 5. c. 5.

Propudiosa Germanorum ad Gregorium Legatio.

XXXIX.

Domnizo. in vit. Mathild.

Mathildis et Beatricis matris in Gregorium constans studium et reverentia.

Agnetis Augustæ eadem pietas.

Fragmentum Epistolæ Gebhardi Salisburg.

cendebant turbæ, à Quintio, homine inter Italos nobili & præpotente, cum insigni Pontificis contumeliâ recens concitatæ in urbe; quando eum ipsâ Christi nascentis nocte sacris operantem, per vim, ab arâ, obtorto collo abstraxerat, sævitutus atrociùs, nisi populi Romani armata fides, hominis ferociam repressisset, mulctâssetque intra & extra urbis mœnia, eversione fortunarum. Ille, ut hæc damna ulcisceretur, ferro & incendijs grassatus est in Ecclesiæ Romanæ possessiones. Contemptus, qui semper obest authoritati Principum, mirum quantum auctus est, quando Hugo Blancus, è purpurato Romanæ Ecclesiæ senatu, propter ineptiam & mores inconditos, ejectus, Wormatiensi Conciliabulo scenicum libellum obtulit, refertum atrocibus calumnijs, quibus Gregorij innocentiam dirum in modum lacerabat, quasi, violato sacrarum sanctionum jure, sedem Apostolicam invasisset, multáque ante & post aditum Pontificatum peccâsset. Hujus insaniam, velut cœleste aliquod oraculum, Henriciani lubentibus animis auribúsque complexi sunt. In his Otho Ratisbonensis aliíque pronuntiârunt, Gregorium videri indignum, cui mos ab Ecclesiâ gereretur. Fuêre tamen ex Præsulibus, quibus veri amor, & suprema Romanæ sedis authoritas Regis gratiâ fuit prior. Inter hos Gebhardus Salisburgensis, Udo Trevirensis, Adalbero Wirceburgensis, Adalbertus Wormatiensis, Hermannus Metensis, Cibo Tullensis, Altmannus Pataviensis, Ellenhardus Frisingensis, Brixinensis item Episcopus, &, quod scripsit Albertus, Saxoniæ Antistites, & Venetæ Provinciæ Episcopi, quorum tamen Patriarcham denique defecit constantia. His intolerabile visum est, & ab omnibus legibus penitus absonum, summum Ecclesiæ Principem & Magistrum, contra quem nulla recipi posset delatio, ne Archiepiscopi quidem, nedum Episcopi, damnari, & inauditum quidem damnari à subditis, à causæ imperitis, ab hostibus, ab accusatoribus, nullo teste, judicio præcipiti Conciliabuli, extráque generalem Ecclesiæ conventum. Verùm cæteri Germaniæ Episcopi, seu metu, sive desperatâ defensione, sive Gregorij odio, & instinctu nefario Wilhelmi Trajectensis Episcopi, qui fictus factúsque ad Regis ingenium, homo fastûs & arrogantiæ impotentis, unus in aulâ omnia poterat. Ex conventiculi decreto, missi in urbem Oratores, cum propudiosissimis mandatis, litterísque ignominiosissimis, qui Gregorium Sanctissimum Pontificem juberent ab Ecclesiæ clavo, quasi eum perperam, contráque juris ordinem occupâsset, amovere manum, certúmque habere, frustra fore, quicquid deinceps moneret. Præ Schismaticis sapuerunt fœminæ clarissimæ, Beatrix Comes, ejúsque filia Mathildis, quæ, tametsi Henrico sanguine essent conjunctæ, nequivêre tamen à Gregorij authoritate & reverentiâ abduci. Agnes Augusta Regis mater perrexit, ex sanctissimo vitæ instituto, ad ultimum usque spiritum, sacris Apostolorum liminibus, ad quæ excubabat, & summo Pontifici, immotâ fide, adhærere.

D. Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus, in Epistolâ Apologeticâ, quam scripsit ad Hermannum Mediomatricorum Antistitem, Wormatiensis conciliabuli iniquitatem stuporémque nativis coloribus expressit. In eâ vir sanctus deplorat ingentes calamitates, quæ istius conventiculi vecordiam sunt consecutæ. Juvat audire fragmentum ejusce Epistolæ. *Quid ergo tam citò intercidere potuit, ut, qui nuper, ante natalem Domini, tanta in Ecclesiâ magnificentia fuit, ut ad nutum ipsius, dignitatum mutationes fierent, idem, paucis post Nativitatem diebus, non conventus, non auditus, totius & ignarus dissensionis, proscriberetur? Ab illâ enim die, qui tanti habitus est ab eis, imò ab omnibus, nullam eorum legationem accepit, usque dum illa veniret, quâ dictum est; Descende, Descende, interdicimus tibi omne jus Papatûs. Dicant ergo hujus legationis compositores, qui conventui, Wormatiæ habito, interérant, ubi gratis à se jugum disciplinæ projecerunt, ubi sanctæ obedientiæ libellum repudij conscripserunt, ubi novam hanc mundo legem condiderunt, ut servus Principis, Summo Pontifici cathedram Pontificalem interdicendi jus habeat? Dicant ergo, dicant, etsi non nobis, tamen Ecclesiæ, justè adversus eos proclamanti, respondeant, quibus præcedentibus causis, talia ex debito recompensârint? Si autem competentem rationem*

reddere non possunt, imò quia non possunt, fateantur necesse est, nova se confusionis auctores esse, antiqua pacis & quietis perturbatores, legum divinarum & humanarum destructores. Hæc & plura S. Gebhardus cordatè juxtà ac sapienter.

Cæterùm, qui Conciliabuli litteras Romam detulerunt, in Actis Gregorij & à Domnizone nuncupantur, Rolandus gente Parmensis, professione Clericus Tarvisinus, & Eberhardus natione Germanus. Huic imposita provincia, civitates Italicas trahendi in nassam Schismaticorum: id dum ageret, tantæ fuit temeritatis, ut, quibus Sacrorum usu Pontifex interdixerat, Regis jussu mandaret, liberè atque sine metu fungi sacerdotiorum muneribus. *Baron. ad hunc ann. Vita S. Anselm.* AUDACIA HENRICIANORUM LEGATORUM.

Ista licèt tanta erant támque atrocia, ut meritò fortissimi cujusque constantiam possent percellere, ea tamen Gregorius, summâ animi æquitate, nihilo commotior accepit. Postridie, quàm illi redditæ sunt nefandæ è Germaniâ litteræ, eas in celeberrimo centum & decem Episcoporum senatu, jussit recitari. Patres furiali earum impudentiâ permoti, Pontifici authores fuêre, ut Henricum avitis Germaniæ & Italiæ regnis excidisse, populósque omnes, & quoscunque clientes, declararet sacramenti religione & obsequendi nexu solutos. Eum itaque piorum cœtu, unà cum Sigefrido Moguntino, Wilhelmo Trajectensi, & Ruperto Babenbergensi, Episcopis, ejecit. Cæteris, quos Schismatis aura adflaverat, eadem censura indictâ, nisi ad certam diem, Romæ causas crimini diluendo idoneas coràm adferrent. Jam Ratisbonensis & Constantiensis, & Burcardus Lausanensis, pridem velut execrabiles, diris erant devoti. Pontificium edictum, per circulares litteras, passim in orbe Christiano vulgatum. *Lambert.* GREGORII MODERATIO. XL. EPISCOPI GERMANI CENSURIS NOTATI.

Gregorij innocentiam Numini fuisse cordi, demonstrârunt sumpta de sontibus supplicia. Gozilo, sive Godefridus Gibber, Lotharingiæ Dux, quem Bertholdus, huic ævo suppar, nefariæ in Pontificem conspirationis Principem asserit, dum Antuerpiæ levat alvum, coci inter mediastinos vilissimi manu, per natium secreta transfossus, ferro in vulnere hærente, septimo ab ictu die, inter horrendos cruciatus extinctus est. Wilhelmus Trajectensis, Schismatis fax & incitator, dum paschalibus ferijs, pro concione fulmen Pontificium probris, ipsum Pontificis nomen maledictis incessit, cœlo vindice perculsus, adactúsque conscientiæ cruciamentis, semet refellere, factâ palinodiâ, animam Stygijs tortoribus (quod ipse professus est) dedit æternùm lacerandam. Ejusce generis exempla, resipiscendi curas injecerunt prudentibus. Udo Treverensis, nuper è Romano conventu reversus, licèt Schismaticorum communionem fuisset aversatus, vix tamen à Gregorio infimis precibus obtinuit cum solo Rege colloquendi facultatem, eâ tamen lege, ne quicquam commercij cum illo haberet, sive inter epulas, communésve precationes, sive aliam Sacrorum consortionem. Complures præcipui nominis, se subduxerunt aulæ corruptelis, migrârunt è palatio, & vile Henrici nomen habentes, illatam rei Catholicæ injuriam, quacunque licuit ope, sarcire sunt conati, rati, se aliter suam salutem in tuto non posse collocare. SUPPLICIA SUMPTA DE GREGORII INSECTATORIBUS. NONNULLI RESIPISCUNT.

Gregorius, cui non homines, sed crimina erant exosa, 8. Cal. Augusti, litteras dedit in Germaniam, quibus Ordinis utriusque Principes amicè clementérque hortabatur, ut Regem, multis licèt maculosum sceleribus, & prolapsum in malorum ultima, flecterent ad mentem saniorem, & dæmonis faucibus eriperent. Consilium erat, pereuntem provocare ne periret, & persanare, quem ad salutem percusserat. Adjecit ad 3. Non. Septemb. mandata ad Germaniæ Proceres, quibus eos jubebat, Regem, si se ad spem frugis reciperet, habere benignè & reverenter, neque pro meritis, velut è summæ rei fastigio dejectum abominari; ita tamen, ut illi, quorum consilijs se corrumpendum dederat, à suâ ipse consuetudine proscriberet, neque priùs anathematis vinculo à quoquam solveretur, donec fieret à sede Pontificiâ solvendi potestas. Quòd si denique pergeret obstinatè peccare, Proceribus faciebat alium Regem eligendi libertatem, „ reservatâ tamen Pontifici, ejus, quem essent electuri, confirmandi potestate. XLI. GREGORII MANDATA AD PROCERES GERMANIÆ.

Comitia Triburiensia ad novi Regis electionem.

Quibus rescriptis excitati Principes, cùm nullum omnino appareret Regis emendandi remedium, & se crederent omni religione juratæ in eum fidei solutos, communi consilio, comitia novo Regi creando Triburiam indixerunt. Eò cùm frequentes Suevi & Saxones confluxissent, supervenêre Gregorij legati, Sighardus Patriarcha Aquilejensis, & Altmannus Pataviensis Episcopus ad 17. Cal. Novembris, viri pietatis & ingenij laude inprimis illustres, qui palàm edixêre, jus fásque esse Germaniæ Proceribus, Henrico abdicato, subrogare Regem, qui integriùs esset dominaturus: à ferendis tamen suffragijs debere prorsus excludi, qui vel ob schisma, vel detestandum sacerdotiorum quæstum, Ecclesiasticâ censurâ essent notati. In senatu explicata Henrici flagitia, quibus inde à primâ ætate sese contaminârat. Hærebat ille inter hæc Oppenheimij suis stipatus partiarijs, vehementer anxius, crebris legationibus orans obsecránsque Patres, abstinerent ab extremis consilijs, & meliora omnia à seriò resipiscente expectarent. Quòd si sæpius jam dilati non haberent fidem, daturum se promissi obsides, & quacunque vellent cautione facturum, ut ne causam haberent sequiora metuendi: immo nec dubitaturum, concedere in eam legem, ut in posterum nullam Reipublicæ partem, ipsis inconsultis, attingeret, sed satis habiturum, si servatis Regni titulis atque insignibus, quæ citra æternam generis sui & Germanici Principatûs ignominiam non posset ponere, ex Procerum arbitrio rem publicam gereret. Principes, adnitentibus potissimùm Suevis & Saxonibus, quamvis experti crebrò, Euripo simile Henrici ingenium, in præsens decreverunt, integram causæ cognitionem Apostolicæ sedi reservare, eâ tamen conditione, ut Rex dimisso exercitu, & amandatis pravorum consiliorum ministris, privati in morem, citra cultum regium, cum Theodorico Virdunensi Episcopo, aliísque domesticis, quos Patres censerent idoneos, Spiram secederet, atque isthic ex Pontificis voluntate rei exitum expectaret. Et proceres quidem precibus acturos cum Gregorio, ut, ineunte anni proximi Februario, Augustæ Vindelicorum vellet adesse, causam ipse per se inspecturus. Et si tum quidem censeret, non esse è re publicâ, progredi ad exauctorationem, id ab Ordinibus ratum haberetur, ita tamen, ut, antequam annus, quo Rex cœpetat à piorum consortio esse extorris, elaberetur, eidem, anathemate solutus redderetur.

Henricus anxius se versat in omnem partem.

XLII.

Et dicuntur leges ab Ordinibus.

Ille, gravissimo decreto, vel tempori potiùs parendum ratus, invitus licèt, cessit præsenti necessitati, pressitque ingentes animi turbas, donec grassandi spatia nactus, redijt in antiquam sylvam. Sed quia non erat nescius, in eo verti suam salutem, ut cum Romano Pontifice & Ecclesiâ rediret in gratiam, neque tamen suis rebus satis consultum, si suam causam fineret in Germaniâ ab infensis arbitris atque accusatoribus ad Gregorij tribunal disceptari, optimum factu putavit, Gregorio in Italia occurrere supplicis habitu, & cuicuimodi legibus expiari; sperans, cætera fore prona, ubi sacræ censuræ religione esset expeditus.

Henricus in Italiam ad Gregorium supplex proficiscitur.

Ergo rigidissimâ, si qua aliàs fuit, hieme, senescente Decembri, profectionem Italicam aggreditur, cum filio & uxore, cúmque infrequente comitatu & exiguo famulitio, tenuiter nummatus, propéque desertus etiam ab ijs, quos pessimorum exemplorum suasores habuerat. Theodoricus Virdunensis, immotæ in ipsum fidei, ab Adalberto Comite Calwio in itinere captus est, exutúsque omnibus impedimentis, & diu habitus in custodiâ, nec priùs abire permissus, quàm grandi ære libertatem redemisset. Plerique alij, diversis itineribus, Regem conabantur prævertere, & perduellionis veniam maturè prensare. Rupertum Babenbergensem, pergentem per Bojariam, Welfo Dux, rebus omnibus spoliatum, excepto Sacrorum apparatu, quem in Episcopi sarcinis repertum, Ecclesiæ Babenbergensi remisit, captivum per octo omnino menses attinuit. Cæteri Proceres, quos Henricus ab aulâ dimiserat, elusis claustrorum excubitoribus, ad Gregorium salvi penetrârunt.

An Christ. M.LXXVII.

Regi festinanti, transitus per alpes ab Amadeo uxoris fratre, & ipsâ uxoris socru (tam exigua est in adversis propinquorum charitas) locupleti Burgundiæ

parte

parte, fuit emendus, eò quòd Rudolfus Suevorum, Welfo Bojorum, & Bertholdus Carantanorum, Duces, Pontificis jussu, Henrico diffidenti, præsidijs ad Ræticas fauces dispositis, Italiæ aditus occupâssent. Ita cœlum, affines, regionum asperitas, inclementia tempestatis, in hominis duritiem, si quo modo molliretur, ex conspirato juràrant. Iter agenti, certandum fuit cum horridis alpium asperis, & obstante nivium altitudine, quæ vias omnes obruerant. Pòst, ubi ductu accolarum, incredibili labore ventum in præruptum montis jugum, quod brumæ rigor conglaciaverat, occurrit discrimen ferè ineluctabile, quòd lubricæ cautes fallentibus vestigijs omnem nisi lapsantibus descensum negarent. Virorum pars per glaciem reptantes, longa spatia, montanorum sustentati manibus, emetiebantur: pars fortunæ commissi, in ima devolvebantur. Reginæ, & famulari gynæceo, raptata deorsum boum coria, sellæ gestatoriæ carpentorúmque vicem fuêre. Equorum nonnulli machinis demissi, quidam raptati colligatis pedibus, complures casibus elisi, pauci servati. Eâ pompâ, quæ risum unàque misericordiam moveret, descensum in planiora. Rumore vulgato, Regem cis alpes constitisse, omnes ferè Italiæ Episcopi Optimatésque, Gregorij Pontificis odio imbuti, ad illum, velutè cœlo lapsum, Saturnia sibi regna somniantes, affluxerunt, & pro suâ quisque facultate, adduxêre suppetias, tum adversus privata latrocinia, tum vel maximè adversus Gregorij disciplinam, quam nimiæ severitatis incusabant, homines ne moderati quidem imperij patientes. Tam illis erat operosum pro retinendis vitijs certamen, quale nemo pro virtutis tutelâ suscepisset.

XLIII.

Ingens difficultas itineris.

Italiæ Episcopi et Optimates ad Henricum confluunt.

XLIV.

Gregorius interhæc, tametsi Cardinalium plerique Germanicam profectionem, utpote periculosam & pontificiæ majestati indecoram, qualem eventus ostendit, aversabantur, Româ tamen discesserat, cùm medio itinere, ex insperato cognoscit, Regem ingressum Italiam, ad se traxisse ingentem Italorum multitudinem, & nesciri, veniréine supplex ad rogandam admissorum condonationem, an vindex, ad diras Pontificis ulciscendas. Quâ in ambiguitate visum non est, cum notâ inconstantis animi retro ferre pedem, eóque accendere hostis audaciam, neque se objicere ferocis juvenis armatæ temeritati. Quod igitur honestius erat & tutius, Mathildis invitatu, in arcem Camisinam se recepit, exploraturus, quid Henrico consilij foret & animi. Spem haud dubiam pacati adventûs fecêre Episcopi aliique Optimates, qui perduellionis ducti pœnitudine, Henricum præcesserant, & excalceati amictúque squalidi scelus detestabantur, Pontificis clementiam, lachrymis perfusi, implorantes, parati quocunque piaculo noxam eluere. Gregorius, ne ex pœnæ facilitate culpæ elevaretur magnitudo, Episcopis in diversa conclavia compactis, solitudinem, & unicam eámque pertenuem, in dies singulos corporis refectionem; Laicis verò, prout cujusque ferebant vires, moderatam expiationem imposuit; ac denique omnes leniter objurgatos, piacularibus vinculis absolvit, semel iterum monitos, ne se denuo Regi, ad turbandam Ecclesiæ pacem, jungerent, néve se in ejus darent congressum, donec ipse sedi Apostolicæ fecisset satis; nisi fortè eum vellent pijs alloquijs animare ad resipiscendum. Ea lenitas Regem excitare visa, ut Mathilde interprete, ad Pontificis reconciliationem uteretur. Quam ad rem simul adjunxit suam socrum, filium, Azonem Marchionem, Hugonem Cluniaci Cœnobiarcham, aliósque Italiæ proceres, magnis instructos frugis & vitæ castigatioris pollicitationibus, id agens potissimùm, ne, quod magnopere verebatur, antè quàm in Ecclesiæ sinum reciperetur, Gregorius causam, gravissimis plenam accusationibus, Germaniæ Principum disceptationi permitteret. Et verò periculum erat, ne, si ultra diem anniversarium, qui jam propè aberat, condonatio extraheretur, in Germaniâ, ex nupero pacto decretóque, gradus fieret ad exauctorationem. Nihil ad speciem illo modestius, re autem verâ nihil fallacius. Præ se ferebat, id sibi esse maximè in votis, ut piorum cœtui restitutus, nancisceretur animi quietem locúmque sanctæ religionis, quem omnibus probi Principis numeris in posterum statuisset implere. Id si consequeretur, se neque Principum, neque cujusquam judicia

Gregorius à Mathilde in arce Camisina recipitur.

Episcoporum resipiscentium piacula.

Intercessores pro Henrici reconciliatione.

Henrici fraus.

dicia pœnásve, quas sit meritus, defugere, non affectare regni munia, donec lis finiretur, sed sibi fore satis, si Deo summóque orbis Christiani parenti desineret esse invisus. Perinde loquebatur & sentiebat, atque lupus versipellis, cupiens se fatalibus vinculis expedire. Gregorius, nihilo minùs diffidens compertæ juvenis fraudulentiæ, sententiam differebat, velut animo prospiciens, mox eum, ut foret anathemate expiatus, rursus effusis habenis ruiturum, quocunque eum assentatores & prava indoles impellerent. Exoratus tamen ad extremum irrequietâ magnorum patronorum flagitatione, cum passus est, intra secundam castri loricam, regio nudatum cultu, omissóque omnis pompæ apparatu, induci, atque isthic Pontificis mandata opperiri. Vide accuratam priscæ severitatis observationem! Paruit Henricus, inque molestissimâ statione triduum duravit jejunus usque ad vesperam: quarto demum (fuit vigesimus quintus Januarij) in Gregorij conspectum admissus, solenni ritu expiatus est, eâ tamen conditione, ut sponte anathema reviviscerct, mox ubi additas condonationi, magnísque juratas sponsoribus & testibus pollicitationes, violaret. Promisit inprimis, se dicturum causam in generali Germaniæ conventu, cognitore Pontifice (si quidem cuperet adesse) ad diem, atque in loco, qui decerneretur. Addixit præterea, se quemcunque judicij exitum æquo laturum animo: interea, dum liti finis imponeretur, dimissurum regni insignia, reíque publicæ gubernationem: nihil usurpaturum de publico, præter regiæ annonæ dimensum, quæque forent ad privatos usus necessaria: subjectos habiturum liberos à juratâ fidei promissione: à familiari consuetudine proscripturum perpetuò Rupertum Babenbergensem Episcopum, & Udalricum Cosheimium, aliósque, quorum suasu semet rémque publicam pessum dedisset: demum, si criminum, quorum reus agebatur, expers, in solio retinendus pronunciaretur, fore se Romano Pontifici obsequentem, promptúmque ad ferendam opem in castigandâ, quæ contra divinas humanásque leges in morem irrepserat, peccandi libertate. Postremò, se nullo pacto prohibiturum (si fidem falleret) quò minùs Principes Regem alium ilicò crearent, neque locum ullum veniæ, nedum defensioni, apud regni Proceres quæsiturum.

Admittitur in secundam castri loricam.

XLV.

Quarto die absolvitur. Conditiones additæ.

Hæc ab Italiæ Principibus accepta iniquissimè, eam fecerunt animorum conversionem, ut una esset omnium vox atque sententia, quando Henricus transitione factâ ad Gregorium, veteres amicos deseruisset, ipso neglecto, ejus filium, nullâ interpositâ morâ, fascibus esse admovendum. Id ipsi, authore Guiberto Ravennæ Archiepiscopo, factionis antesignano, effectum dedissent, nisi ille apud iratos ultimam necessitatem excusâsset, pollicitus, se omnem opem operámque in depellendis eorum injurijs positurum. Ut dictis fidei aliquid conciliaret, levitate plusquam desultoriâ, mox homines pestilentes, quos jussus & invitus à suo consortio repulerat, in aulam revocat, publicis regni consilijs adhibet, restituit dignitatibus, ac denique pacta omnia, cum Pontifice tot religionibus sancita abrumpit.

Italiæ principes ab Henrico alienati. Henricus pacta abrumpit.

Posteaquam verò animadvertit, se pietatis simulatione Italiæ coronam, inconsultis Germaniæ Principibus, à Gregorio impetrare non posse, cum Episcopis, qui eâdem cum ipso tabe laborabant, interrupta dedecorum commercia integravit. Illi enim, auditâ Regis repentinâ in deterius mutatione, non modò ex Germaniâ, sed etiam ex plerisque partibus Italiæ, ad ipsum convolârunt, ejus gratiam prensaturi, & laturi suppetias. Cæteri Germanorum, atque inprimis Welfo Bojorum, Rudolfus Alemannorum, Bertholdus Carantanorum, Duces, in Pontificis obsequio constantes, apud Ulmam collocuti, decernunt, Forchemium convenire ad 3. Idus Martias, eóque invitare non modò Saxones, sed quosvis alios, quibus publica salus cordi esset. Quâ de re dedêre litteras ad Pontificem, ut, si quidem conventui cuperet interesse, in ejus adventum summa deliberationum capita differrent, sin minùs, ejus mentem per litteras, vel Legatos explorarent. Neque enim ignorabant, vix fore integrum Gregorio penetrare in Germaniam, alpibus passim à perduellibus occupatis. Et metus erat, ne delatus in eorum insidias, Hen-

XLVI.

Schismatici Germani ad Henricum confluunt.

Henrico traderetur, quem, constabat, mox à violato fœdere, per speciem colloquij, ad Eridanum, ipsius capiti, & Mathildi exitium, irritâ licèt fraude, esse molitum. Gregorius igitur, acceptis litteris, quamvis non nesciret, quonam res apud Henricum essent loco, ad eum tamen misit Gregorium Cardinalem aliósque Legatos, qui eum juberent, ex pactis conventis, Forchemij ad constitutam diem adesse, judicium Germaniæ procerum subiturum: & se verò etiam de adeundis comitijs, iisque moderandis cogitare. Verùm ille, qui nondum apertè larvam suæ perfidiæ detraxerat, respondit, se difficillimis Italiæ negotijs distineri, quò minùs tam citò per longas itinerum difficultates in Germaniam posset transcurrere. Quamobrem Gregorius, misso protinus trans alpes Bernardo Cardinale, & Abbate Massiliensi eidem cognomini, Proceres, qui jam Forchemij convenerant, de præsenti rerum statu accuratè edocuit; & quidem se Henrici fraude clausísque itineribus undique circumventum, tutò neque in Germaniam, neque in urbem posse proficisci: illi proinde, quâ foret optimum ratione Reipublicæ consulerent tantisper, dum patentibus itineribus ipsos adire, &, quod foret in rem Ecclesiæ, valeret ex sacrarum legum institutis, cum ipsis dispicere. Premerent tamen gliscentia, de Rege creando, consilia, donec certius aliquid à sede Pontificiâ acciperent. Neque enim optimus Pontifex spem adhuc abjecerat, Henricum, quamlibet perversum, ad mentem reducendi. Quâ de re aliquando in familiari colloquio disserenti, tres ipsius dextræ digiti, prodigioso cruore manârunt, quod pro ostento habuit, illustri olim sanguine in rem deducendo. Eâ legatione in Senatu explicatâ, nulla fuit cunctatio, quin mox Henrico magnâ votorum consensione abdicato, Rudolfum Sueviæ Ducem, virum domi militiæque clarissimum, sufficerent. Id quia factum citra mentem Pontificis, neque ipse, neque Legati probârunt; obtinuit tamen, ut Rudolfus Moguntiæ à Sigefrido, & Wezilone Magdeburgensi, alisque inferioris notæ Episcopis, præsentibus Gregorij Legatis 7. Cal. April. ritu solenni, Germaniæ Rex initiaretur. Antequam inauguraretur, juratus promisit, se sacerdotia non venditurum, neque ad suos hæredes jure successionis, regiam coronam esse tracturum.

Henricus citatur ad Forchemii conventum.

Excusat profectionem.

Cautiones à Gregorio conventui præscriptæ.

XLVII.

Paul. Bernried.
Berthold.
Bruno.

Rudolfus Sueviæ Dux Rex creatur.

Cùm Otho ademptam sibi Bojariam suffragij præmium reposceret, ejúsque exemplo, nonnulli alij privatas spes urgerent, omnes sunt passi repulsam, suasore Gregorij Legato, quòd neutiquam expediret, communem patriæ regníque parentem, imperandi initia, paucorum commodis & discordiarum semente, reddere odiosa. Hæc aliáque studio religionis & æquitatis agentem, haud mediocre vitæ discrimen invasit hac occasione. Advertit, sub augurali sacrificio, quendam empto sacerdotio infamem, aræ adstantem: ratus, id minimè esse ferendum, Episcopum admonuit, hominem juberet à re divinâ facessere. Quâ re vehementer exasperati similis farinæ nundinatores, acceptum dedecus seditione statuunt vindicare. A meridie solenne ludicrum agebatur ab urbanâ juventute, ex quâ ferocissimum quemque subornârunt irati mystæ, ut quacunque possent ratione, rixam adversus Regis, vel Antistitis prætorianos moverent, certi, plebem simul ad arma concursuram, mox ubi classicum audiretur. Id datum sacrilegis suasoribus ex levi principio. Quidam ex oppidanis, limbum vestis uni ex Episcopi domesticis, per jocum præscidit: unde major, quàm pro merito, injuriæ æstimatio & indignatio. Author insolentiæ bene depalmatus trahebatur ad ergastulum, certò vinciendus, nisi procurator urbis cavisset. Inter hæc sacerdotes, Simonis genimina, clamoribus excire populum, ære campano vocare ad seditionem, amicorum opem implorare, hortari ad vindicandam libertatem, facti invidiam reijcere in Rudolfum, qui regnum à publicâ sacri ordinis & violatæ civitatis injuriâ esset auspicatus. Momento conglobati cives, in tumultum versi, convolant in Regiam, novum Regem ad necem postulant: exinde irrumpentes in ædem sacram, ubi Rudolfus dabat operam comprecationi, violentas illi manus intentant, vim haud dubiè allaturi, nisi prætoriani fanaticos submovissent. Hæsêre nihilominus ante ædem irarum pleni. Quare ne Rex, absolutis precibus, in publicum egressurus, à furentibus vio-

Seditio Moguntina in Rudolfum.

violaretur, Proceres, correptis armis, aciem extemporaneam è familiaribus instruunt, erumpunt in furiosos, multos obtruncant, alios in fugam conijciunt, quosdam restitantes in Rhenum agunt, & propagato ad residuos terrore, populum universum cogunt intra privatos lares. Rudolfus, ne vulgi motibus ultrà pateret, Moguntiâ excedens, Christi redivivi ferias Augustæ Vindelicorum exegit.

XLIIX. Henricus Pontificem rogat auxilia.

Henricus id temporis agebat Veronæ, cùm repentinæ mutationis nuntio attonitus, Legatos misit ad Pontificem, Theodoricum Virdunensem & Bennonem Osnabrugensem Antistites, consilium oraturos & auxilia adversus Rudolfum: quæ cùm Gregorius se præstiturum respondisset, posteaquam utriusque causam cognovisset; Henricus iratus, Italiâ in magno motu relictâ, citatis versus Aquileiam itineribus (neque enim per alpes Ræticas, à Welfonis præsidio infessas, sine vi penetrare poterat) flexâ ad Carantanos profectione, pervenit in Germaniam, & prope Ratisbonam, circa Calendas Julias, consistens, copias, quas secum adduxerat, Bojæmorum & Bojariorum accessione firmavit. Inde rectâ movit in Rudolfum, Sigmaringam obsidione prementem, qui suorum fidei animísque haud satis fidens, solutâ obsidione se recepit in Saxoniam. Henricus eo lætus successu, Sueviam incursare, eámque passim miscere rapinis & incendijs, insultare æmulo, & irrisui habere ejus inaugurationem.

Redit in Germaniam. Rudolfum Boiaria exigit. Resumit cultum regium et publici gubernationem.

Ulmæ, triumphantis in modum, exceptus, insignia regia, contrà ac Canussinis pactis cautum erat, resumpsit, éstque aggressus denuo pro potestate tractare publica, perinde habens jurisjurandi religionem, atque si ludus foret & decipula simpliciorum. Cùm non deessent assentatores, qui factum laudarent, Deus haud semel ostendit, se hoc ipsum improbare. Embrico Augustensis Episcopus, publicè causam Henrici ausus defendere; & sub tremendo sacrificio, cui operabatur, divinam iram, si injuriam faceret, sibi imprecari, subitâ morte paulò pòst est oppressus. Non fuit absimile supplicium Sighardi Aquileiensis Patriarchæ, qui cùm omnium acerrimè Gregorij partes ante annos aliquot defendisset, ursisśetque Henrici abdicationem, facto ad Schismaticos transfugio, operam pessimæ causæ sociavit. Is Ratisbonæ lapsus in delirium, vitam infeliciter finijt, &, ne incomitatus abiret, secum traxit quinquaginta socios, quos illaudata phrenesis & dubia mors interemit. Actum paulò leniùs cum Egelberto Batavensi Præposito & scholæ magistro. Oriundus erat ex illustri inter Bojos familiâ. Is, cùm D. Altmannus pro egregiâ in Gregorium Pontificem fide, Pataviensi Clero, de loco superiore Romanas leges recitâsset, quibus Clero majori interdicebantur turpia fœminarum consortia: Is, inquam, Egelbertus, in Episcopum publicè debacchatus, tantum furoris auditoribus injecit, ut, nisi Deus optimo Antistiti prodigiosè adfuisset, eum extemplo clerici, quos deturbabat vetita à Pontifice sacrilega fœditas, fuissent in frusta decerpturi. Nihil tamen durius in Egelbertum decrevit, quàm ut sacrorum usu prohibitus, Romam piaculi causâ relegaretur.

Embriconis Episc. Augustani mors subita. Sighardi Aquileiensis infelix exitus, una cum 50. aliis.

XLIX. D. Altmanni periculum a Schismaticis.

Hoc anno, rebus mortalium ereptus est Gerardus, ex Abbate Cluniacensi Episcopus Ostiensis & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis; cujus viri jacturam Gregorius sensit non sine animi mœrore. Eum Paulus Bernriedensis quatuorviris, Altmanno Pataviensi Episcopo, Wilhelmo Hirsaugiensi Cœnobiarchæ, Udalrico Cluniacensi, & Sigefrido Schafhusiano accenset, quorum virtute, ac veluti quadrigâ cœlesti, religiosæ vitæ instituta, reflorescere & triumphare hoc ævo cœperunt.

Gerardi Abbatis Cluniacensis virtus et obitus.

Hæc agebat Deus pro gloriæ suæ amplificatione, dum Germania inextricabili dissidio scissa in partes, ingentes motus parturiret. Gregorius Pontifex Maximus, interea reversus in urbem, celebrem conventum habuit in æde Lateranensi, ubi poscentibus Henrici Regis oratoribus, ex patrum sententiâ permisit, ut Germanici regni divortium, & Regis utriusque causa cognosceretur, ad pacem, siqua fieri posset, componendam. Quam ad rem in præsens visum est, trans alpes mittere sedis Apostolicæ Legatos, binos Bernardos, Cardinalem unum, alterum Abbatem

Synodus Lateranensis.

batem Massiliensem, eruditionis & præclarâ virtutum laude præstantes. Ij, cùm ad Henricum appulissent, eum reperêre rebus in Sueviâ recens fortunatè gestis & recrudescenti Schismaticorum studio tumentem, ab omni pacis, quam antè exambierat, mentione alienum, & vijs undique occlusis interceptóque litterarum commercio prohibentem, ne oratores quicquam consilij, vel pactionis cum Rudolfo miscerent. Jam antè ille Rudolfum spe reconciliandæ pacis deluserat, cùm in eo res essent, ut ad Nicrum flumen armis decernerentur, effeceràtque, ut citra pugnam discederetur ad hiberna. Quâ ex cessatione spatium nactus est, majoribus copijs se ad proxima castra firmandi.

Greg. Regist. lib. 5. Ep. 7.

HENRICUS PACEM AVERSATUR.

L.

Gregorius interea imminentes rei Christianæ, ex pertinacibus partium studijs calamitates animo præsagiens, utrumque Regem vetuit armis quicquam experiri, antè quàm de pace essent collocuti, deditque suis legatis negotium, ut, per quem induciarum conventio impediretur, eum diris devotum, Sacris Christianis privarent. Paruit Rudolfus, atque eâ causâ regnum ipsi est addictum: Henricus Pontificis authoritatem contemptui habuit. Ejus tumorem haud mediocriter retudit pugna, ad Strowam fluvium, in agro Mellerstadiensi secuta, marte vario, quo satis ostensum, sine ducum virtute, ne leones quidem fortiter præliari. Alarum alteram pro Rudolfo ducebant, Magdeburgensis, Wernerus Merseburgensis, Sigefridus Moguntinus, Adelbertus Wormatiensis, Episcopi, atque unà Pontificis Legatus, qui omnes, ne vi quidem expectatâ, aversi in fugam, hostis conspectum non tulerunt. Magdeburgensis fugiens cæsus est, Moguntinus, Wormatiensis & Legatus Pontificis vivi in hostium manus venerunt. Merseburgensis evasit rebus omnibus spoliatus. Rudolfus tot nudatus legionibus, cùm raros, eósque trepidos, circa se videret, acie quoque excessit. Otho Princeps olim Boicæ, unà cum Friderico Palatino in altero cornu curabat. In hos tota belli moles incubuit, impetu, qualis est in vincentibus, acerrimo. Fortissimis imperatoribus, pauci, qui de Rudolfi alâ restitantes supererant, sese conjunxêre, gloriosiùs ducentes, in vestigio cadere, quàm turpi fugâ servari. Coortâ pugnâ, apud hostem numerus, apud Othonem virtus & victoria. Immanis in Henrici acie strages edita. Cùm ejus erigendæ nullus superesset modus, ipse totum agmen secum in fugam traxit, neque priùs finem fecit fugiendi, quàm tredecim leucarum spatium emensus, Wirceburgi cœpit respirare. Ejus castra capta sunt & direpta. Friderico, qui prior cecinit receptui, omnis præda cessit, cui asportandæ cùm miles non sufficeret, grandis opulentiæ reliquiæ flammis sunt absumptæ. Otho pertinaciùs hærens tergis fugientium vicit quidem, sed sine quæstu vel triumpho, nisi quem fama decrevit. Cùm enim, hoste fugato, ad hostium castra revertens, ea conspexisset ab armatis occupata, incertus, ab amicis, an ab hoste tenerentur, haud consultum ratus, militem oppidò fatigatum, novo certamini objicere, castris omissis, in patriam abijt victor, & nescius tamen quòd vicisset.

PUGNA AD MELLERSTADIUM, AN. CHRIST. M. LXXIIX.

EPISCOPI FUGAM CAPESSUNT.

RUDOLFUS ACIE EXCEDIT.

Bruno de bello Saxon.

OTHO OLIM BOICÆ DUX ET FRIDERICUS PALATINUS AB ALIIS DESERTI HENRICUM PROFLIGANT.

FRIDERICUS SOLUS LEGIT AMPLISSIMA SPOLIA.

E Boijs, qui præter non multos voluntarios, vix ulli, publicâ gentis authoritate, sub Henrici signis pugnârunt, occubuêre Theobaldus & Henricus, Comites Lechmundiani. Pugnatum est septimo Augusti. Verùmne Bruno scripserit de Henrici dolo, quo Ratisbonensibus proximo Octobri imposuerit, est, cur vehementer ambigas. Finxit videlicet splendido mendacio, apud Boicæ Principes Saxones innumeros in conflictu perijsse, eóque Saxoniam à colonis desertam abijsse in solitudinem. Solos, Othonem & Hermannum, Comites esse in vivis, sed vagos eóque redactos, ut jam neque patriæ possessionem, neque libertatem precentur, sed vitæ duntaxat incolumitatem. Quamobrem Boijs esse integrum, Saxoniam universam vel navatæ bello operæ mercedem, vel militiæ stipendium jure sibi perpetuo vindicare, si modò se ad signa conferrent, inituri amplissima latifundia & civitates habitatoribus orbatas. Nec verò detectam esse fraudem bonorum virorum simplicitati, donec ad nemus Turingicum cognôrunt, Saxones cum selectissimo sexaginta millium exercitu eorum adventum avidè præstolari; cùm verò periculum esset, ne per tumultum, à quo propè aberant, sævirent in frau-

DUORUM COMITUM LECHMUNDIANORUM CÆDES.

BRUNONIS DE HENRICI IMPOSTURA, NARRATIO.

LI.

 dis

dis architectos, reductos esse in Sueviam, & eorum avaritiæ sacras & profanas opes abs Rege esse objectas. Hæc Bruno quidem: sed quis sibi persuadeat, ita nullum è Boijs cladem evasisse, ut ne unus quidem superfuerit, qui ejus nuntium in patriam referret, vel ad propinquos Theobaldi & Henrici Comitum testis clarissimorum funerum rediret? Et verò credibile non est, Bojos ita fuisse præcipites, ut, si nemo ex ijs, qui ad bellum erant profecti, domum esset reversus, fidem haberent homini assueto mentiri, darêntque nomen militiæ, non explorato quorsum populares devenissent, quisve fuisset prælij exitus?

REIICITUR.

Auget dubium, quòd Bruno asserat, Udonem Archiepiscopum Trevirensem istam Sueviæ direptionem probâsse, eóque subitaneâ morte (quod etiam Magdeburgensium chartæ habent) miserabiliter obijsse. Constat enim ex Urspergensi, Udonem, anno superiori diem obijsse, & per consequens, nihil pronuntiâsse de Sueviæ expilatione, quæ ipsius mortem est secuta. Eundem Bruno, paulò ante superiorem narrationem, nominaverat, omni pietate plenum: qui ergo factus est tam repentè impius, ut rerum sacrarum direptionem laudârit? Probabiliora loquitur Udonis perpetua in Ecclesiæ & authoritatis Pontificiæ defensione constantia, obitæ ad eam rem, per annos undecim, quibus præfuit, legationes, labores exantlati & continentes curæ, ne res Catholica aliquid detrimenti acciperet. Et verò publica privatáque Trevirensium monumenta Udonem ab omni Schismatis suspicione vindicant, nec patiuntur haberi pro ullius sacrilegij præcone. Hæc de Brunonis commento & fictâ Bojorum expeditione, redeo nunc ad ordinem historiæ.

Kyriand. part. 11. Brovver. lib. 12.

LII.

WELFO BOJARIÆ DUX VICTOR AD NICRUM. BERTHOLDI CARANTANI MORS. *Berthold. Constant.* AGNES REGIS MATER MORTUA.

Dum Henricus ad Mellerstadium à Rudolfi ductoribus vinceretur, Welfo Bojariæ Dux, junctis cum Bertholdo Zäringensi copijs, bellum gessit, cum Argentinensi & Basileensi, Episcopis. Quibus devictis, dum ad Rudolfum Regem cum auxiliari manu properat, duodecim hostium millia ad Nicrum amnem assecutus, partem vitâ, partem virilitate exuit. Bertholdus Carantanorum Dux, Rudolfo Regi constanter addictus, hoc anno rebus humanis excessit. Eum ad alteram vitam præcesserat Agnes Augusta, pessimi filij mater optima, quam meritò Boica suis Principibus adnumerat, & grata recolit annos, quibus provinciam integerrimè gubernavit. Fato functa est die decimâ quartâ Decembris, tumulata est ad Basilicam Principis Apostolorum, in oratorio D. Petronillæ. Eam cœlum (ita par est credere) ad se recepisse visum, ne diutiùs Ecclesiæ calamitates filiique scelera cogeretur intueri. Reliquit in urbe luculenta exempla pietatis, famam verò toto orbe celebrem.

AN. CHRIST. M.LXXIX.

Anno sequenti, qui hujus sæculi nonus fuit supra septuagesimum, in Synodo Romæ, in æde Salvatoris habitâ, mense Februario, cùm Rudolfi Regis oratores adversus Henricum expostularent, quòd in sacra pariter atque profana immani crudelitate grassaretur, Episcopos atque sacerdotes rei Catholicæ devotos partim trucidâsset, partim exilio carceribúsque vexaret; Gregorius Pontifex, ingenij sui lenitati obsecutus, tametsi Patrum complures censerent, repetendum esse in tam noxium caput fulmen anathematis, eam tamen animadversionem putavit esse differendam, donec, quod jam aliàs usserat, ejus causa in Principum Germaniæ comitijs denuo cognosceretur à Petro Albanensi Cardinale (qui ab ardente rogo, quem ad Petrum Florentiæ Episcopum empti sacerdotij convincendum subierat, Igneus dictus est) & ab Udalrico Antistite Patavino, quibus nonnemo adjecit B. Altmannum Pataviensem. Legati, qui Regum nomine, conventui adfuerunt, jurati affirmârunt, nihil moræ futurum, quò minùs Legatis Apostolicis ad disceptandam causam Reges sui copiam facerent: verùm, quod evidens est ex Gregorij Epistolâ, datâ anno sequenti, Henricus insuper habitâ juramenti religione, hoc anno obstitit, ne quicquam de suâ causâ in comitijs ageretur. Pronuntiata nihilominus est rursus censura in quosdam Episcopos, quos jam antè execratos, sua pertinacia novâ pœnâ dignos faciebat. Tametsi nihil propè in generali ordinum conventu pro republicâ gestum est, tamen Legati Pontificij unà cum

Acta Synod. Rom.

Lib. 7. Ep. 14.

LIII.

Patriar-

Patriarchâ Aquilejensi Henricum convenerunt, tentaturi, an ipso volente, jaci possent aliqua concordiæ fundamenta. Eorum conatus fregit Henrici obstinatio bellum unicè respirantis. Castra quidem castris objecta ad Friteslariam, tamen à pugnâ temperatum est, eò quòd (si Augustensi Chronologo, Schismati ad vesaniam addicto, fides est) Saxones jurati, cum Henrico pacem fecissent, & fictè quidem ac fraudulenter. Præter ista nihil hoc anno memorabile in Germaniâ gestum reperio.

Sequens annus plus habuit turbarum ab inquieto Henrici ingenio. Hic sub Januarij exitum, ne expectatâ quidem idoneâ educendis copijs tempestate, cùm acris hiems præter modum immaniter sæviret, in agro Fladeheimensi, quem Fabritius locat ad flumen Unstrutum, in armis fuit. Rudolfus pariter certus non deesse communi Reipublicæ periculo, eodem cum exercitu concessit. Instructas utrinque acies, rivus satis profundus, angusto alveo, dirimebat. Otho noster in primo agmine ducebat ordines, quos Rudolfus in edito colle locârat, ratus, hostem primam impressionem eâ parte facturum, quam veteranæ legiones, Othoni demandatæ, haud difficili negotio, essent suâ virtute fracturæ. Id ubi, inspectâ acie, Henricum advertit, circumductis alis, pugnæ formam mutavit, Rudolfo, qui postremum agmen regebat, imminens à tergo. Operosum fuit, momento, citra confusionem, phalanges obvertere, & dirigere in eam partem, quâ discrimen potissimùm urgebat: id tamen præstitum in tempore, & tantâ vi consertæ manus, ut Henricus, visâ suorum strage, tempestivè fugam inierit. Eum fusæ deviæque legiones secutæ, magnam partem ab insectantibus cæsæ sunt; qui evaserunt victorum manus, cùm ex fugâ collecti, corpora curarent, haud longè ab arce Warbergâ, subito Rudolfinorum adventu sunt oppressi, & omnibus impedimentis exuti. Utramque victoriam miro verborum artificio Abbas Urspergensis, factione Schismaticus, suo Henrico conatur adscribere, cùm tamen eum fateatur exutum castris & bonâ sarcinarum parte, cum paucis, in Franciam orientalem se recepisse.

An. Christ. M. LXXX.

Pugna Fladeheimensis.

Henricus superatus.

Cæterùm Rudolfus, misso ad Pontificem Maximum rei prosperè gestæ nuntio, magnis egit rationibus, ut, qui communis esset orbis Christiani pater, finem tandem aliquem tam diuturnis Germaniæ malis statueret, nec pateretur ultrà, Henricum, qui nihil pro Rege, sed pro tyranno omnia ageret, grassari, regij nominis obtentu, contra innocentes, aras evertere, profanare sacra, sacerdotes aliósque Romanæ Ecclesiæ addictos, patrijs sedibus exigere, non paucos habere in compedibus, supremam post Deum in terris potestatem habere ludibrio, pertinaciâ eò usque contumaci, ut frustra sit, qui insanabilis ingenij velit aggredi curationem, nedum expectare, ut sponte consanescat. Quibus rationibus, optimus Pontifex flexus, demum ad æquitatem, cùm meminisset, se omnia remedia lenitatis sine fructu consumpsisse, synodum agens in urbe, mense Martio, de more, Apostolorum Principes Petrum & Paulum contestatus, Henricum ejúsque partiarios extremis Ecclesiæ pœnis involvit, & illum quidem, quòd multiplici contumaciéque sedis Apostolicæ contemptu, perjurio frequenti, aliísque sceleribus sese regno indignum præstitisset, spes omnes rerum meliorum & triennij crebras seriásque monitiones præfractè elusisset. Igitur, cùm citra insigne rei Christianæ nocumentum diutiùs nequiret tolerari, eum Gregorius pronuntiavit regiâ dignitate privatum, & subditos à juramento fidelitatis absolvit: Rudolfo verò, quem Germaniæ Principes elegissent, regnum regníque titulos stabilivit. Eidem misit coronam hoc inscriptam lemmate:

LIV.

Henricus denuo anathemati subjicitur.

PETRA DEDIT PETRO, PETRUS
DIADEMA RODULFO.

Isto judicio, quasi ignominioso, Henricus immensum quantum efferatus, totúsque in vindictam intentus, ipsis Pentecostes ferijs, Moguntiam cogit novendecim Episcoporum conventiculum. In eo Gregorius miris traductus calumnijs, & sexcentis appetitus maledictorum plaustris, Apostolicâ sede indignus renuntiatus

Moguntiæ Conciliabulum.

Guibertus de Corrigia al. Clemens III. papa Schismaticus. Brixinensis Pseudosynodus Schismaticorum. *Habetur in antiquis codicibus post vitam Henrici.*

tiatus est: Guibertus verò de Corrigiâ, Parmensis patriâ, Ravennas Antistes, diris Pontificijs devotum caput, indito Clementis III. nomine, lupus in ovile Christi immissus est, per annos viginti & unum, in Gregorium, verum Ecclesiæ pastorem ternósque ejus successores immaniter grassaturus. Dictæ ibidem contra Præsules innoxios, atroces sententiæ. Deinde cùm putida paucorum Schismaticorum authoritas Henrico tantæ molitioni videretur impar, triginta ejusdem farinæ Episcopos Brixinam, olim Boicæ, hodie Tiroli contributam, voluit ad 7. Cal. Julij convenire. Eodem convolârunt ex Italiâ & Germaniâ complures, Schismati ex asse addicti Proceres, qui Moguntini conciliabuli sententiam comprobârunt.

LV. Henrici in Gregorium Pontif. calumniæ. Urspergensis et aliorum Schismaticorum vanitas.

Solutâ pseudosynodo, Henricus epistolam furore respersam, dedit ad Gregorium Pontificem, in quâ inter frivolas abdicationis causas mendacésque calumnias, ipsi imponit, quòd malis artibus Pontificatum occupâsset, contumeliam fecisset Episcopis, &, quod caput erat, manus regiæ dignitati injecisset, audendo tentare legitimi Principis exauctorationem. Explicatiùs loquitur author vitæ ipsius, arcanorum conscius & amanuensis, qui scripsit apologiam pro ejus defensione; timidè, & tanquam in re ambiguâ, asserens, Henricum vestigantem causas & quasvis occasiones evertendi Gregorium, hanc tantùm reperisse, quam disertè obtruderet: quòd videlicet Romanum Pontificatum nondum vacantem, Archidiaconus ambivisset, pòst abjurâsset, & postea nihilominus fuisset ausus occupare. Unde luce palàm est, an & quæ sit habenda fides Urspergensi, aliisque Henrici patronis, qui ingentem calumniarum congeriem, quasi esset à Schismaticis comportata & edita publicitus, in suas chartas cum fraude retulerunt, perinde atque si in istius sæculi corruptelâ, in gratiam Principis, quidlibet comminisci licuisset.

Dira tempestas in Episcopos orthodoxos. *Herrand. in Epist. ad Waldramum Episcop. Nuvvenberg. apud Serar, lib. 6. pag. 791.* Mira Ecclesiarum in Germania confusio. Procerum reique civilis divortium.

Guiberto per summum nefas orbi obtruso, integerrimi quique Antistites, quos nulla vis aut metus potuit à fidei constantiâ in verum Pontificem, dimovere, ab ara fuêre proscripti, exuti sacerdotijs, ejecti suis sedibus, nominati, qui Episcopatibus incubarent. Quâ de re juvat audire Herrandum Halberstattensem, cujus verba adnumero ex M. S. Moguntino. *Dominus Henricus Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, & plures alias Ecclesias, pro pecuniâ; Ratisponensem, Augustensem, & Strasburgensem pro gladio; Abbatiam Fuldensem pro adulterio; Monasteriensem verò Episcopatum, quod dicere & audire nefas est, pro maximâ immunditiâ vendidit.* Ea dictio (*maximâ*) recentiore manu adscripta est, deletâ voce (*Sodomiticâ*) quæ extabat in autographo. Gebhardo Salisburgensi Bertholdus manifestarius templorum, Admontensis præsertim, spoliator superinductus est: Wigoldo Augustano Sigefridus, B. Altmanno Passaviensi exulanti, post Hermannum Luitpoldi Ducis filium, qui ultra biennium in eâ sede non superfuit, suffectus, nescio quis, Thiemo: Luitpoldo Abbati Sangallensi Udalricus Marquardi Carantani filius, & passim alibi viris Catholicis subrogati Ecclesiæ Romanæ perduelles, tantâ sacrorum perturbatione, ut, geminatis infulis, plebs hæreret ambigua, ab utris salutis auxilia posceret. Scisso ad eam confusionem sacerdotio, non erat minus in re civili divortium, alijs Henricum, alijs Rudolfum respicientibus, tantâ perturbatione, ut Reipublicæ, velut ebriæ, gemina omnia objicerentur. Rudolfi odio, Henricus Fridericum Stauffensem Sueviæ imposuit: decrevit etiam quaquaversum legationes, quæ spurium incubatorem, velut idolum, in furtivo fastigio propinarent adorandum Regibus exteris & Principibus. Legatus in Angliam missus, fuit exceptus cum risu, remisśusque cum ignominiâ, & à Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi egregiè per litteras exagitatus. Henricus tanto æstuabat desiderio Gregorium in ordinem redigendi, ut nemo tutus per Italiam proficisceretur (ita enim ille imperaverat) nisi qui juratus promisisset, se ad Pontificem non accessurum. Hic è diverso, ut decebat Christi in terris vicarium, spirans populorum salutem, datis in Germaniam ad 12. Cal. Octobris litteris omnes, qui in

Lib. 8. Ep. 9. sincerâ religionis unitate perstabant, hortatus est, ut seriâ delictorum pœnitudine & castigatione Numen placarent, eóque placato, sibi sponderent de hoste victoriam.

Vatem

Vatem fuisse, ostendit pugna ad Elstram amnem. Henrico Saxoniæ finibus imminenti, Saxones tantas objecêre vires, ut, cùm is se sentiret numero & virtute imparem, si cum universis congrederetur, eas duxerit in geminum agmen distrahendas. Ergo partem equitatus immittit in Goslariensem agrum, qui villas locáque indefensa incenderet, & se mox in castra referret. Ipse diverso itinere movit in Turingiam. Saxones conspicati busta fumúmque erumpentem in sublime, omisso hoste, ad restinguenda patriæ incendia properant, rati, sua cuique damna, quàm aliena, esse propiora. Hostis, inter hæc, Erfordiam cepit, & subjecit flammis. Rudolfus, simul ac hostis consilia detexit, relictâ à tergo parte legionum, cum reliquis copijs rectâ ducit in hostem, cui, Naumburgum properanti, occurrit ad Elstram. Cùm neque vado transmitti flumen, neque subitario ponte in tempore sterni posset, ad ejus ripam Henricus castra metatur. Die postero, qui quintus decimus Octobris fuit, exploratâ Saxonici peditatus infrequentiâ, primo manè aciem jubet instrui, nullam prælio moram facturus, quòd crederet, Rudolfi turmas festinatione apprimè fessas, & à legionibus, quarum exiguus numerus tempori adesse poterat, ferè desertas, nullo negotio posse superari. Rudolfus ingens animi, certúsque sui facere copiam, legiones supplet ex equitibus, quorum jumenta, labore debilitata, usui esse non poterant. Ne verò spatium respirandi deesset, lento agmine moveri jubet in hostem, dátque sacerdotibus negotium, divinam opem, decantato psalmo octuagesimo secundo, quo vix alius ad erigendos militis animos est efficacior, implorandi. Commodum Grona, palus neutiquam vadosa, acies dirimebat, dabátque Saxonibus locum curandi corpora, dum in vestigio resistentes, vernilibus ultrò citróque probris se ad certamen lacesserent, Rudolfus suos ad paludis caput militari gradu priores imperat incedere. Hostes pari passu eodem feruntur. Nec mora, venitur ad manus. Vix cœperant inferri signa, cùm Henricus, regij nominis & pudoris oblitus, acie excedens, citatâ fugâ, sese proripuit. Videri poterat Rudolfus, citra omne discrimen, exercitum abs imperatore fugitivo desertum, debellaturus: verùm quamlibet deserto virtus superfuit ad alterum cornu Saxonum loco movendum tanto impetu, ut *væ, væ*, quasi profligatis acclamaret. Et propè res à supremo periculo aberat, nisi Otho, princeps olim noster, nutantem aciem erexisset. At ille fulminis in modum invectus in instantes, momento Rudolfinis reddidit animos, & eripuit victoriam Henricianis. Paucis relicta facultas fugiendi: pars in vestigio concisi, pars more pecudum acti in profluentem, unde rari enatârunt. Pleriqne aquarum abrepti vorticibus, alij in ripæ præaltæ crepidinem enitentes, relapsi in undas. Non multi, quos fuga subduxit, sanguine & rerum bene gestarum gloriâ illustres, à colonis interfecti, alij, nobiles juxtà ac ignobiles, per nemorum & paludum avia palantes, mirum quantum inediæ cæterarúmque calamitatum sint perpessi. Otho, à quo Rudolfi acies regebatur (hic enim lethali vulnere saucius, prælio adesse ad finem usque non potuit) fuso fugatóque hoste, spolia legi vetuit, donec haberet exploratum, an quicquam adhuc ab hoste esset periculi reliquum. Enimvero hæserat in insidijs Henricus Lacha cum justo armatorum globo, quem Otho redux abs hostium cæde repetit in loco certaminis pro victore se ferentem. Quid ageret vir fortissimus adversus recentes cum oppidò lassis legionibus? Quivis eo timidior despondisset animum. Verùm DEO fretus; *Vicistis* (inquit) *commilitones, sed non feretis fructum victoriæ, nisi denuo vincatis. Et hic, quem cernitis hostem, hodie superandus est: dum calent manus & animi, partæ jam victoriæ alteram sociemus. Ad eam gloriam, Duce Numine, fortuna vos invitat: nihil ambigite, victores estis, nisi vos capiat satietas vincendi.* Dicta hæc excepit generosa admurmuratio militaris & alacritas. Lacha momento profligatus, Otho verò, uno quasi tenore, bis uno die victor, visus est, nullo unquam die posse devinci. Tum lecta cæsorum spolia, quanta rarò aliàs. Reperta auri facti infecti magna vis; numeratæ pecuniæ, supellectilis omnis generis & vestium copia, sine numero. In his Erfordiæ recens excisæ præda opulenta. Coloniensis & Trevirensis Archiepiscoporum, aliorúmque quatuordecim Principum gaza & sarcinæ universæ.

Rei

Pugna ad Elstram.

DEVS quis similis erit tibi?

LVII.

Henricus fugit.

Ingens Henricianorum clades.

Altera eiusdem diei victoria.

Ingentes manubiæ.

Rudolfi Regis excessus.

Rei prosperæ lætitiam, luctu mutavit tristis Rudolfi Regis casus. Is dextrâ mutilatus & ventrem confossus, aciem destituerat. Triduum victoriæ superfuit, cujus nuntium cùm accepisset, dignam Rege magnanimo vocem emisit: *Nunc* (inquit) *vivus moriénsque patiar, quicquid Dominus voluerit.* Tum consolatus adstantes, jussit sauciorum curam habere, nihilque de regijs vulneribus esse solicitos. Quâ charitate delectati Saxoniæ Principes, extemplò jurati omnes spoponderunt, se, eo vivo, nullum alium Saxonum imperio passuros admoveri, ne si quidem utraque manu ipse esset cariturus: Regum enim vires in capite & sapientiâ, non in manibus & corporis robore residere. Hâc ille fide oppidò recreatus, professus est, se de suâ sorte neutiquam conqueri, sat diu suæ gloriæ vixisse, & ex procerum benevolentiâ tam suavem fructum capere, ut nullum in præsens, neque in posterum optet suaviorem: haberent interim illi commendatam Rempublicam tali causâ ac tempore, cùm magnis virtutibus & virorum fortium adjumentis egeret. Ita vitæ finem imposuit, quovis triumpho gloriosiorem. Demortuo Merseburgi more regio parentatum. Saxonibus, Decembri mense, de summâ republicâ agentibus nuntiatum, Henricum, tametsi victum, inter suos jactâsse, Rudolfo occiso, Saxoniam universam occubuisse, nec dubitare, quin proxima Christi natalitia Goslariæ esset acturus.

Henricus bellum in Saxones instaurat. Pacem offert.

Et jam tunc quidem novis stipatus copijs erat in procinctu, ad Saxoniam novo bello repetendam, eâ spe, fore, ut rectore vacuam facilè obrueret. Verùm, comperto, Saxones, coacto raptim exercitu, ad tuendos fines adventare, ne ausus quidem est occurrere, nedum Martem experiri. Ergo ad consuetas artes conversus, misit Legatos, qui pacem hâc lege offerrent: ut, quando illi, nec sine Rege esse vellent, neque eum tolerare, quem aliàs coluissent, patris odium amore filij temperarent. Volebat scilicet filium cooptari, pollicebatúrque, se, si id fieret, Saxoniæ pedem nunquam illaturum. Otho, ut erat solers & facetus, omnium nomine, Legatos cum hoc responso dimisit, Henrico dicerent, & jam tauri ferocis vitulum, ubi cornua adoleverint, esse metuendum, eóque fieri, ut filius perinde atque pater non posset amari.

Facetum Othonis responsum.

An. Christ. M.LXXXI.

LIX.

Igitur cùm artes in Germaniâ Henrico ex sententiâ non procederent, consilium cepit de Italiâ adeundâ, ratus, se à Gregorio, sive per fraudem, sive per vim dirarum veniam ad Sacrorum usum obtenturum: vel, si id non posset, illo de sede Pontificiâ dejecto, Guibertum summæ rei impositurum, habiturúmque in summo fastigio scelerum suorum probatorem. Italicæ profectioni moram adferebat Palatinorum metus, ne, dum peregre turbas cieret, illis recente inflatis victoriâ, animus cresceret ad novos motus, & Germaniæ regnum pro arbitrio invadendum. Quare, ut res domi pacatas relinqueret, de pace agi voluit ad sylvam Capuanam, haud procul à flumine Visurgi, idque ad ineuntem Februarium. Pacis, pro Henrico, fuêre interpretes, Coloniensis, Trevirensis, Babenbergensis, Spirensis, Trajectensis, Antistites: exadversum lecti, Moguntinus, Salisburgensis, Magdeburgensis, Paderbornensis, Hildesiensis. Cùm Henriciani urgerent, ut extra publicum senatus haberetur, Saxones negârunt, se de republicâ clàm acturos quicquam, quòd ab omnibus, summis juxtà ac infimis, pro lubitu nequiret exaudiri. Henriciani, quò viderentur non ultrò, sed rogati ad eam negotiationem venisse, detrectârunt facere colloquendi initium: quare Gebhardo Salisburgensi datum pro communi Saxonum sociorúmque causâ, primo loco verba facere, quod ille præstitit graviter ac copiosè. Modestè gravitérque exorsus, & ad communes regni Germanici ærumnas progressus, ostendit, oppressos fuisse ab Henrico innocentes, negatam esse quietem supplicibus, nihil profuisse obsequia, illusam patientiam, intentatam liberis hominibus servitutem, Præsules omnis criminis exortes, ne auditos quidem, in vincula conjectos, suis pulsos sedibus, &, vix relictâ animâ, bonis omnibus spoliatos: direptas Ecclesiarum opes, assentatoribus donata sacri ordinis & pauperum patrimonia, Saxoniam sæpius igne, ferro vastatam, nobilitatem redactam ad incitas, & servilem quidem in modum, patrata crudelia

Conventus de pace.

Gebhardi Salisb. sententia.

delia, quæ horret humanitas; nefanda, quæ sileri jubet honestas. Atque hæc quidem à Principe esse profecta; sed illud esse intolerabile, quòd reperti fuerint talium scelerum administri, in quibus elucere debuisset forma atque exemplum Christianæ lenitatis, cæterarúmque virtutum, quas, constaret, ipsorum instinctu atque operâ ab Henrico fuisse violatas. Quid dici possit turpius, eâ virorum sanguine illustrium, ipsorum adeò Principum, vilitate, quæ eò se passa est adduci, ut, repugnante conscientiâ, ferrum adversus innocentiam stringeret, quod nulli, nisi ad justitiæ tutelam & defensionem honestatis, esset concessum? Facilè quidem ignosci posse istiusmodi sceleribus, sed non perinde præstari cautionem, ne in posterum fiant similia, immo & atrociora, quæ præstaret severè plecti ad terrorem improbitatis, quàm ignosci ad impunitatis exemplum. Quæ enim respublica, quænam gens, etiam barbara, stare possit, in quâ non exerceantur leges ad sumenda de facinorosis supplicia, & remunerandas virtutes bene de re communi meritorum? Sed esto, condonentur omnia, detúrque publicæ tranquillitati, ut, qui atrocia perpessi sunt, suarum injuriarum velint oblivisci; atqui, quos dabit sponsores, quos obsides futuræ deinceps æquitatis, homo pactorum immemor, violator fœderum, perjurijs infamis, & nullius prorsus fidei? Tandem hoc quoque concedatur quieti populorum & Christianæ charitati, ut incertâ fide, iniquis conditionibus, pax sanciatur: At enim quæ ratio, quænam lex ostendet, fas esse pijs hominibus, illæsâ pietate, reclamante Ecclesiarum usu atque institutis, vetante Christianorum omnium supremo capite, cum execrato sæpiúsque diris devoto, sine noxâ conspirare? Quamobrem, ante omnem pacis reconciliationem, hoc agi oportere, ut Henricus, religionum vinculis solutus, cum Pontifice Romano reconcilietur, ineátque pacem cum DEO, Regum omnium domino, cujus toties, tam fœdè atrocitérque læsit majestatem. LX.

Hæc cùm ab Henrici consilijs longè abluderent, responsum est à legatis, se ad tantæ rei tractationem neque à Rege, neque abs regni Ordinibus quicquam mandati attulisse: sibi tamen licere pacisci quadrimestres, & paulò etiam longiores inducias, quarum tempore, in generali totius Germaniæ conventu, de pace, per otium & placidè, communibus Procerum omnium votis ageretur. Dolum notaverunt Saxones, hoc videlicet Henrico esse propositum, ut, armis in Germaniâ cessantibus, in Italiâ vires omnes adversus Gregorium intenderet. Igitur Otho noster, rei iniquitate commotior; *Bella*, inquit, *pacis componendæ ratio! Nos Regis arma fecêre calamitosos, inducias hodie poscitis, quæ nos reddant impios, in piorum omnium parentem. Nos eousque stolidos dementésque forsan creditis, ut ea fraus nobis non sit perspecta? securitatem domi à nostris armis flagitatis, non quâ simus tuti, sed quâ ad nostrum exitium abutamini. Sævietis nimirum in Ecclesiæ caput & nostrum parentem, & urbe subactâ, Italicis aucti viribus, ad nos evertendos in patriam redibitis. Hæc est illa securitas, quam vestris inducijs velletis induci, ut otiosi spectemus nostrum patrem sub vestrâ manu exspirantem, atque eo extincto pereamus. Ite, Ite, speciosi pacificatores, quo vos vestra ducet libido; sed ne dubitate, pios vindices sceleris vestri vobis à tergo non defuturos. Pacem volumus pijs omnibus communem, aut nullam: vel illam dabitis, vel bellum.* Hæc cùm in publico palàm dicerentur, qui aderant Henrici legionarij conclamârunt, Othonem æqua sentire & postulare, súntque disertè minati, fore se deinceps, ad subeunda pericula, solito languidiores, neque commissuros, ut, quibus ratio æquitásque causæ patrocinaretur, eosdem civili ferro fuisse oppressos fama posthuma loqueretur. Ita discordibus animis solutum est colloquium, datæque duntaxat septem dierum induciæ.

OTHONIS CORDATUM RESPONSUM.

LXI.

COLLOQUIUM ABSQUE FRUCTU.

Igitur Henricus suâ spe in præsens delusus, quamvis facilè intelligeret, quid turbarum, se absente, in Germaniâ esset nasciturum, voluit tamen, ineunte vere, Italicam expeditionem maturari: tantæ erant in Pontificem iræ, quo debellato, prona sibi omnia pollicebatur. Ergo, Germaniâ Friderico Stauffensi commendatâ, mense Martio iter ingressus, exercitum deportat in Insubriam, & cum suo Guiberto alijsque Schismaticis, pridie Pentecostes, Romam appellit. Quæ

COLLOQUIUM DE CREANDO REGE. res Germaniæ Proceribus, Romanæ sedi addictis, spatium reliquit, de creando rege, qui in Rudolfi curas succederet, consilia capiendi. Id factum Awenbergæ, ubi Saxones, Franconiam latè populati, cum Welfone Bojorum & Suevorum copijs armato, capita contulerunt. Otho quidem noster, optimè de Republicâ meritus, fastigio dignus videri potuit: magis tamen placuit Hermannus Comes ob animi lenitatem & modestiam, quæ magna sunt ornamenta principatûs, & illicia suffragatorum studijs demerendis. Idem sublevabatur favore principum Austrasiæ, ubi se egregiè probârat, cùm gereret Lotharingiæ & Arduennæ vicarium dominatum. Quam ob rem scriptorum alij eum Lotharingiæ Principem faciunt, alij gente Lotharingum, famam, opinor, secuti, quòd in Mediomatricorum urbe educatus, amplissimis functus honoribus, Hermanno Metensi Episcopo arctissimâ necessitudine & clientelis fuit devinctus. Cæteroquin à multis Luzelburgico sanguini asseritur. Erat ejus virtus eò conspectior, quòd Conrado ipsius fratre pro Henrico Rege acriter dimicante, caput ille suum fortunásque pro Orthodoxâ pietate Schismaticis opposuit. Conradum tamen, Bertoldus scribit, Ecclesiæ redditum, in votivâ Palæstinæ peregrinatione vitam finijsse.

CREATUR HERMANNUS.

Chron. Augusten. Novum Germ. Chron. Marian. Scot. alij. Bertol. Guiliman. lib. 5.

LXII.

Et verò tam erant infelicia Reipublicæ tempora, tanta apud illitteratos religionis incogitantia, ut non modò provinciæ, sed etiam familiæ, ipsáque cognatorum contubernia, scinderentur in partes, plerisque causæ, quæ inter sacerdotium & regnum vertebatur, incuriosis, eóque potissimùm intentis, unde se fortunæ benignior Favonius explicaret, hoc solo contenti, ut belli causas suis imperatoribus relinquerent judicandas; fidem verò & fortes animos ad castra conferrent. Igitur Hermannus, communi Principum consensione, pridie D. Laurentij ad regni spem erectus, statim habuit, quo regiæ virtutis faceret experimentum. Ad Hoechstadium, quod oppidum est in Boicæ & Sueviæ confinio, Fridericus regni vicarius, cum ingenti pugnatorum multitudine, prælij avidus, consedit. Hermannus parandi decoris æquè cupidus, cum paucis sese illi objecit, ratus, apud hostem esse numerum, penes se verò DEUM, & æquitatem causæ piorum armis defendendam. Postridie, quàm Principum de se judicium audiverat, Fridericum cecîdit, vicit, fugavit, castris exuit, mirâ fati indulgentiâ, quæ Regem hesterno die acclamatum, de potentissimo hoste voluit ilicò triumphare. In eâ pugnâ Cuno Bojus, è Comitibus Palatinis, Elisabethæ Lotharingicæ maritus, Monasterij Rotensis ad Oenum conditor, fortiter dimicans pro Henrico occubuit. Eum Cuno parens cœnobio intulit, cui, ipso nuptiarum die, si sine prole decederet, omnes opes donaverat, habuítque, filio defuncto, ratam donationem. Nurus præterea dotem, cum omni patrimonio, quod in Lotharingiâ luculentum acceperat, ejusdem monasterij possessionibus, voluit accenseri. Friderici Stauffensis cladem excepit Augustæ Vindelicorum, quæ Henricianis erat fœderata, per tres hebdomadas obsidio, in cujus partem venit Leopoldus Austriæ Marchio cum subsidiarijs copijs, quas Hermannus adduxit. Cùm obsessi fortiter tuerentur, suburbanis incensis, agro devastato, locisque aliquot in viciniâ occupatis, nullo præterea operæ pretio, ab urbe discessum est.

HERMANNUS FRIDERICUM SUEVUM REGNI VICARIUM CÆDIT.

CUNO BOIUS OCCUMBIT.

Diploma Henrici IV. datum Ratisbonæ.

AUGUSTANA OBSIDIO

AN. CHRIST. M.LXXXII.

Cosm. Pragen.

LXIII.

BELLUM MORAVICUM.

Bellum, quod idem ipse, quem jam nominavimus, Austriæ Marchio Leopoldus, exitu improsperum gessit cum Conrado Moravo, hoc, uti credibile est, anno (neque enim alius ab Annalibus exprimitur) ad nostrum institutum nequaquam spectaret, nisi Otho Ratisbonensis Episcopus, Leopoldi odio, studióque Henricianarum partium, arma Moravo sociâsset. Huic intercedebant veteres cum Austrio simultates, ex confinium populorum mutuis injurijs. Moravi crebrò flumen Hejam medium inter utriusque gentis ditiones transgressi, prædas agebant, nec rarò grassabantur cædibus & incendijs: Austrij vicissim, quoties res ferebat, reponebant talionem, neutri hæc gerebant authoritate publicâ, sed dissimulantibus dominis, quòd difficile esset discernere, utris culpa potior esset adscribenda, tametsi utrinque iræ pares essent & querelæ. Cùm Leopoldus, de suorum facinore à Conrado appellatus (ut in difficili delictorum & damni æstimatione) pro

voto

voto non responderet, ille, sat causarum se ad vim inferendam habere ratus, accitis Bojæmorum & Bojorum auxilijs, Wratislao Bojæmiæ Principi belli imperium commendavit. Pugna ad 4. Idus Majas, prope Maurenbergam, commissa, Leopoldus superatus. Victoria Moravo cessit non læta magis, quàm Othoni Episcopo, quem non latebat, grave vulnus Henrici Regis hostibus eâ clade esse inflictum. LEOPOLDUS AUSTRIÆ MARCHIO DEVICTUS.

Anno sequenti semel iterum pugnatum simili eventu, Wratislao victore; nisi verius habeat Leopoldus, hujus, de quo agitur, pronepos, qui res à suis majoribus gestas describens, semel duntaxat ad Maurenbergam meminit hoc tempore esse præliatos. Henricus Rex, ut Leopoldi fortunam deprimeret, Austriæ præfecturam ipsi detraxit, & Wratislao donavit, quâ tamen, etsi prælio superior, non est potitus. Hostilia nihilominus inter Austriæ, Moraviæ, & Bojæmiæ populos non desierunt. Aliàs in Boicâ & Alemanniâ intercessisse partiariorum collucationes & conflagrationes villarum & sacrarum ædium, in Sueviâ præsertim, Augustensis scriptor verbo notavit. Welfo Bojus, ut Wigoldi legitimi Augustanorum Episcopi dignitatem tueretur, Sigefridi incubatoris clientes, fortunis alios, alios oculis & vitâ privavit. AN. CHRIST. M.LXXXIII. *Chron. Reichersperg.* TURBÆ IN GERMANIA.

Inter hæc Henricus, auctus Italicarum virium accessione, & Guiberti Pontificis spurij comitatu, cùm, anno superiore, Romanam obsidionem aggressus, repulsúsque, Ravennam se ad hiberna retulisset, ineunte vere reversus, & urbe Leoninâ, simúlque Vaticano 4. Non. Junias potitus, Principis Apostolorum basilicam direptione, & duarum porticuum labefactatione violavit. Flamma, quam vicinis in tectis hostes excitaverant, reverita Gregorij sanctitatem & vim crucis, quam ad exemplum serpenti in aëre objecit, desiit latiùs evagari. Exinde urbi veteri per æstatem imminens, & insigni Romanorum virtute, æstivíque caloris intemperie conflictatus, exercitu per æstiva diviso oppugnationem intermisit, præfecitque Guibertum rei militari, qui pleraque ædificia, quibus Henricus pepercerat, ferro vel igne fœdavit, egregius scilicet Ecclesiæ moderator. HENRICUS REBIS ROMAM IRRITUS OBSIDET.

Hermannus Rex, Gregorio Pontifici laturus opem, contractis undique copijs, Italicam expeditionem animo complexus, Germaniæ vicarium imperium Othoni nostro commiserat; cùm ex improviso tristem de ejus obitu nuntium accepit. Quare, ne qui motus exinde in Germaniâ nascerentur, omisâ Italiâ, perquam invitus reversus est in Saxoniam. Sanè Dux Otho se, quoad vixit, præstitit dignissimum, cujus nomen cum illustri memoria visatur in Boicæ monimentis. Eam fecisset illustriorem, nisi Henricianæ proscriptionis iniquitas amicæ gentis principatum viro fortissimo invidisset. LXIV. OTHONIS BOICÆ EX-DUCIS OBITUS.

Eo sublato, & Hermanno Rege in Germaniâ retento, Henricus ad maleficia solutior, de integro prosecuturus Romanam oppugnationem, non armis magis, quàm dolo & propugnatorum corruptelis, quo majorem bello & suæ factioni authoritatem pararet, abortivum monstrum sanctissimæ Principis Apostolorum Vaticanæ cathedræ imposuit, ipso die Ramalium, quo Christi, in sanctam civitatem cum triumpho ingredientis, annua memoria recurrit: ita impijssimo Guiberto etiam festi sanctitatem lubuit sacrilegio profanare. Cùm nemo esset Episcoporum, vel Romanæ Ecclesiæ Cardinalium (quod Blondus observavit) qui bestiam tot confixam execrationibus vellet initiare, Bononiensis, Cremonensis & Mutinensis, pseudoepiscopi (si fides est Sigonio) cæremonias in detestabili capite perdiderunt. Bertoldus & cum ipso vetustiores, sacrilegam inaugurationem Mutinensi & Aretino tribuerunt, quam malè quidam adscribunt Trevirensi, quippe qui nondum (ut mox ostendam) erat sacerdotio initiatus, sed tamen potuit scenicis impiorum ritibus adstitisse spectator. *Leo Ostien. lib. 3. cap. 49.* GUIBERTI INAUSPICATA CORONATIO. *Sigon.*

Gregorius Pontifex ad hæc imperterritus, Deóque fretus, in Adriani mole se suásque spes, Romanæ nobilitatis auxilio, tuebatur, habebátque in potestate Tiberinos pontes & urbis loca munitiora; cùm Henricus arcem in monte Palatino molitus, quadringentorum præsidium loco imposuit, & in Cisalpinam Galliam AN. CHRIST. M.LXXXIV. GREGORIUS SE TUETUR IN MOLE ADRIANI.

 secessit,

ſeceſſit, ad captandam auram leniorem, vitandámque peſtem, quæ in exercitu gliſcebat. Non fuiſſet operoſa adverſus paucos, quos in urbe reliquerat, partis nondum occupatæ, tutela, niſi impares animos fidémque populus Romanus attuliſſet. Quam rem non diſſimulavit Henricus, ſcribens ad Theodoricum Virdunenſem Epiſcopum. *Tibi incredibile* (inquit) *videatur, quod tamen re ipsâ comprobatum Romæ præteritis diebus evenit, quando id denis hominibus (ut ita loquar) Deo auxiliante, confectum à nobis, quod denis omnino millibus effectum majores non præſtitiſſent. Eccui non ingentem ea res prodigij ſimillima admirationem pariat? Iam verò, quod fidem omnem ſuperat; cùm in Germaniam reditum paramus, expugnandæ Romæ pariter cogendæq; ad deditionem ſpe lapſi, Ecce tibi Romani miſſis ultrò legatis, ſupplices nobis facti, ut urbem ineamus obſecrant, ſéque in omnibus dicto nobis audientes fore ſpondent; itáque ab ijs diligenter factum eſt: nam introeuntes nos magnâ alacritate exceperunt, & omnibus noſtram cauſam, perhonorificâ demum pompâ ſingularique fide nos abeuntes ſunt proſecuti.* Addit deinde formam ſuæ inaugurationis factæ à Guiberto. Bertham Reginam eâdem operâ fuiſſe Romanâ coronâ donatam, conſtans eſt Scriptorum conſenſio. In fine Epiſtolæ, jubet agi cum Archiepiſcopo Trevirenſi, ut è veſtigio ſe curet ſacris Epiſcopalibus initiari. Scriptam anno M.LXXXIV. hanc Epiſtolam ante Henrici in Germaniam reditum, oſtendunt ea, quæ urbis deditionem præceſſerunt; petitum videlicet à Romanis colloquium, habitúmque Calendis Novembribus, in quo propoſitæ, Gregorij injuſſu, pacis conditiones, quas ipſe pro ſedis Apoſtolicæ majeſtate ſic temperavit, ut eas Henricus repudiârit. Scilicet à Pacificatoribus facta erat illi ſpes Romani diadematis, quod ſuâ manu Gregorius imponeret, ſed non priùs, quàm Henricus animi pœnitentis ſpecimen edidiſſet. Item ut præter morem in coronatione omitteretur pompa ſolennis, eáque luſtralibus duntaxat apprecationibus perficeretur. Inauſpicatam inaugurationem præceſſit aperta plerorumque Romanorum à Gregorio defectio, & adventus Roberti Guiſcardi, Nortmanni, Calabriæ & Apuliæ Ducis, in urbem, à quo captum eſt Capitolium, arx Henrici diruta, dejectum præſidium, Roma direpta, incenſa; expulſi ſpurij Cardinales. Præceſſit etiam Gregorij ſeceſſio ex urbe in monaſterium Caſſinenſe, atque in Salernum, ubi, quod vitæ ipſi erat reliquum, ab hoſtium turbis degeret pacatiùs. Henricus verò reverſus in Germaniam, Ratiſbonam appulit ſub Calendas Sextiles, ubi, ingenti gratulatione exceptus, plauſum tulit, qualem oppidani, mirè ejus partibus adhærentes, cuivis Cæſarum dandum eſſe cenſuiſſent. Auguſta Vindelicorum, connitente Wigoldo Epiſcopo, à Welfone Bojariæ Duce capta direptáque quorundam proditione, crebris ſupplicationibus Henrici implorabat opem, unde illi breve admodum ab armis otium. Caſtris ad Lycum poſitis, Welfonem habuit in ripa objectâ cum exercitu, prælij copiam avidè expectantem. Verùm Henricus, detrectans ſupremam aleam, quatuordecim dierum provocationes & jocos militares ſedentariâ patientiâ coactus eſt devorare, atque interim otioſè ſpectare incendia atque populationes, quibus Auguſtanus ager in ejus conſpectu vaſtabatur, donec in S. Afræ pervigilio, Welfo, ceſſitationis pertæſus, motis caſtris, profectionem in Burgundiam indixit, ut Bertholdo Zäringio laboranti, auxilia adverſus Epiſcopum Argentinenſem properaret, & Gebhardum Bertholdi fratrem, adverſus Othonem ſpurium Conſtantiæ Epiſcopum, Henrici partiarium tueretur, quod utrumque feliciter eſt conſecutus. Othone exacto, Gebhardus ſedi Epiſcopali eſt reſtitutus, & Bertholdus contra Argentoratenſem adjutus.

Extat Epiſtola in M. S. Virdun. & geſtis Treviren.

Romani se Henrico dedunt.

LXV.

Pacem tractant sine mandato Sum. Pontificis.

Robertus Guiscardus Pontifici fert opem.

LXVI.

Per id tempus Reicherſpergenſe Monaſterium, ad Oenum in ſecundâ Boicâ, ſub D. Auguſtini regulari Canonicorum diſciplinâ cœpit florere, Wernero caſtri Reicherſpergenſis Dynaſtâ, & Dietbergâ Gebhardi Saliſburgenſis Archiepiſcopi ſorore, conditoribus. Uterque conjugum, filio Gebhardo, quem unicum tulerant, in florente adoleſcentiâ orbati, cùm propinqui præcoci contentione de futurâ ſucceſſione inter ſe certarent, Deum & D. Michaëlem Angelorum Principem, ampliſſimarum poſſeſſionum hæredes dixerunt. Caſtrum Reicherſper-

Reichersper'gens. Monasterium.

chersperense, quod pro ejus ævi more erat apprimè munitum, in cœnobij formam redactum. Wernerus vitæ strictioris studio, posteaquam uxorem extulerat, magno jam natu, votis Deo nuncupatis, se quoque sacræ ascesi mancipavit.

Anno sequenti, Werneri pietatem, Northbertus, Comes Hohenwartensis, Rapotonis Comitis Taurisij, sive Taufersij, & Hemmæ Austriæ Principis (quam Bruschius vocat Donawerdanam Comitissam) filius, quem nonnulli referunt ad stirpem Comitum Andecensium, longo tamen intervallo secutus est. Turpem maculam contraxerat ex Henricianæ factionis contagione, & empto Curiæ Ræticæ Episcopatu, ac proinde vitio creatum Quentelburgensis Synodus pronuntiavit. Hermannus Rex, patrum sententiam secutus, eum Curiensi sede deturbavit. Ille, ut deleret vitæ prioris ignominiam, Hermanno Iubente, Haibacense Mystarum Collegium suis opibus excitavit, in quo, anno abhinc secundo, finem fecit vivendi.

An. Christ. M. LXXXV. *Bruschius. Hund. p. 893.* HAIBACENSIS ECCLESIA COLLEGIATA. *Diploma fundationis apud Hund. Metrop. tom. 2. & libro Origin. seu Stemmat.*

Fervebant interea magnis partium studijs Orthodoxorum & Schismaticorum contentiones, nec adhuc ulla apparebat ratio discordiæ, citra sanguinem, extinguendæ, ob flagrantia partium odia, quibus Germania in diversas de summo sacerdotio sententias, miserè distrahebatur. Visum quibusdam Procerum Germanorum, posse mediam aliquam iniri viam, quâ dissidium ad aliquam æquitatem reduceretur, quæ tamen nunquam cum ullo fructu in causâ religionis tentata est, nec verò hâc vice ullum tulit operæ pretium. Accedebat quæstio, modúsne esset aliquis, regni Germanici civile dissidium, inter utrumque Regem ita componendi, ut, tametsi in causâ religionis animi dissiderent, tamen arma cessarent. Eas ob res, partium consensu, regni comitia maturè indicta sunt Berchacæ in Turingiâ, si verum habet Urspergensis, vel, ut placet alijs, Gerstungæ in Saxoniâ, ad diem vigesimum Januarij. Primo senatu, quæsitum ante omnia, jure, an injuriâ, Henricus, ejúsque asseclæ, Pontificijs devotionibus, à piorum communione essent exclusi. Henricianorum causam suscepit Wecilo Moguntinus, qui anno superiori, post Sigefridi mortem, tametsi dudum esset ab Ecclesiâ proscriptus, ab Henrico fuerat in sedem Moguntinam intrusus. Catholicorum patronum egit acerrimè Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus & sedis Apostolicæ in Germaniâ legatus. In eo congressu Conradus Trajectensis Episcopus, magnus Schismaticorum Achilles, à Wecilone jussus est recitare ex sacris sanctionibus canonem, quo Patribus fucum faceret, quasi Henricus, contra juris formam, fuisset à Gregorio Pontifice proscriptus. Objectum videlicet, acceptúmque eum magno Schismaticorum plausu, Henricum, antequam in jus vocaretur, obirétve vadimonium, debuisse per Saxones ex integro restitui in omnes ditiones, è quibus vi metúque fuerat expulsus: & per consequens nullo jure, ante restitutionem, potuisse à Pontifice damnari, nedum ex Ecclesiæ sinu regnóve excuti. Qui Henrici apologiam scripsit auctor anonymus, homo calami venalis, fingere ausus est, Gebhardum ejusque asseclas ad hæc obmutuisse, cum tantâ consternatione, ut nemo unus fuerit, cui mens esset vel ratio ad respondendum. Verùm Urspergensis Abbas factionis Henricianæ, bellum istum Apologeten manifestè refellit, dum recitat cordatum Gebhardi responsum: neminem videlicet, hoc ipso, quod re suâ sit spoliatus, divinâ lege esse solutum, ut, velut adeptus peccandi impunitatem, à nemine possit in jus vocari. Henricum, antequam spoliaretur, à Pontifice Alexandro citatum, appellatum à Gregorio, juris ordinem per contemptum neglexisse, & omisisse debitam Romanæ sedi satisfactionem.

LXVII. QUENDELBURGICA COMITIA DE COMPONENDIS GERMANIÆ DISSIDIIS.

FUCATA HENRICI EXCUSATIO. *2. q. 2. per totum.*

Enimvero quis credat, Gebhardum latuisse, aut non ei venisse in mentem, Henrici crimina fuisse publica & graviora, quàm ut cordatorum virorum conscientiam, & ipsos plebis oculos effugerent. Quid, quòd in Canussino congressu, sponte, nullâ vi, fassus erat culpas, pœnam susceperat, pactus erat mores in posterum emendatiores, munia & insignia regia abdicaret, donec in communi regni conventu, arbitro Pontifice, causa rursus inspiceretur, non abnuerat, quò minùs, si falleret, religionum vincula quoquo modo laxata de integro eum constringerent. LXIIX.

Atqui cum paulò pôst violâsse fidem, conventui Germanico de industria posuisse obicem, & indies loco emendationis fecisse deteriora. Eum certè non fuisse spoliatum, qui vim Saxonicæ libertati contra jus fásque egisset, & bello inferendo, suarum ditionum jacturam fecisset, quique sciens ac volens, per pacta seipsum, amissis juribus, exuisset. Sed neque erat obscurum, spoliatum ex causâ manifestariâ, idque à judice, quem non Henricus modò, sed totus orbis Christianus legitimum summéque idoneum agnoscebat; ante omnia non esse restituendum, cùm nequiret fieri restitutio citra totius regni irreparabile nocumentum, commune piorum omnium periculum & offensionem, eò maximè, quòd Henrici pertinax esset in peccando contumaciâ; quâ se magis magisque restitutione indignum, nocentiorem & publico perniciosiorem faciebat. Non fuit (opinor) Gebhardus præsul sapientissimus, divino, quo regebatur, ductu sic destitutus, quin hæc aliaque longè efficaciora attulerit: talia certè attulit, quibus Orthodoxi in officio & fide erga sedem Apostolicam ita fuêre firmati, ut ex ijs nemo fuerit, qui dignatus sit amplecti sententiam Wecilonis, qui & ipse, cognitâ erroris sui vanitate, ut paulò pôst resipiscens videbitur, abs Henrico descivit. Saxones id duntaxat, quod milites decebat, Schismaticis reposuerunt: se Pontificis judicium nec posse, nec debere in dubium revocare: irent ergo factiosi, & causam cum Gregorio disceptarent: ab illo Regem esse damnatum, non à Saxonibus, qui DEI vicario morem semper essent gesturi, quibúsque non esset integrum interstrepere voci, quam velut oraculum è cœlo profectum revererentur. Ea denique quæstio discordibus animis sic fuit agitata, ut nihilo, quàm antè pacatiora secuta sint, sed comitiorum conatus reciderit in irritum. Saxones adversariorum ineptis argutijs offensi, aliquos, qui se mordicus & protervè Henricianis affixos ferebant, excitato tumultu peremerunt.

Orthodoxi, ut extra adversariorum strepitus suæ causæ firmamenta expenderent, Ferijs Paschalibus Quendelburgi, frequentem utriusque Ordinis conventum egêre, Othone Cardinale, Episcopo Portuensi, Legato Pontificio præside, præsente Rege Hermanno. Isthic nupera Gebhardi Salisburgensis sententia revocata ad libellam, & magnis authoribus asserta, publicitúsque confirmata: vindicatus quoque Romanæ Ecclesiæ principatus: Wecilonis spuria ad Moguntinam infulam vocatio, & cæterorum omnium, qui à Schismaticis erant initiati, damnata consecratio, Guiberti Apostolici primatûs incubatoris, aliorúmque, tum Cardinalium, tum Episcoporum Schismaticorum nomina, funalibus accensis, de more execrata. Weciloni præterea, tanquam hæresiarchæ, dictum anathema, ut, qui pertinaciter doceret, homines profanos suis rebus spoliatos, Ecclesiæ judicio neutiquam esse obnoxios, neque ob qualiacunque scelera posse dirarum execratione fulminari. Volebat præterea ab Ecclesiâ proscriptos, absque omni reconciliatione ad sacrorum Christianorum usum esse admittendos.

LXIX. Moguntinus Conventus.

Nondum abierant à Quendelburgianâ synodo tres hebdomades, cùm Schismatici paria, si possent, Catholicis relaturi, magno numero ab Henrico coacti, Moguntiam apud S. Albanum confluxerunt, unà cum Guiberti legatis, & quibusdam Gregorij partiarijs, quos metus & acerbæ optimi cujusque vexationes perculerant, ne apertè animi sui sensa proderent. Inter hos Meginwardus Frisingensis humanum quid passus, quale memorat Sigebertus de alijs, quos refert *manu & ore Guiberto, corde tamen Gregorio adhæsisse.* Generosius quid ausi alij, qui súsque déque habitâ Henrici sævitie, nequiverunt adduci, ut impio cœtui adessent. Adelbero Wirceburgensis, & Hermannus Metensis suis exacti sedibus, solum mutare coacti. Quamobrem indignati Metenses, negârunt, se à mercenario, quem Henricus suffecerat, Sacra accepturos. Hermannus Abbas Hirsaugiensis, vir eximiâ virtute, edicto ad Synodum vocatus, *ire contempsit, malens pro defensione vicarij Christi rerum corporisque periculis audacter subjici, quàm pravorum consensu maculari.* In eâ sectariorum synagogâ, jussu Henrici, asserta est Guiberti sacrilega intrusio, spurij Ecclesiarum invasores, in proscriptorum Antistitum sedes suffecti,

Sigebert. Dodechin. Bertold. Trithem.

damnati

damnati omnes Orthodoxi. Divinæ interim justitiæ pœnas dabant Italici Principes & Antistites, Guiberti factione corrupti, quorum bene magnum indicem Bertoldus pertexuit.

Gregorius Pontifex, sorte longè melior, Salerno, ubi exul multis conflictatus ærumnis constiterat, ad Superos est evocatus 8. Cal. Junij, vel, ut scribit Baronius, uno die seriùs, posteaquam Pontificatum summâ cum laude gesserat annos duodecim, mensem unum, dies tres. Fati sui præscius, cùm pro concione diceret, erupit in has voces: *Dilexi justitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Triduo, antequam cœlo animam transmitteret, rogatus à Cardinalibus & Episcopis sententiam, de successore deligendo, Desiderium Cassinensem Abbatem nominavit, virum religione, prudentiâ, & Principum amicitiâ præcipuum, qui si electioni nollet assentiri, eligerent Hugonem Lugdunensem, vel Othonem Ostiensem, vel Anselmum Lucensem Episcopum. Laborandum fuit usque ad anni posteri Pentecosten, quà rogando, quà monendo Desiderium, ut Cardinalium votis accederet. Eo die creatus, Victoris III. nomen accepit. Gregorius denique, ubi bene precatus fuerat omnibus, quos vivens habuerat Romanæ sedi addictos, Henricianos, nisi redirent ad frugem ex animo, negavit Sacris Christianis esse restituendos, sicque mente quietissimâ migravit ad Christum, pro cujus sponsâ tot susceperat dimicationes. Fuit vivus mortuúsque clarus miraculis, tandémque in Sanctorum Album relatus. Ejus exuviæ Salerni in D. Matthæi basilica, quam ipse dedicârat, compositæ, post quingentos ferè annos, cùm sepulchrum aperiretur, repertæ sunt incorruptæ, eóque in statu perseverare feruntur. Hæc eò dicta, ut appareat putida vanitas Sigeberti Gemblacensis, quâ ausus est, ex alienâ relatione, in suas chartas referre, Gregorium in vitæ extremis cum animi mœrore, uni cuipiam de Cardinalibus esse confessum, se peccâsse graviter, quòd tot in Ecclesiâ turbarum author extitisset, & jussisse Cardinalem ad Imperatorem proficisci, ut eum aliósque omnibus, quibus eos irretiverat, religionibus absolveret. Quod si verum haberet, Cardinalem, qui nusquam apparuit, nec ullum absolvit, oportuisset nominare: & verò si Henricum Ecclesiæ reconciliâsset, nihil fuisset, cur in eum tam pertinacibus piorum odijs plura bella gererentur.

GREGORII VII. OBITUS.

Leo Ostien. *Otho Frising.*

Vita S. Anselmi Lucens.

SUCCEDIT VICTOR III. LXX.

SIGEBERTI COMMENTUM REPELLITUR.

Illum quidem pars Saxonum, quasi longâ mansuefactus malorum tolerantiâ, inveteratam feritatem exuisset, jam non sævientem, sed benignum Regem ausi sperare (nam eos tædere cœperat Regis Hermanni, utpote peregrini) ultro accersitum, suis rursum cervicibus posuerunt, eam duntaxat pacti legem, ut ipso adnitente, cuivis naufragas veteris fortunæ tabulas liceret colligere; sed ille, more suo, plura, quàm poscebatur, pollicitus, tam nihil præstitit, ut albæ mentis animæ extemplo notarent, se in veteres calamitates esse relapsos. Quare, damnatâ consilij sui inconsultâ levitate, detestati Henrici perfidiam, in ejus caput conspirant, subitò arma corripiunt, velut immanem belluam, quæ nullis posset officijs commitigari, anno nondum finito, patrijs finibus exturbant, & magnis animis se ad reprimendas ejus iras comparant, haud dubij, vindictam accepti dedecoris diu non dilaturum.

SAXONES ALIQUI AD HENRICUM DEFICIUNT.

DECEPTI MUTANT SENTENTIAM.

Berthold. Chron. August. Sigebert.

Quæ eos prævisio non fefellit. Nam ille mox è Boijs & Franconibus, quantas potuit copias, armavit, & sub anni proximè secuti initium regressus in Saxoniam, populationibus, ferro & igne sævijt: donec ab hoste rejectus in Bojariam, eam reperit, longè aliam, quàm sperabat, faciem induisse. Etenim Boij (si Reginoburgenses excipias) redintegratâ cum Welfone Duce concordiâ, fœdus & arma cum Saxonibus junxerant: in fœderis & belli societatem Frisinga, Meginwardi Antistitis sui voluntate concessit. Nec mora, itum ad obsidendam Ratisbonam, ubi se Henricus abdiderat, Friderici generi Alemanniæ Ducis, & Rapotonis Comitis suppetias præstolaturus. Horum auxilio elapsus, civitatem paulò pòst dedendam, Welfoni reliquit. Factâ deditione, unà cum Henriciano præsidio, Otho ejusce urbis Episcopus, venit in Welfonis potestatem, & juramento pactus est, se deinceps cum fide, Orthodoxorum partes adjuturum.

AN. CHRIST. M.LXXXVI. LXXX

Chron. August. *Apologia Henric.*

BOII SAXONIBUS FOEDERATI.

HENRICUS RATISBONÆ OBSESSUS ELABITUR.

Castra

GEBHARDUS SALISBURGUM REVERTITUR.

Castra subinde mota in Salisburgensem agrum, ubi Henriciana factio, ausa vim opponere, velitaribus prælijs gravibúsque passim affecta damnis, pœnas dedit suæ temeritatis. Eo tempore Gebhardus Archiepiscopus, post novem annorum exilium, in suam sedem postliminio est regressus, non sine specie triumphi, quo fuit ab amicâ civitate, inter faustas acclamationes, honorificentissimè exceptus. Altmannus Pataviensis & Meginwardus Frisingensis, latus ingredientis cinxerunt. Populus, in vias publicámque lætitiam effusus, vix poterat satiari amantissimi sui patris aspectu, quem, velut è cœlo redditum, innumeris gratulationibus est prosecutus. Gesta hæc in' æstatem adultam, cùm, invalescente ex rebus secundis fortunâ, Suevi ab Henrico sejuncti, sociam operam fœderatis navârunt.

HENRICUS IN CAMPIS BLECHFELDENSIBUS ACIE DEVINCITUR A WELFONE BOICO.

LXXII.

Inde secuta Wirceburgi in Franconibus oppugnatio. Urbem tuebantur Wecilo Moguntinus Antistes, & Fridericus Henrici gener. Cùm arctè premerentur, Henricus laborantibus, cum viginti armatorum millibus auxilia properavit, nihilque cunctatus, in campis Bleichfeldensibus 3. Id. Augusti aciem instruxit. Welfo, cui belli summa incumbebat, suos quoque in apertum produxit, & quò eos ad opis divinæ fiduciam erigeret, in principe signi prætorij carpento, præliare vexillum coloris coccinei, triumphali crucis signo, visendum in medio agmine proponit: tum exercitum universum, ne excepto quidem equitatu, jubet genibus ad terram provolvi, vultúque ad crucem converso, DEUM in vota vocare, ut, qui moriens, omnes humanæ gentis hostes in cruce superâsset, triumphum eâ die donaret mox dimicaturis, adversus Christianæ charitatis inimicos. Post eam comprecationem tantus vindicandæ Numinis gloriæ omnium animos ardor incessit, ut primo statim congressu Henrici acies cum ingenti strage fuerit eversa. Sigebertus numerat cæsorum supra quatuor millia: alij funera notârunt sine numero, & Henrici phalanges divinitus exterritas. Ingentes complurium Episcoporum opes cum regijs sarcinis venerunt in victorum manus & omnia signa militaria. Augustense Chronicon, in ornando Henrico supra verum effusum, habet, eum, mira fortitudinis exempla edidisse; sed Bertoldus oculatus testis, cum scribit inter primos, abjecto ornatu regio, è pugnâ profugisse. E fœderatis occubuêre quatuordecim, quindecim aliqui scripserunt, nec plures debilitatos. Victoriæ accessit Wirceburgi deditio. Fridericus cæterúmque præsidium fugâ sibi tempestivè consuluerunt. Adalbero loci Episcopus, quem Henricus mitrâ exuerat, pristinis honoribus est restitutus; sed urbe, non longè pòst, ab hoste receptâ, rursum ejectus est in exilium, quod Weinsbergæ toleravit, ne, quod efflictim à Schismaticis poscebatur, se schismatis dedecore contaminaret. Henrico in Boicam reduci omnia occurrerunt adversa: clausæ civitatum portæ, alienati cives, abjecta imperij reverentia, omnia ad vim defendendam comparata. Coactus denique est pacisci discedendi libertatem, promisso, se Oppenheimij regni comitia de pace quamprimum habiturum, quæ tamen, pro animi sui levitate, bello intercepit. Ad istius pacti necessitatem à Welfone est adactus, cùm in arcis cujusdam obsidione deprehensus, de salute periclitaretur.

Sigebert.

WIRCEBURGUM WELFONI DEDITUM.

HENRICUS A BOIIS DESERTUS.

NATURÆ PORTENTA.

CARTUSIÆ INITIA.

Sur. 1. April. c. 2. Sigebert. Onufrius. Baron. Trithem.

Corvum, ajunt, hoc anno, quavis columbâ candidiorem, Augustæ visum, & aves domesticas, corte desertâ, in sylvas demigrasse, quæ vario omine accepta, multiplicem augurandi materiam conjectoribus dederunt. Haud paulò sanctiores sermones dedit Bruno, auctor Cartusiensis instituti, quem senis comitatum sodalibus, ad asperrimum Gratianopolitanæ solitudinis secessum & inhospita speλæa, divinus amor, adscito in eandem sortem Hugone Episcopo, abstraxit. Hunc annum, non autem octogesimum quartum, uti nonnullis visum est, sancto isti ordini dedisse originem testantur S. Hugonis acta, è quibus constat, eum anno M.LXXX. creatum Episcopum, post duos annos Cluniacum adijsse, ibique exegisse unum annum: deinde reversum Gratianopolim, triennio Episcopi munia obijsse, adeóque sexto anno ab inauguratione, Cartusiam cum Brunone, quod ex Breviario Romano planum est, petijsse.

Istud extra Boicam. Domi Atilense D. Benedicti cœnobium, quod Principum Diessensium munificentia excitaverat, & Fridericus, cognomenro Rochus, conditorum frater, exactis habitatoribus, & abreptis possessionibus, ad eam tenuitatem redegerat, ut ægrè tribus Monachis sufficeret, Engelbertus Halæ & Wasserburgi Dynasta è ruinis eduxit & locupletavit. Ne Lintburgum, arx gentilitia, Monasterio confinis, ascetarum quietem interpellaret, eam solo æquavit, & Wasserburgum migravit cum totâ familiâ. AN. CHRIST. M. LXXXVII. ATILENSIS MONASTERII INSTAURATIO.

LXX. III.

Dum eâ liberalitate cœlum suos favores in viros rerum divinarum studiosos explicaret, non omisit tamen formidanda supplicia ab impijs exigere. Timo, idem ille, qui D. Altmanno in exilium, Henrici Regis iniquitate, ejecto, Pataviensem sedem invaserat, ad extremam vitæ lineam devolutus, Altmannum exulem in conspectu habuit, raptæ infulæ scelus exprobrantem, denuntiantémque paratam illi apud inferos pœnarum æternitatem. Miser, perinde atque si præsentem aspectabili specie intueretur, pallere, facinus excusare, rogare veniam, denique toto corpore cohorrescere, & dirum in modum agitari, obtestari amicos, qui aderant, ne suum funus, utpote profanum & execrabile, piorum Antistitum conditorio mandarent. Illi, quòd eum animo aberrante laborare crederent, nitebantur moribundum ad lætiora avocare. Verùm ipse tantò vehementiùs suos terrores ingeminans, & identidem vociferans, se perditum & addictum Orco, in eâ salutis desperatione infelicem animam exhalavit. Quo vindictæ exemplo complures è Schismaticis permoti, damnatis vitæ superioris erroribus, ad Romanæ Ecclesiæ concordiam redierunt, inter quos Wecilo Moguntinus, cujus conversionem è vetustis Moguntiæ tabulis deprædicat, post Trithemium, Serarius. TIMONIS BATAVENSIS HORRENDUS FINIS.

Nec verò etiam Henrico, tot sacrilegiorum patrono, sua pœna defuit. Is, anno præterito, cùm haud satis fideret suis viribus & Germanorum vacillantibus consilijs, adjecit animum ad externa auxilia Wratislai Bojæmorum Principis, cujus utibilem operam aliàs fuerat expertus; útque haberet promptiorem, beneficio, quod Bojæmo diu fuerat in optatis, delinivit. Moguntiam accersito, Regis titulos contulit, & quò id faceret plausibiliùs, in quatuor Archiepiscoporum & duodecim Episcoporum consessu, extinctum pridem Moravorum regnum revocavit in lucem, & Bojæmorum imperio adjecit unà cum Silesiâ & Lusatiâ. Engelbertum deinde Trevirorum Archiepiscopum (erat is Henricianarum partium) Pragam misit, qui Wratislaum solenni ritu inungeret, & simul cum uxore regio diademate redimiret. Isthæc titulorum & ditionis incrementa fuêre loco auctoramenti, ad arma Wratislai, adversus Saxones, Henrico jungenda. Verùm illi neutiquam ignari proximæ tempestatis, contracto undique exercitu, se ad defensionem maturè comparârunt. Wratislaus Henrico adduxit numerosas suppetias. Itum Octobri mense in Saxoniam, castra castris opposita: vario certatum marte, qui demum Henrico tam fuit adversus, ut ex acie ipsi fuerit excedendum. Haud dubiè venisset in Saxonum manus, nisi eum Ecbertus Comes, Hermanni Regis æmulatione, per fraudem periculo exemisset. Inter Henrici infortunia numerari posset Berthæ Reginæ mors, nisi pronum esset credere, illum conjugem, quam à primo conjugij exordio oderat, non illibenter amisisse. Diem obijt Moguntiæ, atque ibi tumulum nacta est, è quo postea, mariti voluntate, ad Spirense Regum conditorium translata est. WRATISLAUS BOEMUS REGIO TITULO DONATUS. LXXIV. *Sigebert.* HENRICUS A SAXONIB. DENUO SUPERATUS.

Eodem loci, Catholici Principes in generali colloquio, quod habuêre Calendis Augusti, cum Henrico Rege, polliciti sunt, se ipsius causam, pro regno pacatè retinendo suscepturos quacunque possent ope, si ille Guiberto repudiato, animum ad recuperandam Ecclesiæ communionem, & impetrandam veniam anathematum, quibus erat obstrictus, seriò adjiceret. Ad mentem potuisset revocari homo alioqui irarum pertinax, nisi Pseudoepiscoporum vota obstitissent. Id mali præ cæteris habent errata Principum, quod sæpe implexa sunt causis privatorum. Etenim adulterini Ecclesiarum usurpatores, rati, Guiberto exauctorato, malè partas dignitates, & sacerdotia simul ruitura, Henrico sic obfirmârunt, CRESCIT HENRICI PERTINACIA

veriùs obcœcârunt mentem, ut negaret, se ullâ dirarum Pontificiarum religione teneri, obstinâritque à Guiberto non desciscere. In eodem conventu Ladislaus Ungariæ Rex, per Legatos, Patribus addixit, se cum viginti equitum millibus rei Catholicæ subventurum, si id quidem illis è re communi futurum videretur. Recitatæ etiam sunt Victoris III (qui demum Cardinalium auctoritate victus, anno superiore Pontificatum iniverat) litteræ, quibus Gregorij adversus Henricum ejúsque partiarios sententiam, justam ratámque pronuntiabat.

An. Christ. M.LXXX IIX.

Hermannus Rex evilescit.

LXXV.

Varii Saxonum affectus.

Atque ista quidem rite sapientérque afferebantur ex urbe, veluti idoneæ rationes sanandi grande vulnus Germaniæ, sub Henrici imperio scissæ in exitiales factiones, nec erat apud bonos ambiguum, illo rerum potiente, plagam schismatis ægrè coalituram; sed aliud serpebat malum inter Principes Orthodoxos, qui evilescente Hermanni Regis authoritate, malè inter se cohærebant, & diversis affectibus distracti, publici curam habere cœperant in postremis. Saxonum plurimi iniquè ferebant hominis exteri mores & gubernationem: alij querebantur, rem communem ab eo geri oscitanter, quam ne ipsi quidem, quo par erat studio, sublevabant: alij ex Regis mutatione sæculum aureum somniabant, séque versabant in omnes partes ad modum febrientium, quibus in nullo situ bene est: non pauci, Henricum toties abominatum insigni levitate suspirabant. In isto animorum æstu atque dissidio, gliscebat cupido Hermannum abdicandi, non per vim quidem, quæ sine perduellionis infamiâ tentari non poterat, sed subtrahendo sensim officiosa ornamenta dignitatis. Igitur illi, velut ex composito, Hermannum colere solitò exiliùs, frigidè & cum fastidio obsequi, aulæ solitudinem in dies augere, & non obscurè testari latentem aversionem. Arduum nimis erat Hermanno, cujusvis despicientiæ insolenti, ferre istiusmodi mores: sed nec erat promptum, labescentem reverentiam, quæ regnantium tutrix est, erigere, multò difficilius efferatos mollire, vel invitos ad officium revocare. Durum nihilominus erat, ferre eorum supercilia, qui nuper ad Henricum non sine rebellione defecerant, ipsáque admissi facinoris impunitate, facti fuerant ad audendum acriores. Inde metus & suspicio: neque enim habenda fides illi, à quo sis turpiter deceptus; semel infidus, semper est suspectus, nunquam non odiosus: & verò acerbum est, illubentibus cum periculo imperare. Quare Hermannus, rebus privatim cum Henrico compositis, sponte regni curas abdicat, Saxones jubet res sibi suas habere, & Lotharingiam repetit civilibus discordijs fluctuantem, ubi, non multò pòst, dum in castelli cujuspiam oppugnatione periculo sese infert incautiùs, saxi fragmine deorsum misso protritus, mortem oppetijt. Metis honorificè sepultus, Othonem Palatinum Rineci Comitem filium hæredem reliquit, regni Germanici anno septimo.

Hermannus regnum sponte abdicat.

Bertold.

Occiditur.

Marianus Scotus.

Henrici Marchionis Scadensis defectio.

LXXVI.

Henricus ab Ecberto oppressus, in fuga amittit regni insignia.

Dodechin.

Cogitur ad pacta quæ violavit.

Eo submoto, pronius Ecberto fuit, suas spes altiùs extollere. Et erant in Saxonibus, quorum sibi gratiam conciliaverat, neque ambigebat, cæteræ gentis, ubi signa in Henricum extulisset, potissimam partem ad arma mox convolaturam. Quamvis enim Henricus, invitatus à Scadensi Marchione, suæ nationis desertore, Saxoniam ingressus, pacis specie, sub adventûs sui initia, nihil admodum turbarum daturus videretur, tamen iras sic in potestate non habuit, quin incitatus vetere odio, bellum ex causâ tenui quidem, sed quod graviora olim portenderet, vellet renovatum. Arcem, suis inimicam conatibus, obsidione cinxit ad majora (si sors ferret) porrò grassaturus. Id fuit Saxonibus pro classico. Cùm Duce carerent, Ecbertum, amicis adnitentibus, producunt, copias subitario delectu contrahunt, armant popularium centurias, ducunt in Regem, quem adventu repentino sic opprimunt, ut omisso castello elapsus, diadema cæteráque regni insignia in fuga amiserit, quæ omine fortunato venerunt in Ecberti potestatem. Henricus plenus dedecoris, cum fugitivis se non longè à Merseburgo recepit in collem utcunque munitum, in quo coronâ omni ex parte cinctus est, nec priùs efferre pedem permissus, quàm sanctè (si quis locus est in homine fœdifrago sanctitati) polliceretur, se pro viribus Romani Pontificis gratiam prensaturum, remissurum Schismati

mati

mati nuntium, pacem redditurum Ecclesiæ, & Germaniam tranquillè habiturum. Verba fuerunt & doli. Ubi primùm evasit, ut fera emissa plagis, ilicò redijt ad ferociam, ostenditque Saxonibus, eos lupum auribus tenuisse, & talem, qui pilum quidem, sed genium non mutat, nisi in deterius.

Igitur ulturus injuriam, Ecberto insignem Marchiæ Orientalis clientelam abstulit, donavitque Henrico cuidam amicorum; tum instauratis copijs, Glicam, Ecberti arcem, naturâ & arte apprimè munitam, in Turingiâ, haud longè ab Erfordiâ, circumsedit mense Sextili. GLICAM OBSIDET. Ecbertus, quò illum inde abstraheret, Quentelburgum arctè obsedit, ratus, eum ad Praxedem (alijs Adelheidem) quam post Berthæ excessum duxerat, jusseràtque ejusce loci munimentis servari, mox accursurum. FUGATUR. Sed ille nihil motus uxoris periculo (tantæ scilicet erat in suos charitatis) in obsidione Glicensi duravit usque ad Natalis Christiani ferias. In ejus pervigilio, quod in diem Dominicam inciderat, sole ad occasum properante, allatum per exploratores, Ecbertum ingenti stipatum multitudine, mox adfuturum. Cum dicto; *Ecbertus adfuit, expugnavit castra, quantumvis Henricus, ut in re subitâ, coactas ad vallum semiermes legiones, ad propugnationem incitaret.* Pugnatum in adultam noctem, Ecberto antesignano, animantéque suos, quos primo incursu hostis à vallo depulerat. *Vrspergen. August. Chron. Dodechin.* In eo conflictu, Burchardus Losannæ Episcopus, hastam gestans regiam, occubuit, permulti è clero obtriti. Henricus, ad familiare fugæ subsidium dilapsus, plurimos è suis cæsos, multos captivos, saucios sine numero, ingentem prædam in castris reliquit. CASTRIS EXUITUR. Ecbertus nullum ejus insectandi, cædendique terga fugientium fecit finem, quousque noctis intempestæ caligo, & fugæ deproperatio evadentium conspectum ademit. Viro, cæteroqui fortissimo, non fuit ejusce victoriæ fructus diuturnus. *Addit. ad Lambert.* Etenim anno postero, ad Licham fluvium, in moletrinâ, ex insidijs, miserandum in modum, interemptus, exemplo fuit, quàm nullius pretij sint dona fortunæ insidiosè blandientis. ECBERTI MORS.

Sunt, qui Othonem Ratisbonensem Episcopum, contra datam nuper fidem, ad Henrici partes relapsum, in jam memoratâ pugnâ occubuisse, scribunt. HENRICUS RATISBONENSIS DIEM OBIT. Id tametsi non constat evidenter, verum tamen est, eum sub id temporis censuris pontificijs innexum, oppetijsse mortem. Defuncto Gebhardus IV. Comes Gotzenhaimius, vel, ut visum alijs, Hohenlöensis, suffectus est. L XXVII. Monet nos hujusce Gebhardi nomen, ut ne silentio prætereamus magnum Boicæ lumen, Gebhardum Salisburgensem Archiepiscopum, quem veteres Admontensium chartæ referunt, anno superiore, terram cœlo mutâsse 17. Cal. Julij, & in Admontense Monasterium, quod ipse in Stiriâ erexerat, ut vivens optârat, fuisse translatum. Gurcensis Episcopatus illi suam debet originem in Carantanis. Tres arces egregiè munitas condidit, Juvavij unam, alteram Frisiaci in Carinthiâ, tertiam Werfæ, ubi sanctissimæ vitæ similem exitum est consecutus. Ob egregia in Ecclesiam Romanam merita, à Gregorio VII. adeptus est, ut tum ipse, tum successores Salisburgenses Archiepiscopi, sedis Apostolicæ Legati essent & dicerentur. Ab Henrico IV. nullâ prorsus vi, ne novennis quidem exilij ærumnis, quas partim in Saxoniâ, partim in Sueviâ, perpetuus rei Catholicæ defensor toleravit, potuit à constanti in DEUM & Ecclesiam fide dimoveri. Dum extorris, varijs agitatur casibus, Bertoldi, quem Henricus superinduxerat, scelere factum est, ut magna pars Ungariæ, à Salisburgensi jurisdictione, quæ olim suos fines ad Dravi & Savi confluentes porrigebat, avelleretur, damno, quod nunquam postea fuit reparatum. Gebhardus vir fuit major omni commendatione, & dignus, qui suo ævo famâque posthumâ religionis intaminatæ columna diceretur.

B. WILHELMUS HIRSAUGIENSIS ABBAS GENTE BOIUS. Sed neque prætermittenda est Wilhelmi Abbatis Hirsaugiensis, natione Boij, cujus paulò antè meminimus, nobilissima recordatio; quem etsi fasti veteres anno abhinc secundo Cœlitibus assertum referunt, putavi tamen, Gebhardo, ob pietatis similitudinem, esse hoc loco sociandum. *Haymo Prior Hirsaug. Trithem. Carol. Stengel.* Fuit enim Wilhelmus perenne factionis Henricianæ flagellum, Hirsaugiensis cœnobij, cui magnâ cum sanctitatis laude præfuit, insuperabile propugnaculum atque tutela, quam vivus mortuúsque

que ei loco non alijs armis impendit, quàm quæ de cœlo ardentibus precationum votis impetrabat. Earum subsidio Wernerum Argentoratensem Episcopum, qui cœnobij expilationi armatus imminebat, velut fulmine tactum sic prostravit, ut prædo sacrilegus, inter ultimos cruciatus, impiam animam evomuerit, in ipso vestigio. Wilhelmus primum religiosarum virtutum tirocinium, puer admodum, Ratisbonæ in D. Emmerammi asceterio posuit, & præclarè excultus, emissis votis, relatus est in Album religiosorum, inter quos combibit, quicquid ipsius ævo discentibus proponebatur laudabilis eruditionis. Ejus ætate Mathematicas disciplinas nemo meliùs calluit. D. Benedicti institutum ejus operâ in Germaniâ refloruit: sanctimoniæ magistros multis monasterijs submisit, nominatim Schirensi & Brunfenningensi, è suis alumnis, quos cùm initio non haberet nisi quindecim, cum censu pertenui, non diu pòst, ultra centum quinquaginta liberaliter aluit: his addidit aliquando septuaginta exules Hasunganos, quos Schismatici, ob fidei constantiam, in exilium ejecerant. Præterea familiam auxit quadraginta fratribus, quibus rei domesticæ curam demandavit. Ad cæterorum differentiam, barbam alebant, unde & acceperunt Barbatorum nomen. Eam multitudinem cùm Hirsaugienses angustiæ non caperent, neque possent spatia, propter loci situm, laxari, novum idque amœnum domicilium, in vicino colle construxit, in quod bonam sodalium partem transferret. Principum filij pro magno habuerunt, posse, sub ejus manu severissimæ disciplinæ stipendia facere inter infima mediastinorum famulitia. Deus insignem viri sanctitatem mirandis operibus, supra naturæ vires patratis, illustravit; cibaria paucis suffectura, multorum hospitum prandio mirabiliter adauxit: vinum in cupa, pecuniam in marsupio, multiplicavit: precatione pisces egit in retia: membra soluta paralysi, semimortua, distorta, suis usibus reddidit: arcana longéque à sensu remota vulgavit. Demum locuples meritorum, quarto Julij ad cœlum evolavit.

Bertold.

L. XXIIX.

Sub hæc tempora, Othone Episcopo adhuc superstite, è Scotiâ Ratisbonam immigrârunt viri religione præstantes, quibus initio oratorium D. Petri, cognomento Consecrati, demandatum. Cùm piorum largitionibus victitarent, paulatim ad commodiorem vivendi modum, Othonis Riettenbergici aliorúmque complurium donationibus emerserunt. Redeo nunc ad seriem narrationis.

An. Christ. M.LXXXIX. *Vrsperg. Chron. August.* Augusta a Welfone Boico capta, nudata moenibus.

Henrici cladem præcesserat infelix casus urbis Augustanæ. Cives sedi Romanæ refractarij Sigefridum, spurium Antistitem, mœnibus receptum, depulso Wigoldo justo Præsule, tuebantur. Welfo Dux Bojariæ, exulis, quem impensè fovebat, sortem miseratus, 2. Id. Aprilis, quo die Christi patientis memoria agebatur, explorato, mœnia segniter custodiri; nocte sublustri, ex improviso scalis admotis, civitatem invasit, direptámque, post ferias paschales, muro nudavit, &, Wigoldo ad suam sedem reducto, Sigefridum in vinculis abduxit Ravensburgum, ubi biennium fuit in custodiâ, donec libertatem auro redemit.

L. XXIX. Mathildis Welfoni Juniori nupta. *Bertold. Domnizo. Baron.* Colit virginitatem. *Matth. 13.*

Atque hic annus est, quo Mathildis Gotofredi Gibberis Ducis vidua, Bonifacij potentissimi Italiæ Marchionis filia, annum agens ætatis quadragesimum tertium, cum Welfone juniori, suasu summi Pontificis, nuptias contraxit, silente apparatu, quo & sponsum cultu peregrino profectum in Italiam excepit. Eam affinitatem conciliavit non prolis excitandæ cupiditas, sed desiderium Ecclesiæ adversus Schismaticos defendendæ. Cùm enim illa Gregorium & Victorem Pontifices suis opibus strenuè juvisset, Urbanum quoque anno superiore creatum, se defensuram, Henrico licet frendente, est professa. Quod ut faceret validiùs, Welfonem, eò quòd hujusce parentis arma Schismaticis essent terrori, sperarétque, filium nihilo minora facturum, adscivit in maritum, servatura tamen, quam hactenus coluerat, virginitatem, & latura fructum triplicem à Christo propositum, Virginis, maritatæ, & viduæ, quod Domnizo presbyter, qui viventi à sacris fuit, & anno sæculi sequentis quinto decimo demortuæ parentavit 24. Julij, carmine non inscito laudavit.

Primus

Primus nuptiarum fructus fuit victoria de Henrico reportata. Hic metuens, ne Welfo quid novi in Italiâ moliretur, simul ut Urbano Pontifici bellum inferret, Lombardiam ingressus, obviam habuit Welfonem justo armatum exercitu, in campo Sobariæ, ubi collatis signis, Henricus superatus, capti, Parmensis & Regiensis, Episcopi. Eo dedecore furens Henricus, collectis copiarum reliquijs, auctúsque Italorum accessione, Transpadana populatus, arcibúsque plerisque in suam potestatem redactis, Mantuam, post undecim mensium obsidionem, pridie Paschatis, non vi, sed fraude proditorum invasit, Welfone inter hæc Canussij munimentis protecto. Itali scriptores, gentis suæ studio, Mathildem isti bello præficiunt, sed quia publicæ tabulæ, hoc ipso anno datæ Mantuæ, & relatæ à Sigonio, Welfonis nomen præferunt, non est credibile, fœminam, marito domi sedente, arma induisse.

Henricus a Welfone juniore vincitur, vastat Transpadana. *Domnizo.* Mantuam occupat. An. Christi M. XC.

Dum res in eo sunt, Adalbero Episcopus Wirceburgensis, è stirpe Comitum Lambacensium, gravissimis pro Romanâ Ecclesiâ curis laboribúsque perfunctus, in arce Weinspergensi ultimam ætatem finijt. In Lambacensium dynastijs numerabantur id temporis, Schardinga, nobile hodie in Boicâ secundâ oppidum, Neoburgum & Varnpachium ad Oeni profluentem, Welsa & Buttinum. Adalbero, Lambacum gentile castrum, quod Arnoldus parens in basilicam mutaverat, Monachis tradidit, inque eâ condi voluit suas exuvias. Genti Lambacensi suam quoque debet originem Varnbacense Monasterium, cœptum ab Himmeltrude fœminâ religiosissimâ, auctum postea & excultum ab Ecberto, qui Berengerum primum Abbatem, assentiente Udalrico Pataviensi Episcopo, Cœnobitis præfecit. Adalberonis monumentum Deus cælestibus prodigijs illustravit, quæ longum esset recensere.

Adalbero Wirceburgensis moritur. LXXX

Welfo senior, de filij nurúsque rebus solicitus, in Italiam profectus, pacis, inter eos & Henricum Regem, egit interpretem, sed nullo prorsus operæ pretio. Henricus enim, fortunæ utcunque arridentis inflatus aurâ, tametsi non abnuit pacis mentionem, tamen ubi sensit oblatas conditiones esse ferè eas, quas dudum respuerat, omnem conciliationem est aspernatus. Poscebatur videlicet, ut, Guiberto in ordinem redacto, Urbanum Pontificem agnosceret coleretque: deinde, ut Welfoni pristinam dignitatem ditionésque redderet, & potestatem faceret Principatum ad filios transmittendi: quorum cùm nullum impetrâsset, vehementer offensus, non cessavit Henrico, quà manu, quà consilio, hostilia facere, quæ eduxisset in majus, nisi desertus à fœderatis, bellorum pertæsis, voto minora præstare coactus fuisset. Id effecit tamen, ut Henricum, interceptis itineribus, à colloquio, quod habere cum Ungariæ Rege decreverat, prohiberet, & in Italiâ retineret invitum.

An. Christi M. XCI. Welfo senior pacis sequestrem agit frustra.

Non sine Welfonis & piorum omnium mœrore, Deus Altmannum Pataviensem Episcopum hoc anno terris subduxit 7. Id Sextil. Ejus consilijs publica salus magnam partem nitebatur. Fuit gente Saxo-Westphalus, ex illustri Putinensium, vel ut Hundio placuit, Wittinensium Principum familiâ. Puer usus est familiari Gebhardi Salisburgensis & Adalberonis Wirceburgensis contubernio, cúmque ijs accepit prima rudimenta pietatis, & spiritum, quo utrique per omnem vitam fuit arctissimè conjunctus. Sacerdotio initiatus, Agneti Augustæ primùm, deinde Henrico filio, à sanctioribus obsequijs fuit, adlectus in illustriora collegia Coloniæ Agrippinæ & Aquisgrani. Invisit sacra Christi nascentis & patientis monimenta; unde domum rediens, comperit, se in Engelberti Pataviensis Episcopi sedem, Agnetis potissimùm voto, esse postulatum. Eum Pontificatum prosperis juxtà adversisque gnaviter exercitum, septem & viginti propè annos gessit, cum summâ bonorum approbatione & improborum odijs, quod inolitam improbitatem è collapsis Cleri moribus & Schismaticorum pertinacia conaretur stirpitus evellere; quo tempore complures sacerdotes, pravis imbuti cupiditatibus, priscam severitatem aversabantur: operosius est, lapsos in deterius ad frugem excitare, quàm serere ex integro sanam disciplinam. Altmanno sua diligentia & pietas exilium,

B. Altmanni obitus. *Rader. vol. 3.* Res ab eo gestæ. LXXXI.

variásque ærumnas peperit, quæ apud probos incitamenta sunt solidarum virtutum, apud improbos scopuli & occasiones naufragiorum. Exul Romam adiens, Pontificatum abdicavit, causatus, se illum Augustâ adnitente, & non eâ, quâ conveniebat, suffragiorum libertate esse indeptum. Gregorius Pontifex, candidam viri bonitatem demiratus, in Patrum purpuratorum consessu, eum jussit mitram, jure quo optimo, retinere, & in Germaniam, cum legati Pontificij dignitate reverti. Reversus, secessit in Mauterense Austriæ oppidum, ubi ad cæteras laudes adjecit titulum patris pauperum, quando sub annum hujus sæculi LXXXIII. per Germaniam fames, & ultima miserorum inedia ejus fortunas exhausit, sed non exhausit charitatem. Ipsius opus est Monasterium, quod ad D. Nicolai honorem Passavio adjunxit. Raitenbuchensis condendi author Welfoni fuit, & utrumque voluit excoli D. Augustini disciplinâ, datis ad hoc colonis magistris sanctitatis. Proscriptâ novitiorum malorum corruptelâ, sacrorum hominum contubernia ad veterem legum institutorúmque nitelam reduxit. In his S. Hippolyti & Floriani. Talia cùm vivus insigni sanctitate fecisset, ne mortuus quidem desijt prodigiosâ efficacitate curare. Gotwicense cœnobium ejus liberalitate à fundamentis eductum, & legibus optimis ad normam Canonicorum Regularium exactè formatum, moriens pulcherrimâ virtutum amœnitate florens reliquit. Sed, quod in rebus humanis pronum est fieri, sublatâ ex oculis ejus censurâ, & inspectionis accuratione, languescens sensim collegarum ardor descivit ad peregrinos usus: unde mores illaudabiles, quos Altmannus nequaquam tolerâsset. Non deseruit tamen sanctus vir suos alumnos. Joannem quendam natione Scotum, hominem rarâ probitate, quem olim casâ templo attiguâ receperat, voce aliàs bene notâ monuit, everteret olidum stabulum, *& suo monti nitorem redderet.* Joannes, haud insuetus cœlestium arcanorum, intellexit vim & jussa oraculi, & sine morâ cœnobitis retulit, Altmannum offendi putenti vitiorum oleto, quod ex pristinæ disciplinæ neglectu, & fœda moris alieni peregrinitate, in sacrum religionis domicilium confluxisset. Id necessariò esse evertendum, nisi Deum vindicem vellent experiri. Valuit ea denunciatio, ut homines, nondum omnino mali, se respicerent: sed (ut fit in usu jam radicato) difficultas evellendi pullulantes paulóque altiùs defixas vitiorum fibras, minùs generosos eò desperationis impulit, ut cogitarent de statione deserenda, & dando locum melioribus. Obstitit Joannes inconsultæ deliberationi, persuasitque, mallent sese credere D. Benedicti instituto, & magnis animis eniti ad vitæ sanctioris absolutionem. Quare accitus è D. Blasij asceterio Hartmannus, cum novis legibus, novos mores Gotwicum importavit. Altmannus, eâ conversione placatus, solitò crebrioribus miraculis suum conditorium illustravit. Atque ea quidem fuêre tempora, à quibus si divisi regni & sacerdotij infelicitas abfuisset, haud facilè recenseri possent anni pietate fœcundiores. Nam innumera, non cælibum modò, sed etiam conjugatorum multitudo, tum in urbibus, tum in agris, in certas leges sponte sociata, sub Clericorum & Monachorum ductu sanctitatem sic coluerunt, ut Ecclesiæ nascentis primordia in lucem revocâsse viderentur. Quam vivendi rationem, Urbanus Pontifex, luculento diplomate insigniter laudavit, & contra maledicorum obloquia Apostolicâ authoritate firmavit.

D. Nicolai Monasterium condidit, et Gottwicense.

Mortuus reformat Gottwicenses.

Qui D. Benedicti regulam susceperunt.

Mira quorundam secularium religio.

An. Christ. M.XCII.

L XXXII.

Felix excessus Helisææ comitis.

In eam classem referas licet Helisæam Udescalci Comitis uxorem, illius videlicet, qui Seidenstettense Monasterium in Stiriâ fundavit. Illa ex B. Herlucæ Virginis doctrinâ & exemplis, cùm magnos fecisset in pietate progressus, talem est consecuta finem, qualem vita magnis acta virtutibus promeruerat. Cùm enim esset è terris migratura, animo præsentissimo viribúsque integris animum erexit ad rerum cœlestium contemplationem, brachiisque in crucis formam expansis, suaviter cum Deo, cui se totam devoverat, est collocuta, quousque spiritum innocentem posuit in sanctissimo ejus complexu. Cùm eâ specie non exincta, sed vivens spiránsque à domesticis crederetur, rati, eam in Numinis meditationem esse abreptam, diu non sunt ausi interpellare, donec tandem beatissimè sopitam animad-

animadverterunt. Atque hæc ipsa Helisæa est, quæ Udalricum gente Tirolensem, Altmanni successorem, est enixa, virum præcellentem, cui B. Thiemo Salisburgensis & Gebhardus Constantiensis (cujus arbitrio Urbanus Pontifex omnia sacrorum jura & Episcopotum ordinationes per Germaniam commiserat) Wormatiensis item Episcopus, augurales manus imposuerunt. Tales viros ista tulit ætas, quales Ecclesia Henrici iniquitate vexata requirebat. Tametsi enim tantisper, cis nostras alpes, aliquâ respiratione fruebatur, firmandæ tamen erant Orthodoxorum mentes, adversus Schismaticorum dolos, qui continuò plures in suam nassam trahere nitebantur, dum Henricus Welfonem & Mathildem in Lombardiâ bello fatigaret.

Paul. Bernried in vita Gregor. VII.

Is, post actam hiemem, trajecto Pado, motis in agrum Mutinensem castris, arces aliquot, quas Welfo in Mathildis ditione recuperaverat, rursus invasit. Montem-bellum per totam æstatem obsedit.

HENRICUS TURBAT PARTES TRANSPADANAS.

Medio tempore, Guibertus Papa spurius, per Heribertum Regij Episcopum aliósque Legatos, egit in Carpineto de Longobardica pacificatione, & rem eò adduxit, ut, tractatoribus inductis in fraudem, pax videretur conventura, quæ & convenisset, nisi quidam Eremi incola, Welfone spem in DEO habere jusso, id consilij disjecisset. Qua re Henricus efferatus, mox obsidium Carpineto admovit. In hujus oppugnatione unus ex ejus filijs oppressus. Parens mœstus eâ jacturâ, solvit obsidionem, quam ad vim Canussio inferendam traduxit, ubi præsidiariorum eruptione malè acceptus, multis suorum desideratis, ignominiæ plenus se recepit trans Padum, adversa Welfonis & Mathildis studia deinceps experturus, dum novam conatur formare factionem, quæ eum denique oppressit.

LXXXIII.

GUIBERTUS PSEUDOPAPA FRAUDULENTER PACEM AFFECTAT.

HENRICUS AD CARPINETUM FILIUM AMITTIT.

AD CANUSSIUM CÆDITUR.

Ei conflandæ, super veteres causas, nova orta est ex nefando Henrici scelere, quod castæ aures meritò exhorrescant. Ille Praxedem uxorem, Principem innocentissimam aversatus, ad graves ærumnas, quibus miseram atrociter exagitabat, adjecit turpissimam captivitatem, &, ne quid deesset probri, repugnantis pudicitiam nefariæ spurcissimorum hominum libidini prostituit, nec dubitavit bipedum flagitiosissimus, qui jam aliàs suam sororem, injectis in reluctantis brachia manibus, ad stuprum unius è Palatinis scelestissimè subegerat; Conradum filium ad Novercam incestandam provocare, & detestantem infame scelus, paratúmque quidvis perpeti fortiter, quàm patrare turpiter, ultimis contumelijs incessere. Eò progressus est impudentiæ, ut negaret, se filij tam degeneris esse patrem: neque enim sibi nasci potuisse sobolem, nisi gnaviter impudentem. Aliunde satis constare, matris adulterio, cum Suevo quodam Principe, esse genitum, veréque suppositium: hoc testari os, frontem, totámque corporis formam atque lineamenta, quæ genuinam adulteri speciem ad vivum referrent. Neque hoc probro, quod nemo ingenuus toleraret, contentus, castum juvenem carceri mancipavit. Quid in ista contumeliarum atrocitate Conrado animi fuerit, haud difficile est æstimare. Vocabantur in dubium natales, quasi non satis esset ignominiosum adolescenti regio, natum esse ex fœdissimâ belluâ, quæ omnem adulteri turpitudinem, & lenocinio & innumeris alijs flagitijs superarat. Quid próderat infami Rege esse natum, si ne quidem licebat esse liberum, nisi cum innocentiæ irreparabili jacturâ? Id modò calamitoso filio supererat, ut foret victima paternæ crudelitati: patri auso aliud omne dedecus, hoc esse reliquum, ut manus impias filij parricidio imbueret.

AN. CHRIST. MXCIII.

EIUS PROPUDIOSISSIMÆ IN CONIUGEM MOLITIONES.

FOEDITAS IN SOROREM.

Chron. Spirens. Lehman. pag. 430.

CONRADUM FILIUM NEFARIE AD INFAMEM INCESTUM CONATUR IMPELLERE.

Talia secum reputanti, data est evadendi opportunitas: simul Regina miro modo custodiæ erepta est: ambo confugêre ad Welfonem. Mathildis Praxedem Reginam deduxit ad Urbanum Pontificem, apud quem tantam movit sui commiserationem ex calamitatum, quas erat perpessa, lamentatione, ut Cardinalium Senatus ipséque Pontifex crediderint esse causarum affatim, cur inaudita crudelis mariti sævities atque turpitudo novo anathemate feriretur, Reginæ verò fieret potestas, ab immani monstro divertendi in contubernium Sanctimonialium: quamobrem in Russiam, quæ ipsi patria fuit, est reversa. Istam quidem Henrici infamiam

Berthold.

PRAXEDES REGINA ET CONRADUS E CARCERIBUS EVADUNT.

Dodechin.

Alb. Staden.

miam conati sunt obnubere pietatis hostes, sed quâ fronte, ipsi viderint. Certè Bertoldus Constantiensis, qui oculatus penè testis observavit, eam non lippis modò atque tonsoribus fuisse notam, sed etiam in Synodis Constantiæ & Placentiæ declamatam. Henricus ex filij & Reginæ fugâ metúque malorum, quæ inde nascitura ominabatur, tantum hausit mœrorem, ut se publico subduxerit, & fuerit ægrè prohibitus à domesticis, quò minùs violentas sibi manus adferret.

LXXXIV. *Bertbold. an. 1094. & 1095.*

NOVA GERMANORUM IN HENRICUM CONSPIRATIO.

Subinde Germaniæ Principes, quos non adflaverat Schismatis contagio, tantorum criminum indignitate permoti, novum fœdus, in Ulmensi conventu, in biennium inierunt, authore Gebhardo Constantiensi Episcopo, & Bertoldo Zāringio ejus fratre, principe conspirationis, ad quam uterque Welfo, parens ac filius accesserunt. Conradus ab Henrico profugus, restitutus ab Urbano piorum societati, à Mediolanensibus, Cremonensibus, Laudis Pompeij, aliisque nonnullis Insubriæ civitatibus, ad Longobardici imperij solium est evectus, Anselmo Archiepiscopo Mediolanensi ritibus auguralibus operante, non sine Romani Pontificis approbatione. Regnum gessit tantâ moderatione per novennium, ut eum populi ferrent in oculis. Amicorum consilio, tametsi à re uxoriâ abhorreret, Rogerij Siciliæ Reguli filiam, vixdum nubilem, duxit. Quâ fuit modestiâ & in patrem reverentiâ atque charitate, immemor injuriarum, quibus erat affectus, eum solebat Domini titulo honorare, & ægrè ferebat, si quem audiret ejus famæ obtrectantem.

Dodechin. Annal. August. Sigon.

CONRADUS REX ITALIÆ.

AUGUSTÆ PUGNA TUMULTUARIA.

Hoc anno pugnatum Augustæ in areâ D. Virginis basilicæ attiguâ. Bojos fugatos referunt Augustani Annales. Credibilius est, fuisse tumultuatum à civibus, quorum pars sanior, veri Pontificis, pars Henrici causam tuebatur. Non negârim tamen, Bojarios aliquos, à Catholicis accitos, manus commodâsse melioribus; sed cùm neque ductoris nomen, neque vel umbra publicæ authoritatis à Scriptore, Catholicis iniquo, prodatur, vero propius est, eum conflictum justam belli speciem non habuisse.

IRÆ DIVINÆ OSTENTA.

Saxoniam pestilens mortalitas & fames afflixit vehementer. Eam ante biennium præcesserunt terrores ex prodigiorum ostentis: sanguinem & carnem alicubi stillavit cœlum, alibi bufonibus & piscibus pluit, panes sanguineis aspersi guttis apparuerunt. Locustarum nubes grassatæ totis regionibus, tam densis agminibus, ut solem oculis eriperent, arroderent, per aliquot passuum millia, omnem agrorum spem, ubicunque ad pastum se demittebant: ventorum horridæ tempestates, & aquarum eluviones irato cœlo effusæ. Nimirum hoc divinitus agebatur, ut absterrerentur mortales à voluptatum fœditate, missa facerent odia mutua, arrogantes fastus, ludorum jocorúmque lasciviam, & perniciosas peccatorum officinas. Complures tot plagis castigati, certatim ambierunt idoneorum sacerdotum tribunalia, ad peccatorum expiationem: non pauci è Schismaticorum pedicis, Guiberto damnato, ad Ecclesiæ Romanæ libertatem, mortis metu, cum verâ vitæ retroactæ pœnitudine evaserunt. Formidinem, immensum quantum, exaggerabat aëris venenata lues, quâ homines innumeri sunt extincti. Fuit verò sapientum virorum sententia, DEUM scelera plectendo, longè plùs, quàm parcendo, id temporis profuisse.

LXXXV.

ANIMORUM IN MELIUS CONVERSIONES.

GISELÆ UNGARICÆ ET JUDITHÆ BOICÆ OBITUS. AN. CHRIST. MXCIV.

Fato mitiore è vivis abijt Gisela Stephani Ungariæ Regis conjunx, S. Henrici Imperatoris soror, Passavij in Nidernburgensi parthenone, centenariâ haud paulò major, quod ex temporum calculo non obscurè colligitur. Post se reliquit secundissimam vitæ innocenter actæ famam. Juditha quoque Welfonis Senioris uxor, 4. Non. Martias addita est Principum funeribus. Justa ipsi magnifico apparatu persoluta in Weingartensi Monasterio, Gebhardo Constantiensi Pontifice faciente ad aram. Welfo maritus omnem illius supellectilem auream, argenteam, unà cum mundo muliebri, aris exornandis donavit, & præterea cœnobij proventus centum prædiorum latifundijs fecit locupletiores.

GISELÆ S. HENRICI SORORIS OBITUS.

JUDITHÆ WELFONIS SENIORIS CONJUGIS MORS.

Inter hæc, Henrici Cæsaris obsolescebat authoritas, & quod amat fieri, in homine turpissimo evilescebant insignia, quæ perinde habent in corruptis moribus,

bus, atque ornamenta in luto. Majoribus indies premebatur Germanorum odijs: res illi in Italiâ adversæ, unde & augescebat raritas amicorum, qui fortunam potiùs, quàm amicitiam consectantur. In Germaniâ metus ex hostibus fœderatis, & decrescens clientum numerus, spes tamen aliqua erigendi labans imperium auxilio partiariorum. Quæ causa fuit Germaniæ revisendæ, quantumvis infensæ, vel minùs, quàm antè, ipsius studiosæ. Enimvero præsentium temporum quietem cum turbis præteritis componentibus, ex ejus præsentiâ nihil occurrebat, nisi triste & calamitosum, cùm tamen per ejus absentiam minus malorum essent perpessi. Nam refloruerant pacis bona, moderatione fœderatorum, qui jus sanctè dicebant populis, leges exercebant in facinorosos, onera publica æquabili levamento, severitatem lenitate, temperabant. Et verò beneficijs custoditur imperium, perditur maleficijs: otij dulcedine pelliciuntur subjectorum animi, qui novis aucti bonis, tuta & præsentia, quàm vetera & periculosa malunt. Quas ad res multum attulerunt emolumenti Gebhardus Constantiensis Præsul, ejusdem germanus Bertoldus, princeps fœderis, & Welfo Senior Dux Bojariæ, conspirantibus Suevis, Alsatis, Saxonibus, & Franciâ Orientali. Jam in morem erat inductum, ut nemo impune peccaret, haud facilè quisquam detrectaret imperia, pauci deessent obsequio, latrocinia cessarent & prædonum injuriæ, tutò commercia miscerentur, reviviscerent studia pietatis & concordiæ, nulli sacrorum hominum liceret esse mulieroso, aut sacerdotia nundinari. Quòd si quispiam secus egisse deprehendebatur, lege per Gebhardum Apostolicæ sedis Legatum latâ, populus ab eorum sacrificijs pijsque ministerijs arcebatur.

Eam bonæ frugis amœnitatem (ita habent res humanæ) parùm abfuit, quin vehementer affligeret factum Welfonis utriusque; ita nihil tam sanctum, quod subinde non pateat erroribus, nihil adeò firmum cautúmve, quod non concutiatur casibus & lapsu improvidæ cupiditatis. Welfo cum Mathilde fecerat divortium: causam litteræ, quas viderim, non produnt. Vero propius est, quòd, cùm citra thori usum hactenus conjugium stetisset, & Mathildis quærendæ sobolis studium aversaretur, Welfo id genus consortij pertæsus, eam sibi res suas habere jusserit. Welfo pater isto dissidio vehementer offensus, eò maximè, quòd filium videret depulsum spe ingentis opulentiæ, quam ex nobilissimâ juxtáque potentissimâ affinitate quæsiturus credebatur, ilicò in Italiam advolat, & magno molimine dissidentes componere contendit, aut impetrare saltem, ne Mathildis clientelæ, si quid ipsi humanitus contingeret, à marito divellerentur. Cùm neutrum successisset, viam longè periculosissimam aggressus, pertinaces resarciendæ conjunctionis curas, ad captanda Henrici Cæsaris auxilia convertit, fúsque déque habens animi famæque labem, quam ex ejusmodi defectionis turpitudine esset contracturus. Neque enim prudenter sperari poterat, Henricum, qui nulli bono unquam bene fecerat, quicquam allaturum opis, nisi uterque Welfo, ad regias partes, Urbano deserto, descisceret, quo probrosius nihil evenire poterat Principibus, præ quàm ulli alij, in colenda & tuenda Romanæ sedis authoritate ad eam diem constantibus. Attamen (tam parùm videt turbata mens) uterque non dubitavit, Henrici gratiam prensare, de eâ publicè inferre mentionem, atque in eam rem multa agendo & moliendo conari: verùm, quæ fuit Numinis benignitas, homini ad lapsum prono misericordem manum supponentis, res tantisper stetit inter conatum & imprudentem meditationem. Lux, discussâ malorum affectuum caligine, suborta, iratis ostendit, neminem, nisi cœcum & profligatæ pietatis ita sui debere oblivisci, ut religioni anteponat spes incertissimas, opémque hominis perditi nihil nisi ad exitium profuturam, in quem cum perfidiâ, omnium vitiorum colluvies inundârat.

LXXXVI. — Welfo iunior a Mathilde divertit. — Uterque Welfo captat Henrici amicitiam.

Urbanus Pontifex, deinceps ad rei Christianæ curas liberior, totus ad castiganda mali moris exempla, quæ per temporis iniquitatem irrepserant, incubuit. Simul adjecit animum ad terram, quæ Deum nascentem morientémque excepit, Saracenorum tyrannide liberandam. Id cepit consilij, hâc occasione. Petrus qui-

LXXXVII.

quidam natione Gallus, vitæ instituto eremi incola, à sanctissimo Christi sepulchro reversus cum litteris Simonis Patriarchæ Jerosolymitani, intolerabiles injurias Christianorum, quibus à Saracenis afficiebantur in Palæstinam commeantes, recensuit, rogavítque rebus afflictissimis auxilium. Urbanus & litterarum fide, & Petri lamentis excitatus, statuit, collectis undique viribus, Saracenorum immanitatem coërcere. Minus poterat à Germanis & Italis suppetiarum expectari, quòd domesticis implexi dissensionibus, impares essent bello externo. E Franciâ, unde Urbanus erat oriundus, spes potissima. Ut bellicosissimam nationem ad sacram expeditionem incitaret, comitia Claromontem indixit. Medio tempore Petrus, belli suasor, Godefridum Bullionium, Principem omni commendatione majorem, in terram sanctam prægressus, secum traxit ad quindecim armatorum millia è Boijs & Alemannis, qui egregiæ fortitudinis exempla locis aliquot, præsertim in Bulgariæ finibus ediderunt. In Maroæ fluminis trajectu, cùm multi identidem telis hostium figerentur, septenis in eos ratibus transvecti, totidem naves depresserunt, cæsisque latrunculis suum sunt iter intrepidè prosecuti. Fuit præterea ex infimâ plebe informe agmen sub Emichonis Dynastæ Liningensis auspicijs, insolens disciplinæ militaris, & projectum ad omne facinus, insuetúmque parere ductorum imperijs. Hi propter improbitatem ab Ungaris loco hostium habiti, & alibi passim inauspicato marte perierunt, nullâ re magis memorabiles, quàm illaudatâ Judæorum cæde, si quos erant nacti Christiana Sacra aversantes; rati sibi jus fásque esse, tales occidione delere, servare alios, qui se sacro fonte ablui patiebantur: tanta erat imperitæ multitudinis ignorantia.

Urbanus Pontif. crucem jubet prædicari.

Albert. Aquens. lib. 1. Vrsbergen.

Godefridi Bullionii in terram sanctam expeditio.

Aliud agmen hominum scelestorum Judæos persequentium.

Urbanus, Româ Gallicam profectionem aggressus, ex itinere, à Mathilde Canussij magnificè acceptus, movit Placentiam, acturus, ad verni jejunij medium, generalem conventum Episcoporum Italiæ, Germaniæ, & Galliarum, cui interfuisse comperio è nostratibus Thiemonem Salisburgensem, Udalricum Bataviensem, & Gebhardum Constantiensem, quorum virtuti datum est, ut Arnolfum Mediolanensem Archiepiscopum consecrarent. Bertoldus, qui præsens spectavit, affirmat, eò confluxisse quatuor ferè millia Clericorum, laicos supra triginta millia: quam multitudinem, cùm nulla basilica, vel area in urbe caperet, migrandum fuisse in campum apertum, ubi sub dio, Patres de summâ Reipublicæ senatum habuerunt. Præcipuum deliberationis caput attulêre Alexij Imperatoris Constantinopolitani oratores, poscentes auxilium contra vim paganorum, qui ad ipsas urbis portas excurrebant. Renovata sunt piorum Pontificum decreta, adversus sacerdotiorum nundinationes, & sacrilegam Clericorum incontinentiam: diræ in Guibertum ejúsque asseclas, tædis accensis, repetitæ. Urbano dehinc Cremonam accedenti, Conradus Italiæ Rex, honoris causâ occurrens, Pontificis equitantis lateri pedester succedens, stipatoris honorarij munere functus est, ritu olim recepto, & fide juratâ pollicitus Ecclesiæ Romanæ tutelam & perpetuam Apostolicæ sedis observantiam: vicissim est consecutus, ut Urbanus, tantam in magno Rege modestiam demiratus, palàm, audiente multitudine, illi addixerit Romanos fasces & imperij supremos honores.

An. Christ. M. XCV.

Conventus Placentinus.

LXXXIIX.

Donnizo.

Acta concilii.

Inde Claromontem progressus, ad 14. Calend. Decembris Concilio dedit initium. Interfuêre quatuordecim Archiepiscopi, cum singularum Provinciarum præsulibus. Decreta Placentina magno consensu probata. Philippus Galliæ Rex, ejúsque pellex Bertrada, quam justæ uxori superinduxerat, moti è piorum cœtu. Potissima causa cogendi Concilij fuit expeditio in terram sanctam, quæ à Gregorio VII. tentata sæpius, per Schismaticorum turbas fuerat intercepta. Quo de argumento Urbanus frequentissimo Senatu, bis, ter, peroravit eo mentis ardore, ut in auditoribus miros excitârit motus & desideria, sanguinem, pro vindicando Numinis honore, profundendi. Tanta fuit eorum, qui sacræ militiæ nomina dedêre, multitudo, ut permulti fuerint expungendi, quorum ætas visa minùs habilis castrorum labori, cæterísque belli molestijs. Trecenta millia sub signis fuisse veteres chartæ meminerunt. Germania distracta in factiones,

Sigebert. Bertold. Malmesburien. lib. 4. c. 2.

Concilium Claromontanum.

Ingens cruce signatorum multitudo.

nes, & odia civilia, cæterarum nationum studio non respondit. Boica tamen duos dedit Principes Othonem, & Eccardum, quem Peronatum, à peronibus (calceamenti genus est) dixerunt, & Schirensium gentilitijs insignibus Peronem addiderunt, ob recuperatum ejus operâ gloriosum Domini sepulchrum. Ille res magnas in Oriente gessit. Patriam repetens, in Cypro obijt: adeò credibile non est, quod Brunnerus asserit, Germaniam sacræ militiæ nullum dedisse ducem. Dicere forsan voluit, Duces & gregarios præ quàm alias nationes dedisse pauciores. Militare stipendium fuit, noxarum indulgentia, possessionum immunitas, quamdiu sacræ militiæ causâ domo abessent: tessera, crux rubea dextræ scapulæ attexta. Ad conciliandos Cœlitum favores, inductus in morem communem, usus recitandi Officium (ut vocant) Deiparæ Virginis, tametsi ejus recitatio jam erat apud quosdam recepta, & nominatim quidem apud Monachos Cartusienses, & alumnos Petri Damiani.

DUO SCHIRENSES PRINCIPES, INTERFUERE SACRO BELLO.
Andr. Presbyter. Gevvold. generat. 12. pag. 40. Koln. p. 11.
RECITATIO OFFICII B. VIRGINIS.
Petr. Damian. Ep. ad fratres Erem. Vita S. Brunon. c. 21. 22. April. apud. Sur. 6. Octob.

Hæc dum pro amplificandâ Servatoris nostri gloriâ gererentur, Guibertus Româ potitus, supremam religionis sedem, nefarijs molitionibus, temerare nitebatur. Quamobrem Urbanus, redux è Franciâ, cùm urbis mœnibus per vim excluderetur, usus sacræ militiæ auxilijs, Guiberto in Adriani molem rejecto, Lateranum occupavit. Quod anni fuit reliquum, in conficiendo adversus Saracenos apparatu consumptum est, tantâ hominum frequentiâ, ut agri, villæ, oppida, populosæ civitates, viderentur in solitudinem redigendæ. Eodem tempore Hermannus Comes Witelspacensis, coëmptum ab Udalrico fratre Augustanum Episcopatum invasit, & à Ruthardo, Archiepiscopo Moguntino in fraudem inducto, consecratus, sic gessit, ut cleri tyrannus, pauperum oppressor, prædo sacrarum opum, divini cultus proditor, aliorúmq; scelerum reus palàm audiret, cum tantâ infamiâ, ut tres eum Romani Pontifices, Paschalis, Gelasius & Callistus exauctoratum loco moverint, sublatâ omni spe infulam recuperandi. Sacerdotia perperam occupata sunt instar auri Tolosani: quia sacrilegio possidentur, administrantur impiè, & cum dedecore perduntur.

AN. CHRIST. M.XCVI. LXXXIX.
URBANUS PONTIF. ROMAM REDIT.
UDALRICUS WITTELSPACHIUS SIMONIACUS.

Eâdem tempestate, Hermanno, domûs illustrissimum nomen probrosè contaminanti, DEUS objecit viri ignobilis non ignobilem sanctitatem. Fuit is Engelmarus gente Bojus, sanguine, agricolationis usu & educatione, perobscurus. Ipse studio rerum cœlestium se Gregorio Armenio Pontifici, in Boicâ exulanti, viro celebri sanctimoniâ, aratro omnibúsque facultatibus amore Christi relictis, tradidit excolendum. Multum reliquit, qui nihil retinuit, séque ipsum totum alieno arbitrio permisit. Gregorio rebus humanis anno M. XCIII. 9. Cal. Octob. exempto, Engelmarus cum uno socio, vitam ab hominum convictu remotam aggressus est, haud longè à Passavio, ubi, quæsitis manuum labore vitæ subsidijs, tenuissimè victitans, jejunijs, vigilijs, & orationibus addictus, erumpente in vulgus virtutum famâ, invitus licèt, magnum apud confines nomen & gratiam adeptus est. Quæ res accendit socij invidiam, indignantis, se viliore loco haberi, neque posse ex suâ obscuritate emergere, quousque Engelmarus suis luminibus obstrueret. Ergo dies noctésque versare animo, quâ arte virum sanctum obscuraret, pallere odio, omnes tentare modos superandi sodalis laudes, vel saltem æquandi; denique cùm omnis conatus abiret in ventos, apud se statuere, fieri ex fratre, parricida. Quare 7. Id. Januarij, Cain redivivus, justum Abelem, nihil tale metuentem, remotis arbitris, trucidat, & extincti corpus ruderibus & nive obruit, ratus, tam triste scelus, posse sub tali tumulo mortalium oculos latere. Et latuit quidem, donec solutis nivibus repertum est casu, an DEI ductu, à sacerdote, qui cadaver, pro facultate, honestiore loco composuit. Cùm tumulus mirâ cœlestium odorum fragrantiâ, & accensis prodigiosè luminibus illustraretur, Engelmarus venit in vicinorum notitiam & neutiquam vulgarem venerationem. Demum, populorum consensione, demortuo habiti honores, quales solent martyribus, templum extructum, in quod illatæ exuviæ, mósque inductus, ut, quâ hebdomadâ sancti Spiritus Apostolis illapsi memoria recolitur, prioris sepulchri locus magnâ populo

Vdascalc apud Canis. to. 2. pag. 216. n. 17. Hund. Brusch.
ENGELMARI BOII AGRICOLÆ VITA.
Relatio de orig. Monasterij Windberg. to. 6. Canis. pag. 401.
MORS IMMANITER ILLATA.

An. Christ. M. XCVII. pulorum frequentiâ celebraretur. Impius innocentis viri percussor profugus atque vagus, vitam miserrimam, suimet tortor, conscientiâ accusante & cœlo vindice, exegit.

XC. Normanni Italici Urbano fidi et obsequentes. Guibertus Roma pulsus. *Vrspergen.* Henricus redux in Germaniam, Judæos fovet. Synodus Moguntina. *Dodechin. Trithem. M. S. Mogunt. Otho Frising lib. 7. c. 9.* Ruthardi Archiep. exilium.

Anno sequente, Urbanus Pontifex Nortmannos, rerum in Calabriâ, Apuliâ, & Siciliâ potientes, Romanique Pontificatus obsequio devinctos, in fide clientelari firmavit, inque benevolentiâ, quam, lustratis eorum ditionibus, coràm insigniter expertus est. Illi enim, præter amplissimos honores atque reverentiam, quibus piorum omnium patrem impensè coluerunt, ingentem pecuniæ vim, quam in commune contulerant, discedenti donaverunt subsidium, contra Ecclesiæ hostes admodum opportunum. Confecta exinde stipendia, lecti milites, retenti in fide Pontificis amici, Guibertus, anno postero, è mole Adriani ejectus, totâque proscriptus urbe, Albam Marsorum coactus se recipere, ubi ægrè sustinuit obsidionem. Invalescente ad eum modum Pontificis authoritate, Henricus impar hostibus, tandem aliquando ex Italiâ discessit. In Germaniam adulto vere reduci, prima cura fuit de instaurandâ Judæorum, quos durissimè Emicho passim exagitaverat, securitate, & pristini moris rituúmque licentiâ, quam primò omnium Ratisbonam reduxit recutitis, quàm Christianæ pietati faventior. Anno ad exitum præcipiti, conventum egit Moguntiæ, in quo Ruthardum Archiepiscopum, sedi Romanæ ex asse devinctum, egit in octennis exilij miserias, quas Præsul integerrimus Hartesbergæ apud Turingos est perpessus. Proscriptioni obtenta calumnia, quasi ipse Judæorum cædibus aliquid causæ dedisset: sed re verâ Henricus suæ consulebat avaritiæ. Etenim, quo tempore Ruthardus fuit extorris, ille omnem Archiepiscopatus proventum fisco suæque profusioni addixit.

An idem Welfoni nostro, Boicæ principatum hoc anno gratuitò restituerit, silent quidem chartæ, sed proclive est credere, hominem prodigiosè sordidum, & haud immemorem hostilitatis diuturnæ, ne tunc quidem fuisse liberalem. Certè Welfoni reconciliata gratia, fuit valde invisa fœderatis, filijs adeò acerba, ut, cùm pater in Italiâ gravi bello detineretur, ausi sint, senis deliram animi mobilitatem damnare, res novas moliri, & palàm se Henrici hostes profiteri. Ex cujus amicitiâ ne quid sibi infamiæ consciscerent, Antonem, alijs Hugonem, Brixinensem Episcopum, ab Henrico datum Altuini successorem, conjectum in vincula, loco deturbârunt. Bellum, quod Welfo parens in Italiâ gerebat, natum ex controversiâ paternæ hæreditatis. Ejus parens Azo Atestinus, haud paulò centenario major, fato concesserat. Hinc ortæ de herciscundâ familiâ contentiones inter filios, quos è duabus uxoribus tulerat. Welfo jure matris, cui Azo principatum ex asse donârat, nitebatur: fratres ex novercâ accusabant inofficiosam donationem & nimis enormem sui neglectum. Lis non poterat per arbitros, nedum partium voluntate finiri: suum utrisque charissimum: ergo veniendum fuit ad arma. Welfo, rebus domi utcunque compositis, Boicâque filijs commendatâ, cum exercitu ad Insubres profectus, cùm impar adversarijs, aditu prohiberetur, ope Henrici Carantanorum Ducis, ejúsque germani Patriarchæ Aquilejensis, magnam hæreditariæ Provinciæ partem invasit. Commodùm reversus, anno sequenti, domum, filios inter primos rebellionis conatus, ad mitiora revocavit, & reduxit in Henrici gratiam eo proventu, ut majori natu, Boicæ clientela, post parentis obitum, permitteretur.

XCI. Henricus Welfoni reconciliatus, filiis invitis. *Chron. August.* Welfo de patrimonio in Italia litigat.

An. Christ. M. XCIIX.

Expeditio sacra. Antiochia capta et defensa. *Guilielm. Tyrius de bello sacro.*

Hæc de Boicâ. Sacræ militiæ auctorati, qui pars ex Italiâ mari advecti, pars terrestri itinere per Ungariam processerant, Nicæâ, Bythiniæ urbe, & Antiochiâ in Syriâ, Salamansæ Turcorum Principi ereptis, gravissimè laborârunt, ut Antiochiam, cui recuperandæ hostis totis castris incubuerat, in potestate retinerent. Nam obsessis, non modò certandum fuit cum oppugnantibus, sed vel maximè cum fame durissima & morbis, qui ex inediâ, velut nativa progenies, solent proficisci; eò quòd omnis annonæ facultas vel absumpta, vel esset ex omni parte interclusa. Tantis malis & assiduâ vigiliâ ad extremum fractis, animos reddidit reperta lancea, quæ sanctissimum Christi latus confodit. Hujus præsidio, & Domini inferorum trium-

triumphatoris fiduciâ animati, factâ in hostem eruptione, memorabilem victoriam reportarunt. Aliàs cùm Turci, admotis scalis, in muri coronam evasissent, plurimis obtruncatis, eos represserunt ex eâ statione, in qua curabat Henricus Ascha: ita DEUS urbem obsidione, propugnatores metu atque inopiâ, laxatâ aliquantisper commeandi facultate, liberavit. Certè secundum DEUM, Aschæ potissima laus Antiochiæ servatæ, est adscripta. Expugnatis dehinc Marrâ & Barrâ Turcorum oppidis, multísque circùm castellis, tanta rursus cibariorum inopiâ laboratum, ut, cùm obscœna & aliàs abominata in escam verterentur, famelici, ne à putentibus quidem Saracenorum cadaveribus sibi temperârint. SACRA DOMINI LANCEA REPERTA.

In Bojariâ Meginwardus Frisingæ Episcopus, moriens, Henrico Eberstainio, vel, ut alij nominant, Eberstorfio infulam reliquit. Illum ferunt nonnulli Pragæ, in Sacrorum ministerijs occupatum, finijsse vitam, & eodem loci tumulum accepisse; quod esset quidem verisimile, nisi foret probabilius, Bojæmos ab Urbano Pontifice alienos, addictósque Guiberto, Antistitis Ecclesiæ Romanæ insigniter studiosi, cæremonias haudquaquam admisisse. Hoc ipso anno Castellanense in Nariscis insigne monasterium condidit Berengarius, Dynasta Sulzbacensis, ejúsq; soror Luitgardis, & amborum patruus Fridericus. MEGINWARDI FRISINGENSIS OBITUS *Cosm. Pragen.* XCII. MONASTERIUM CASTELLANENSE CONDITUM.

Henricus Imperator, inter hæc, coquebat iras in filium Conradum Italiæ Regem, quas demum ferijs Regalibus effudit Aquisgrani, ubi natu minorem filium, Conrado abdicato, Germaniæ Regem renuntiavit, in vindictam, quòd Conradus, ipsius injussu, Longobardicam coronam sibi passus esset imponi: cùm alioqui nihil esset in optimo Principe, quod parens facto plerisque bonis odioso posset obtendere. Erat enim in Conrado tantus splendor regiarum virtutum, & genij excellentis absolutio, ut communis virorum sapientum sensus esset, haud facilè quemquam alium imperio esse digniorem. Eum, præter insignem modestiam, commendabat præcipua in DEUM pietas, singularis in Orthodoxam religionem affectus, & erga Romanum Pontificem reverentia. Eminebat excelsâ animi magnitudine, moribus compositis, misericordiâ in afflictos, comitate in agendo & loquendo admirabili, peritiâ bonarum litterarum, quarum usum atque consuetudinem, loco oblectamentorum solebat usurpare. Ad ista animi decora, accedebat augusta corporis forma, pulchra corporis proceritas, quæ eum impensè vulgo reddebat amabilem. Si quos ex parentis aulâ accipiebat hospites, habebat honorificè, suúmque nomen inter servos paternos profitebatur. Sed nihil ista valuêre apud hominem, qui nihil boni unquam amavit, cuique ipsum virtutis nomen erat exosum. Igitur filium sibi cognominem ornavit regijs insignibus, ignarus, se eum creare Regem, à quo ipse, non multò pôst, regno, fortunis, omníque dignitate erat exuendus. AN. CHRIST. M.XCIX. HENRICUS FILIUM HENRICUM NATU MINOREM COLLEGAM LEGIT, ODIO CONRADI MAIORIS. CONRADI VIRTUTES.

Aquisgrano Ratisbonam se retulit sub paschales ferias, ubi habuit Principum comitia. Brecislaus Dux eò venire jussus cum Hermanno, quem ex principalis sacrarij procuratione ad Pragensem Episcopatum evexerat. Accessus fuit eò mollior, quòd Brecislaus auro viam straverat effusâ in Cæsarem & Palatinos largitione. Venienti, venales animæ, ad tria ferè milliaria, processerunt obviam. Res erat Brecislao de Borivojo fratre, quem, neglectâ ætatis prærogativâ, Udalrico itidem fratri præferebat, ad principatus possessionem cooptando, déque Hermanno in jam adito Pontificatu firmando: utrumque haud gravatè Henricus, non tam personarum meritis & æquitati, quàm acceptæ pecuniæ concessit: aurum patronus est apud avaros, omni oratore impetrabilior. XCIII. BRECISLAUS DUX AB HENRICO AMICE EXCEPTUS.

Sed suum quoque tributum mors exegit ab hominibus donativo corruptis. Cùm enim exorta repentè Reginoburgi pestilitas, magnam vulgi stragem ederet, duos patrueles, præfectos prætorio è Palatinis Dynastis extinxit, Rapotonem, & Udalricum cognomento Divitem, quibus aurum Bojæmicum, æternitatis iter inituris, parùm conduxit. Ivissent longè meliùs viaticati, si se opum abstinentiâ potiùs, quàm avaritiæ sordibus præmunijssent. Rapotoni tam procùl diffusæ erant possessiones, ut è Boica Romam proficiscenti, dispositæ, & suis quæque præsidijs instructæ clientelæ, tutum commodúmque contubernium exhiberent. Inopem RAPOTONIS ET UDALRICI PALATINORUN EXITUS.

HENRICUS CRASSUS A SAXONIBUS OCCIDITUR. *Avent. lib. 5. Tabulæ Tegernſ. Hund.* MONASTERII DIETRAMI CELLÆ INITIA. XCIV.

cœlóque exoſum fecit ſtudium Guibertinæ factionis, in quâ, uſque ad invidiam & grande piorum omnium odium inter anteſignanos meruit Eccleſiæ perduellis.

Eâdem tempeſtate, Henricus Craſſus, Othonis olim Bojariæ Ducis filius, Saxonum inſidijs, (tam brevis & fluxa apud ingratos, paternorum meritorum recordatio) contrucidatus. Hoc item anno, prima Cœnobij Canonicorum Regularium Dietrami-Cellæ incunabula inchoata his initijs. Otho & Berengarius melioris vitæ ſtudio, unà cum Dietramo, ejuſdem propoſiti æquè pio ſacerdote, in Elingfurtenſe, vel, ut vocant alij, Clingenfurtenſe nemus ſe abdiderunt. Locato in eâ ſolitudine biennio, cùm locus ob aquæ penuriam viſus eſſet incommodior, ſedibus ad rivum, eandem ſylvam adlambentem, translatis, D. Martino oratorium dedicârunt. Ortâ ſubinde inter Othonem Dieſſenſem Dynaſtam, Tegerenſem Præſulem Udaſcalcum, Reimpertum Reutenſem, geminóſque fratres lite, de ſylvæ finibus, cùm, per arbitros, litigantibus non fieret ſatis, nutu, ut creditum eſt, divino, omnes in eam ſententiam conſpirârunt, tota ut ſylva, & ex fundis vicinis, quantum ſingulis viſum eſt, condendo Monaſterio contribueretur. Poterant omnes ſimul haberi ejuſce domicilij fundatores: ſed, quo pacto, incertum, Abbas Tegerenſis id juris & nominis eſt conſecutus, ut, tametſi novelli Cœnobij Sodales, cooptandi Præpoſiti poteſtatem haberent, id tamen ne facerent, citra aſſenſum Præſulis Tegerenſis, à quo etiam jus adeundæ poſſeſſionis acciperent, ita tamen ut Cella Dietrami, velut filia, Tegerenſem Eccleſiam, ut matrem agnoſceret, cætera Friſingenſis Epiſcopi jurisdictioni eſſent ſubjecta. Anno demum ſequentis ſæculi ſeptimo, Paſchalis II. Pontifex Maximus Apoſtolico diplomate piam cœnobij inſtitutionem ſancivit.

Acceſſit ad hujus anni fata, Urbani Pontificis obitus 4. Cal. Auguſti cum incredibili bonorum omnium mœrore. Annos undecim, menſes quatuor, dies decem & octo cum ſummâ laude geſſit Pontificatum: redegit ſummæ ſedis munitionem in ſuam poteſtatem: pacem jam diu exulantem Italiæ reddidit. Ejus potiſſimùm curis atque ſapientiæ, ſecundum DEUM, tribuenda ſacra expeditio, quâ, Duce Godefrido Bullionio, Hieroſolymorum civitas ab exercitu Chriſtiano, die decimâ quartâ Julij, hoc anno eſt recuperata. In ejus locum ſubrogatus eſt, die ab ipſius obitu quartâ decimâ, Paſchalis II. gente Tuſcus.

AN. CHRIST. M. C. GODEFRIDI BULLIONII MORS. GUIBERTI PSEUDOPAPÆ MORS.

Urbanum ad alteram vitam, poſt aliquot Syriæ urbes armis ſuperatas, ſecutus eſt Godefridus Bullionius, anno ſæculari, 15. Cal. Auguſti, vir pietate in DEUM & militari virtute ſingulari. Illi ſuffectus eſt Balduinus frater, votis omnium Principum ſacræ militiæ. Ad hunc quoque annum referunt Germani Scriptores, quos Sigonius eſt ſecutus, Guiberti Romanæ ſedis incubatoris repentinum deceſſum: Itali ad annum ſequentem retulerunt. Oſſa demortui, quæ Ravennæ erant tumulata, rapta è ſepulchro, in profluentem, edicto Paſchalis, ſunt projecta. Urſpergenſis eum, ſerò licèt, ſuſcepti Pontificatus pœnituiſſe, ídque ſe ex ipſius ore audiviſſe, notavit. Quòd ejus obitu, ſacerdotij diſſidium non fuerit ſublatum, fecit Schiſmaticorum pertinax rebellio, qui Albertum civem Ateſtanum, deinde Theodoricum Romanum, operâ Cavenſium agri Præneſtini colonorum, & Maginulfum Monachum civem Romanum, ſibi delegerunt, quos vix orbi notos mors abſtulit. Primus quatuor duntaxat menſes, alter non niſi tres, tertius aliquot, quorum ne quidem certus eſt numerus, ſuo ſceleri ſuperfuerunt. Qui ſub Henrico V. aliíſque Imperatoribus ſecuti ſunt, neque longum ævum, neque exitum felicem ſunt ſortiti, lolium infelix ad ignem, ſpuria vitulamina ad ignominiam ſpectabant.

XCV. RHOAS ARMENIÆ URBS CONSTANTER CHRISTIANA. *Vrsberg. Dodechin.* BALDUINUM ADOPTAT.

Jam ut veniam ad ea, quæ Boicæ propiora ſunt; poſteaquam ex Godefridi Bullionij triumphis, Balduini ſucceſſoris nomen, in Armeniâ cœperat inclâreſcere, Rhoas, urbs ejuſce nationis, quæ nunquam à ſacris Chriſtianis defecerat, ſed immotâ in Chriſtum pietate, contra omnes Barbarorum conatus, adhuc avitam fidem tuebatur, Balduinum cooptavit in filium & hæredem. Balduinus, Rhoen-

Rhoënsium votis ne deesset, eos alteri Balduino consanguineo regendos commisit, quod in administrando Jerosolymorum regno, belloque adversus Saracenos defendendo abunde occupatus, minùs esset ad remotiores curas expeditus, neque enim erat obscurum, tametsi Christiani Duces imperium trans Euphratem extenderant, Barbaros tamen arma non posituros.

Interea Welfo Senior, Bojariæ Dux, illustribus orientalis militiæ trophæis excitatus, junctis cum Wilhelmo Pictonum Duce viribus, Christianis in Asiâ laborantibus statuit auxilia sociare. Venit quoque in partem ejusce consilij, Thiemo Archiepiscopus Salisburgensis martyrij palmam quæsiturus, cui nonnulli adjungunt Udalricum Passaviensem. Itham quoque, Principem Austriacam, Leopoldi Austrij matrem, quod mirum in muliere, Palæstini belli cupido incessit, & tanta quidem, ut, patriâ relictâ, se junxerit castris Christianis. Aliorum procerum nomina parciùs relata in chartas, & eorum duntaxat, qui suâ clade expeditionem reddidêre memorabilem. In his, Ratisbonæ Episcopus Henricus, Bernardus Comes, duo Brunones sanguine & sacerdotijs illustres. Ad crucis signa, centum sexaginta pugnatorum millia convenêre. Per Carantanos progressis, iter fuit in Bulgariam, citra vim aut maleficium. Hic Alexij Græcorum Imperatoris legati, facti fictique ad fraudulentum sui Principis ingenium, Welfoni præstò fuère, magnis promissis, re autem ipsâ, Græcâ fide instructi. Guzo Bulgarorum Dux, militari nostrorum licentiâ offensus, Adrianopoli transitum negavit, ponte, qui erat medius, præsidio militari impedito. Hic primum tentata hostilitas ad viam aperiendam, non sine datâ acceptâque utrinque clade. Nutavit diu victoria, quæ denique stetit penes pios viatores. Guzo captus, factúsque æquior, libertatem emit præbitâ annonâ & fidis viæ præcursoribus, ad usque Constantinopolim. Hic lustrato exercitu, Ducibus urbs regia patuit: exhibita per Alexium signa benevolentiæ per mensem integrum, submissis ad Principes lautijs, amicâ collocutione, & datâ facultate prolem regiam salutandi. Pòst, ubi legiones erant in Asiæ littus transmissæ, Alexij fraudes sese sensim aperuêre, qui Turcis colludens, sua consilia communicabat. Cibaria paulatim redacta in arctum, malignitate Asiaticorum, quos Alexius corruperat: tum fames gliscere & tandem in promiscuum manipularium vulgus grassari. Pòst ubi castra mota longiùs, reperêre commeatum à Turcis interceptum, magnámque rerum ad vitam necessariarum inopiam. Malum intendebant Pincinarij, volaticum emissariorum agmen, furtis insidiísque assuetum, & justæ pugnæ insolens. Hos jusserat Alexius nostros, dies noctésque, omni ex parte lacessere, nullâ, quoad fieri à latronibus poterat, neque palantibus, neque pleno ordine progredientibus, quietis parte relictâ. Ubique à nebulonibus insidiæ, à Turcis parata vis & timor. Ne navigantibus quidem mare tutum à piratis, in quorum manus, nautarum perfidia vectores ex composito deferebat. Ita multi, naulo licèt persoluto, damnatâ navigatione, iter terrestre præoptârunt, nihilo tamen futuri securiores. Nam quos Alexius viæ ductores dederat, fraudibus & odio nostrorum imbuit, miseros trahebant ad quater mille Turcarum vincula vel lanienam, qui in Corizanâ regione, arcta viarum, dispositis hinc inde custodijs, sic insederant, ut fessum nostrorum agmen, per angustos calles, diductis incedens ordinibus, passim pateret telis, è diverticulis vel tumulis incursantium. Multi vulneribus confossi, plures inediâ, siti, varijs alij malis periêre: haud pauci fracti laboribus sparsi per vias, hosti prædæ fuerunt. Triginta omnino dies tenuit immanis carnificina per loca inhospita & raris culta mapalibus; unde eluctatis, ultima necessitas expressit denique consilium arma capiendi. Phiniminum & Salamia, infestæ gentis urbes, primo impetu expugnatæ, oppida circùm expilata, captum prædæ aliquid, breve scilicet longi laboris levamen. Ultrà tendentibus objecêre se quaterni Turcarum Tetrarchæ cum innumerâ multitudine, ad Reclejum urbem fluminis adversam ripam densatis in longum excubijs, prætexentes, ut nostros trajectu, & aquatione prohibitos, in solo siticuloso, ariditate conficerent. Si qui propiùs flumen accederent, ilicò telorum imbre

Welfo senior in Syriam profectus.

Græcorum perfidia.

Pugna ad Adrianopolim.

Victoria penes Christianos.

XCVI.

An. Christ. M. CI.

Alexii Constantinopolitani fraudes.

Ingentes difficultates itineris.

Christianorum calamitates.

imbre petebantur. Trecenti, quos suprema bibendi necessitas ad audendum adegerat, momento omnes sagittis confixi: reliquos potionis inopia, & arescentium faucium ventriculique exsucci lethale tormentum enecabat. Summa consilij egestas & desperatio, nemine quicquam præsenti malo opportunum suggerente: vitæ, si quà posset, servandæ, & oppetendæ mortis arbitrium, penes unumquemque relictum.

XCVII. Quos prostratæ vires nondum omnino defecerant, arreptâ fugâ, mortem distulêre potiùs, quàm effugerunt: plurimi fugientes occubuêre, multi è fugâ tracti in vincula, alij trucidati.

Welfonis fuga. Welfo abjectis armis, cæteróque Principis cultu, sub alienâ veste ignorabilis, per saltuum devia, Antiochiam pervenit, ubi exercitus lacerati reliquias colligere aggressus, rarissimos recensuit. Ex tanto numero, vix mille superfuerunt, quorum pars Solymam evasit. Eodem Welfo propè desertus, cum Reinoldo Burgundiæ Duce penetravit. Reinoldus ærumnis exhaustus, in itinere obijt.

Mors in Cypro. Welfo adoratis Dei hominis vestigijs, patriam repetens, in Cypro, vitæ mœrorísque fecit finem. Paphi sepultum hæredes refoderunt, ut Altorfij in Vinearum Cœnobio, honestiori conditorio inferrent. Locum retinuisset inter clarissimos ævi sui heroes, nisi ejus constantia fidésque in defendendâ Romani Pontificatus dignitate ad extremum vacillâsset. Bernardus & Henricus Comites vitam in urbe sanctâ posuerunt. Uterque Bruno, quos antè memoravi, siti faméque consumpti.

Tritbem. Otho Frising. Vrsperg. Chron. Weingart. Chron. Augustan. Alb. Aquen.

Ithæ Austriæ infelix captivitas. Itha Austria diu desiderata, habitáque in censu mortuorum, comperta denique, in Dynastæ Saraceni servitutem & consuetudinem uxoriam devenisse, & tulisse prolem, olim in sanguinem Christianum immaniter sævituram.

Bertold. Passio S. Thymon. apud Canis. tom. 4. Hundius to. 1. Metrop.

D. Thiemonis Salisburgensis ortus, virtutes. Thiemo Salisburgensis Antistes, antequam Hierosolymam attingeret, in Corizanâ Provinciâ à Barbaris interceptus, crudeli morte sublatus, martyrij laureâ donatus est. Fuit Thiemo gente Bojus, ex illustri Comitum Medlingensium stirpe. Liberalibus disciplinis in Altahensi Monasterio eruditus, severioris vitæ hausit desiderium. Sed Cœnobij angustijs eductum, propositi pœnitudo incessit, donec resipiscenti lux reddita cœlitus, inter calentes preces patefecit, Episcopum & Martyrem aliquando futurum. Subinde regressus ad Altahenses, à Gebhardo Salisburgensi Archiepiscopo, Irinberto D. Petri Abbati, qui sponte munus abdicaverat, est suffectus. Gebhardo dehinc pulso ab Henricianâ factione in exilium; Thiemo ad vitandam factiosorum contagionem, primùm quidem in Schafhusiano ascetério, deinde in Hirsaugiensi per triennium delituit. Ad suos ex intervallo reversus, cùm in Schismaticorum partes nullis blanditijs, nullâ vi à Bertholdo, Archiepiscopatus incubatore, posset adduci, ejectus est in exilium, quod apud Admontenses, velut unus de cæteris, magnâ animi æquitate & demissione, ad usque nonagesimum prioris sæculi annum, toleravit. Gebhardo defuncto, Salisburgenses, qui à Bertoldo duriter habebantur, de legitimi pastoris electione soliciti, pars in Thiemonem, pars in Adalberonem Frisingensis Ecclesiæ Decanum inclinabant. Verùm hunc ad Capituli comitia properantem, medio amne fluctus hauserunt. Sublatâ ad eum modum eligentium discordiâ, omnium vota in Thiemonem convenerunt. Electum, Passaviensis Episcopi Legatus Altmannus, Adalbero Wirceburgensis, & Meginwardus Frisingensis, sacris cæremonijs inaugurârunt.

Calamitates. Ex eo tempore, varijs calamitatibus exagitatus, sensit, se non tam honoris theatrum, quàm ærumnarum palæstram conscendisse. Tristia fuêre Pontificatus initia. Bertoldus bello appetitum, firmatúmque cognatis Comitum Medlingensium auxilijs, prælio superavit. Fugientem in Carantanos, Udalricus Comes, Bertoldi partiarius, intercepit, vexavitque immaniter. Nihilo tamen secius Frisacum castrum in captivi fide perstitit. Id cùm ab Udalrico obsideretur, & defensores castrense propugnaculum, missis è balista pilis, validè quaterent, Udalricus Thiemonem rectâ machinis objecit, haud dubiè periturum, nisi libratores, eo conspecto, aliorsum tela direxissent.

Captivi in eius oculis trucidati. Longè gravissimus viro pientissimæ in suos voluntatis mœror, cùm in ejus oculis, charissima amicorum capita, quos simul Udalricus captivos fecerat, carnificis manu fuêre demessa, in vindictam, quod & Thiemo & obsessi arcis deditionem negâssent.

Eo

Eo commotus spectaculo, homini ad insaniam crudeli, ipsius & gemini fratris vitam indecorem & ultimas calamitates prædixit, non inanis augur: omnes enim infelici fato deinceps jactati, vindicem DEI manum experti sunt. Sanctus præsul abreptus in fœdiorem custodiam, jussus est jugulum præbere sicario: verùm ille nihil territus, recitato fidei symbolo, hilaris cervicem ad ictum exporrexit, quam vi humanâ major sic texit, ut ferrum validissimè inflictum, ne extimam quidem cutem perstrinxerit: geminatus ictus summo vibratus impetu, illæsâ cervice, gladium diffregit in frusta. Latro superatus tam manifesto prodigio, manus dedit victrici innocentiæ. Ad extremum Thiemo, post tam illustria patientiæ & divinæ protectionis documenta, assertus in libertatem, ope Conradi monachi, qui custodes auro corrupit, profugit ad Gebhardum Episcopum Constantiensem. Subinde vaticinium de capessendo martyrio secutus, in Palæstinam cum Welfone proficiscens, incidit in manus Saracenorum, proditúsque, quisnam esset, odio Christiani nominis, primùm asello ad ludibrium impositus, acerrimè scuticâ veneno illitâ cæsus est, donec, defluente cute, caro nudaretur: deinde membratim deartuatus, præcisis articulatim digitis, manibus pedibúsque truncatis, cæteróque corpore laniatus, cùm tamen adhuc è laceris artubus vim cœlestem & insuperabilem fortitudinem spiraret, non priùs triumphantem animam cœlo transmisit, quàm, nondum extincto, sævus tyrannus, viscera ipsúmque cor evulsit. Ita Thiemo, suppar duobus heroibus, Jacobo interciso & Emmerammo, ad geminam duplicis martyrij coronam evolavit 4. Cal. Octobris. Cœlum subeuntis anima visa est ab eo, qui redux in Boicam ipsius certamen & vidit & descripsit. Membra gloriosi athletæ, ab avium rapacium aliarúmq; animantiũ morsibus, immo & ab impiorum injurijs divinitus servata sunt eâ vi, ut ne unus quidem articulus abs Saracenis potuerit humo levari. Contrà singulæ omnésque partes corporis, Christianis fuêre tractabiles, ut colligi potuerint & asportari. Vocatus in vota, morbos depulit, aliáque patravit miracula, quæ ipsius sanctitatem sic commendârunt, ut templo arisque donato magnam conciliârint venerationem non modò apud Christianos, sed Saracenos etiam, quantumvis hostes Christianæ pietatis.

DIVINITUS NECI ERIPITUR.

FUGIT CONSTANTIAM.

MARTYRIO A TURCIS AFFICITUR.

XC VIII.

Paul. Bernrid. in vita S. Herluca.





BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER XIX.

Res Boicæ ſub Welſone II. uſque ad Henrici IX. principatum. Henricus Cæſar ſæpius anathemate percuſſus moritur. Ejus filius & ſucceſſor abit in patris veſtigia: Gebhardum Ratisbonenſem per ſicarios occidit: Paſchalem in fraudem & captivitatem inducit: Saxones vexat: inaugurationem Romanam per vim extorquet à Paſchali Pontif. rurſus à Burdino Schiſmatico coronatur: fit author Schiſmatis: fulmine adflatur: à Romanis in tumultu ſauciatur: Romanos viciſſim cædit: Sighardi Burghuſini, ob linguæ effrenem licentiam, cædes: Bothonis Fortis obitus. Bella, tumultus, in Vngariâ, Boëmiâ, Poloniâ. Colonia Agrippina ſæpius irrito conatu obſeſſa D. Bennonis beata mors. Edigna Virgo. Friſinga vaſtata. Epiſcoporum Orthodoxorum calamitates. Welſonis II. mors.

An. Christ. M. CII.

Moguntinense conciliabulum *Vrsberg.*



I. Elſo pater, moriens, Welſoni filio, principi laudatiſſimo, Boicæ dominatum reliquit, quem deinceps videbimus, conſtanti in Romanum Pontificem fide, contractum à parente inconſtantiæ nævum deleviſſe. Sub aditi Principatus initia, res in Germaniâ dubiæ, pernicioſæ factiones, verſipelle Cæſaris ingenium, ſingularem vigilantiam requirebant, ne, qui apertâ vi nondum potuerat, fraudibus clandeſtinis, in Henricianorum pedicas traheretur. Hoc enim in commune Cæſari erat in votis, quando in Moguntiæ conventu, præſetulit deſiderium tollendi divortium regni atque ſacerdotij, paciſque toto Imperio ſanciendæ. Quam ad rem pollicitus eſt, Romam ſe profecturum, acturúmque cum Paſchale de Synodo Generali circa Cal. Februar. (quas veriùs Græcas dixiſſes) convocandâ, in quâ, diſceptatis partis utriuſque rationibus, æterna concordia reconciliaretur. Sed homini, ad infamiam verſuto, conſilium erat, eo lenocinio mollire

mollire Orthodoxorum animos, & persuadere, Cæsarem parùm, aut nihil à Romani Pontificis sententiâ dissidere. Verùm brevi patuit, hæc dicta in speciem, cùm ingressus Italiam, neque Legatos misit, qui Pontifici ineundæ pacis vota aperirent, neque quicquam intermisit, quo Schismaticorum molitiones firmaret. Atque hæc quidem impulsu prava suadentium, quibus ultro se corrumpendum dederat, pari Reipub. detrimento, suóne peccaret instinctu, an inductione alienâ. In urbem nihilominus confluxère universi Apuliæ, Campaniæ, Siciliæ, Etruriæ, totiúsque prætereа Italiæ Præsules, & complures Transalpinorum Legati, qui detectâ fraude, magno consensu, Henrico, diris repetitis, sacrorum usu interdixerunt, mediâ jejunij majoris hebdomade. HENRICO RURSUS ANATHEMA DICITUR.

Hæc dum in eo sunt, DEUS, qui piorum causam nunquam deserit, Germaniæ præclarum sidus evexit ad cathedram Babenbergensem, Othonem oriundum ex nobilissimo Comitum Andecensium sanguine, vel, quod vero propius alijs visum est, è stirpe Othonis & Adelaidis illustrium inter Sueviæ Comites. Cæsar, præter morem, D. Othonem, nullo accepto pretio, neque ambientem, neque licitantem successorem dedit Ruperto: quod ut gratis faceret, omen accepit ab Ephebis hâc ratione. D. Otho, cujus virtutes Ratisbonæ jam dudum inclaruerant, in Cancellarij munere, toti Cæsaris aulæ insignem justitiæ pietatisque facem prælucebat, ne pueris quidem incognitam. Cùm igitur Cæsar, ut consueverat, Babenbergensem Episcopatum pastore destitutum, venalem, & velut sub hastâ plus offerenti prostituisset, contigit, ut ejus Ephebi profanam nundinationem indignati, inter se de futuræ licitationis exitu, candore puerili, sermonem miscerent, non sine convitio & admiratione, quòd in Regis aulâ, nihil, aut parùm virtuti, unde vera merita, auro verò sordibúsque omnia tribuerentur. Enimvero etiamnum vacuæ Babenbergensi sedi, anxiè quæri emptorem bene nummatum, sed súsque déque haberi, quales animi dotes ad Episcopatum adferrentur. Esse ad manum Othonem, quem mores laudatissimi studiúmque religionis, jure quàm optimo sic commendarent, ut in eo præter ambitionem, nihil posset desiderari, eóque mirum non esse, quòd abhorreret à sacrilegâ infulæ emptione. Henricus, casu superveniens, oraculum accepit ab innocenti puerorum simplicitate, & Othoni, nihil minùs cogitanti, mitram jussit, gratuitâ liberalitate, imponi. Verùm ille, quòd religioni sibi duceret, manu profanâ sacræ dignitati admoveri, eam priùs non adijt, quàm jubente Paschali Pontifice, solenni ritu est inauguratus. Hoc anno Aribo, Carantanorum Princeps, Bojariæ olim Palatinus, grandi senectâ mortalitatem exuit. D. OTHO BABENBERGENSIS EPISCOPUS. EPHEBORUM AUSPICIO. ARIBONIS CARANTANI MORS.

Eum, anno postero, secutus est Conradus, Othonis, olim Boicæ Ducis, filius, Henrici Crassi, ante triennium, per seditionem interfecti, frater, vir omnibus naturæ, ingenij, fortunæque donis ad miraculum excultus, qui, dum popularium, qui in ejus necem conspirârunt, manus nocturnâ fugâ conatur evadere, à submissis percussoribus immaniter est trucidatus. Atque hæc quidem fuit atrox & aperta barbaries: sed Henricus Imperator, cui solenne, nihil nisi malum seriò, boni nihil sincerè agere, vafrâ simulatione novam egit fabulam. Celebrârat Moguntiæ Christi natalem, cùm in Principum conventu finxit, se visendæ Palæstinæ & adorandi sanctissimum Servatoris sepulchrum, flagrans desiderium animo concepisse. Simul jussit, Emehardum Wurceburgensem Episcopum publicè edicere, Cæsarem fore ducem sacræ peregrinationis, atque interea Henrico filio summam Imperij permissurum, gratúmque habiturum, si qui eum ad terram DEI sanguine imbutam sequerentur. Id vulgatum per Germaniam, acceptúmque pro intercalari saltem pietate, plerisque, qui mimum ignorabant, augurantibus, jam demum Cæsarem sapere didicisse, mirum, quantâ lætitiâ fuerit passim commendatum. Principes, sacrorum Antistites, Dynastæ, Nobilitas, milites novelli juxtà ac veterani, ad crucis vexillum convolârunt, læti se nactos occasionem, generosum sanguinem, hactenus civilibus odijs & erubescendis dimicationibus propinatum, divinæ gloriæ impendendi, pro quâ, cum virtute sumerentur AN. CHRIST. M.CIII. CONRADI SAXONIS OTHONIS BOICÆ DUCIS F. CÆDES. HENRICUS FINGIT DESIDERIUM VISENDI PALÆSTINAM.

 arma

arma, gestarentur cum certa spe triumphi, qui perinde victis atque victoribus esset communis. Verùm calentia tot fortium virorum vota, Henricus, sibi perpetuò similis, turpiter frustratus, larvâ positâ, sacros neglexit apparatus, animúmque ad alia convertit. Jam, ut sunt aliquando sanæ mentis nonnulla apud phreneticos, ita apud improbos, melioris frugis intervalla, sive eum ceperat domesticorum bellorum satietas, sive Saxonum aliqua commiseratio, eorum fines ingressus, nihil prætermisit indulgentiæ, quâ possent iræ veteres sopiri. Nihil imponebat novorum onerum, antiqua levabat, cives appellabat honorificè, captabat Provinciarum studia, pristinarum immunitatum approbatione, recentiorum additamentis: Principum & Nobilitatis animos demulcebat dignitatum & largitionum illecebris, itáque sibi devinciebat, ut videretur, totam gentem, superiorum temporum ærumnis oppidò fatigatam, ad avitæ libertatis exoptatos fructus propediem reducturus.

Saxones habet solito mollius.

II. Verùm ista benevolentiæ ostentatio, Bojorum invidiam, alienæ felicitatis æmulam, vehementer accendit. Et primùm quidem clàm auditæ quiritationes, deinde in publicum jactatæ accusationes mœrentium, Saxonum gentem, cujus culpâ ingentes calamitates in Romanum imperium, ipsúmque adeò Cæsaris caput fuissent invectæ, primum jam gratiæ locum occupare, Cæsaris beneficia migrâsse in sinum Saxoniæ; penes Saxones esse præmia, penes alios, qui armis & immotâ fide Cæsarem rémque publicam adhuc juvissent, nihil esse, præter contemptum & altè impressa damnorum vestigia, quæ pro communi salute & Imperatoris obsequio accepissent. Rebus pacatis, hostes esse in pretio, amicos nullo loco haberi, sed cogi in lucro ponere, quòd vel liceat vesci aurâ communi, & sub limis Cæsaris oculis, arrogantia Saxonum supercilia ludibriáque perferre. Hæc aliáque istius modi, qui æmulationis genius est, non liberè modò, sed etiam in majus, quàm pro causâ reíque conditione, à Boijs vulgabantur, cùm Cæsaris, alioquin admodum irritabilis, offensione. Querimoniæ id generis, ut maximè inflabantur à Sighardo Dynastâ Burghusino, homine oris intemperanter rotundi, & nescij, iras temporariâ patientiâ & silentio debere in potestate haberi, quippe cùm nimia convitiorum libertas vertat in perniciem apud Principes honoris sui apprimè retinentes.

Boii Saxonibus invident.

Vrspergen. Chron. Austral. Otho Frising.

An. Christ. M.CIV.

Agebat tum Henricus Ratisbonæ, quò & Sighardus venerat cum non contemnendâ stipatorum manu, sive quòd sibi à Cæsare metueret, sive ut à Cæsarianis metueretur. Cæsar, jam aliàs exosum, odisse magis, habere suspectum, omnem ejus motum, dicta omnia factáque per exploratores observare, ejus tollendi occasioni imminere, neque dissimulare odium. Eò liberiùs famulitium aulicæ nobilitatis conjuravit in Sighardi caput, stimulante jam antè vindictæ desiderio, quòd crederet, se haberi ab eo contemptiùs, & causaretur sua per eum iura violari. His se junxêre Henrici satellites, ipsiúsne jussu, an obtentu communis injuriæ. Igitur conglobati, Sighardum, quo tempore ambactorum plerosque ad sua contubernia dimiserat, privatos intra lares propè inermem obsident, furentésque ad necem deposcunt. Conatus quidem Regis filius tumultum pacare, sed in cassum; eò quòd patris dissimulatio augeret animos, prævaleretque junioris authoritati. Ad Sighardi fores pugna conserta ab horâ diei tertiâ usque ad nonam, dum ille sese ad piè fortitérque moriendum, noxarum apud sacerdotem expiatione, sacróque Dominici corporis viatico compararet. Effractis demum januis, protractus in publicum, obtruncatur, & servili dementiæ an Regis inclementiæ succumbit, vir, inter gentis suæ Dynastas, clarissimus, D. Leopoldi Austrij, cujus sororem duxerat, affinis, auctúsque dote Schallensis Toparchiæ. Paternum genus traxerat ab Hartwico Comite Palatino, maternum ab illustri Witikindi stirpe per Othonem Magnum Imperatorem.

Sighardi Burghusini loquendi nimia libertas.

Causa illatæ necis.

Eodem propè tempore, Boto, cognomento Fortis, Sighardi jam memorati patruelis, Aribonis herois nobilissimi frater, ævi maturus, haud procul Ratisbonâ, Aribone ante annum defuncto, fato concessit, paterno sanguine inter Noricæ nobilitatis vetustissimos. Fuit Boto giganteâ ferè staturâ, totáque Germania atque

Bothonis Fortis obitus.

Italia

Italia vix parem habuit, qui cum corporis robore posset conferri, rebus in Pannoniâ gestis famosissimus. Militari fortitudini comitem junxit pietatem, cujus instinctu, Tharisiensi Monasterio, quod Babenbergensis ditionis est, suas opes devovit; ubi & voluit tumulari, sacráque piacularia quot annis DEO pro piorum manibus persolvi.

Inter hæc, prodigia, præter naturæ ordinem, passim edita, futuras Imperij clades, bellum inter Henricum Imperatorem & filium cognominem parricidale portendere visa sunt. In agro Wirceburgensi, è cœlo, inter grandinis procellam tanta glaciei crusta decidit, ut in quatuor divisa partes, vix à quatuor robustissimis viris posset attolli. In agro Spirensi, ex secto panis frusto, sanguis manavit, cujusmodi ostentum memorant, Alexandro, cùm Tyrum obsidione premeret, evenisse. PORTENTOSA OSTENTA. III.

Sub ista, exortus est Bohemiæ tumultus, in cujus partem Boij per fraudem adducti. Brecislaus Bojæmorum Princeps (quod paulò antè diximus) à Cæsare, Borivojo fratri jus succedendi impetraverat: & successit quidem anno sæculari Brecislao per insidias interfecto. Atqui Udalricus natu major, Borivoij frater, Henricum Ratisbonæ degentem auro corrupit, ut abrogatâ priore concessione, Principatum Borivojo ademptum, natu grandiori redderet, adderétque insignia Bojæmici Ducatûs; eo tamen pacto, ut gentis Proceribus integrum foret, eum, si vellent, eligere. Ita beneficium, fraude collatum, desijt in bellum civile. Nam cùm Udalricus Bojæmiæ Ordines non potuisset in sua vota trahere, proximum fuit, ut ferrum exprimeret ab invitis, quod à lubentibus nequiverat. Ergo annuente Cæsare, militem legit in Germaniâ, jactans in vulgus, tantum esse in patriâ nominis sui studium, ut, ubi primùm signa explicaret, tota natio esset ad se confluxura. Dicenti fidem habuêre, Henricus Frisingensis Episcopus, Sighardus de Sala, aliique, rati, se non ad bellum, sed ad pompam auguralem sine vi profecturos. Verùm ad primum Bojæmiæ ingressum, longè alia rerum fuit facies. Borivojus ad Melinam urbem, mense Augusto, selectissimum exercitum fratri objecit. Cùm nemo transitionem ad Udalricum moliretur, Boij se mutuò respicere, suam damnare credulitatem, & devovere diris Udalrici vanitatem. Premebantur interim undique à Borivojo, viisque præsidio insessis, nulla supererat elabendi via, neque modus sustinendi hostium impressionem, in castris subitariâ loricâ malè protectis. Quare intuta omnia trepidè circumspicientibus reliquum fuit consilium, ignavè intempestâ nocte per angustum callem, quem hostis non occupaverat, fugiendi. Projecta passim arma, sarcinæ relictæ Bojæmis cessêre in prædam; grande rerum & famæ damnum Boijs inconsultæ expeditionis præmium fuerunt. BOIÆMIÆ TUMULTUS. GERMANI IN FRAUDEM INDUCTI. CAPTA FUGA, CASTRIS REBÚSQUE EXUTI.

Sed ista quidem fuêre minuta, si cum mira rerum vicissitudine, quæ renovatis superiorum temporum odijs secuta est, conferantur. Etenim Henricus Cæsar, actis Moguntiæ Natalitijs, bellum reparabat in Saxones, quos, ob nonnullorum defectionem, cœperat cane pejùs & angue detestari. Is erat gradus mortalibus quidem improvisus, sed DEI sapientiæ perspectissimus ad vindictam scelerum, quibus ille duo potissima Reipublicæ bona, religionem & tranquillitatem tot annis improbè turbaverat. Et alia erant innumera, quæ in justissimam libellam divinæ vindictæ debebant adduci, ut tandem tolleretur inveterata quinquaginta ferè annorum hominis desperati pertinacia, & statueretur exemplum justitiæ cœlestis, quæ non modò punit, quia olim peccatum est, sed ut ne ab alijs de cætero detur materia puniendi; & quia revocari non possunt præterita, futura saltem eorum castigatione prohibeantur. Tardum quidem fuit Henrici supplicium, sed eò gravius atque tristius, quò longiùs à proximo sanguine distare debent causæ nocendi. Sed sic erat in fatis, ut filius patrem redderet misertimum, séque ipsum ex patris ærumnis infelicem. Igitur Henricum Imperatorem, in Saxones arma resumentem, filius haud pridem ab eo Rex appellatus, à signis, nocturnâ secessione dilapsus, destituit. Eum ad rerum novarum molitionem tres viri incitârunt, Dietpoldus Vohburgensis Comes, Chambensis Boicæ limiti ad Septentrionem *Auctor vitæ Henrici IV.* AN. CHRIST. M. CV. HENRICUS BELLUM REPARAT ADVERSUS SAXONES. HENRICUS FILIUS A PARENTE SECEDIT.

præfectus, Berengerus item Dynasta nobilis, & Otho vir inprimis cordatus Secedendi causa à religione, quo nullus validior obtentus; quòd Cæsar, sæpe repetitis Romanæ censuræ fulminibus, nihil motus, proscriptus licèt à Sacris Christianis, contumaciam novis indies criminibus obfirmâsset, sprevissétque cum pietate redire in gratiam. Eapropter videri filium non deseruisse patrem, sed obstinatam atque insanabilem Ecclesiæ perduellionem, quam citra impietatem ultrà sequi non posset: cogi filium, assentiri sapientioribus consilijs, & vel serò redire in viam, erroresque præteritos prudentiâ corrigere: primas cujusque curas Deo ac religioni, secundas patriæ, tertias sanguini & amicorum charitati deberi. Hæ rationes palàm in vulgus, aliæ ex arcano producebantur: sublatus per Pontificias leges nexus obsequendi toties proscripto parenti, hujus impotentes iræ, nupera in Contradum Italiæ Regem itidem filium fœditas, populi odia, fastidium prælongi dominatus, durities dominandi, piorum conspiratio, ambigua, longè remota, & nunquam, vivo florentéque patre, pacata filij successio, nisi se ab ejus consortione maturè expediret, & fasces anticipatâ vindicatione occuparet. Procusa hæc in Bojariâ & firmata, non modò schismatis ejuratione, promissâque præsente Pontificis Legato Apostolicæ Sedi obedientiâ, sed etiam pactâ Suevorum & Francorum in partes accessione. Itum dehinc in Saxoniam, ubi post Christi redivivi ferias, Quindelburgi, Henricus junior, pronis optimatum studijs peramanter acceptus, cultúsque regijs honoribus, provinciam universam ad Ecclesiæ Romanæ communionem reduxit, consilio & expiatione Ruthardi Moguntinensis, & Gebhardi Constantiensis, qui id temporis Paschalis Pontificis in Germaniâ vices agebant. Subinde Werthusij villâ regiâ, sanctioris Ordinis comitia ad 4. Cal. Junias indicta, ubi ex sacrarum legum sanctionibus, causæ Pontificum cognitæ atque definitæ, aliquæ rejectæ ad Romani Senatus cognitionem. Uto Hildeshemensis, Henricus Paderbornensis, & Fridericus Halberstattensis, Episcopi, supremæ Ecclesiarum matri obsequium professi, eatenus recepti in gratiam, ut nihilominus munium sacrorum usu tantisper abstinentes, Romanam sententiam opperirentur. Nonnulla alia ad integrandam Cleri disciplinam & pacem Ecclesiarum, præclarè tum disceptata, tum constituta. Henricus verò junior præclarum modestiæ specimen edidit in eo conventu, ad quem nunquam accessit, nisi vocatus à Pontificibus. Primo statim ingressu stans in loco editiore, senatu frequentissimo, Ecclesijs sua jura & prærogativas; alijs, avitas immunitates ex majorum legibus Patrumque decretis stabilivit: deinde voce ad mœrorem compositâ, interruptáque lachrymis, peroravit in hanc sententiam. *Nemo vestrum, Patres, ignorat, quæ me fata ad tristem, in quâ versor, necessitatem adegerint. Videri possem in hunc locum, ambitu stimulante, adrepsisse, vel præcoci voto prensâsse dignitatem alienam, nisi mea vestráque conscientia, & deplorata Reipublicæ ratio, me istâ infamiâ liberaret. Testor equidem, neque sciens fallo, sed optimè conscius, testor immortale Numen, cui aperta undique sunt omnia; testor cælites arcanorum gnaros, me nullâ prorsus regnandi cupiditate ad hunc lamentabilem rerum articulum descendisse, ut meo parenti ac Domino, quem habui habebóque semper meâ vitâ chariorem, ullam de regno litem molestiámque moverem. Neque enim mihi tanti sunt omnium totius orbis nationum imperia, ut in eorum gratiam me sinerem adejusmodi facinus impelli, nisi me vis altior, & longè maxima necessitudo, quæ bono cuivis ex Dei voluntate, cum sanctissimâ religione, cum Ecclesiâ, cum totius Imperij salute intercedit, ad hæc consilia & tam duram necessitatem, ex virorum sapientum judicio, adduxisset. Non sum nescius, quid naturæ, quid sanguini, quid charissimo parenti debeam: vitam debeo, debeo honorem, opes, & quicquid in me bonorum congessit. Longè mihi foret jucundius, vel vivere & mori inglorium, vel præstolari, donec mitiora fata me immitterent in fortunæ paternæ possessionem, quàm tantæ, quæ mihi incumbit, calamitati, támque ignobili dimicationi superesse.* Plura dicere parantem, lachrymæ genis inerrantes, & prorumpentes ex imo pectore gemitus, interpellârunt, tantósque fecerunt in auditoribus animorum motus, ut complures solverentur in fletum, alij fractâ voce, vota facerent pro diuturnâ tam bonæ mentis felicitate. Amicis affluen-

Referuntur causæ secessionis. IV.

Suevi et Francones Henrico V. foederati. *Vrspergen.*

Ad eundem accedunt Saxones. Comitia Werthusii, ad cleri reformationem.

Henrici V. modestia.

Oratio. V.

Parens filiusque in mutuam perniciem armati.

affluentibus, creverant utrique imperantium copiæ, in formam justi exercitus. Parens omissis Saxonibns, se Moguntiæ valido præsidio firmaverat; filius, actis Merseburgi ferijs Pentecostes, eodem contendit: sed quia Rhenus interfluens, transmissionem prohibebat (nam parens navigia in australem ripam subduxerat) visum est, per oratores tentare ejus animum, si quo modo ad saniora consilia posset adduci. Legatis ultro citróque commeantibus parens offerebat Imperij partitionem, & si quid ipsi humanitus contingeret, totum assem; filius verò negabat, quicquam posse confici, nisi pace Ecclesiæ redditâ, restitutáque in integrum Apostolicæ sedis authoritate; quod cùm pertinaciter parens aversaretur, frustra fuère oratorum conatus. Ita rebus infectis, Henricus junior abijt Wirceburgum, jussitque Erlungum, quem schismate contactum parens urbi Antistitem dederat, inde facessere, & Rupertum, à Clero populóque cooptatum, ritéque ab Archiepiscopo Moguntino inauguratum, sufficit. Dimissis inde Saxoniæ legionibus, Bojorum ope Norimbergam, bimestri obsidione, redegit in suam potestatem, & factâ Boijs abeundi facultate, movit Ratisbonam. Parens ejus vestigia secutus, Erlungum, exacto Ruperto Wirceburgensibus reddidit; recepit Ratisbonam civium factione, filium conjecit in fugam, Gebhardo Antistite per sicarios Pechlariæ crudeliter interempto, Ulricum admodum adolescentem subrogavit, auxit exercitum magnis delectibus, quibus Leopoldus Austrius suas quoque copias sociavit. Accessère etiam Borivoij Bohemi suppetiæ; quibus viribus Imperator, filij amicis infestus incubuit, præsertim Dietpoldo Mospurgio, quem, non ignorabat, Henrico filio authorem fuisse rebellionis: quamobrem ejus clientes & agros omnibus belli injurijs vehementer afflixit.

HENRICUS V. PACE FRUSTRA TENTATA, WIRCEBURGUM OCCUPAT.
NORINBERGAM SUBIGIT
HENRICUS IV. RECIPIT WIRCEBURGUM, RATISBONAM INVADIT,
GEBHARDUM RATISBONENSEM TOLLIT PER SICARIOS.
Vrspergen.
Otho Frising.

Filius parente nihilo segnior, contracto ex amicâ gente selectissimorum juvenum subsidio, vices reponere, patris partiarios premere, belli terrorem latè circumferre, castra ad Reginum flumen, paternis castris objicere, offerre copiam pugnæ parricidialis, cujus eventus parem victis atque victoribus allaturus esset infamiam. Triduum exactum inter conflictus velitares in medio amnis alveo; tam cœcus erat ardor & libido pugnandi. Multi utrinque cæsi, complures sauciati, capti non pauci, donec, irâ sensim remittente, cœptum agi de pace sanciendâ.

VEXAT FILII PARTIARIOS.
VI.
FILIUS VICEM REPONIT.
CASTRA CASTRIS AD REGINUM AMNEM OPPOSITA.

Ne ad diem pugnæ destinatum manus consererentur, multùm valuit Henrici junioris industria, quâ Leopoldo Austrio arma detraxit. Erat Henrico soror Agnes nomine, Friderici Staufensis nuper demortui vidua: hujus nuptias Leopoldo addixit, si à præsenti bello abstineret: quâ ille delinitus illecebrâ, pollicitus est, neque se, neque suos ferrum pro Imperatore stricturos; simul Borivojo, sororis suæ marito persuasit, se ut infami bello subduceret. Geminâ secessione & refrigescentibus Principum studijs territus Imperator, & monitus per internuntios, clàm à filio submissos, ne se daret in paratum discrimen, sed caveret clandestinam complurium conspirationem, qui eum in ipso certaminis æstu essent certò deserturi; noctis beneficio cum paucis dilapsus, castra Duce orbata relinquens, fugit ad Rheni & Mosellæ Confluentes. Eam fugam secuta mox totius exercitus trepidatio & receptus, silenti agmine, quem sic tenebræ texerunt, nemo ut esset, qui abeuntium tergis immineret. Postridie Henricus, cognito per exploratores hostium discessu, Ratisbonæ vim admovit, receptámque frenavit arctiore legum & Præfectorum retinaculo, ne, quâ facilitate fidem recens exuerat, deinceps simili levitate perfidiæ vela laxaret. Eodem tenore Ulrico de sede Pontificia depulso, Hartwicum, apprimè Catholicum & genere nobilem, Præsulem subrogavit, & quos in urbe comperit milites hostilium partium, beneficijs delinitos sibi conciliavit.

LEOPOLDUS AUSTRIUS AB HENRICO SENIORE DEFICIT.
IDEM FACIT BORIVOIUS BOHEMUS.
HENRICUS SENIOR FUGA SIBI CONSULIT.
FILIUS RATISBONAM RECUPERAT.
VII.

Ratisbonâ ad eum modum compositâ, Wirceburgum subegit, & Rupertum in Episcopi sedem, Erlungo deturbato, reposuit. Ita ludebatur in miserabili Antistitum congeminatione, cùm se mutuò, velut undæ undas, pellerent. Exinde rectâ movit Augustam Nemetum, quâ potitus, Gebhardo Hirsaugiensi Cœnobiarchæ Episcopatum commendavit, & gazæ, quam valde copiosam parens eò loci condi-

SUBIGIT DENUO WIRCEBURGUM.
PARENTIS GAZAM SPIRÆ INVADIT.

RUTHARDUS MOGUNTINÆ SEDI RESTITUTUS.

condiderat, manus injecit. Per eos dies Ruthardus, qui in octennis exilij ærumnis apud Turingos hæserat, mitræ Moguntinæ fuit restitutus, applaudente civitate & Schismatis divortium ejurante.

PARENS FILIUSQUE BINGÆ COLLOQUUNTUR.

Henricus Junior, Republicâ ad Rhenum ordinatâ, tendebat ad Burgundos, cùm ab amicis fit certior, patrem novis subnixum consilijs, Moguntiam properare, ut disturbaret conventum, quem isthic Principes ad Christi natalem indixerant. Eo nuntio retractus, magnâ celeritate, parentis iter antevertens, eum Bingæ ad Idus Decembris est assecutus. Admissus fide regiâ ad colloquium, patri fidenter in mentem revocavit, quantas calamitates in orbem Christianum invexisset, rogavitq; , vellet denique mutato consiliò, cum DEO ejúsque in terris Vicario in gratiam redire. si id quidem faceret, nihil moræ futurum, quò minùs, tam ipse, quam universum Imperium, se protinus ad ejus nutum pacatè componeret. Imperator, qui aliàs neminis recta suadentis consilia ad animum admiserat, respondit, rem proponi momenti gravioris, quàm ut inter duos satis posset expendi, idcirco eam ad generale totius Imperij judicium referri oportere. Fecére tamen inducias, cúmque filius propositam à parente generalis comitij conditionem non abnueret, uterque unà Moguntiam iter intendêre. Nondum eò venerant, cùm per occultos nuntios filio delatum est, patrem ipsi, contra induciarum pactionem, moliri insidias per trecentos stipatores, quos ad eam rem secum trahebat. Præterea renuntiârunt Antistites, Moguntinus præsertim & Spirensis, fas sibi non esse, cum Imperatore, tot dirarum religionibus devoto, quicquam inire colloquij, donec piorum consortio foret restitutus: nec verò permittendum, ut Ecclesiæ & sacrorum domicilia recens expiata, rursus ejus contagione pollucrentur: eò consultum videri, ut pater cum suis *in aliquo castello tutissimo Principum conventum expectaret. His itaque dispositis, custodibus quoque, ne novi quicquam ab ipso, vel ad ipsum procederet, adhibitis, Rex Moguntiam conventui Principum occurrit.*

HENRICUS PARENS IN CASTELLO CUSTODITUR HAUD LONGE A MOGUNTIA.

Vrsbergen.

Crato Mylius, Melanchthonis discipulus, vel quisquis alius Urspergensis historiæ scriptas ad marginem notas adspersit, ex eo verborum contextu commentus est, Henricum IV. à filio, per insidias, contra fidem publicam, captum & in arcem munitissimam ductum fuisse. Id commentum Schismatis patroni, ævo nostro, avidè arripuerunt, odio Romani Pontificis. Eos Catholici quoque nonnulli, nimiâ credulitate sunt secuti. Verùm Urspergensis ita semet statim explicat, ut intelligatur, Henricum IV. nullo modo fuisse captivum. Quamvis enim adhibiti fuerunt custodes, qui prohiberent internuntiorum & rerum novandarum commercium, non ademerunt tamen Cæsari commeandi libertatem: nec bene colligitur, eum per vim fuisse in castri angustias, captivorum more, redactum. Quapropter Urspergensis, alioqui Romanis Pontificibus iniquior, disertè asserit, quod *vulgaris stultitia*, non autem sapiens gnarorum notitia, *patrem, à filio dolo captum, circumquaque diffamavit.* Unde liquidò apparet, eos, qui captum & custodiæ mancipatum scribunt, vulgari stultitiæ subscribere. Nauclerus cautior notavit, eum, quòd parum spei in Episcopis locaret, in quoddam castellum secessisse, ut lateret, atque hinc vulgò ferri, à filio captum esse, cùm aliter sentiant scriptores. Albertus Crantzius, plus æquo addictus patri, non est ausus tamen captivum nominare. *Cùm filius* (inquit) *haberet compertum, patrem clàm machinari apud eos, quos sibi putaret consentaneos, ea, quæ paci & instituto non sunt consentanea, oravit patrem, (idque, si reniteretur, cogere poterat) ut propter Pontifices, qui ejus evitarent communionem, secederet in locum vicinum conventui arcis secreta, ubi diligentissimè asservaretur, curante filio, ne quis præter solitos ministros, eum interpellaret.* Ergo rogatus, non coactus in arcem secessit: & quamvis advigilatum sit, ne quis præter ministros eum interpellaret, tamen ideo non fuit captivus, quemadmodum dormiens captivus non est, cùm prohibetur, ne quis ejus somnum interpellet, tametsi adimatur ejus interpellandi libertas. Quæ Brunnerus ex scriptore Anonymo Imperatoris domestico, atque eaprópter suspecto deprompsit, non sunt ejus ponderis, ut minimè suspectorum auctoritati debeant præponderare. Certè (quod mox videbimus) Imperator

DISPUTATUR, AN FUERIT CAPTIVUS.

IIX.

Naucler. vol. 2. Generat. 37. ad an. 1105. Crantz lib. 5. cap. 19. & 20.

COMITIA MOGUNTINA.

peratot suo arbitrio atque libertate est usus, quando sponte & nemine ad obtinendam eundi licentiam compellato, ad Moguntina Comitia profectus est, quæ post hominum memoriam fuêre celeberrima. Nam ad ea omnes Germaniæ proceres, si Magnum Saxoniæ Ducem, grandævâ ætate, quam mors hoc anno finijt, excipias, quinquaginta duo, vel eo amplius confluxerunt. Ijsdem interfuêre Legati Pontificij, Richardus Episcopus Albanensis & Gebhardus Constantiensis. Isthic repetitæ trium Summorum Pontificum execrationes. Ex universo cœtu lecti, Moguntinus, Coloniensis, & Wormatiensis Antistites, qui ad Comitium venienti occurrerent Ingelheimij, attenderéntque, ne in plebis, quam sui adhuc habebat studiosam, conspectum veniret, atque inde tumultus oriretur. Missos à Proceribus Antistites, è vestigio Paschalis Legati & complures Principes sunt secuti. Hic demum, fictè, an ex animo, flexus magnorum virorum oratione, superiorum temporum noxas professus, addixit, se in Pontificum authoritate futurum. Placuêre quidem qualiacunque signa animi resipiscentis; sed quòd suspecta esset altè illi impressa fallendi consuetudo, negârunt Legati, sibi esse integrum, tot irretitum vinculis extemplo expedire: rem enimvero ad Synodum & Romanæ sedis judicium esse referendam: tantillam expectationem non fore illi molestam, si eam cum tot tantisque delictis & longâ multorum annorum pervicaciâ conferret. Bono itaque esset animo, nec dubitaret de clementia communis piorum omnium parentis, qui lubens lætúsque eum in complexum esset admissurus, si modò seriò ad officium rediret. Versa deinde ad palmariam causam oratio, quâ blandis severa miscendo, persuasum, ut, quando languentibus veterum amicorum studijs, propè ab omnibus esset desertus, augustalem cultum, regni insignia, sphæram, coronam, sceptrum, crucem, lanceam triumphalem, filio sponte traderet. Quod ubi fecerat, pollicitus est, se, quod ipsi reliquum esset vitæ, in privato secessu, Deo suæque saluti donaturum. Legati, in publico Patrum consessu, imperij insignia, Moguntiæ, Henrico filio commendârunt non sine faustâ acclamatione. Atque hæc quidem fuit funestarum scenarum catastrophe. Non possum Anonymo scriptori, quem Brunnerus secutus est, assentiri, cùm asserit, filium parentis, velut inaugurantis manu, augustali cultu esse insignitum, sed potiùs autumo, scriptorem illum ad insaniam Pontifici infestum & Henrico auctoratum, odio istam fabulam esse commentum. Neque enim vero affine est, vetustum inaugurandi ritum, quem leges moresque Sacrorum Antistitibus tribuerunt, homini toties execrato fuisse permissum. Verius est, quod Otho Frisingensis scriptum reliquit; *Reversi ad filium optimates, Imperialia deferunt, eúmque primò à patre electum, per impositionem manûs Apostolicæ sedis Legatorum, cunctorúmque electione, nonagesimum quintum ab Augusto Regem creant.*

Henricus IV. meliora pollicetur.

IX.

Ejus absolutio differtur.

In filii potestatem consignat augustalia insignia.

X.

Secundum hæc, Principes de constituendâ Reipub. pace soliciti, quam, nisi integratâ cum sede Romanâ concordiâ, stare non posse videbant, honorificam ad Paschalem Pontificem legationem decreverunt. Lecti ad id muneris viri, fide, sapientiâ, & rerum usu præstantissimi: è Lotharingis Bruno Trevirensis Archiepiscopus: è Saxonibus Henricus Magdeburgensis: è Franconibus Otho Babenbergensis: è Bojarijs Eberhardus Eistattensis: è Suevis Gebhardus Constantiensis: è Burgundis Episcopus Curiensis, quos è profano ordine primæ notæ Proceres sunt comitati, omnes instructi mandatis, ut Paschalem, trans Alpes, ad Germaniam omni ex parte pacandam invitarent. Provectis in vallem Tridentinam, Adalbertus limiti præfectus, ferventi adolescens ingenio, quem Henricus senior præsentis fortunæ commiseratione, cum alijs quibusdam, in partes traxerat, cùm Tridenti abnoctâssent, captis ac spoliatis custodes circumdedit, causatus, id sibi ab Imperatore esse mandatum. Jam enim Henricus parens, sparsis per Germaniæ provincias querimonijs, compluribus persuaserat, se per vim à filio & Principibus de fastigio esse deturbatum, orabátque, ne Majestatis atrocem injuriam paterentur inultam. Eapropter Italiæ aditus commeantibus passim erant intuti. Gebhardus tamen Constantiensis, diverso à cæteris Oratoribus itinere, inobservatus evasit in Lombardiam, & Mathildis ope penetravit in urbem. Otho Babenbergensis,

Amplissima legatio ad Paschalem Pont.

Legati capiuntur Tridenti.

ſis, cui Adelbertus nexu clientelari erat obſtrictus, abire permiſſus cum Brunone Trevirenſi, & Wigberto Comite, eâ tamen lege, ut rectà ſe conferrent ad Imperatorem, futuri pacis interpretes, & quicquid ille de captivis ſtatueret, cum fide Tridentum relaturi. Verùm Welfo Dux Bavariæ, periclitantibus in tempore adfuit. Triduo enim, poſteaquàm attinebantur, effractis Tiroliorum Pylis irrumpens, Gebhardum, quem ab Henrico filio ad Tridenti Pontificatum juſſum promoveri, cives odio Catholicæ conſenſionis imbuti, ſe nunquam admiſſuros conjurârant, cathedræ impoſuit, & Adalbertum ad veniam à Legatis nudis pedibus exorandam, arcémque novo Antiſtiti cedendam, adegit,

WELFO BOIARIÆ DUX LEGATOS LIBERAT.

Chron. Slaver. lib. 1. cap. 33. Vrsperg. Anonym. pag. 390.

HENRICUS SENIOR FACTIOSOS SIBI CONCILIAT.

Henricus parens interea privati receſſûs anguſtias pertæſus, elapſus eſt Coloniam Agrippinam, atque inde Leodium; nec multò pòſt Juliacum, Bonnam, aliáque ſibi Germaniæ oppida adjunxit. Traxit in eandem factionem nonnullos Italiæ Proceres, atque in ijs quidem Wernerum Aquini Marchionem, qui fretus auxilio Schiſmaticorum, & quorundam Romanorum conſpiratione, Maginulfum Monachum, abortivum Farſenſium Abbatem, dum Paſchalis Pontifex apud Beneventanos agit, D. Petri ſedi intruſit, juſsitque Sylveſtrum III. appellari; qui tamen Romanâ ditione ignominioſè expulſus, exutúſque Monaſterij procuratione, animi mœrore, haud multò pòſt interijt. Per eos dies Henricus filius dabat operam rebus in Alſatiâ componendis, quas Rubeacenſes nonnihil turbaverant. Etenim irritati regij militis inſolentiâ, correptis per tumultum armis, auſi marte aperto confligere, non modò cohortes aliquot ad prædam effuſas, ſed ipſum etiam Regem auxilio properantem, & regio ſpoliatum paludamento, egerant in fugam valde indecorem. Impetravêre quidem facti veniam, & auguſtali cultu reſtituto, videbantur in gratiam recepti: ſed Henricus Rubeaci mœnibus receptus, acceptam ignominiam injectis in tecta flammis violatam majeſtatem contra fidem, ultus eſt, illaudato ſævitiæ exemplo, quæ recentis principatûs initia (ut fit) haud leviter contaminavit, cùm nihil perinde, atque clementia ſubjectorum animos nova imperia inchoantibus, ſoleat devincire.

XI.

NOVUS ANTIPAPA.

TUMULTUM RUBEACENSIUM HENRICUS IUNIOR ULCISCITUR.

Sub hæc venêre è Belgicâ nuntij, patrem in Ubijs & Eburonibus vires colligere, & tum Leodienſis Epiſcopi, tum Lotharingiæ Ducis auxilio reparare bellum. Filius eò properandum ratus, ex equitatu trecentos expeditos præmiſit, qui Viſetenſem Moſæ trajectum occuparent. Eò dum feſtinant incautiùs, incidunt in Lotharingorum agmen, à quibus nullo propè negotio disjecti, dum fugam moliuntur, evadunt in pontem, qui hoſtis arte, an prægravante multitudine ſolutus, pleroſque, quibus ferrum pepercerat, effudit in profluentem. Cæterùm Henricus Senior Coloniam, belli ſedem, proſcripto Archiepiſcopo, valido præſidio & propugnaculis communit, ſeſéque Leodium recipit nova auxilia præſtolaturus. E diverſo filius, ad ineuntem Junium, obſidium admovet Agrippinenſibus, qui licèt viginti armatorum millibus validè premerentur, toto tamen menſe, tot & tanta ediderunt bellicæ virtutis exempla, ut, cùm Rex adverteret operoſam cruentámque fore oppugnationem, & diuturnitate perincommodam, gliſcentibus jam ob annonæ tenuitatem in exercitu morbis, ſolutâ obſidione, adverſus Lotharingum, quem reum Majeſtatis renuntiârat, vires converterit, ut eo debellato, in quo præcipuum erat adverſæ factionis robur, faciliùs belli reliquias perſequeretur. Verùm hæc meditanti nuntiatum ex Eburonibus, parentem 7. Idus Auguſti deſijſſe vivere. Moriens, agebat ætatis annum quintum ſupra quinquageſimum, regni quinquageſimum. Otbertus Leodienſis Epiſcopus eâ lege in Eccleſiæ communionem receptus eſt, ut defuncti cadaver, quod in ſacro cujuſdam Monaſterij conditorio tumulaverat, effoderet, & profanæ terræ mandaret: inde tamen refoſſum, volente filio, Spiram eſt translatum, & lapideo ſarcophago incluſum, per quinquennium jacuit extra templi limina, donec tandem Romani Pontificis conceſſu majorum Mauſoleo illatum eſt. Ita vitam finijt miſer Imperator, vivus mortuúſque fortunæ ludibrium, auctor tutórque Schiſmatis quadragenarij, fax & turbo rei Chriſtianæ, publicum Eccleſiæ odium, eóque nullis, niſi unius impro-

TRECENTI IPSIUS EQUITES PROFLIGATI.

Nancler. vol. 2. Generat. 37. Krantz. lib. 5. c. 22.

COLONIAM FRUSTRA OBSIDET.

XII.

MORS HENRICI IV.

probitatis lachrymis comploratus. Cæteroqui nonnullæ subinde ex corrupta indole promicabant bonæ mentis scintillæ. Aliquando sicarijs, qui ejus necem erant machinati, supplicium remisit: nec erat perpetuò tam inclemens, quin Principibus, quos infestos senserat, si professi culpam ad ejus genua procumberent, nonnunquam parceret. Dabat etiam misericordiæ suas vices, liberali in egentes largitione. Si Germanicis scriptoribus fides est, nemo eâ tempestate nobilitatis splendore, ingenio, audaciâ, totius corporis elegantiâ visus est imperij fascibus aptior, & fuisset quidem non indignus, nisi magnas naturæ dotes maximis vitijs obruisset, culpâ tantò atrociore, quantò quisque deterior, qui malus esse vult, cùm possit esse bonus, & improbitate DEI dona corrumpit. *Dodechin.*

Pervulgatâ ejus morte, Paschalis summus Pontifex, Germaniæ Principum rogatu, sine cunctatione iter versus Alpes ingressus est. Florentiæ pauxillum substitit, ut discuteret inanem famam, quæ de proximo Antichristi adventu stolidè jactabatur. Inde Guastallam progressus ad Padi ripam, mense Octobri, conventum egit, de reparandis damnis, quæ diuturna Schismatis contumacia Ecclesiæ intulerat. Quâ ex Synodo Conradum, è nobilissimo Babonis Abenspergij sanguine oriundum, pallio donatum, Salisburgensibus Antistitem remisit, jussitque, Bertholdum, ejus sedis incubatorem, expelli. Quò verò minus in sanciendâ ubique concordiâ esset obstaculi, donavit Episcopis & Clericis, qui à Schismaticis erant initiati, ne gradu moverentur, nisi si qui sacerdotia per vim aut detestandam nundinationem simoniacè invasissent, vel certè alijs sceleribus essent contaminati, qualis erat Hermannus Augustanus, quem, civitatis nomine, internuntij multorum criminum egêre reum. Adfuêre sacris comitijs Henrici V. oratores, Paschali regium obsequium professi, & Regni jus ratum haberi postulantes. Sed Pontifex, suspecta habens Germanorum ingenia, quorum erat expertus ferociam, Veronæ cùm diversaretur, in nupero adversus cives tumultu, factúsque certior, quòd Henricus à dimittendis è manu Ecclesiarum institutionibus esset alienus, responsum distulit, & mutatâ itineris ratione, deflexit in Galliam, inde Germaniæ rebus facilè prospecturus. Quam ad rem, Concilium Trecas indixit, & alpibus asperrimâ brumâ superatis, Cluniaci, per natales Christi ferias nonnihil respiravit. Iisdem Henricus Rex Ratisbonæ operatus, ex Legatis Pontificijs cognovit, Paschalem Trecis ordinandis Ecclesiæ rebus adlaboraturum, proinde fore Germanis integrum, quod suarum esset partium, ad Concilium referre.

Vrsbergen. PASCHALIS PONTIF. A GERMANIA DEFLECTENS *Domnizo.* XIII. IN GALLIAM PROFICISCITUR. *Vrsperg.*

Hunc annum nobilitavit 16. Junij D. Bennonis Misnensis Episcopi felicissima è terris ad beatorum sedes migratio, quam eò propensiùs producimus, quòd Bojaria sacris ejus exuvijs, anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, ditata, multas opitulationes ejus patrocinio adscribat. Eum summus Pontifex Adrianus VI. post habitas de ejusdem miraculis & sanctitate Julij II. Leonis X. ipsiúsque Adriani jussu, accuratas quæstiones, anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio in Cœlitum Album retulit, résque supra naturam ab eo divinitus ante & post mortem patratas, in Bullâ, quam vocant canonizationis, integerrimâ fide recensuit: *multos videlicet Bennonis meritis à mortuis ad vitam revocatos, multos varijs morbis curatos, denique qui votum fecerit, neminem illius beneficium non sensisse*: ut omittam Albim flumen, siccis ab eo pedibus, nullo navigij adminiculo, transmissum: Ecclesiæ Misnensis claves in eundem fluvium projectas, & cùm à Romano Concilio redijsset, è ventre piscis receptas: fontem perennem ex arido solo, percussu eductum: aquas in vinum conversas: æri campano vim contra tempestates impetratam: impertitam agris ubertatem: eodem prorsus tempore Naumburgi fecisse ad aram, & Misnæ sanctissimo Sacrificio adfuisse: res futuras præsagijsse: vindicatas ope cœlesti opes Misnensis Ecclesiæ: impressas terræ vestigiorum notas aliquot sæculis perseverâsse: vestes Episcopales, ultra ducentos annos, sub tellure, pone ejus corpus, ab omni corruptione illæsas latuisse, refossásque deinde durâsse adversus omnem teredinem. Quæ postmodum secutæ sunt votivæ ad ipsius Lipsana piorum peregrinationes atque beneficia, nimis longum esset pertexere:

AN. CHRIST. M.CVI. D. BENNONIS MISNENSIS BEATA MORS. EIUS MIRACULA. XIV.

peti possunt ex diarijs, quæ præclara Collegij Canonicorum Monacensium ad D. Virginem diligentia, post accuratam examinationem, pulchro ordine ad annum usque M. DC. LI. digesta, edidit in lucem.

An. Christ. M. CVII. *Otho Frising. Dodechin.* Henricus V. Coloniam deditione accipit. Fulmine adflatur. Cæterùm Henricus Rex, Christianis natalitijs Ratisbonæ peractis, Coloniam Agrippinam obsedit, deditámque accepit in fidem, & propter anni superioris audaciam magnâ pecuniæ vi multavit. Agentem hiberno tempore apud Goslarienses Saxonum conventum, subitò tempestas, fulgetris, cæli fragoribus crebrisque fulminum ictibus horrenda invasit. Pauxillùm abfuit ab interitu. Cælestis ignis ensem regium perstringens, mucronem cum baltheo absumpsit, simul clypei interiorem è corio contextum contraxit in rugas: vulnus grandiori regij pedis digito inflixit, quod nullâ medicorum ope potuit persanari, quibus rebus admonitus, meritò parentis casus, quos haud dissimilia portenta prænuntiaverant, debuisset identidem in memoriam revocare. Celebratis Moguntiæ Paschalibus, se contulit in Galliæ confinium, unde faciliùs exploraret consilia Trecensis conventûs, qui cœptus est ad triumphalem Christi ascensionem. In eo emendata complura præclaris meliorum morum institutis. Ex Gregorij VII. & Urbani II. legibus, vetitum, ne quis sacerdotia, aut infulas à profano magistratu caperet.

Henricus reclamat Decreto Conc. Trecensis, circa sacerdotiorum laicas investituras. XV. Cui decreto Henricus statim per legatos intercessit, causatus, æquum non esse, ut, quæ jura circa beneficiorum sacrarúmve dignitatum institutiones, & quas vulgus nominat investituras, ab omni retro memoria, Imperatores, nihil reclamantibus Romanis Pontificibus, non modò ob præclara in rem Christianam merita, sed etiam collatas in Episcopatuum aliorúmque sacerdotiorum erectionem, luculentas opes continuò possedissent, ijs inviti exuerentur. Revocari posse in memoriam, quid in eo genere Carolus Magnus, quid stirpis Carolinæ Cæsares, quid Othones, aliique Reges, usu nunquam interrupto, servassent; & expendi, an ij, ad quos Imperium transmisissent, deteriore loco esse deberent. Quòd si quid mali usûs in sacerdotiorum distributionem irrepsisset, posse abrogari, & jus rite quæsitum retineri: ita enim in rebus humanis observari, ut, quæ res sine noxâ possunt usurpari, serventur inviolatæ, sed tollatur earundem abusus. Et quamvis in eâ causâ foret aliquid statuendum, non fuisse tamen conveniens, ut de Imperij juribus extra ejus territorium disceptatio susciperetur. Verùm non injuriâ, quos nominavi, Romani Pontifices censuerunt, ad se pertinere rerum sacrarum dispositionem, & abolitionem privilegiorum, quæ insanabilis & inveterata pessimi moris licentia corrupisset. Aliquos Caroli Magni successores sacras investituras vertisse in turpissimum & Ecclesiæ perniciosissimum quæstum, eóque malorum adduxisse, ut sacrorum Antistites, nullâ probitatis, sapientiæ, aliarúmve conditionum, quæ à sacrorum munerum sanctitate exiguntur, habitâ ratione, cùm incomparabili animarum jacturâ, non virtutibus, sed auro, velut per auctionem & sub hastâ, ad sacrosanctas dignitates sibi aditum aperirent.

Decreti ampliatio. In eo rationum conflictu, impetravit Henricus, ut suspensâ justissimi decreti executione, lis ad futurum Romani Concilij judicium ampliaretur.

Bellum Flandricum. In Bojariam deinde reversus, Reginoburgi, de belli Flandrici, adversus Robertum Comitem, gerendi ratione & apparatu, cum Boijs convenit. Robertus hic ipsus est, qui Godefridum Bulionium in Syriam comitatus, in recuperandâ Christi patriâ, præclara fortitudinis exempla edidit. Is domum reversus, Henrico IV. superstite, Cameracenses, Romani Imperij clientes, bello petiverat, & rerum in Palæstina gestarum fiduciâ, regni Germanici fines infestus invaserat subactis Alostensibus. Ab eo Hollandi, fœdere juncti cum Henrico, Zelandicas insulas repetebant: Hannonienses querebantur, se Duaco esse ejectos, & confines, plures injurias ab homine bellicoso metuebant. Quamobrem Henricus è Norico validas copias in Flandros, Octobri mense eduxit. Robertus viribus impar, cunctando bellum extraxit, obsessus, protectúsque Duaci munimentis, dum hostis, per triginta ampliùs dies, Provinciam fœdè laceraret nullo alio operæ pretio. Cùm enim Robertus egregiâ virtute Duacum adversus omnem vim propugnaret, inducias impetravit, eâ lege, ut proximis Imperij comitijs causam dicturus adesset.

Ad-

Adfuit, dixítque tantâ dexteritate, ut integratâ Regis gratiâ, amici loco haberetur. Gestum id Moguntiæ, anno ad finem præcipiti. PAX.

Sub id temporis, Monasterij Berchtesgadensis Canonicorum D. Augustini Regularium, jacta sunt fundamenta, vel, quod Berchtesgadenses tabulæ produnt, positum est fastigium à Berengario Comite Sulzbacensi, ejúsque fratre Cunone, & Irmengarde utriusque matre. Eberwino, è Raittenbuchensi Cœnobio, cum septem instituti sui sodalibus demandata est prima loci præfectura, quâ per annos triginta quatuor *devotè & prosperè* (ita habent Cœnobij litteræ) obitâ, anno M.C.XLII. vivere desijt. Unde est, cur eorum calculus emendetur, qui in annum M. XCIIX. istius Collegij initia conjecerunt, quod si verum haberet, Eberwinum oporteret duobus annis diutiùs præfuisse. Baumburgense item D. Augustini domicilium circa hunc annum caput extulisse, & tenuia Berchtesgadensium initia opibus adjuvisse, vero similiter apparet ex illius monumentis. Nihil præterea memorabile hoc anno missum in Bojariæ fastos. Externum est bellum, quod Henricus gessit in Colomannum Ungariæ Regem, cum ingente sumptu, & nullâ ad fructum, aut gloriam commendatione. Bellandi causa, quæ cùm deest, facilè fingitur ab inquietis, fuerunt fraternæ Colomanni cum Almo simultates, & injuriarum memoria, quibus Colomannus cruci ad sacram militiam auctoratos, cùm in Syriam tenderent, dicebatur affecisse: quódque subinde Germanicis imperij finibus armorum terrorem intulisset. Almus, neutiquam contentus precariâ Ducis appellatione, fratri erat suspectus, quasi stimulante ambitu, sceptro insidiaretur. Eum Colomannus dignitate exutum eò necessitatis adegit, ut, profugus in Boicam, auxilia ab Henrico rogaret, impetrarétque. Bellum inconsultè susceptum frustraneâ Posonij obsidione, exiguâ cum laude finitum: neque enim Almum juvit, neque Henrico quicquam contulit, præter operæ malè locatæ infamiam.

AN. CHRIST. M.CVIII.

XVI.

COENOBIUM BERCHTESGADENSE.

Brun. lib. 11. pag. 173.

Vide Hund. in Metrop. to. 2. pag. 153. & 193.

BAUMBURGENSE MONASTERIUM.

BELLUM UNGARICUM.

Haud multò gloriosior anni sequentis in Polonos expeditio, brevis quidem, sed successu improspero. Henrico in Ungariâ laboranti, anno superiore, se Poloni bifariam objecerant, missis ad Ungaros suppetijs, & factâ in Bojæmiam irruptione, ut Suatoplicum Principem, qui stipendia bello Ungarico faciebat, ab Henrico abstractum, ad domestica pericula revocarent, metuentem, ne Borivojus sibi nuper ereptum principatum, Polonorum ope vindicaret. Henricus per se ardens vindictæ cupiditate, simul à Bojæmorum nonnullis incitabatur: nusquam desunt malevolis irarum incentiva. Facem identidem addebat Spigneus exul. Igitur æstate ineunte, Cæsar non Bojorum duntaxat & Bojæmorum, sed totius etiam Germaniæ viribus, Poloniam, quâ parte Silesiæ confinis est, ingreditur, & arce Libusiâ oppidóque in potestatem redactis, Bythoniam frustra obsidet. Nihilo tamen seciùs, vasis conclamatis, Cæsar ad ulteriora progressus, Recenum capit, jubétque, omne belli instrumentum ad Gloggoviam, quæ id temporis Boleslao Polono parebat, obsidendam comparari. Sed jam præcesserant Polonica auxilia, quæ nostros Viadri trajectu prohiberent. Henricus tamen vado reperto haud procul ab urbe, ad 9. Cal. Septembris, exercitum ducit in adversam ripam, primo impetu submovet Polonorum excubias, palantes cædit colonos, magnámque armenti copiam abigit: tum admotis machinis, oppidanos, ultima exempla metuentes, cogit ad paciscendas quinque dierum inducias, dandósque obsides, fore, ut, si interea nihil auxilij veniret, mœnibus Cæsar pacatè reciperetur. Boleslaus de periculo factus certior, obsessis addicit, se in tempore adfuturum, jubétque minaciter, eos, ultra condictam diem, vim hostilem sustinere. Eapropter cives, elapsis inducijs, de urbe dedendâ postulati, negant, sibi id per Boleslaum, nisi cum fortunarum capitísque periculo licere. Instauratâ igitur, summâ vi, oppugnatione, factum utrinque fortiter, sed grandiore Cæsarianorum jacturâ, plurimis per aliquot dierum insultus, Bavarorum, Bojæmorum & Saxonum cadentibus. Adveniens inter hæc Boleslaus, Henricum, occupatis circum aditibus, cogit in arctum, prohibétque pabulationis & annonæ facultate; castra subinde, continentibus propè incursionibus

AN. CHRIST. M. CIX.

Cromer. lib. 5. pag. 76.

XVII.

BELLUM POLONICUM.

lacessens, commeantes ex insidijs opprimens, eò denique necessitatis Cæsarem impellit, ut obsesso, quàm obsidenti, videretur esse similior. In castris gliscebat
XIIX. fames, miles fatigabatur perpetuis ferè vigilijs, erátque periculum, ne, morbis invalescentibus, exercitus insigniter minueretur. Cæsar igitur metu dedecoris decrevit, summo conatu oppugnationem experiri. Paratum ad faciendam impressionem, Suatoplici mors compescuit. Eum Cistes Bojæmus, exul, stipatoribus permixtus, ex improviso trucidavit, exilij, in quod erat actus, vindictâ, an interemptorum cognatorum dolore, & Boleslai instinctu. Exinde captum in castris infaustum omen, præsertim à Bojæmis, quos Henricus, concessâ novi Ducis optandi potestate, delinivit. Othonem illi quidem Moraviæ Marchionem, Suatoplici germanum, filijs & Uladislao patruele prætermissis, nominârunt; sed Bojæmorum proceres, Othone repudiato, Uladislaum Borivoij exauctorati fratrem, summæ rei imposuerunt, quem deinde Suatoplicus & Bojæmiæ Ordines, successorem, interpositâ jurisjurandi religione, nominârunt.

Henricus Bojæmorum, qui domum abierant, subsidio nudatus, solutâ Glogoviæ obsidione, nondum satur malorum, inauspicato consilio, movet ad Poloniæ remotiora, nihil à tergo munitus, quod bellantibus semper fuit importunum. Ejus vestigia ponè premebat Boleslaus. Ut ventum est in Uratislaviæ conspectum, acie hinc & hinc instructâ, pugnatum acerrimè à primo diluculo usque ad meridiem, marte dubio, quòd Poloni levioris armaturæ in densatas Germanorum phalanges casso impetu procurrerent. Sed Silesij, Henrici aciem, demum facto cuneo, invecti evertêre. Ortâ à tergo fugâ, Henricus suos à fronte restitantes, in ordinibus retinere non potuit: ægrè ipsemet elapsus est. Ne ex receptu cresceret dedecus, Boleslao pacem concessit, locatâ in thorum sorore Adelaide, desponsâque Christinâ admodum puellâ Uladislao filio Boleslai.

Henricus acie vincitur.

XIX. Porrò Borivojus, ex Suatoplici fratris nece, dubiâ de Bojæmiæ principatu contentione, occasionem nactus recuperandi dominatûs, quo se querebatur à fratre spoliatum, impetratis à Boleslao Polonorum, qui certatim ad signa confluebant, auxilijs, ex improviso Bojæmiam ingressus, absente Uladislao, qui Reginoburgi Henrico comitia agenti aderat, nullo propè negotio Pragam, Bojæmiæ caput, & Wissegradum invadit. Henricus, comperto Bojæmiæ motu, Borivojum jussit, ad litem cum Uladislao disceptandam adesse, cúmque, victoriâ competitori addictâ, jussit in vinculis attineri. Quæ causa fuit, cur anno postero, bellum fuerit in Bojæmiâ renovatum. Id Boleslaus Polonus, absente Cæsare, qui in Italiam erat profectus, insigni victoriâ potitus, prosperè finijt ad 8. Id. Octobris, expressitque Borivoij libertatem, quâ tamen non est potitus, donec anno M. CXVII. Cæsar ex Italia in Germaniam est reversus.

Novi motus in Bojæmia.

Veteres membranæ, ad hunc annum referunt Prufenningensis Cœnobij originem. Situm est in Ratisbonæ conspectu, ad Danubij & Nabi confluentes. Ejus author D. Otho Babenbergensis Antistes, Pomeranorum Apostolus, cui, ferunt, ejusce operis moliendi mentem divinitus esse injectam, quando ex areâ Cœnobio destinatâ, vidit scalam ad cœlum assurgentem, indéque audijt æris campani signa, per horarum intervalla, quibus divinæ laudes in choris à Clero solent celebrari.

Prufenningense Monasterium.

Per idem tempus, Henricus & Ernestus Kirchbergenses Dynastæ, ad amnem Labarum, arcem Mallerstorfiam, primùm in ædem sacram, postea in Benedictinæ familiæ domicilium commutârunt. Mutavit quoque humile latibulum cum aulâ cœlesti B. Edigna virgo 26. Februarij. Chartæ, quæ publicè extant in templo Buechensi (Buecha pagus est in Boicâ, haud longè ab Ambrone fluvio, è regione Furstenfeldæ) memorant, Edignam è Regiâ Francorum stirpe, quò securiùs suum genus & virtutes tegeret, cultu peregrino, eóque vili, in bigâ rusticanâ, quam boves gemini vectabant, delatam esse in Boicam, & sedem Buechæ fixisse, in prægrandis tiliæ, quæ hodiéque triplici stirpe nixa pro templi foribus visitur, excavato trunco, qui vim à virgine mutuatus, post ejus mortem, diu fertur manâsse oleo, ægris apprimè salutari; donec avaritia, ex eo captare ausa lucrum, prodigiosam scatu-

Avent. Annal.

Mallerstorfense Monasterium.

B. Edigna virgo.

ſcaturiginem exhauſit, ſiccavitque. Iſthic virgo ætatem jejuniis, vigiliis, precationibus, lachrymis, divinis laudibus, arctæ paupertati dedicatam finiit. Memorant accolæ, miris eam operibus hodiéque inclareſcere, redhibere res furto ablatas, curare inveteratos oculorum, capitis, aliósque dolores, depellere ſtrumas, phreneſim, nephritidem; parturientes letho adimere, reddere cadentium lapſus molliores, averruncare armenti morbos.

Ab iſtis religionis exemplis, quibus Edigna, virgo regia, communem modum fertur eſſe ſupergreſſa, relabor ad ingentes turbas, quæ orbem Chriſtianum concuſſerunt. Henricus V. frequenti Germaniæ Principum Senatu, Ratiſbonæ ad 8. Idus Januarias, conſilium, quod dudum antè mente verſaverat, de Româ adeundâ, & capeſſendis ſupremis Imperii honoribus, juſſit in commune diſceptari. Nemo fuit, quin digniſſimam Rege cogitationem laudaret. Certatim arma, ſtipendia addicta. Totius robur Germaniæ, flos juventutis, nobilitas penè univerſa optatiſſimæ expeditioni nomen dedit, eo numero, ut Otho Friſingenſis, triginta equitum millia, ad ſigna confluxiſſe, ſcripſerit. Peditatum & Italica auxilia non recenſet. Paſchalis Pontifex, ubi per Legatos de futurâ Regis profectione factus eſt certior, non immeritò veritus, ne ſub pacis larvâ, ſiniſtræ mentis aliquid lateret, Principem Capuanum, omnes Apuliæ Dynaſtas, Nortmannos Italicos, Longobardos, univerſos Eccleſiæ Romanæ clientes, ad paranda auxilia, &, ſi foret uſus, ad vim defendendam excitavit. Promptum eſt multa polliceri, pauca præſtare. Juſſi quoque Romani ſeſe ad omnes caſus comparare. Et verò etiam cœlum minas videbatur intentare ſidere crinito, quod ad 8. Idus Junias cœpit, non ſine mortalium horrore, coruſcare.

An. Christi M. C. X.

XX.

Henrici expeditio Romana.

Sub menſem Sextilem Henricus movit ex Germaniâ. In ejus comitatu fuêre, Welfo Bojorum Dux, Henricus Carinthius, Berengarius Sultzbacenſis & Cono fratres, Theobaldus Vohburgius, Engelbertus Craiburgius, Sigebotho Falckenſteinius. Taceo proceres gentium aliarum. Rex cum parte copiarum per alpes Cottias, quas poſteri Montem Jovis dixerunt, profectus eſt, cæteræ copiæ per fauces Tridentinas in aperta camporum evasêre. Cæſar Eporædiæ honorificè acceptus eſt: Novariam, imperata facere detrectantem, vi occupavit, & ad cæteræ Italiæ terrorem incendit. Conjunctis deinde copiis, venit Mediolanum, ubi à Chryſolao Archiepiſcopo regni Italici coronam accepit. Inde ſine maleficio delatus Cremonam, & Brixianis offenſus, arce D. Martini Guardici expugnatâ, Veronam progreſſus eſt. Tum Pado trajecto, caſtris ad Placentiam poſitis, ſolenne ſacramentum & munera à civitate accepit. Parmam verſus abiens, movit ad Tarum, Galliæ Ciſalpinæ flumen, quod ex Apennino monte ſe in Eridanum exonerat. Antequam iret longiùs, cum Mathilde, quæ arma parabat, pacem iniit. Agrum dehinc Parmenſem emenſus, agrúmque Mutinenſem, rigidiſſimâ hieme, cum incredibilibus legionum incommodis, Apenninum ſuperavit. Florentiæ, per Chriſti natales captum ſpatium reſpirandi. Ventum inde Aretium, quod, civium proterviâ irritatus Cæſar, vaſtavit. Ex eo loco, miſſi ad Pontificem oratores, qui nuntiarent, Henricum ad petendos auguſtales honores, venire pacatum, paratúmque eſſe in ſummæ ſedis auctoritate, & ad præſtanda, quæ ipſius majores piè reverentérque præſtitiſſent. Juvat ex Petro Diacono pacta deſcribere, uſque eò Germaniæ Principibus clàm habita, ut (quod Gerhohus notavit) unus Adelbertus Regni Cancellarius, Saræpontanus Comes, gente Lotharingus in eorum notitiam fuerit admiſſus. *Henricus die coronationis ſuæ, omnia uſurpata Eccleſiæ jura Pontifici firmabit: dimittet Eccleſias liberas cum muneribus & poſſeſſionibus ſuis, quas ad regnum non pertinere conſtabit. Liberabit ſacramento populos, qui adverſari Epiſcopis compulſi ſunt, patrimonia poſſeſſionéſque B. Petri reſtituet eâ libertate, quâ à Carolo, Ludovico, Henrico, aliiſque Imperatoribus conceſſa ſunt, ſervabitque ea B. Petro pro viribus. Nihil aut faciet, aut dicet, quo Pontifex Pontificatum amittat, aut noxam aliquam corporis, aut membrorum accipiat, aut capiatur dolo malo, aut per ſe, aut per alium, neque ipſe, neque amici ejus, qui pro ipſo fidem obligabunt, ut Petrus Leonis, & filii ejus. Quòd ſi quis eis nocuerit, Rex*

Henricus ingreſſus Italiam.

Mediolani coronatur

Varia loca occupat.

XXI.

An. Christ. M. CXI.

Otho Friſing.

Pacta inter Pontificem et Henricum.

Rex ipse bonâ fide eis auxilio erit. Pro his observandis, prades dabit, Fridericum sororis suæ filium, Engelbertum & Theobaldum Marchiones, Hermannum & Gotifredum Comites, Fridericum Palatij Comitem, Berengarium Bajorium, Henricum Carinthium, Bertolfum Bertolfi Ducis filium, qui sacramento præstabit incolumitatem Pontifici, vitæ, membrorum, libertatis & dignitatis, & nisi Rex ista servabit, ad Ecclesiæ Romanæ partes se transferent obsides. Rex dabit proximo quinto die, eósque mittet ad Insulam in potestatem Pontificis, & si obsides ab eo recipiet, reddet eos in die coronationis suæ, ponte transmisso: & si fortè coronatus non fuerit, aut pontem non trajecerit, similiter reddet ad arcem S. Angeli: Legatos, quos Pontifex ad se miserit, dum ibunt & redibunt, tutos à se suisque præstabit: & si qua eis noxa scienter allata erit, bonâ fide resarciet. Hæc ubi Henricus impleverit, tum Pontifex, astantibus in die coronationis suæ mandabit, ut regalia imperatori dimittant, quæque à temporibus Caroli, Ludovici, Henrici, aliorúmque prædecessorum, ad regnum pertinebant, scripto ea, indicto anathemate, confirmabit, fore ut nemo eorum, aut præsentium, aut absentium, aut successores eorum, jura regni attingant, neque invadant civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, monetas, telonea, advocationes Imperij, Centurionum jura, cortésque cum ijs, quæ ad eas pertinent: neque Pontifex Imperatori, neque Romano imperio, super his litem movebit, & hac privilegio, proposito anathemate, confirmabit. Henricum benignè & cum honore excipiet, & ut assolet, scienter & sine dolo malo coronâ Imperatoriâ decorabit, & ad retinendum imperium auxilio erit. Hoc si Pontifex non expleverit, Petrus Leonis & amici ejus ad partes transibunt Imperatoris, obsides, nisi effugerint, altero post coronationem die, restituet: si per Pontificem steterit, quò minùs coronetur, restituet.

XXII. Hæc eo tenore conscripta, legati regij unà cum Pontificijs, ad Henricum regressi detulerunt, qui omnia accuratè recitata & expensa, se servaturum juratus addixit. His ita constitutis, ad 3. Idus Februarias, ipsis Liberalibus, castra locavit ad urbem, in monte Malo, ut, quemadmodum urgebant Romani, priusquam mœnibus reciperetur, Urbis jura, honores, libertates, privilegia, jurejurando firmaret. Et juravit quidem, sed linguâ Germanis vernaculâ: quod Romani, nescio quid fraudis suspicati, ostenderunt, se vehementer improbare. Postridie nihilo minùs celebri pompâ deductus in urbem, cùm in pedes ante basilicam Vaticanam desilijsset, ascendit ad Pontificem, qui unà cum frequenti Purpuratorum Senatu in supremo scalarum gradu expectabat. Ibi provolutus ad sacros pedes, erectúsque accepto pacis osculo, pro more, ad portam argenteam processit. Istic à Chrysolao Mediolani Antistite oblatus, factâ fidei professione, à Pontifice Imperator est renuntiatus. Tum introductus in ædem, ad rotam Porphyreticam, Pontifici dextram sellam occupanti, ipse ad lævam assedit. Vix assederat, cùm, nihil minùs expectans, ex improviso rogatur à Pontifice, ut, quod erat pollicitus, sacrarum dignitatum, sacerdotiorum, Episcoporum institutiones abjuraret. Hic attonito similis, primùm conticuit, dein impetrato spatio deliberandi, ad sanctioris consilij proceres, qui in sinistrâ templi parte constiterant, secessit. Cùm consultatio protraheretur, neque in re tam arduâ & inexpectatâ consilium expediretur, misit Pontifex, qui moneret, facerent disceptandi finem, diem esse adultam, & haud parùm temporis peragendis Sacris exposci. Germani Antistites, quorum res maximè agebatur, obnuntiârunt pacto, quod Cæsar ipsis inscijs inivisset, utpote Ecclesiarum juribus nimium quantum adversanti, quæ à pientissimis Imperatoribus, volentibus summis Pontificibus, citra cujusquam injuriam, manâssent. Beneficia Principum, æterna atque immota esse debere, neque verò fas esse, Caroli, Ludovici, Henrici, & Othonum liberalem pietatem pessundari. Si regalia, Principatus, Præfecturæ, Tetrarchiæ, tributa, portoria, jus æris feriendi, rimandi conflandique metalli, Ecclesijs adimantur, qui demum ad tuendam earum dignitatem & incolumitatem reliquum sit futurum? Cùm perstaret tamen Pontifex in sententiâ, dicerétque, reddenda esse Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & sacrosanctis aris addictos, malè sæcularibus negotijs implicari, quod D. Ambrosij judicio

Henricus urbis privilegia confirmat.

Urbem ingreditur.

Ingens contentio de beneficiorum institutionibus et iure regalium.

Sigon. lib. 10.

dicio id esset à sacerdotum officio alienum: reponebant Antistites, quæ Dei essent, Deo non debere auferri, neque piè oblata, in Cæsaris usus converti. Plura à tumultuantibus jactata in summum Orbis Christiani parentem, pro veteri jure Cæsarum ad Præsules per pedum & annulum inaugurandos. Cùm nullus daretur locus, neque mollibus, neque acrioribus consilijs, Cæsar, quorundam Episcoporum instinctu, Pontificem jussit armatorum globo circumdari. Tanta confluxerat hominum multitudo, ut procedenti ad D. Petri aram ægrè patuerit accessus. Ne divinis quidem operanti detracta est custodia. Sacro peracto, unà cum Cardinalibus, extra templi atrium, ad noctem usque fuit à milite custoditus, nemine ex Germanis, præter Conradum Salisburgensem Archiepiscopum, atrocem injuriam improbante. Is per armatorum turbam irrumpens, obvijs elatâ voce facinus indignum exprobrabat, quo sanctissima Christi majestas in Vicario; sacrorum reverentia, in augustissimo totius orbis terrarum templo violabatur, idque Christiani Principis imperio, quódque turpius, Episcopis authoribus. Talia vociferanti, Henricus quidam, cognomento Caput, qui Aventino dicitur Caufringensis, sicam intentavit, minatus, se eum, ni mox linguam compesceret, confossurum: sed tantùm abfuit, ut generosam Conradi constantiam libertatémque percelleret, ut etiam vocem animósque erigeret. *En*, inquiebat vir sanctus, *jugulum, feri sodes, & funde sanguinem, quo justissima causa, per summum vestrum scelus oppressa, & à me defensa memoria, ad omnem posteritatem cum æterno nationis nostræ dedecore transscribatur. Fac in meo capite præludium impiæ carnificinæ, quæ nunquam satis, nisi tuo tuique similium interitu poterit expiari. Mihi tanti non est vivere, quin mors pro* Deo *sit in voto, ne per id, quod mihi superest vitæ, cogar longam malorum vestrorum seriem intueri. Nemo sanè à me, nisi mortuo, intempestivum silentium exprimet: quis enim filius vocem contineat, quando piorum omnium parentem, tam atroci sacrilegio cernit offendi?* Dicendi ardor, stolidi hominis ferrum retudit. Cardinalium nonnulli, Pontificis captivitate & impendentis periculi metu anxij, sub plebejo habitu inobservati per confertam multitudinem aufugêre. In his Joannes Episcopus Tusculanus, qui in urbis compitis & privatorum domicilijs, quosvis obvios, ad ulciscendum omnium, quod ista ætas vidit, crimen immanissimum, hortatus est. Secuta eodem die, Germanorum omnium, qui religionis, vel negotiorum causâ Romam venerant, cruenta cædes. Postridie, instauratâ sævitie, Romani facto agmine, transmisso Tiberi, in Regis castra faciunt impetum, ipsúmque Cæsarem, se furentibus inferentem, in facie sauciatum equo deturbant, haud dubiè prostratum trucidaturi, nisi Otho Comes Mediolanensis in equum sublato, fugiendi rationem expedivisset. Othonem Romani in urbem raptatum fœdissimè laniârunt. Imperator interim castra armatásque phalanges oberrans, vulnus manantémque cruorem ostentabat, animabátque suos ad vindictam. *Quid cessatis*, ajebat, *commilitones? aliúndne, quàm à regio sanguine & cruentâ plagâ classicum expectatis? Perieram vobis otiosè spectantibus, nisi exteri virtus, velut miraculo servâsset. Hanc fortuna vobis gloriam præripuit, ne fama servati Regis gloriam de vobis loquatur: hanc saltem lauream in patriam reportate, ut vos Regis injuriam esse ultos prædicent seri nepotes.* Ad has voces, coortæ ad pugnam legiones, furentium more incurrerunt in Romanos, nullo sternendi fine, nullo sæviendi temperamento. Multa hominum millia ad pontem Ælium deleti, multi acti in Tiberim absorptíque, complures conjecti in vincula, permulti in Urbem refugientes, à confertâ turbâ obtriti. Non fuit, eâ tempestate, alia pugna Romanis fœdior aut magis truculenta, quæ tamen sub vesperum recruduit, civibus ad legenda spolia rursum sociatis. Qui cladi superfuerunt, Cardinalis Tusculani hortatu, in Imperatoris caput conspirârunt: quo comperto, proximo noctis conticinio abduxit in vinculis Pontificem cum Cardinalium collegio, multis Episcopis, toto eorum comitatu, & ingenti aliorum captivorum multitudine.

Pontifex capitur.

Conradi Salisburgensis egregia animi magnitudo.

XXIII.

Germanorum advenarum cædes.

Cæsar vulneratur.

Atrox Romanorum clades.

Pontifex una cum Cardinalibus abducti in vinculis.

XXIV.

Profectus in Sabinos, Paschalem & quatuor Cardinales jussit in castro Trebeco, cæteros apud Cortodisium custodiri. Duo Episcopi in Paschalis ministeriore-

rio relicti. Ager Romanus devastatus, biduo, quo castra fuerunt in urbis conspectu. Bimestre datum est facinori à longâ avorum memoriâ turpissimo. Tentatus inter hæc Paschalis animus, ut pateretur fieri de pace mentionem. Rogatus enixè à Germanis Episcopis, daret suæ lenitati urbis salutem, captivorum incolumitatem, orbis Christiani quietem, Cæsaris amicitiam, quam posset demereri, si eum inauguraret, sineretque uti frui prisco sacerdotiorum conferendorum iure. Ad hæc Paschalis commotior: *Itáne vos, quibus sacrorum tutela, pro vestri ordinis conditione commissa est, mihi consilij adeò execrabilis authores estis, ut homini tam impio, tam fraudulento manus divinæ rei dicatas imponam? Ipse suas scilicet egregie ad suscipiendam consecrationem expiavit, fuso in sacris adytis, super ipsas aras, sanguine sacerdotum, & temerato per insontium cædes, sanctitudinis sacrario. Egóne tale monstrum sinam sacris unctionibus attingi, &, velut unum aliquem è bonorum numero, fulgere diademate, gloriari sceptro, ostro amiciri, gestare globum, insigne Imperij orbis terrarum, armari ferro, quo mox ad Ecclesiæ perniciem sit abusurus? Malo furat in meum caput; nihil enim jam in me potest atrocius. Hæc verò meis illi verbis fidenter renuntiate, non fore illi perennem, quam Roma edidit, crudelitatis usuram; habiturum, quoad vivet, dies turbulentos, neque post truculenta fata, relicturum masculum hæredem.*

PASCHALIS VATICINIUM.

Ad hæc Cæsar, suprà quàm dici queat, excandescens, captivos omnes in Paschalis conspectum jussit produci ad necem, tristissimo spectaculo; quos Pontifex ad mortem, fortiter pro DEI & Ecclesiæ causâ ferendam, hortatus est, ostendens, se eandem cum ipsis, & aliam quamcunque sortis acerbitatem tolerare, in lucro positurum. Verùm cùm in miseris non esset par animi fortitudo, & mortis prorogationem flebili ejulatu comprecarentur, mollitus lachrymis & insontium commiseratione, passus est, se salutis alienæ gratiâ, à sententiæ rigore deduci, ut Henrici votis, si nihil postularet iniquius, obsecundaret. Jurata utrinque pacta in agro ad pontem Mammæum, magnis testibus, subscripta à Paschali licèt perinvito. Quis sensus fuerit regij comitatûs, dum ista agerentur; omnésne Principes ordinis utriusque ex composito delirârint, & sine gemitu Pontificem captivum aspexerint; an præter Conradum Salisburgensem aliqui, cæteris æquiores, saniora sint ausi, contra assentatorum multitudinem, Regi revocare ad animum, non est promptum, in alto omnium ferè Scriptorum silentio, decernere. Unum tamen à communi probro vindicant Annales Weingartenses Welfonem Bojariæ Ducem, qui Boicis legionibus, quas adduxerat, stipatus, pacis inter Pontificem atque Regem fuit interpres, & magnoperè ab Henrici temeritate alienus. Eum memorant non esse veritum, Regem cordatè monere; sed fructum non tulisse alium, quàm bonam sani consilij conscientiam, cæteris Procerum aures Regis adulatione complentibus, quasi Jacobi Patriarchæ exemplo, Ecclesiæ Angelum, ad extorquendam benedictionem, captivum stringeret. Cæterùm pacta raptim dictata, subscripta fuerunt in hanc sententiam: *Illatæ ab Henrico Rege Summo Pontifici, Ecclesiæ Romanæ injuriæ, perpetuâ oblivione sepeliuntor: Pontifex nullâ ratione, ne censurâ quidem vindicato. Imperatori jus fásque esto, Episcopos aliósque Præsules, rite atque ordine cooptatos, annulo atque pedo instituere, Archiepiscopis verò, ad quos spectabunt, sacro ritu initiare. Henricus Pontificem, Cardinales, Episcopos, captivos quoscunque libertati reddito: obsides intra portas Tiberinas, liberos dimittito: Senatui populóque Romano & alijs, qui in fide sunt Pontificis, ne officito. Pontifici fideliter ope operáque adesto, ad Pontificatus & sacri patrimonij retinendam recuperandámque possessionem. Eidem Pontifici bonâ fide citráque dolum, salvo Imperij Regnique honore, antecessorum exemplo, morem gerito.* Postridie, quàm hæc erant gesta, Idibus videlicet Aprilis, Pontifex cum Henrico ingressus Leoninam urbem, portis, ne quis existeret è civitate concursus, oppessulatis, in Principis Apostolorum æde Augustum, ritu solenni, coronâ Imperatoriâ redimitum salutavit. Atque hic fuit illætabilis exitus illaudatæ dimicationis.

TRISTE SPECTACULUM.

XXV.

WELFO BOIUS PACIS INTERPRES.

PACIS LEGES.

HENRICI CORONATIO.

Crede-

Credebat Imperator, se rem grandem confecisse in urbe, retentâ per vim instituendorum Præsulum veteri usurpatione; verùm, quòd ea res Deo cordi non esset, non Romæ modò, in æde Constantinianâ, præsidente Paschali, præsentibus duodecim Archiepiscopis, Episcopis centum quatuordecim, Cardinalibus viginti tribus, & innumerâ minorum Præsulum & Cleri multitudine, sed etiam in Gallicâ Synodo, authore Guidone Viennensi Archiepiscopo, & adstipulantibus S. Godefrido Ambianensi, S. Hugone Gratianopolitano, gravissimæ in Henricum Cæsarem dictæ sunt sententiæ, actúmque, ut rescissâ Paschalis pactione, à piorum communione removeretur. Paschalis tamen neutri Concilio de Henrico ab Ecclesiâ proscribendo, vel revocando *investiturarum* privilegio, assensus est, nedum tulit sententiam; quòd non judicaret, esse Pontificiæ existimationis, ilicò damnare, quod paulò antè juratus probâsset: non quòd leges hoc ipsum vetarent, sed ne fœdifragis & perjuris vel minimam peccandi ansam præberet; satiùs existimans, cum nonnullo Ecclesiæ damno, jurium, quàm famæ bonique exempli facere jacturam. Quia verò vim erat passus, non obstitit, quò minùs Romani Patres privilegium execrarentur, & flammis abolerent, immo &, vulgatâ passim sententiâ, Henricum diris devoverent. Non evitavit tamen, quò minùs visus sit, Apostolicæ constantiæ nervos succidisse, & egisse languidiùs in Ecclesiæ Romanæ causâ. Certè neque mox post Lateranensem Synodum, qualecunque amicitiæ vinculum, vel commercium litterarum cum Henrico, hoc anno, contrà ac Brunnerus vult, abrupit, neque probavit Viennense Concilium, donec, quarto post anno, in quarto Lateranensi Concilio, impulsu Cunonis Cardinalis Prænestini, edicto firmavit gesta Guidonis Viennensis. Est verò, cur Numinis, pro suâ Ecclesiâ perpetuò vigilantis, admirabilem sapientiam admiremur, quando Pontifice frigescente & Patrum authoritati remissiùs adhærente, non permisit, ut eapropter ullum in Ecclesiâ divortium oriretur; sed magnum ardorem Cardinalibus aliisque Antistitibus ad tuendam sacrorum jurium libertatem injecit.

An. Christ. M. CXII. Henrici nomen gravissime vapulat. XXVI.

Baron. ad hunc An.

Henricus Romæ a Patribus diris devotus

Brun. lib. 12. pag. 241.

Sed & hoc omnem superat admirationem, quòd complures, qui aliàs Apostolicæ sedi restiterant, damnatâ sententiâ, & velut mutati in alios homines, summâ virtute, ejus patrocinium adversus Imperatorem, non sine capitis sui periculo, sunt amplexi. In his Adalbertus Cancellarius, *primus inter primos* (ut loquitur Otto Frisingensis) Henrici V. *præcordiales consiliarius*, cujus instinctu, Paschalis tot tantáque mala erat perpessus. Is etenim, posteaquam hoc anno Moguntino Archiepiscopatu fuerat ab Imperatore donatus, vela vertit in contrarium, nomenque dedit factioni quorundam Saxoniæ Principum, & Episcoporum, & ex Cæsaris amico factus hostis, ejus gratiæ prætulit Romanæ sedis auctoritatem. Quamobrem conjectus est in custodiam, & quadriennes tetri carceris ærumnas constantissimè toleravit, cum illustri documento, supremum apud Principes gratiæ locum, haud procul à præcipitio abesse. Eum vinculis exemêre Moguntini vix trahentem animam, ita illum inedia extenuaverat: & exemêre quidem datis Cæsari obsidibus, quorum aliqui membris truncati, alij fame propè enecti, alij exilium perpessi, alij morbis & pædore squalentes demum ad suos rediêre.

Mira quorundam Præsulum Henricianorum mutatio.

Otho Frising. lib. 7. cap. 14. Dodech. n. Vrspergen. Serar. lib. 5. pag. 812.

Adalbertus Moguntinus a Cæsare deficit.

Inter Reipublicæ turbas, suus etiam fuit locus pietati. Ante biennium, Beyrbergense Monasterium D. Augustini Canonicorum, ab illustri Domino Othone Iringensi (nomen castri est, quod hodie Eurаspurgum nuncupatur) ejúsque fratribus, Everhardo & Conrado conditum est. Calixti II. diploma solum quidem nominat Othonem, verùm id rescriptum, anno M. CXXI. datum, non complectitur totius Cœnobij fundationem, sed unius Buriburgensis prædij donationem, factam à solo Othone, ut in ejus fundo templum, in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli, ædificaretur, quod credibile est, post Canonicorum domicilium fuisse extructum. Henricus, primus loci Præpositus, diem obijt Anno M.CLXXXIV. haud dubiè centenario major, nisi contra priscum morem, admodum juvenis, admotus fuit præfecturæ. Otho præter alia, Cœnobio donavit insignes Divorum reliquias, quas ejus parens Adalbertus primæ apud Henricum

XXVII. Beyrbergense Monasterium.

M. S. Beyrbergen.

Paul. Bernried.

cum IV. admissionis, sacrorum Præsulum liberalitate acceperat. Ea pignora insigniter auxêre loci venerationem, divino ostento, quod Paulus Bernriedensis descripsit.

DIVINUM OSTENTUM.

Cùm Gepa, soror Conradi Anachoretæ, cujus hortatu Otho Monasterium erexerat, è vitâ migrâsset, ad curandum ejus funus, Bertha fundatoris mater, B. Herluca, Henricus Præpositus, Paulus Bernriedensis, & Gebhardus ejus socius, convenerunt. Quando in æde Beyrbergensi sacerdos faciebat ad aram, Herlucæ, divinorum spectaculorum haud insuetæ, visi sunt Cœlites adesse sacrificanti, cum magnâ reverentiâ, illi videlicet, quorum pignora in ista æde servabantur. Anno duodecimo, duo Monasteria D. Georgio sunt excitata: alterum ad Traismam amnem, ab Udalrico Batavensi Episcopo, qui domum ex Palæstinâ reversus, id sanctitatis domicilium, grati in DEUM animi testem, extare voluit, quòd inter paucos, qui D. Thiemonem secuti, post grandia pericula & incredibiles calamitates, domum incolumis redijsset. Id Monasterium ex Insulâ Danubianâ translatum, Austrij hodie Herzoburgense nominant, ab oppidulo, in quo situm est. Alteri D. Georgij Monasterio, è regione Suazæ, metallicarum fodinarum Tirolicæ ditionis, supra Oeni vallem, in præalto jugo, dederunt initium, Ratholdus Aiblingæ, in Bojariâ, ad Mangoldum flumen, dominus, aliique sanguine & religionis studio nobiles, ex Freundspergiorum præcipuè, Selnerorum, eorum prætertim, quos Sliteros nuncupârunt, familijs. Ij cum loci, ad quem se divinitus invitatos credebant, asperitate luctati, humilia primùm tuguriola incoluerunt, deinde in rupis præruptæ supercilio, D. Georgio Oratorium, sibi verò domunculam excitârunt, quam annis succedentibus Reginbertus Brixinensis Episcopus, olim D. Petri Salisburgensis Abbas, cui etiam ascetæ Wilthinenses in Oeni valle suam debent originem, reddidit paulò cultiorem. Andecenses & Diessenses Dynastæ, per eos quoque dies, in vertice Matronæ Montis D. Petri venerationi Cœnobium condiderunt, de quo nihil, præter rudera & sacram ædem, bellorum injuriæ fecère reliquum.

D. GEORGII MONASTERIA: ALTERUM IN AUSTRIA.

Hund. vol. 1. pag. 307.

ALTERUM IN TIROLI.

AN. CHRIST. M. CXIII. XXIIX.

HENRICI AVARITIA BELLO SAXONICO DAT ANSAM.

Gliscebant interim publica in imperatorem odia, Saxonum inprimis, quos illius intempestiva avaritia hac occasione exasperavit. Udalrico Saxone opulento in paucis Principe, rebus humanis exempto; Sigefridus defuncto proximus, debitam sibi hæreditatem adire parabat. Henricus, qui luculentas opes fisco volebat addictas, intercessit. Causæ isti accesserê aliæ ex Sigefridi aliorúmque privatis injurijs. Cæsar, cæteroqui jam ob Romana dissidia passim exosus, communem invidiam intendebat novis indies malefactis, ídque eò graviùs, quòd paterno esset imbutus ingenio, & veterum malorum memoriam recentibus inclementiæ documentis sæpe renovaret. Quid enim à pessimi parentis sobole non degenere mitius posset expectari? Recurrebat identidem in cordatiorum animos, ne patri quidem impium filium pepercisse, sed regnum à violatis naturæ legibus esse auspicatum; imperium verò in ipso primordio temerâsse execrandâ in Pontificem impietate, eóque duarum amplissimarum Synodorum judicio, nomen ejus factum esse detestabile: nec apparebat ratio, cur credi posset, in mentem, tot corruptam improbitatibus, proba consilia receptum habitura. Quòd si ad evertendas privatorum fortunas sineretur grassari, nihil denique fore reliquum, quàm ut ruptis legum omnium vinculis, effrenis per omnem licentiam, ad pessundandam Reipublicæ salutem, præcipitaretur. Post rem, sera nimis fore remedia, ubi jugum imposuisset libertati, & privatorum opes, unde publicæ rei nervus est, rapuisset ad arbitrium violenti dominatûs. Oppressam à patre Saxoniam, quanto nobilissimi sanguinis impendio atque prodigentiâ ad aliquam sortis avitæ conditionem redijsse? Quòd si Barbarus quispiam ab extremis Septentrionibus immineret, futurum esse neminem, qui pro patriâ, pro aris atque focis arma non inducret. Quid igitur animi esse debeat populis libertati innutritis, cùm sentiunt se domesticis periculis urgeri? Hæc Sigefridi emissarij totâ passim Saxoniâ cùm quererentur, non fuit difficile, gentem juris sui retinentem, ad armorum conspirationem excitare.

VULGO MALE AUDIT.

citare. Nomen communi defensione professi sunt, Dux Lotharius, Rudolfus Marchio, Fridericus Comes Palatinus, Sumerbergius, Wigbertus, Ludovicus Turingus. Ex sanctiore ordine, Reinhardus Antistes Halberstattensis, & quod mirere, è Principibus fœminis, Gertrudis opibus clientelisque potens, sui sexûs animos supergressa. Omnes judicabant intolerabile, patrias possessiones indies à regijs quæstoribus magis magisque accidi, ita Henrici studia referebantur ad avaritiam, ac proinde non oppida, non agri, non ipsa Sacrorum jura ab ejus rapacitate satis erant tuta. Cùm potentia conjuratorum nondum esset firmata; ut sunt tardæ molitiones, cùm neque uno sensu, neque certâ lege moventur, Cæsar actis Christi natalitijs, Erfurtum concessit. Conjuratorum nullus venienti, honoris causâ, occurrit, sive irâ stimulante, sive metu & facti conscientiâ: tametsi eorum consilia dissimulatione premi oporteret, donec belli apparatu forent tutiora. Eorum absentiam Henricus est interpretatus haud dubiæ rebellionis indicium; quam ut in herba extingueret, ne expectato quidem sacrarum feriarum exitu, illorum clientelas, oppida, villas, jussit flammâ, ferro, populationibus vastari. Haud multò pôst, Hornburgum, arcem apprimè munitam, difficili superatam obsidione, delevit. Conjurati, collectis raptim popularium centurijs, velitares conflictus objecêre, Marte (ut fit) vario: sed Sigefridus denique ab hoste, in quâdam villâ deprehensus, occubuit, vir, quod de eo scripsit Urspergensis, nobilissimus, & probitate nulli secundus. Wigbertus, eodem loci, simili fortunâ, vivus venit in Henrici potestatem: Ludovicus factâ deditione, vitæ libertatisque gratiam impetravit, atque ad eum quidem modum, factione tantisper repressâ, visa renasci quies; quanquam in Burgundiâ nonnihil hoc anno turbatum à Reginoldo Comite, qui Cæsaris propinquitate & juvenili deceptus ingenio, defectionem ab imperio molitus est. Eum Cæsar celeritate oppressit, obsessúmque in arce Monzunensi & captum carceri mancipavit anno nondum evoluto. Sub ejus finem Henricus, Babenbergæ, frequenti Principum conventu, D. Othonis, ejusce Ecclesiæ Episcopi, animum voluit explorare. Vir sanctus venerat in suspicionem, quasi esset à Cæsare alienus, quod repullulantibus indies in Imperio veterum malorum lolijs, simul in meliorum cogitatione revivisceret antiqua offensio: unde Henrico metus, ne Otho, cui sola virtus erat in pretio, venisset in album factiosorum, quibus aperta Cæsaris improbitas erat exosa. Nam quicquid tumoris & insolentiæ mali ostentent, metu tamen, qui ex suspicione nascitur, non sunt vacui; sed quod os aureum rectissimè dixit; *Sicut, qui nocte illuni ambulant, tremunt, licèt nihil sit, quod terreat; ita & qui peccant, non possunt esse animo confidenti, etiamsi nemo sit, qui redarguat.* Suspicionem intenderat, quòd Otho infensus aulæ vitijs, ab eâ abstineret, & horreret publicos conventus, eos præsertim, quibus interesset Cæsar, ex cujus consuetudine & negotijs, si ex ejus arbitrio tractarentur, labis aliquid poterat contrahi vel offensæ, nisi ad ejus gratiam agerentur. Ut tamen Henricus venit in rem præsentem, viri sancti sapientiâ & liberalitate sic fuit delinitus, ut nihil putaverit esse ultrà de ejus innocentiâ dubitandum.

Sub anni sequentis ingressum, cùm Moguntiæ, omnium ferè optimatum conventus ageretur, ad officium redijt Lotharius Saxoniæ Dux, quem paulò antè diximus fuisse unum è conjuratis. Ultima exempla metuentem, in spem recuperandæ gratiæ erexit fama magnifici apparatus, quem Henricus, ad honestandas cum Mathilde filiâ Regis Angliæ nuptias adornabat. Commodùm adfuit, post Christi à Magis adorati ferias, in ipso æstu lætitiæ genialis. Nihil veritus interpellare publicam hilaritatem, assumpto reorum cultu, excalceatus & vili rectus sago, spectante Procerum coronâ, humi fusus ad Henrici pedes, perduellionis veniam exoravit, servatúsque est ad nobilissimam fortunam, quâ demum imperij fasces est adeptus. Potuisset ea facilitas Henrico, qui in horas evadebat odiosior, reconciliare Principum, qui spectaculo aderant, animos: verùm & comitiorum frequentia, quæ solet esset clandestinis coitionibus opportuna; communis metus, quo nihil validius ad conflandas factiones, & publici cura quosdam Principum, pro tuendâ Reipubl. salute,

Saxonum conspiratio.

Male sarta.

XXIX.

Saxon. vetus Chron.

Oppressa.

Turbæ Burgundicæ, repressæ.

Ursbergen.

D. Otho Babenbergensis Cæsari suspectus.

Chrysost. hom. 1. in cap. 1. ad Rom.

An. Christ. M.CXIV.

XXX.

Lotharius Saxo Cæsari reconciliatur.

Otho Frising.

Nova conspiratio in Cæsarem.

Ursperg.

salute, sociavit. In his Fridericus Agrippinensis Archiepiscopus, Henricus Limburgi, Godefridus Lotharingiæ, Duces; Fridericus Arnesbergius, Fridericus & Henricus Westphaliæ Comites, aliique non pauci Principes Transrhenani, quibus religio à duabus synodis injecta, recentes stimulos addidit, ad protegendam Ecclesiæ concordiam. Eo factum, ut, cùm peractis nuptijs Henricus navalem expeditionem, magno studio comparatam, in quosdam locorum palustrium incolas, ultra Frisonum insulas, suscepisset, curæ ad propiores motus fuerint convertendæ. Coloniæ Agrippinæ, quæ prima omnium ausa fuerat rebellionem ostentare, obsidio, irrito conatu, bis est admota, agri circumquaque vastati, & nullo alio pretio discessum ad hiberna. Inter hæc Ludovicus Turingus, qui nomen dederat Saxonicæ factioni, dum oscitantiùs sibi invigilat, captus est ab Henricianis.

Tritheim. in Chron. Hirsaug. an. 1115. COLONIA AGRIPPINENSIS BIS FRUSTRA OBSESSA. *Dodechin.*

AN. CHRIST. M. CXV.

XXXI.

Saxones, istiusmodi exemplis nihilo facti pacatiores, rursum tumultuati, brumâ rigente Cæsarem rursus ad arma revocârunt. Ingressus Saxoniam, mox habuit ex eâ gente, qui factâ à popularibus secessione, ad ipsius signa confluxerunt. Factiosis nondum erant tantæ copiæ, ut pugnæ copiam viderentur esse facturi, sed habituri satis, si cunctando hostem frustrarentur. Lotharius tamen Saxo, cujus ductu res agebatur, ne cum famæ jacturâ, cujus in bello magna ratio habenda est, timoris aliquam notam incurreret, in hostem putavit esse eundum. Fidem ille rursus in Cæsarem exuerat. Ergo castris ad silvam Catulariam oppositis, levibus primùm conflictibus & vernili dicacitate certatum est; deinde, irâ sensim incalescente, Saxonibus crevit audacia, Henricianis verò cupido justâ acie concurrendi. Pugnatum est calendis Februarij in campis Mansfeldicæ ditionis. Saxonibus cessit victoria. E Cæsarianis occubuit Hogerus Comes Mansfeldius, vir multarum palmarum, & nuperâ Sigefridi Palatini cæde nominatissimus. Cecidit ingens gregariorum multitudo. Reinhardus Præsul Halberstattensis vetuit quemquam hostium per Saxones terræ mandari, indignum ratus, eos, qui pro Principe execrato arma gestâssent, piorum manibus sepeliri. Cæsar eâ clade vehementer consternatus, Moguntiam profugiens, eodem loci Paschalibus sacris operatus est. Cùm jam grandi flagraret odio ex infelici pugnæ eventu, collegit contemptum minimè vulgarem, unde nata sunt (uti solet) incentiva detrectandi obsequij, & certa ad præcipitium inclinatio. Malum auxit, quòd, cùm hactenus Patrum decreta nihil pensi habuisset, Diethericus Legatus, auctoritate Romani Concilij, anathema in Henrici caput repetijt: quæ res paternæ sortis haud immemorem gravissimè perculit, permovítque, ut animi anxius, confestim per legatos apud Germaniæ Principes de injuriâ conquestus, denuntiârit, se in libero Ordinum omnium Senatu, Moguntiæ, ad Cal. Novemb. factorum rationem esse redditurum, neque detrectaturum, quò minùs cuique fas esset, citra omne periculum, contrà loqui & sentire. Neque verò eâ se esse pervicacitate, ut, si quæ per ætatis errores deliquisset, ea virorum sapientum arbitrio non esset emendaturus. Sed vilescit Principis majestas, si vel ad momentum reorum probra subeat. Et verò despicientiam authoritatis mox prodidit Procerum in conventu insueta raritas. Vix ulli, præter paucos Episcopos, in quibus Bruno Trevirensis primum locum tenuit, dignati sunt interesse: ita pro se multa dicturo, defuerunt, qui audirent. Sed istud longè contumeliosissimum, quòd populus Moguntinus, non supplex, neque in Senatu, sed versus in seditionem, armatâ manu, Cæsarem in Palatio obsedit, & irrumpens in atrium, non destitit clamore dissono ultima exempla minari, nisi Cæsar, datis ilicò obsidibus, Adelberto Antistiti Moguntino (cujus paulò antè meminimus) libertatem sanctè addiceret. Profuit, gessisse morem furentibus, qui alioquin à vi non temperâssent, nisi Cæsar, antequam se trepidus ex urbe proriperet, mandâsset, Archiepiscopum vinculis eximi, reducique in suam sedem. Paucis pòst diebus, carceris pædore, & macie umbræ, quàm homini similior, cum incredibili civium lætitiâ receptus est, & tandem (quod hactenus Cæsar prohibuerat) Coloniæ Agrippinæ, ubi ad festa natalitia comitia agebantur, Dieterico Sedis Apostolicæ Legato volente, sacris cæremonijs operante D. Othone Babenbergensi,

Chron. Saxon. Crantz. lib. 6. c. 36. HENRICUS ACIE A SAXONIBUS SUPERATUS.

CONTEMNI COEPTUS.

Arist. lib. 5. Polit. c. 10.

CONVENTUS MOGUNTINUS.

CÆSAR A PLEBE MOGUNT. OBSESSUS. COGITUR ADALBERTUM ARCHIEP. CARCERE EXIMERE.

COMITIA AGRIPPINENSIA.

die S.

die S. Stephani protomartyris, inauguratus est. In eo conventu adversus Henricum recantatæ execrationes, Principes haud pauci, qui in ejus fide nutabant, mutuis erecti consilijs, de eo deserendo suscepère cogitationes. His gradibus ibatur ad civilem discordiam, & instaurandas Germaniæ totiúsque Imperij calamitates.

Igitur arma licenter sumpta, coalitæ factiones, exercita privatim odia, & publicæ rei obtentu conflatæ conjurationes, quibus satis erat, religiones, vel regni nomina incolumitatémque affingere. Et hinc quidem erupit malorum omnium, quæ possunt patrari ab iratis, illuvies. Adelbertus Moguntinus, Fridericus Coloniensis, & Lotharius pro causa Pontificia Fridericus Suevus pro Imperatore classicum cecinère. Neque verò Boij fuerunt à turbis intacti. Nam Henricus Eberstorfius Frisingensis Episcopus, eò quòd Cæsaris partibus adhæreret, à Conrado Salisburgensi, acerrimo Ecclesiæ Romanæ vindice, dignitate abire jussus, non paruit tamen. Quamobrem Frisinga à Welfone Bojariæ Duce vastata est. Vicissim Conradus suâ sede pulsus exulavit apud Saxones, posteaquam Hugonem Brixinensem Episcopum, Imperatoris partiarium, damnaverat. Sævitum atrociter in Rheni confinio, per eas ditiones, quæ Moguntinæ ditioni & Basileæ sunt interjectæ. Direpta templorum donaria, aræ sacrilegio violatæ, civitates inter se inhumaniter collisæ, latrocinia patrata sine numero.

An. Christ. M.C.XVI. XXXII. Geminæ in Germania factiones. Frisinga vastata. *Chron. Reichersperg. Avent. Hund. vol. 1. pag. 107.* Hostilia ad Rhenum

Sed & cœlum, mortalibus infensum deprompsit iras. Terra 3. Non. Januarij terribilissimo, post omnem retro memoriam, motu concussa, urbium mœnia, sacras ædes, turres cum immani hominum strage evertit: domus passim in suos habitatores procubuêre: villæ, castella, subito hiatu absorpta: arbores innumeræ stirpitus evulsæ: montes abrupti: dehiscentibus alveis flumina arefacta: Padus, fornicis in modum arcuatus, undas curvavit in sublime, viámque infrà præbuit viatoribus: tum ex intervallo relapsus, horrendo fremitu, attonitos accolas, ad aliquot passuum millia, propè exanimavit. Tonitrua, mixta turbinibus, crebrísque fulgetris & fulminum ictibus, terris incubuêre, quæ tempestas 3. Cal. Februarij sæpius repetita, stupentibus horrore mortalibus, credita est orbi exitium paritura. Amnes è montibus per insuetos meatus erumpentes, campos, urbes, inundârunt: apparuerunt nubes sanguineæ; omnis propè natura suas transgressa leges, algorem æstui, hiemem æstati confudit. Hæc tametsi populorum animos gravissimè percellerent, & hortarentur ad Cœlitum pacem favorésque exorandos, non impetrârunt tamen, ut Germania, quæ suarum calamitatum sensum penè amiserat, suis malis remedium quæreret. Inducta quidem mentio induciarum, sed omnis ea tractatio, rebus nimium quantum intricatis, recidit in irritum. Quare hoc anno continuatæ cædes, incendia, quibus ipsa quoque templa abière in cineres: rapinæ, latrocinia vulgò exercita, direpta religionis domicilia, aversæ possessiones, nihil omissum sævitiei; ut ferarum more civitates, agri, plusquàm civili atrocitate, sanguinem crudelitati passim litarent. Id tantò fiebat impunius, quòd Cæsar, relictâ Friderico Sueviæ Duci regni Germanici procuratione, unà cum Reginâ trajecisset in Italiam, & per ejus absentiam, ruptis legum repagulis, non jure aut more, sed libidine, prout cuique vires, omnia gererentur. Ejus profectionem maturaverat Mathildis Principis præpotentis decessus, quæ septimestri confecta morbo, 9. Cal. Augusti, diem obierat, annos nata sex & septuaginta. Ea tametsi sedis Romanæ studiosissima, Lombardiæ & Tusciæ Principatus D. Petrum hæredem scripserat, fuère tamen ex Italis, qui, sive spe crescendi ex Cæsaris gratiâ, sive Pontificiarum partium odio, Imperatorem ad cernendam defunctæ hæreditatem invitârunt. Sed & pellaci per se illecebræ speciosa spes accessit reconciliandi Paschalem, & avertendi malum ingens, quod sibi Cæsar prævidebat imminere, nisi cum Ecclesiâ propediem in gratiam rediret: quod quidem existimabat eò fore promptius, quia Romani Pontificis ingratijs, præfectum urbis creaverant, & ejecto Petro Leonis acri Pontificiarum rerum defensore, tumultuabantur; eóque videbantur proniore studio, spe Cæsariani auxilij, in Henrici authoritatem concessuri.

An. Christ. M. C. XVII. *Petr. Diacon. lib. 4. c. 64. Vrsperg. Dodechin.* Horribilis terræ motus. Aliæ aeris tempestates. XXXIII. *M. S. Tre. vir.* Truculenta rerum facies. Henricus reversus in Italiam.

Et vero

Et verò Paschalis, de ejus in Italiam adventu factus certior, ex urbe migravit Beneventum. Henricus ex eâ secessione conijciens, nihil se à volente impetraturum, ingressus Latium, armis cum Sedis Romanæ perduellibus sociatis, bellum Paschalis clientibus indixit. Exinde Romam, velut in triumpho ingressus, sed neglectus tamen ab Episcopis & asseclis partium Pontificiarum, cùm postularet in D. Petri basilicâ rursus coronari, responsum tulit, id, absente & neutiquam assentiente Pontifice, non licere. Simul exprobrata facinora, quæ in Sedem Pontificiam designâsset. Quamobrem Henricus, accito Romam Mauritio Burdino Bracarensi Archiepiscopo, homini ad insaniam arroganti, magnis promissis persuasit, ut ad altare D. Gregorij, inauguratoris personam occuparet. Et hic quidem Burdinus est, qui anno sequenti D. Petri Sedem & inane Gregorij VIII. nomen sacrilegus incubator invasit, impulsore & patrocinante Henrico, quem nihilo seciùs inusitata prodigia permoverunt, ut hoc anno per litteras supplices, Paschalis gratiam & anathematis abolitionem prensaret. Ut eò se demitteret, multùm valuisse scribunt, quòd formidaret D. Bennonis Episcopi Misnensis vim in Ecclesiæ hostes, quos per annos quadraginta constantissimè fuit insectatus. Timorem exaggerabant prodigia, quæ ad Divi sepulchrum, continenti Numinis beneficio, contingebant. Et recurrebat identidem Imperatori recordatio paternæ miseriæ, & casus ultimi, quem Benno præsagierat, minimè veritus, eum, cùm Canonicis Misnensibus suprema mandata daret, paulò pòst ad divinum tribunal causam dicturum, prænuntiare. Neque clàm erat Cæsari, Bennonem, post mortem, Othoni Misniæ Marchioni, à quo alapam acceperat, quémq; prædixerat propediem ejusce sceleris daturum pœnas, specie aspectabili apparuisse, & impium miniméque resipiscentem *spiritu oris sui*, uti ejus acta loquuntur, interfecisse. *His & hujusmodi cladibus* (ut ait Urspergensis) *Rex Henricus sauciatus*, non destitit solicitare Pontificem, ut in piorum cœtum reciperetur. Verùm excusavit Paschalis; se enimvero stetisse pactis, & damnationis ipsius sententiam à se non esse profectam, sed anathematis vincula à potioribus Ecclesiæ Patribus illi esse injecta, & ab ijsdem debere dissolvi. Quo responso eum ad Concilium generale rejecit, quod non fecisset citra notam acrioris severitatis, cùm in ejus esset manu ligandi atque solvendi potestas, nisi se Cæsar, ipsis factis, absolutione indignum ostendisset: nam (quod rectè notavit Urspergensis) quo tempore petebat absolvi, alijs super alias injurijs novas in se diras provocabat, séque multiplicibus religionum causis irretiebat. Hæc dum in eo sunt, Paschalis, qui per autumnum ægriùs habere cœperat, reversus in urbem è Campaniâ, posteaquam Præneste Domini Epiphaniam celebraverat, morbi oppressus magnitudine è vivis excessit. Priusquam excederet, uti constat ex ipsius ad Pontiũ Cluniaci Præsulem Epistolâ, improbavit usum, qui in Ecclesiam irrepserat, ut sanctissimum Domini corpus & sanguis sub specie panis, imbuti sanguine Eucharistico, synaxim agentibus porrigeretur. Succedentibus temporibus, cùm ne sic quidem mos iste sublatus esset ex integro, inducta passim est consuetudo hodierna, ut sub alterâ tantùm specie, populus Angelici cibi communione reficeretur.

Defuncto Paschali à quadraginta septem Cardinalibus successor lectus est Gelasius II. Monachus Cassinensis, patriâ Cajetanus, vir magnarum virtutum, sedulus Paschalis adjutor in munere Cancellarij. Eum mox ab adito Pontificatu, stipatus armatorum globo Cencius Frangipanius Henricianæ factionis, effractis templi Palladiani foribus, è solio detractum, obtorto collo humi afflictum, calcatum pedibus, in vincula conjecit, ausus eadem designare in plerosque Cardinales, qui cum Pontifice hæserunt in carcere, donec Optimates populúsque Romanus odio Schismatis, concursu facto in Capitolium, conglobati, in Frangipanij domum irruperunt, & solutos vinculis cum insigni pompâ deduxêre in Lateranum.

Henricus comperto, Paschalem rebus humanis esse exemptum, ex agro Patavino, continuatis dies noctésque itineribus, Romam venit, & priùs adfuit in D. Petri porticu, per ipsius partiarios insessâ, quàm sentiretur imminere. Quæ res Gelasium, senio propè confectum movit, ut, urbe relictâ, per viarum pericula incre-

Marginalia: Grassatur in Pontificis clientes. — Rursus a Burdino Romæ inauguratur. — XXXIV. Novum Schisma. *Act. D. Bennon. apud Sur.* Henrici Timores. — *Vrsperg. Baron.* — An. Christ. M.C.XIIX. Paschalis obitus. *M. S. Cluniac. Author Microlog. Baron. tom. 12.* — *Act. Codic. Vatic. Pandulf. Baron. Sigon.* Tumultus in urbe. XXXV. — Henrici in urbem adventus.

incredibilésque molestias Cajetam profugeret, ubi Calendis Martij, præsentibus compluribus Episcopis & Proceribus, suscepto presbyterij ordine, quo adhuc caruerat, Pontifex est consecratus. GELASII PONT. FUGA GEMINA.

Henricus, tametsi initio videri voluit ejus electionem non improbare, tamen ubi cognovit, eum Româ discessisse, Burdinum, de quo superiùs, Pontificijs insignibus vanâ spuriæ dignitatis larvâ circumdedit, & paternum scelus, quo Christianus Orbis fuerat scissus in partes, ab inferis excitavit. Quâ de re Gelasius factus certior, per litteras (ut vocant) circulares, Galliarum Episcopos vitandi Schismatis admonuit, Regémque & alios Principes, ad arma pro communi Ecclesiæ salute sumenda, est cohortatus. Wilhelmum præterea Apuliæ & Calabriæ Regulum, Robertum Principem Capuanum, omnésque Nortmannorum Italicorum Ecclesiæ Romanæ clientelas excivit adversus Henricum; qui, Burdino Romæ relicto, Pontificia Latij oppida infestus occupabat. Secundum hæc, Gelasius, quòd tutiora sibi inposterum polliceretur, dimisso clientûm exercitu, redux in urbem, publica cœperat ordinare, cùm à Frangipanijs penè oppressus est, dum in S. Praxedis æde divinis operaretur. Fugam capienti, ne spatium quidem fuit exuendi sacrorum apparatum. Solus per agrum D. Pauli errans, evasit, dum in urbe Orthodoxi Frangipanios acri certamine distinebant. Igitur cùm ipsi tuto esse Romæ non liceret, una amicorum fuit sententia, consultò facturum, si urbe Petro Portuensi Episcopo commendatâ, in Galliam, jam olim auspicatum Romanis Pontificibus, fessisque Ecclesiæ rebus receptum, abiret. Iter ingressus est postridie Cal. Septembris, tenuissimè à re necessariâ instructus. Paulò pòst, egenti Numen abunde prospexit. Appulso ad portum D. Ægidij, certatim omnis generis atque ordinis viri atque fœminæ, rerum omnium copiam suppeditârunt. Sugerius Abbas S. Dionysij, Legatus Ludovici Crassi Regis Galliarum, missus obviam, Regni primitias liberaliter obtulit, omnem opem à rebus quibusvis, à consilio & militaribus auxilijs addixit, quæ magno futura erant usui, si Gelasio vita longior obtigisset. *Chron. Benevent. Landulf.* GELASIUS SE RECIPIT IN GALLIAM

XXXVI.

Nihilo remissiora fuêre Germaniæ studia, tum eximiâ in Pontificem pietate per se accensa, tum Cunonis Prænestini pro Gelasio Legati sapientiâ, quâ non modò rem communem magnopere sublevavit, sed etiam non paucos è Principibus, revocavit ad mentem saniorem. Inter hos Bruno Archiepiscopus Trevirensis, qui Cæsari in Italicâ expeditione haud vulgarem operam navaverat. Extant ad eum Cunonis litteræ, quas juvat ad verbum referre. *Mirificè* (inquit) *nuntio vestro erecti atque confirmati sumus, cùm significâsti, nunquam fore, ut à fidelium communione vel latum unguem recedas, atque ut eam mentem perpetuò quoque conserves, DEUM Opt. Max. precamur. Quod verò hactenus, non eâ, quâ cæteros, humanitate ac benevolentiâ te comprehendimus, aliorum fecit judicium, qui minùs præclarè de sedis Romanæ dignitate sentire te pronuntiârunt: cùm neque à nobis stetisses, uti par erat, neque te murum pro domo Israel opposuisses. Porrò quia jam tempus monet, ut, qui habet tunicam, vendat eam, & emat gladium, squalente & mœrore tristitiáque contabescente Dominâ gentium, hortamur precamúrque prudentiam tuam, ut, litteris Papæ Domini Gelasij perlectis, & Henrici compertâ tyrannide, ad bella Domini alacriter accingare, illúdque Prophetæ subeat animo; Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine. Quòd si ita à nobis in posterum steteris, & de anteactæ vitæ offensis satisfeceris, nos & fratris & amici nomine te colemus: sin autem, propitius nobis sit DEUS, quia à vestrâ communione & amicitiâ nos repellitis.* Hæc Cuno, cujus factum industriâ, ut duabus Synodis, Coloniæ unâ, cui D. Norbertus Præmonstratensis Ordinis institutor, recens ad severioris vitæ rationem conversus, interfuit; alterâ Friteslariæ, diræ Pontificiæ in Henricum rursus vulgarentur. Hinc Imperij Principes excitati, Wirceburgi Comitia habuerunt, & unanimi consensu denuntiârunt Cæsari, fore ut, si ad dicendam caussam non adesset, absentem regno exuerent. Quâ ille interminatione irritatus, in Germaniam repentè advolat, omnes late provincias direptionibus, cædibus, incendijs fœdè miscet, ac demum Principum monitis assensus, probat, ut BRUNO TREVIRENSIS CÆSARIS PARTES DESERIT. *Urspergen.* COMITIA HERBIPOLENSIA.

anno sequenti, Triburiæ, de Republica conventus agatur. Sed & hoc anno, graviter frigore, fame, & pestilitate laboratum: omnes propè Lombardiæ civitates inusitato terræ motu per quadraginta dies graviter agitatæ. *Sigon.*

XXXVII. SCHIRENSE MONASTERIUM. Ea dum irato cœlo fierent, excitatum est in Boicâ præclarum sanctitatis contubernium, arce Schyrensi in Benedictinæ sodalitatis domicilium conversâ. Istius molitionis præludia, paulò altiùs repetita, ostendunt, non aberrare calculum, qui eam hujus anni rebus adscribit, neque sibi satis constare eos, qui citiùs seriùsve credunt esse inchoatum. Procul à vero abijt Trithemius, cum descriptâ ex aliorum chartis, quas superiùs confutavi, Arnoldi Mali fabulâ, Monasterium istud ab Agnete, Othonis Wittelspachij uxore, anno M. C. XXXI. fuisse fundatum. Id abunde refellitur ex Callisti II. litteris, anno Pontificatûs quinto, qui fuit millesimus centesimus vigesimus tertius, datis ad Brunonem, jam tum Schirensis Monasterij Abbatem. Quibus ex litteris refutantur etiam, qui scribunt, cœptum esse construi anno M. C. XXIV. Jam verò ut rem ab ovo repetamus; circa annum M. LXXVII. cùm duo viri non pietate minùs, quàm sanguine nobiles Otho & Adalbertus, capti amore solitudinis, inter Boicarum alpium aspreta, præaltum montem (Weldensteinium vocant accolæ) in Schirensium Principum ditione, sibi sedem elegissent, Otho Schirensis Dynasta ejúsque conjunx Haziga, ex regiâ stirpe Aragonum, eorúmque filij, Eccardus, Bernardus, & Otto, condendæ cellæ & Oratorio justum fundi modum donârunt. Othone Principe anno M. LXXIX. defuncto, vidua nobilius marito monumentum erectura, filijs assentientibus, solitariam Eremitarum habitationem in celebre religionis domicilium cœpit vertere, electo ad hoc operis amœniore loco, qui à fluviolo, bene pisculento, nomen Vischbachavij accepit, & à D. Martino, cui Haziga templum voluit dedicari, uti habet Paschalis II. diploma datum anno M. C. III. undecimo Calend. Decemb. Id Monasterium D. Benedicti familiæ transcriptum est, datúsque Præsul Erchinbertus ex Hirsaugiensi Cœnobio, unde ducta duodecim fratrum colonia, circa an. M. XCVI. Cùm sexennio, & quod superat, elapso, locus iste minùs arrideret, Cœnobitæ in agrum paulò apertiorem immigrârunt, & haud longè à Glano amne, novam sedem, Eisenhovij, in edito S. Petri monte, per annos sedecim, occupârunt. Eam migrationem probavit Paschalis II. Pontifex anno M. C. IV. Henricus verò V. nonis Januarij anno M. C. VII. amplis prærogativis donavit. Sed neque isthic loci propter aquationis nimiùm operosæ difficultatem, sat erat consultum piorum virorum commodis. Ergo post longum patientiæ experimentum, denuo fuit necessitati cedendum, & contubernium in Schirense castrum, avitam Principum, qui Boicæ imperant, sedem transferendum. Pulcherrimi facti authores fuêre Otho Wittelspachius Palatinus Comes, Othonis & Hazigæ, quorum jam memini, nepos. Assensêre, Beatrix Arnoldi Dachoviensis Comitis vidua, ejúsque filij Conradus & Otho, itémque Eccardus, Bernardus, & Otho Schirenses, Eccardi secundi ex Petrissâ filij, & eò quidem assensêre faciliùs, quòd arx, licèt ampla & istius ævi nobilissima, admodum annosa & ruinosa, ægrè admitteret inquilinos, & præter splendidum nomen Principúmque memoriam, vix quicquam retineret. Eam tamen pietatem videtur DEUS amplissimo quæstu remunerâsse, quòd, ex quo tempore arcis vetustæ parietinæ donatæ sunt sanctissimæ religioni, antiqua Schirensium gloria, quam duorum ferè sæculorum fortuna valde presserat, reflorescens, eos honorum, opum, & rerum præclarè gestarum fructus tulerit, quorum hodiéque magnitudinem suspicimus & veneramur.

XXXVIII. *Hund. tom. 3. Metrop.*

AN. CHRIST. M. CXIX. *Pandulf.* GELASIUS PONT. MORITUR. XXXIX. Cæterùm, Gelasius Pontifex, actâ Viennæ in Galliâ Synodo, Cluniacum secessit, ubi post paucos dies, lateris dolore correptus, & sacramentis de more procuratus, strato humi corpusculo, sanctè diem obijt 4. Cal. Februar. maximis ærumnis, brevi tempore, pro DEO toleratis. Ante obitum de successore solicitus, Cardinalibus Cunonem Prænestinum, præter consuetudinem, quòd iniqua temporis ratio ita postularet, proposuit eligendum: sed, Cunone detrectante, à Purpuratis omnibus lectus est Guido Viennensis Archiepiscopus Sac. Rom. Eccl.

Car-

Petr. Cluniac. lib. 2. c. 12. Suger. Pandulf. Chron. Benevent.

Cardinalis, qui legatione Apostolicâ sub Paschale II. magnâ cum laude erat perfunctus, vir alioqui regio sanguine, Guilielmi Burgundiæ Principis filius, qui, invitus licèt ac repugnans, victus tamen Patrum omnium unanimi judicio, passus est se D. Petri sedi imponi, & Callisti II. nomine appellari. Electionem mox Clerus populúsque Romanus laudârunt. Eandem probaverunt omnes Episcopi Principésque Germaniæ, & electo professi sunt obedientiam. Henricus verò Cæsar pollicitus est, se Comitijs Triburiensibus, eorum, quorum insimulabatur, rationem redditurum. Se ut proniorem ad pacem ostenderet, ad demerendos Imperij Ordines, privatorum fortunas injustè aversas jussit pristinis dominis restitui, & vicissim fiscum ad usus veteres sustinendæ regiæ majestatis reduci. Ea per Ordines accepta sunt velut certa animi melioris argumenta, si quidem absque fuco proferrentur, eóque de Repub. non esse desperandum. Intendit publicam lætitiam, quòd ille Pontificijs Legatis collocutus, spem magnam fecit, se Remensi Concilio pacis cum Ecclesiâ reconciliandæ causâ adfuturum. Hoc potissimùm Argentorati urserant Catalaunensis Episcopus & Abbas Cluniacensis, Callisti nomine, & videbantur magnis rationum momentis impetrâsse, ut appareret, Cæsarem in Pontificis authoritate futurum, si modò ejus dignitati & Imperij juribus idoneè caveretur. Præ se etiam tulerat, non tanti à se fieri Sacerdotiorum *investituras*, unicum concordiæ scopulum, ut earum gratiâ vellet orbis Christiani quietem perennibus turbis agitari. Id cùm non sine testibus spopondisset, Legati ad Callistum reduces, eum mirificè rerum meliorum expectatione recreârunt: sed quia præter verba nihil attulerant, poposcit, ea, quæ erant acta promissáque ab Imperatore, referri in tabulas, diémque ac locum statui, rei, ex communi consensu, ad exitum deducendæ. Conventum Mozomij ad 9. Cal. Novemb. Adfuerunt in Cæsaris comitatu Welfo Dux Bojariæ, & Berengarius Sulzbacensis. Ubi ventum ad rem, Henricus tergiversari, quiritari, litem Imperio de vetustissima possessione moveri, deplumem reddi aquilam, appeti jus clarum, quod olim Cæsares, libentibus Pontificibus, nemine interpellante, tenuissent, negare, se quicquam in eam rem Legatis Pontificijs XL.
addixisse, quicquid Episcopus Catalaunensis contrà asseveraret: simul per Cæsaris internuntios postulatum, ut quo ipse tempore anathemate solveretur, ne cum injuriâ majestatis, cogeretur nudis pedibus Pontificis sententiam excipere: petitum etiam, ut alia quædam de ordinario piaculi rigore remitterentur. Legati nihil præter ambigua responsa ad Pontificem retulerunt. Is Henrici offensus frustratione, qui ne amicè quidem Legatos habuerat, negaveráتque, se quicquam, nisi omnium Imperij Ordinum voluntate, in tantâ causâ, quæ ad eos pertineret, constituturum. Quare Callistus, soluto conventu, Remos ad Concilium reversus, questúsque de Imperatoris ludificatione, Patrum judicium exquisivit. Albertus Moguntinus, Fridericus Coloniensis, Conradus Salisburgensis, gravissimè invecti in Cæsarem, cæteris (quadringenti viginti sex aderant in Senatu) tristis judicij fuêre authores. Quare Pontifex, sponte ad castigandam Cæsaris pervicaciam propensus, eum, unáque Burdinum piorum cœtu proscripsit, accensis extinctisque totidem facibus, quot fuêre Patres in eo consessu. Post duodecim inde dies, bene Patribus precatus, discessit Augustodunum, Domini natalem acturus, & regressurus in urbem, ubi 3. Nonas Junij anni insequentis, ingenti totius Cleri populique plausu fuit exceptus.

Cæsar captat ordinum Imperii benevolentiam.

Henrici fallaces sponsiones.

Colloquium inane.

Henricus diris devovetur una cum Burdino.

An. Christ. M.C.XX.

Vrspergen. Chron. Bernried.

His successêre per Germaniam mala omnia civilis hostilitatis, piorum exilia, sacrorum violatio, populationes, latrocinia, seditiones. In Boicâ Udalricus Batavensis Episcopus, schismaticorum violentiæ se subduxit, latuítque in Raitenbuchensi secessu. Non absimilis sors fuit Berwini Reichersbergensis. Haud expertus est leniora Egino Abbas D. Udalrici Augustensis, illustris rei Orthodoxæ propugnator, quem Hermannus Augustæ Episcopus, schismate contactus, dirè quidem est insectatus, sed ad extremum tamen bonæ menti redditus, cum Pontifice & Ecclesiâ Romanâ in gratiam redijt, uti ostendunt Callisti litteræ ad Clerum populúmque Augustanum. Conradus Salisburgensis cum aliquot annorum

Germaniæ calamitates.

 ærumnis

ærumnis luctatus est. In Admontensis Cœnobij valle abdidit se in spelæum, póstque novem ipsos menses jacuit in Cœnobij hypogæo. Cùm ab Henrici exploratoribus studiosissimè vestigaretur, ad Adelgottum Magdeburgensem Archiepiscopum profugit. Reginoburgi mirum in modum vexati sunt sacerdotes partium Pontificiarum, quorum unus, Paulus in Bernriedense Monasterium evasit, in quo denique Canonicorum Regularium institutum est professus. Ejusce asceterij primordia, verosimiliter ad hanc tempestatem referuntur. Situm est ad lacum Vermium, erectúmque in SS. Salvatoris & D. Martini honorem, liberalitate Othonis Falaiæ Comitis, ejúsque conjugis Adelhaidis, quod palàm est ex Callisti tabulis, datis ad Othonem, primum ejusce loci Præpositum, anno M.C.XXII. 2. Id. Novemb. Isthic visitur S. Herlucæ sepulchrum, de quâ superius paucis egimus, pluribus Raderus & Brunnerus ex Paulo Bernriedensi.

BERNRIEDENSE MONASTERIUM.

Hoc anno Kaufringæ fato concessit Welfo II. Bojariæ Dux, illatúsque est majorum conditorio, in Monasterio Weingartensi, fratrem accepit successorem Henricum IX. cognomento Superbum, qui ex Wulfildâ Magni Saxoniæ Ducis filia, tulit septem liberos, Henricum, Welfonem, & Conradum monachum, Juditham, Sophiam, Mechtildem, Wulfildam. Principatum adijt in ipso præteritorum dissidiorum pacisque confinio. Hanc cùm Germania optaret magis, quàm rebus ipsis quæreret, novis eam DEUS terroribus adegit, ut serias tandem susciperet de tollendo schismate, à quo malorum sementis, cogitationes. Junio mense, cœlum jaculatum est immanes glacialium crustarum procellas, tanto impetu stiriarum & granditate, ut ædificia corrumperent, vastarent agros, delerent villas, armenta obruerent, mactarent homines sub dio deprehensos, lacerarent arbores, annonæ spem omnem obtererent. Grando magnitudinis inusitatæ Saxoniam flagellavit. In agro Halberstattensi aves innumeræ confectæ.

WELFONIS II. BOIARIÆ DUCIS OBITUS.

Vrsperg.

NIMBI GLACIALES.



BOICÆ



BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS I.
LIBER XX.

Burdini Antipapæ mors in carcere. Annus Germaniæ pacificus. Pax Ecclesiæ. Novæ turbæ in Germaniâ. Irritus in Ludovicum Crassum Regem apparatus. Henrico V. Lotharius succedit. Henricus cognomento Superbus, Bojariæ Dux, Lotharij gener. Bellum in Bojœmos infelix. Spira rebellis debellata. Bella cum Comite Bogio, Alberto Comite Calbio, Othone Wolfratshusio. Lotharius Romæ coronatus. Henrici Superbi res gestæ, ambitio. Mors Lotharij.

AN. CHRIST. M.C.XXI.

POTENTES IN HENRICUM FACTIONES.

I.



Dalbertus Moguntinus Antistes, juncto cum Saxonibus fœdere, universam propè gentem Romanæ Ecclesiæ conciliaverat. Ejus proinde authoritatem plerique secuti, se Cæsari apertè offensos professi, trahebant suo exemplo plurimos ad defectionem. Moguntina civitas sponte infensa, civitates alias solicitabat. Stimulos addebant Spirensis & Wormatiensis Episcopi, suis pulsi sedibus, iniquæ sortis commiseratione. Eodem tendebat Boica Henrici Ducis exemplo: & passim optimi quique Germaniæ Præsules ac Principes, fessi diuturnis calamitatibus, paria moliebantur. Commodùm Callistus Pont. Burdinum urbe depulsum, &, Comitum aliquot auxilio, Sutrij protectum, obsidione cinxit, ne, uti adhuc fecerat, per suos emissarios, de viatoribus, qui peregre Romam veniebant, prædas ageret, patraretque nefanda alia, quorum mentione Urspergensis veritus est collutulare suam scriptionem. Venit denique infame monstrum in Callisti potestatem. Captum, milites vervecinâ tectum pelle, versâ in caudam fronte, camelo imposuerunt, & pompâ, qualis propudiosum schismatis idolum decebat, Romam adductum, innumeris maledictis sannisque exposuerunt. Callistus ægrè plebem ab ejus nece deterruit. Ut iræ publicæ subduceretur, jussus est in Campaniam ad carcerem perpetuum, in quo extinctus est, deportari. Ne facilè à factiosis turbæ in urbe existerent, Cencij Frangipanij turres, Tyrannorum spolia-

BURDINUS PAPA SPURIUS CAPTUS ET IN CARCERE MORTUUS.

Pandulf.

Geminus Cæsaris exercitus.

Principum colloquium.

spoliaria, eversæ: domiti Comites, sacri patrimonij incubatores. Aliâ ex parte, Henricus futuri anxius, conatu supremo parabat arma, jámque senescente Junio, sub signis binos trahebat exercitus, alterum contra Saxones, alterum ad Moguntiæ excidium, ad cujus defensionem justæ quoque fœderatorum copiæ ingentibus animis confluxerant. Eò denique ventum est, ut castra castris objicerentur. Cùm legiones classicum opperirentur, jam jam ituris in mutuas cædes, intercessère nonnulli principes, quos non ira & vindictæ cupido, sed publicæ cura salutis ad bellum exciverat. Pacatè collocutis visum, priùs consilio, quàm armis, esse certandum. Affatim jam experimentorum esse captum, immani publicæ rei pernicie bella seri ex bellis, mutuisque cladibus odia implacabilia perpetuari. Quousque tandem bellicosissima natio in propria viscera sævitura sit, ac demum extinctura robur, gentibus alijs formidandum? Quænam excogitari possit pœna gravior, quàm si furendum sit in cognatum sanguinem solâ libidine sæviendi, quæ non tam irarum sitim extinguat, quàm accendat? Arma in Principes capta, habere non posse nisi tristissimos exitus, odia Principum in cives, qui possint in officio benignitate contineri, neque probari à sapientibus, neque suaderi nisi à crudelibus.

Induciæ.

Quasi verò illæsa futura sit majestas, si cives pereant, qui sunt fulcra majestatis? Ne rebus quidem iniquissimis deesse modos, quibus & salvi sint Principis honores & jura civium facultásque obsequendi. Eatur in deliberationem, audiantur consilia, pacis ac togæ socia, non incentiva belli & internecinæ atrocitatis. Cæsar his motus argumentis, haud invitus belli pacísque arbitrium permisit duodecim viris, consensu delectis, quorum prudentia & moderatio visa exploratior: viderent illi, quæ foret ratio regni & sacerdotij, Principis & civium dissidia, sine armis componendi.

Comitia Herbipolensia.

Indicta in eam rem Wirceburgi ad 3. Cal. Octobris comitia, & jurato utrinque conveniendi decreto, temperatum ab armis. Henricus ad dictam diem Wirceburgi adfuit cum numeroso comitatu: adfuère etiam Saxoniæ Principes, atque

II. unà Adalbertus Moguntinus, castrisque unius diei itinere ab urbe positis, fide publicâ, post triduum, ad Regem sunt admissi. Ex Norico, præter Henricum Bojariæ Ducem & Berengarium Sulzbacensem vix ulli fuère in conventu, quòd plerique publicis negotijs in Provinciâ retinerentur. Ne quid tamen eos lateret ex Herbipolensi pacificatione, ad calendas Novembris Ratisbonæ omnibus singula fœderis capita palàm fuerunt edita ab Othone Babenbergensi, ab Henrico Duce,

Capita Pacificationis.

& Berengario. Eorum fuit hæc sententia. *Omnes capitis sui periculo pacem servanto: quæ regalia & fisci propria, regno salva maneant: Ecclesijs sua jura possessionésque ne adimuntor, adempta restituuntor: Prædia redhibentor spoliatis: hæredibus hæreditates & quibusvis jus servator illæsum: prædones, raptores alieni, coercentor: causæ omnes, sive privatæ, sive publicæ discordiarum, è toto regno eliminantor.* Decreta quoque in urbem legatio ad impetrandam à Summo Pontifice veniam censurarum. In eam rem missi, Spirensis Antistes & Fuldensis Abbas, de quibus anno sequenti.

Erminoldi Prufeningensis Abbatis cædes.

Porrò, hoc anno, Erminoldus, primus Cœnobij Prufeningensis apud Ratisbonam Abbas, mense Januario, morte truculentâ sublatus est. Res ab eo præclarè gestas prolixè scripsit quidam ejusce domicilij Monachus, è quibus visum est, pauca decerpere, quæ nostri sunt instituti. Cùm Henricus Imperator Ratisbonæ ageret, subijt desiderium visendi Monasterij, quod D. Otho condiderat. Gratissimum fuit Othoni regiæ benevolentiæ argumentum: sed non eadem mens Erminoldo, qui, factus de Cæsaris voluntate certior, jussit omnes Cœnobij fores sic oppessulari, nulla ut venienti pateret. D. Otho, qui in Cæsaris erat comitatu, nisus est, hominis inurbanum rigorem ad comitatem & reverentiam inflectere, sed in cassum; quòd Abbas negaret, sibi fas esse, Cæsarem diris devotum admittere in domicilium sanctitatis: enimvero constare, quibus vinculis religionibúsque esset obstrictus: quippe quarum ipse denuntiator fuisset. Cæsar in præsens iram, præter morem, in potestate habuit, vetuítque vim adhiberi, & alias cùm Prufeningam præterveheretur, cohibuit stipatores, qui in Erminoldi necem conjurârant, ne sævirent in Monachos, qui id temporis operi hortensi insudabant. Verùm non mul-

non multò pòst, Aaron, unus è conjuratis, Herminoldum ex insidijs vecte percussum, prostratúmque sic contudit, ut paucis pòst diebus animam exhalârit. Antè quàm expiraret, divino fruitus ostento, Cælitum delitias prægustavit: vidit in Albo beatorum nomina suorum descripta, qui divinitus cœlo erant destinati: fratribus prædixit horam, quâ ex hac vitâ erat migraturus.

Venio ad annum, quem boni omnes dixêre aureum, à pace verè aureâ, inter Sacerdotium & Regnum. Callistus Pontifex, ut Numen Ecclesiæ propitiaret, Romæ, in Laterano, Concilium trecentorum, eóque amplius, Episcoporum celebravit, pro restituendâ inprimis priscâ pietate, quam schisma haud mediocriter labefactaverat. Auditi à Patribus Germaniæ Legati, missi ex Herbipolensi comitio; qui non sine lætâ piorum omnium gratulatione, pleno sinu pacem adferebant a Germaniæ Ordinibus, ipsóque Imperatore, qui Romanæ Sedi honorificas æquissimásque orbi Christiano perpetuæ tranquillitatis conditiones offerebat, petebátque, ut ei stabiliendæ, Callistus Legatos cum plenâ paciscendi potestate in Germaniam amandaret. Missi proinde Lambertus Cardinalis Episcopus Ostiensis, Saxo, S. Stephani in monte Cælio, Gregorius S. Angeli, Cardinales. Wirceburgi reperêre Cæsarem nonnihil exacerbatum novâ hac occasione. Duo fuerant nominati ad capessendam Wirceburgi mitram, quam Erlungus Episcopus nuper defunctus reliquerat. Henricus Cæsar, candidatorum alterum Gebhardum admodum adolescentem optaverat: Clerus populúsque, more majorum, legerat Ruggerum istius Ecclesiæ Diaconum, eúmque re ipsâ instituerat. Unde dissidium eousque exarserat, ut universum pacis negotium, magno animorum æstu in superiorum annorum scopulos revolvendum videretur; quod haud dubiè evenisset, nisi, quâ valebant sapientiâ, Legati Pontificis dissidentes pacâssent, impetrâssentque à Cæsare, ut pateretur, divisum rei civilis imperium tribui inter rivales, & Ruggerum, utpote digniorem, sine consorte, sacram Episcopij potestatem adipisci.

An Christ. M. C XXII. Annus pacificus. Suger. Abb. in Ludov. III. Legatio Germaniæ ad Callistum Pont. Herbipolense dissidium.

Nova accessit remora ab Adalberto Moguntino, qui diffidens Cæsaris ingenio, supremo conatu Aschaffenburgum, vetus ac fatiscens imperij Moguntini castrum, muniebat, indignante Cæsare, & vim ad opus disturbandum parante: tam proclive est in deteriora relabi, cùm nondum coaluerunt odiorum cicatrices. Verùm, quæ fuit Numinis benignitas, Pontificiorum Legatorum Principúmque effectum est industriâ, ne ista lis paci sanciendæ obesset, quæ demum Wormatiæ ex communi Rom. Pontificis, Imperatoris, Ordinúmque Imperij sententiâ feliciter convenit in has leges, quas, opinor, non ægrè lector cognoscet ex publicis summorum Orbis capitum tabulis, quas Urspergensis recenset in hæc verba:

Adalbertus Moguntinus Cæsari suspectus. Pax Ecclesiæ.

Ego Henricus Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Callisti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo, Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedo, in omnibus Ecclesijs fieri electionem & liberam consecrationem. Possessiones & regalia Beati Petri, quæ à principio hujus discordiæ, usque ad hodiernum diem, sive tempore Patris mei, sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo: quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum & Principum, & aliorum tam Clericorum, quàm Laicorum, consilio Principum & justitiâ, quæ habeo, ut reddantur, fideliter juvabo.

Tabulæ Cæsareæ. IV.

Cæsareis hisce tabulis nomina subscripserunt, ex Bojariæ Proceribus Hartwicus Ratisbonensis Antistes, Henricus Dux Bojariæ, Diepoldus Marchio Vohburgius, Otho Comes Palatinus, Marchio Istriæ, & Berengarius Sultzbacensis. Cæterorum nomina videre licet apud Baronium. Pontifex pactus est in hæc verba:

Ego Callistus Servus Servorum Dei, dilecto filio suo Henrico Dei gratiâ Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, qui ad Regnum pertinent, in præsentiâ tuâ fieri absque Simoniâ & aliquâ violentiâ, ut, si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio, fa-

Pontificiæ.

uori

niori parti assensum & auxilium præbeat: electus autem regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperii, consecratus, infra sex menses, regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, secundum officii mei debitum, auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tuâ sunt, vel fuerunt tempore hujus discordiæ. Data anno millesimo centesimo vigesimo secundo, nono Calendas Octobris.

Vulgatæ fuerunt utriusque litteræ in patente campo ad Rhenum, exceptæque incredibili lætitiâ & applausu DEO gratulantium, pacem à diuturno exilio revocatam, pietatem reflorescentem, & depulsam fœdissimi schismatis contagionem. Secundum hæc, Lambertus Cardinalis rem divinam fecit, & Imperatorem pacis osculo donatum, solutúmque dirarum religionibus, sanctissimâ Eucharistiâ impertivit, reddiditque Ecclesiæ & Romani Pontificis consortioni. Alter deinde Principum conventus Bambergæ habitus, ubi Principes, qui Wormatiâ abfuerant, in pacis leges jurârunt. Missi etiam ad Pontificem Cæsaris Oratores cum regiis muneribus. Secundum hæc, Sacris suus splendor rediit, abstersus templis squalor, proscripti Pontifices suis quique sedibus restituti. Conradus Salisburgensis, quem Baronius meritò sanctum nominat, à septenni exilio reductus; Bertoldus incubator pulsus armis Leopoldi Stiriæ Marchionis. Quo ex tempore religionis studium Conradi diligentiâ egregiè instauratum, facto initio à principe collegio Ecclesiæ Salisburgensis, ut, ubi plus esset splendoris, inde illustriora prodirent exempla virtutum. Conradus omnes Canonicos ex D. Augustini instituto, ad communem rerum vitæque societatem, sub Hartmanni Batavensis è D. Nicolai contubernio, disciplinâ redegit.

IMPERATORIS CUM ECCLESIA RECONCILIATIO.

V.

Baron. ad an. 1111. Reichersp. Chron. Author vita S. Gebhard.

ECCLESIÆ SALISBURGENSIS REFORMATIO.

Ecclesiæ primariæ exemplum minores haud gravatè sunt amplexæ, si duo Monasteria Sanctimonialium excipias, Chiemense & Gossense, quæ, tametsi res suas in commune haberent, muliebri tamen pervicaciâ, Conradi monita vel non admiserunt ad aures, vel habuêre contemptui. Cæterùm in toto Archiepiscopatu nulla fuerunt Monachorum, vel fœminarum DEO dicatarum collegia, immò nullæ Sacrorum ædes, quas Conradus vel non construxerit, vel in meliorem normam, sanctiorémque virtutum palæstram non formaverit. Ipso auctore factum est, ut virorum cœnobium, quod in Chimi lacûs insulâ penè collapsum, non ædificiorum modò, sed morum etiam ruinam minabatur, instauraretur, & sub D. Hartmanni manu insignes religionis fructus ederet.

MONIALIUM CHIEMENSIUM ET GOSSENSIUM PERVICACIA.

CHIEMENSIS VIRORUM MONASTERII INSTAURATIO.

Inter hæc magnum cepit damnum Ecclesia Batavensis morte Udalrici Pontificis, viri numeris omnibus absoluti, qui, post centum & quinque annorum vitam actam laudatissimè, abiit ad longè meliorem. Talis Episcopi jactura inde funestior, quòd successorem accepit Regimarum, pecuniæ, quàm rei divinæ studiosiorem. Quamobrem membranæ Batavenses eum nominant Ecclesiæ desertorem, censurâ (ita opinor) justo duriore, quòd cum constet gnaviter in religionis amplificationem incubuisse, Boicæ, Austriæ, aliisque Regulis & magnatibus authorem fuisse augendi cœnobiorum numerum, & dandi magistros, quibus juventutis proba institutio committeretur.

Chron. Reichersp. ad hunc an. Catalog. Episcop. Bataven. refert ad an. 24

UDALRICI BATAVENSIS EXCESSUS.

Hac quoque tempestate Wolfholdus Admontensium Præsul magnis claruit virtutibus. Eum Dietgerus Abbas D. Georgii in Sueviâ, Metensis postea Episcopus, vir apprimè religiosus, cùm Admontem abeunti valediceret, cum hoc vaticinio dimisit; abire virum, qui Bojariam illustri pietatis face esset ornaturus: & ornavit quidem eo splendore, ut, cùm longè latéque ipsius sanctitatis fama fulgeret, intra breve tempus, tredecim Abbates, quos egregiè excoluerat, ab ejus magisterio, ad Cœnobiorum præfecturas fuerint producti. Primores annos egit inter Frisingenses Canonicos, à quibus abstractus fuit amore religionis Benedictinæ, cui se devovit in D. Georgii cœnobio, unde evocatus, præfuit Eisenhofensi, quod Schirensium Comitum liberalitati sua debet incunabula. Isthic nactus est præfecturam permolestam, ob ejus, qui se loci advocatum ferebat, perpetes injurias,

WOLFHOLDIS ADMONTENSIS.

VI.

tias, quibus denique fractus, sponte se redegit in ordinem, eáque gessit modestiâ, quæ Admontensibus fecit expetendum.

Sed ne è solis Monasteriorum plantarijs pietatis flores fructúsque, ferreo hoc anno, prodijsse sera posteritas crederet, Numini placuit, Principum domibus (ubi quoties virtus est, toties rara est & excellens) inserere sanctitatem. Ut alia taceam exempla; hâc tempestate duo promicuerunt, In Henrico nempe Duce Bojariæ, & Conrado ipsius filio. Hic parenti facem præluxit, nec defuêre viro optimo laudatores. Post adolescentiam in litterarum Lycæo Coloniæ peractam, cùm sanguini nobilissimo, morum excellentia, eruditionis claritudo, collectáque fama, sacros, profanos, honores ostentarent, rebus omnibus, quas avidè prensant mortales, antehabuit Christi amorem, & cœlestibus opibus divitem inopiam. Eminebat tum Ordinis Cistertiensis, paucos ante annos, nata religio. Inter hæc initia, D. Bernardus in Clarevallensi Asceterio, multorum accendebat animos ad humeros suavi Christi jugo submittendos. Conradus, quem rerum humanarum fastidium ceperat, ad eum clàm aufugit, & ex ipsius ore melleo hausit spiritum, quo ad visenda Christi nascentis incunabula, & morientis theatrum, accensus, cum bonâ ejusdem veniâ, Palæstinam adijt: quâ peragratâ, captus amore solitudinis, recepit se in montis secessum, cum uno duntaxat socio, quem sui propositi conscium est secutus, futurus eò cœlitibus propior, quò remotior ab oculis mortalium. Isthic cùm cœlo maturuisset, revisendi Bernardi desiderio, è terrâ sanctâ solvens, ægro jam corpore, delatus in Apuliam, Barij, ubi D. Nicolai corpus celebri hominum concursu & veneratione colitur, vitæ innocenter actæ finem imposuit.

Chron. Weingartr. Arenbeck.

CONRADUS BOIARIÆ DUX A D. BERNARDO EDOCTUS, INVISIT TERRAM SANCTAM.

DEGIT VITAM SOLITARIAM.

BARII MORITUR.

VII.

Henricus pater, filij exemplo, Monachum induit, incertum quo anno; certum tamen est ex Ranshovij chartis, datis anno hujus sæculi vigesimo quinto, tertio Cal. Augusti, sanxisse donationem decimarum ex sylvâ Willchartensi ad aram D. Pancratij, adeóque Ducem id temporis nondum exuisse. Unde consequens est, ejus conversionem minùs rectè referri ad annum vigesimum primum; ejus verò sepulturam ad annum vigesimum quintum & ultra, à quibusdam haud satis accurato calculo. Attamen licèt ambiguum sit, quanto tempore Monasticen egerit in Monasterio Weingartensi, constat tamen, eum vivendi finem illic fecisse non sine admiratione mortalium obstupescentium, Principem eâ dignitate & ætate, opibus, potentiâ, atque honoribus abdicatis, sibi priùs atque mundo voluisse mori, quàm natura fato defungi juberet.

HENRICUS PATER MONACHUM INDUIT.

Minùs religiosa sunt, sed velut adijcialia è repotijs nuperarum contentionum, quæ, Urspergensis memorat, Henrico Cæsari Trajecti contigisse. Dum eò loci Christiana Natalitia celebrat, repentè ortus est inter regiæ turmæ Prætorianos & Episcopi ministros cruentus tumultus, qui civitatem universam, Cæsaris militem, totam aulam, ad arma concivit. Pugnatum acerrimè, multísque utrinque cadentibus, vicêre Cæsariani. Capti complures ex oppidanis, reliqui ad turrim benè munitam confugêre. Auctor seditionis habitus Trajectensis Antistes, atque eam ob rem mancipatus custodiæ, & reus majestatis magnâ pecuniæ vi multatus est, impetratâ priùs per Agrippinensem Archiepiscopum aliósque Principes libertate.

TRAIECTENSIS TUMULTUS.

Nihil profecêre pacis recentia decreta, quò minùs per Germaniam universam, capto à Saxonibus exemplo, prædæ agerentur de colonis, patrarentur cædes & incendia, invaderentur Ecclesiarum facultates, vastarentur agri, cives tumultuarentur, velut œstro quodam æstuantes. Eas turbas DEUS visus est velle compescere non modò grandi annonæ charitate, sed mirandis etiam ostentis, ex quibus palàm fieret, irato cœlo patrari militares injurias. In agro Wormatiensi, per multos dies, visa in publico spectra, spectabili formâ Comitij militaris. Magno numero prodibant armati equites, velut daturi senatum, solutóque conventu, alij aliò diversi recedebant, postridie ad conventum redituri. Hæc cùm haberent regionem attonitam, è colonis quispiam cæteris animosior, non tamen absque formidine, frontem crucis signo armatus, ausus est unum ex equitibus à cœtu abeuntem,

AN. CHRIST. M.C.XXIII. TURBÆ IN GERMANIA.

SPECTRORUM PORTENTA.

tem, per supremi Numinis reverentiam contestari, ediceret, quidnam sibi vellent tam frequentes umbrarum coitiones. At ille; *Non sumus*, inquit, *quod vobis videtur, mera phasmatum ludibria; sed militum nuper interfectorum manes. Arma, habitus, jumenta, quæ nobis fuerunt instrumenta peccandi, nunc sunt tormentorum incentiva: quamvis enim vestros fugit oculos, toti tamen urimur, & nihil eorum, quæ cernitis, non est igneum.* Fama fuit, Emiconem genere Comitem, haud multis antè annis occisum, fuisse ex umbrarum numero, &, cùm se præberet visendum, docuisse, se piorum orationibus & largitionibus in egentes, eripi posse expiatorijs cruciatibus. Ad religionis incrementum spectat pontificium Callisti diploma, quo, hoc anno, probata est & stabilita disciplina, quam Conradus recens Salisburgensis ex D. Augustini normâ in Metropolitanam Ecclesiam induxerat.

An. Christ. M. C. XXIV. IIX. Comitia Bambergensia.

Anno sequente, Henricus Cæsar, compressis Hollandorum motibus, Reginâ in Lotharingiæ finibus relictâ, circa verni jejunij dimidium, cum nonnullis Optimatum Wormatiæ congressus, comitia Bojarijs, Boëmis, Suevis, Lotharingis, Saxonibus, ad nonas Maij, Babenbergam indixit, ubi actum quidem in speciem de Lothario Duce Saxoniæ, qui res novas, ad vindicandam illatam filiæ abs Henrico injuriam, moliebatur, cohibendo; re tamen indicti apparatus, ad Ludovicum Crassum Galliæ Regem bello petendum, ferendásque suppetias Henrico, Cæsaris socero, Anglorum Regi, qui Nortmanniam à Ludovico repetebat. Minùs vero simile est, quod à Francis scriptoribus vulgatum est, Cæsarem voluisse ulcisci acceptam in Remensi Concilio ignominiam, quâ è piorum cœtu fuerat, præsente Ludovico, ejectus, eámque ob rem Remorum excidium fuisse meditatum. Quæcunque demum belli causa fuerit, cùm Germaniæ Principibus non probaretur, pauci voluntarij induerunt arma, & ea quidem, ubi posceret usus, languidè tractaturi. Gallis nihilominus grandis injecta cura, ne simul cum duobus Regibus, Franciâ à bellis intestinis vix respirante, foret colluctandum, eò præsertim, quòd fama, res augens in majus, terrorem adferret, quasi Cæsar omnem propè Germanorum nobilitatem armâsset. Quare habiti totâ Franciâ, quanti potuêre, delectus: Alanus, Dux Britanniæ florentissimæ juventutis auxilia Crasso adduxit: Almericus Montefortius Anglo objectus: ardentia vota facta cœlitibus Franciæ tutelaribus, Divo inprimis Dionysio, quippe cujus vim sæpius hostes sensissent: excitata toto regno virorum fortium alacritas atque fiducia. Cæsar hosticum nondum ingressus, comperto, Gallos non esse, uti rebatur, à Crasso Rege tantopere alienos, sed ad vim inferendam paratissimos, suorum Procerum cessit authoritati, per sacra omnia rogantium, ne Germaniæ Imperium cum Franciâ collideret, pacémve, tot retro annos cum fide cultam, laceraret. Haud procùl tum aberat à Campaniâ, cùm, ne viso quidem hoste, signa vertit in Germaniam: Anglus verò cogitans, ferro flammáque omnia miscere, ubi generum paria facientem esset auditurus, cognito Germanorum discessu, minas & arma ultro posuit. Ita Henricus bellum temere susceptum cum probro finijt, imposuítque suis factis indecorem coronidem, uno duntaxat facto deinceps memorabilis, quo ab irritâ reversus expeditione, Wormatienses, qui, ipsius injussu atque ingratijs, Buggonem Episcopum suæ sedi restituerant, difficili fractos obsidione castigavit, impositâ grandis æris solutione.

Irritus Henrici in Ludovicum Crassum apparatus.

Gallorum pro rege alacritas. IX.

Pandulf. Callisto sufficitur Cælestinus: post Honorius.

Romæ Callistus, anno ad finem declivi, lethali febre extinctus est, Pontifex rebus pro Ecclesiâ gestis admodum gloriosus. Comitijs successori creando habitis, Theobaldus Cardinalis S. Anastasiæ suffectus est, dictúsque Cœlestinus, velut de cœlo missus: sed antequam electioni esset assensus, Robertus Frangipanius, suis stipatus asseclis, Lambertum Cardinalem Ostiensem, Papam acclamavit. Magnus inde exortus tumultus, quo composito, 28. Decembris, Lambertus in publico Purpuratorum consessu, positâ mitrâ aliísque insignibus, sponte contestatus est, se ultima potiùs perpessurum, quàm novum rei Christianæ divortium. Ea modestia sacrum Senatum induxit, ut censeret, rursus, ad vitandas factiones, in vota eundum, rogandúmque, ut, quam posuerat dignitatem, Lambertus rite atque ordine

dine electus assumeret. Ita nihil ille refragatus, cum Pontificiâ inauguratione Honorij nomen accepit.

An. Christ. M.C.XXV. Henrici V. Mors. Rob. de Monte. Vrsp.

Anno proximo, post varia ostenta, passim per Germaniam cœlo terráque edita, Henricus V. Imperator, imperium cum vitâ posuit, nullâ virili stirpe relictâ. Est in Epitaphio quidem 5. Cal. Augusti, sed opinor, eo die fuisse mausoleo illatum. Imperij insignia ante obitum in arcem Hamersteiniam custodienda misit, donec Imperij Ordines legitimâ suffragatione Regem nominarent. Cumulârat ingentem auri argentíque congeriem, neque bello, neque pace clarus, hoc uno felix, quòd sacris Christianis expiatus diem clausit.

Regni candidati.

Post ejus decessum, in Bojariâ principatum tenebat Henricus, ortus è Welfonum sanguine: Sueviæ præerat Fridericus Ahenobarbi parens; Franciæ Orientali Conradus Friderici frater. Uterque regio nomini flagranter imminebat, quòd essent Henrici Imperatoris consobrini, & penes se servabant regni insignia.

X.

Lotharius eligitur. Otho Frising. lib. 7. c. 17.

Fuêre simul inter candidatos Leopoldus Austrius & Carolus Flander. Proceres Germaniæ, adnitente potissimùm Adalberto Moguntino, præsentibus Apostolicæ sedis Legatis, Lotharium Saxonem, non religione minùs, quàm bello præclarum, quamlibet renitentem, 3. Cal. Septemb. Regem salutârunt: Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, Idib. Septembris, Aquisgrani, festo ritu inunctum inauguravit. Inaugurationi interfuêre omnes regni Proceres, exceptis Suevis & Franconibus, qui sibimet imperium desponderant. Unde belli materia, quod publicum Germaniæ otium haud mediocriter turbavit.

Henrici Imp. propinquos affligit.

Lotharius certè (quod notavit Otho Frisingensis) Henrici Imperatoris posteros varijs afflixit malis, justo planè Dei judicio, ut, quâ ex stirpe tot in Ecclesiâ calamitates extiterant, lueret delicta progenitorum. Sensêre ijdem Honorium adversantem, à quo Fridericus & Conradus, Lothario obnitentes, diris devoti. Idem Anselmum Mediolanensem Archiepiscopum dignitate movit, quòd Conradum, ab Italis quibusdam Regem salutatum, Longobardicâ coronâ, Modoëtiæ, donâsset.

Bona proscriptorum redigenda in fiscum provinciarum.

Lotharius Legatos misit in Urbem, ut, quod Principes de ipso statuerant, Pontifex ratum esse vellet. Interim ipse Reginoburgi causas Imperij discussit, & inter has quidem, quæstionem de proscriptorum bonis, deberéntne illa in Regni fiscum, an cujusvis Provinciæ ærarium redigi: pronuntiatum verò secundum Provincias, sive, ut Dodechinus loquitur, *ut cederent ditioni regiminis potiùs, quàm Regis proprietati.*

Ingens mortalitas.

Tertia pars mortalium, hoc ipso anno, sæviente cœlo, absumpta, cùm alij pestilitate, fame alij, alij frigore, multi alijs victi miserijs, sternerentur. Destituit etiam Eistadianam sedem Udalricus, uti & Ruggerius Herbipolensem. Sub tot malis, pietas, quæ aliquando rei adversæ beneficium est, Biburgensi Cœnobio dedit initium.

Biburgense Monasterium.

XI.

Conradus & Aribo fratres, è stirpe Comitum Biburgensium & Hiltpolstainiorum, unà cum Berthâ sorore, in herciscundâ familiâ Biburgum sortiti, hoc anno, ejus in Monasterium mutandi, initium fecêre. Venerunt in partem ejusce pietatis, Ludolfus Griespacensis, Burcardus Panzingensis & Rehewinus Weichsius, magnum opus moliti, quod non modò viris, sed fœminis etiam Benedictinæ familiæ, & pauperum inopiæ deserviret. Tres, quos nominavi postremos, non suas duntaxat opes Cœnobio, sed etiam semetipsos dedicârunt. Quas ad res, usi sunt omnes consilio & auspicijs Othonis Babenbergensis Episcopi, qui nuper è Pomeraniâ, superstitionis victor, debellatórque reverterat: hic lubens volénsque se præbuit tantæ molitionis directorem & architectum, coloniæque in eum locum deductæ Eberhardum è Prunfenningensi Monasterio præfecit. Sub idem tempus Christina, nobilissima vidua Geroldi Comitis, Aspacense Ordinis Benedictini Monasterium, attributis Aspachij, quod ipsi hæreditate obvenerat, possessionibus, à fundamentis erexit: Otho deinde Babenbergensis Episcopus anno M.C.XXVII. consecravit.

An. Christ. M.C.XXVI.

Hartwicum, ejusce nominis primum Ratisbonæ Episcopum, virum nobilitate & religione clarum, Engelberti Carantanorum Ducis filium, annus hujus

HARTWICUS RATISBONÆ EPISCOPUS MORITUR. HENRICUS IX. BOIARIÆ DUX ET HULPHILDIS EIUS UXOR MORIUNTUR. *Avent. lib. 6. pag. 618. & 619.* HENRICUS X. BOIARIÆ DUX. PRÆCLARÆ LEGES.

sæculi sextus supra vigesimum, è vivis abstulit. Subrogatus est Cuno I. Abbas Sigebergensis, cui Rupertus Tuitiensis libros de victoriâ verbi DEI inscripsit. Hoc quoque anno Henricum IX. Bojariæ Ducem, de quo superiùs, è vita monasticâ ad beatiorem abijsse, vero propius est. Decimo sexto post ejus fatum die, secuta est Hulphildis uxor, Magni Saxoniæ Ducis filia: utrumque Altorfij esse tumulatum, author est Aventinus.

Defuncto parenti Henricus X. successit. Principatum, more majorum, auspicaturus, gentis Comitia Reginoburgi coëgit, stipatus numeroso milite, ne quis conventui interstreperet, auderétve, quod contigerat aliàs, neglectis legibus & Principis authoritate, jus armis repetere, quando id maximè agebatur, ut publica tranquillitas legum præsidio muniretur. Inter cætera, quæ sapienter decrevit, Reginoburgo Prætorem, qui juri dicundo præesset, imposuit: diremit privatorum lites, sustulit contentiones, indixit inimicitiarum abolitionem, excussit arma Proceribus, jussit omnes pacem colere, & præteritas simultates oblivione sepelire. Eodem conventu constituti Duumviri rerum capitalium, qui latrocinia manu armatâ & ultimo supplicio tollerent, excuterent prædonum latebras atque spoliaria; proscriptæ etiam sunt publicitus motuum intestinorum causæ, vetitæ seditiones, & ne quis Principis injussu ad bellum arma caperet, quæ uni debita sunt tutelæ salutis & augmento majestatis.

XII.

HENRICI DUCIS NUPTIÆ.

Posteaquam (quod Principi debet esse inter prima) otio securitatique publicæ, & privatorum necessitudinibus consuluerat, ad quærendam sobolem, unde præcipua dominantium firmamenta, se retulit. Lotharius Rex illi Gertrudem filiam Merseburgi despondit. Ut sponsa, quâ par erat pompâ, sacris nuptialibus domum duceretur, adornata est è Boijs honestissima legatio, quæ regiam virginem Augustam Vindelicorum est comitata, ubi nuptiæ, quanto vix aliàs splendore fuerunt celebratæ. Ad eas honestandas ex omni Boicâ & Sueviâ Optimates confluxêre, cum ea stipatorum frequentiâ, ut, cùm urbis amplitudo Nobilitatis & populorum multitudinem non caperet, in campum Lycatem, qui Fridbergam & Meringam interest, & *Concio legionum* dicitur, fuerit migrandum, ubi octavo Quinquagenalium, festivis epulis ludisque, genialis celebritas est transacta. Pòst, nupta Ravensburgum ducta, ubi totam egit æstatem, dum maritus in Saxoniam, socero militaturus adversus Fridericum Judithæ sororis suæ maritum, concessit.

FRIDERICUS BOGIUS PRÆTOREM RATISBONENSEM TRUCIDAT.

Per ejus absentiam, Fridericus Comes Bogius, Ratisbonensis Ecclesiæ advocatus, allectis in partes nonnullis è Boicâ nobilitate, quibus ægrè faciebat sancita in nupero comitio arctior, quàm vellent, disciplina, & demandata à Lothario nobilium clientelarum & Bojariæ Præsulum Henrico tutela; ut genus id hominum neque capax est totius libertatis, neque patiens adstrictioris dominatus; Prætorem Reginoburgensibus ab Henrico impositum, per amicitiæ speciem ad se vocatum, obtruncat, causatus, eâ novi magistratus accessione, suæ dignitati & commodis esse detractum. Hinc origo magnorum motuum, de quibus paulò pòst agendum.

BELLUM BOEMICUM GESTUM INFELICITER.

XIII.

Lotharius, acturus regiæ fortunæ præludium, arma traxit in Sobeslaum, quem Bojæmi, post Uladislai obitum, summæ rei, Regis injussu, imposuerant, insuper habito, principatum clientelari nexu regno Germanico fuisse devinctum. Consilium erat, Othonem Moraviæ regulum, qui magnis promissis atque inprimis ostentato auro, Regi ejúsque ministris splendidè imposuerat, Ducatus Bojæmici beneficiariâ possessione impertiri, Sobeslao submoto. Suscepta expeditio hieme intempestâ, tantò importuniùs, quòd esset Lothario omnium prima ab indepto regno, unde ex vulgi æstimatione, de cæteris omen & fama erat capienda. Non deerat virtus & numerus copiarum, sed ductorum industria. Hi inexplorato progressi (quod nulli unquam Imperatorum tutum fuit) intercepti sunt Bojæmorum insidijs. Lotharius enim, Othone comitante, per sylvarum angusta, quæ Bojæmos à Saxoniâ dirimunt, viam inijt, altis obrutam nivibus, sine fido & perito ductore. Sobeslaus, non ignarus periculi, in abdito nemoris recessu castra ad amnem interfluen-

fluentem posuerat; ad quem, post varios errores, cum ingenti labore denique Lotharius, milite inediâ apprimè fatigato, consedit. Bojæmus, ex flumine turbido, quod regij aquatores confuderant, notatâ hostis propinquitate, mox jubet signa moveri in oppidò defessos. Primum Lotharij agmen nullo negotio eversum, à posteriore, inter callium & sylvæ angustias erigi non potuit. Secuta inde strages. Rex in vicinum collem cum paucis receptus, & undique dejectis arborum truncis vallatus, per Henricum Saxoniæ Marchionem, Sobeslai ex sorore nepotem, nactus copiam colloquendi, ostendit, sibi fore satis, si Sobeslaus, ad ipsius prostratus pedes, sacramentum clientelare diceret. Pax eâ lege facta. Inter cæsos fuit Hartungus filius Adolfi Comitis Holsatarum natu major: inter captivos, Albertus Marchio Brandeburgicus, Ursus cognomento. Bello ad eum modum improsperè confecto, Bojæmus copias auxiliares Lothario junxit, quarum esset usus in Norinbergæ obsidione, quæ in Friderici & Conradi verba jurârat, irata, quòd eam Lotharius Henrici Boici Ducis præfecturæ contributam, unà cum Gredingâ regni beneficiariam fecisset. Ducta obsidio ad bimestre in cassum, ob pertinacem civium virtutem, quæ eò usque duravit, donec Lotharius, propinquantibus Friderici & Conradi fratrum auxilijs, non ausus supremam experiri aleam, discessum depro- peravit, relictâ impedimentorum parte, quæ Norinbergensibus prædæ fuerunt. A Bojæmis nullum prorsus fuit in obsidione adjumentum, quòd miles, cujus opera potissima in populandis agris, tectis urendis, abigendo pecore, trucidandis colonis, domum fuerit remittendus, ne ejus exemplo disciplina castrensis, sine quâ nihil agi potest compositè, solveretur, inque ejus locum, quod solet usuvenire, succederet confusio, procacitas, temulentia, & licentia latrociniorum. Et verò flagitijs assueti, mirum faciunt, nisi desides sint & fugaces.

Pax Lothario indecora.

An. Christ. M. CXXVII.

Irrita Norinbergæ obsidio.

Boiæmorum insolentia.

XIV.

Lotharius, Norinbergâ relictâ, Wirceburgum abijt: Fridericus & Conradus fratres, urbem velut in triumpho ingressi, annonæ bellicique instrumenti non vulgarem apparatum importârunt, nec veriti Lotharium, sub ipsis mœnibus, cum regio milite concurrerunt ad modum certaminis singularis, quod deinde ab æmulatione equestris prælij, quia apud posteros loco tirocinij militaris & ludicri spectaculi habitum, originem nomenque Torneamentorum ferunt invexisse ad virium & audaciæ ostentationem: quanquam id ludi genus longè videtur esse vetustius: uti colligere est ex Dictys Cretensis scripto de bello Trojano, ubi refertur, in spectaculo pugnæ singularis ab Achille edito, ob devictum & occisum Hectorem, vicisse Eumelum equis quadrijugis, bigis Diomedem & Menelaum, sagittis Ulyssem & Merionem, cursu in armis Diomedem, duplici campo Machaonem, singulari Eurypilum. Similia sunt certamina, quæ per Phæaces, scribit Homerus, edita publicè ab Alcinoo in adventu Ulyssis peregrini. Quicquid sit de istorum ludorum antiquitate, hoc, de quo agimus, tempore, non omnino nova videtur eorum fuisse consuetudo. Certè Theobaldus Dynasta Vohburgius, & Gerwicus gente Westphalus, isto jam ævo inter Olympionicas Germanos celebrabantur, qui ardore gloriæ incensi, ejusmodi Circensium initiamenta in ijs congressionibus quæsivêre, & ingenij similitudine, sæpe visi sunt in arenâ, non fortiter magis, quàm amicè concurrentes. Istud utriusque studium finijt casus inopinus. Cùm cœco impetu, in confusâ decertantium commissione, singuli ferrentur in obvios, Andabatarum more, Gerwicus imprudens, hastâ velitari oculum hausit Theobaldo. Errorem mœror incredibilis secutus & perpetua hastiludiorum ejuratio. Gerwicus Sigebergæ Monasticem professus est, Theobaldus intra lares domesticos, rei addictus familiari, se continuit. Hæc de Trojanorum certaminibus.

Torneamentorum origo.

Dictys Cret. lib. 3.

Cæterùm Lotharius, cùm ad Wirceburgum sui copiam non faceret, gemini fratres nihil cunctati, transmisso Rheno, Spiram, tametsi anno superiore Lothario jurata fidem addixerat, civibus volentibus, & ob Cæsarum Henricorum beneficia cognatæ stirpis studiosis, invadunt, & præsidio muniunt ad vim fortiter defendendam. Sigefridus Episcopus, damnatâ urbis rebellione, pulsus in exilium, ad Lotharium confugit, qui anno postero, mense Augusto, urbem instituit oppugnare,

Spiræ rebellio.

An. Christ. M. CXXIIX.

XV.

Obsidio.

Otho Frising. de reb. Frider. I. lib. 1. c. 17. Dodechin. Chron. Hirsaug.
SOLUTA OBSIDIO.

gnare, adnitente Adalberto Moguntino, qui Regi non contemnendas suppetias adduxit. Magnis conatibus ducta est usque ad Decembrem oppugnatio, sed cùm præsidiarij, civium manibus & alacritate adjuti, nullam deditionis mentionem admitterent, Lotharius, refixis signis, exercitum ad hiberna deduxit. Sigonius & Aventinus scribunt, urbem fuisse deditam, datósque Regi obsides, sed cùm id sine teste asserant, & Dodechinus nihil tale meminerit, plus habent fidei Spirensium Annales, qui affirmant, Lotharium irritum ab obsidione discessisse. An eo bello Henricus Bojus Regi operam navârit, non est satis compertum: vix tamen credibile est, eum à Socero per id tempus abfuisse. Constat quidem, eum cum Friderico Bogio, ob patratam Reginoburgensis Prætoris cædem, hac tempestate graviter collisum, & eâ causâ, arcem Falckensteiniam trans Danubium, haud longè à saltu Bojæmico obsedisse; neque enim vero simile est, ultrà distulisse vindictam: verùm & illud ex Urspergensi certum, à Lothario vocatum, obsidionem Sophiæ sorori, Ludolfi Styrij viduæ, quæ cum octingentis cataphractis accesserat, commendâsse, & sexcentos ampliùs Lothario duxisse, ejúsque jussu, ultra Rhenum ad prohibendas Friderici Ducis irruptiones, diversis à socero castris, tetendisse. Quæ res Fridericum, ferventi hominem ingenio, adduxit in spem, illum ex improviso opprimendi. Usus igitur noctis beneficio, prorupit in Henrici castra cum expeditâ suorum parte, ratus, se adversus raros excubitores, facilè vallo potiturum. Verùm Henricus, de ipsius adventu tempestivè edoctus, tantâ eum virtute excepit, ut senserit, rem sibi esse cum hoste strenuo atque vigilante. Repulsus enim cum insigni clade, ab Henrici equitatu, qui fugientium tergis hæsit, Gruningam usque cæsus est. Acceptam ignominiam cæsorum corpora & lux postera detexerunt. Henricus, à Spirensi obsidione reversus in Bojariam, castrum Falckenstainium in suam potestatem redegit.

BELLUM CUM FRIDERICO BOGIO.

FRIDERICUS DUX HENRICI BOII CASTRA TENTAT CUM SUA CLADE.

ARX FALCKENSTAINIA AB HENRICO SUBACTA.

AN. CHRIST. M.C.XXIX.

Breve illi ab armis exinde otium, quæ rursum Nemetibus fuerunt inferenda, cùm Lotharius ad eos subigendos, mense Quintili, revertisset, eò majore apparatu, quò magis publicè intererat, & ad Regis famam, frangi unius civitatis non munitissimæ pertinaciam, & ad cæterarum terrorem, dare pœnas suæ perduellionis, itáque subigi, ut ne inposterum diceretur, impune hostilia gessisse in Regem, & rebellibus asylum tutelámque pessimæ causæ præbuisse. Iram Lotharij acuebat Conradi, cujus antè meminimus, injuria, qui Friderico fratre ad extrahendum in Germaniâ bellum relicto, in Italiam cum exercitu transcenderat, acceptóque ad Modoëtiam Lombardiæ diademate, plerasque Insubriæ civitates traxerat in suam factionem. Quamobrem Lotharius Moguntinum, Trevirensem, & Magdeburgensem Archiepiscopos impulit, ut eum, velut alieni regni usurpatorem, piorum juribus exuerent. Trevirensi, Meginero nomen; quem Conradus Romam ad Honorium, præsidij causâ, adversus cleri invidiam proficiscentem, ex insidijs jussit abripi, condi in carcerem, tradique Parmensibus, quousque bonus Præsul sexcentas æris libras, quas Conradus Parmæ debebat, penderet. Illas non pependit tamen, quia antequam id posset, carceris pædore, oculorum jacturâ, aliísque ærumnis ad decem menses excruciatus, naturæ debitum exolvit, non sine famâ posthumâ tolerati martyrij. Fridericus Conradi frater, Juditham Bojam conjugem Spiræ, ad retinendam civium fidem, velut obsidem adfuturi in tempore auxilij, reliquerat; ut ipse foris eò liberiùs bellum administraret. Verùm quia obsidio trahebatur in longum, & intercepto à Rege commeatu, annonæ penuria in horas evadebat angustior, nec affulgebat spes suppetiarum, civibus inediâ & malorum à Rege impendentium timore consternatis, auditæ voces ad seditionem spectantium, nisi vel laxarentur cibariorum difficultates, vel æquis conditionibus in Lotharij gratiam rediretur. Quare, ne quis oriretur tumultus, indictus est Tribunorum & magistratûs urbani Senatus, serióque deliberatum, præstarétne necessitati, quæ omni lege potentior, dare manus, an superstites nobilissimæ civitatis reliquias unà cum præsidiarijs dare in casum? Esse enimvero jam sat datum sanguinis & funerum ad probandam fidem, satis ostensum constantiæ ad tuendam famam. Prudentis

XVI.

CONRADUS DUX DIRIS DEVOTUS.

MEGINERI TREVIRENSIS OCCASUS.

SPIRENSIUM ANGUSTIÆ.

esse

esse consilia, ex rerum mutatione temperare; laudari eos, qui utilia suaserint, vituperari, qui sumpserint viribus altiora: res, si prosperè cadant, ab exitu commendari, & habere speciem honestatis; si secus eveniant, vulgi æstimatione, imprudentiæ damnari. Quisnam sit Nepotum futurus sensus, ubi intellexerint, avorum ausus temerarios rempublicam perdidisse? Talia cùm non modò vulgus promiscuum, sed etiam viri militares non dissimularent, & esset propè à seditione, Juditha tantâ facundiâ omnium erexit animos, ut, mutatâ sententiâ, decreverint, quoad vires paterentur, obsidij mala tolerare. Et sic quidem tantisper urbs mansit in officio; sed cùm denique nihil appareret auxilij, neque inedia, omni hoste validior, remitteret, itum rursus in senatum, in quo decretum, Lotharij clementiam implorare, interprete Adalberto Moguntino, qui id temporis in regijs castris versabatur. Ad eum missi oratores, qui rogarent, vellet afflictæ civitati succurrere inflectendo Regem ad honestas pactiones. Rem Antistes eò deduxit, ut Lotharius, sive ad captandam clementiæ famam, sive in Judithæ gratiam, obsessis veniam fecerit perduellionis, & sine maleficio, ipsis Januarij calendis, urbem sit ingressus. Juditham, regijs cultam muneribus, ad Fridericum dimisit laudabili humanitatis exemplo. Subinde jussi cives, Regi, novo sacramento dicere, & Sigefridum Episcopum, pristinæ dignitati restitutum, quâ par esset observantiâ, venerari. XVII. RECONCILIATIO. AN. CHRIST M.C. XXX.

Inter hæc Fridericus Bogius, arcis Falckensteiniæ jacturam suúmque dolorem ulturus, Altorfium, Ravenspurgum, Memingam, avitas Welfonum sedes, & circumfusum agrum, direptione, ferro, flammáque vastavit. De Henrici vindicijs dicetur anno sequenti.

Sub ea tempora, Theobaldus, celeber ille Olympionices, Gerwici Antagonista, de quo paulò antè, Reichenbacense Cœnobium, ad Reginum amnem excitavit, suadente Luitgarde matre, Berengarij Sulzbacensis sorore. De ejusce domicilij areâ nonnihil fuit amicæ disceptationis. Theobaldus loci amœnitatem destinabat condendæ civitati; mater contrà, se divinitus edoctam, dicebat, Divæ Virginum Imperatrici collem esse sacrandum. Cùm nihilo minùs Theobaldus perstaret in sententiâ, Luitgardis litem ad Regem detulit, obtinuítque, ne area, religioni devota, profanis ædificijs occuparetur. Eâdem tempestate, Cuno Ratisbonensis fato concessit. Dodechinus ejus vitam ad annum M. C.XXXII. producit. Cùm ad extrema properaret, ab amicis admonitus, sese ut ad periculosum æternitatis iter compararet, altum ingemiscens; *O seri monitores*, inquit, *qui rem difficillimam maximéque necessariam, in hunc temporis articulum distulistis, haud satis moris vestri memores, quo antehac solebatis amœna, jucunda suggerendo, meo, an vestro genio imponere; cùm consilia de re augendâ, ditando fisco quocunque ex quæstu, è sacerdotiorum nundinis & miserorum injurijs, ad quos spectabant residua Ecclesiarum, identidem misceretis. Me miseram! si jam primùm disco mori, cùm è vestigio moriendum est. Ad decretoriam hanc luctam jam olim debebamus severè exerceri, cùm me suaviter vivere volebatis.* Hæc sapienter elocutus, mortem oppetijt. Conditus est apud. S. Emmeramum. Ecclesia Canonicorum B. Virginis eum agnoscit conditorem. Ex ejus obitu nati sunt motus, quibus Boica haud mediocriter est concussa. REICHENBACENSE MONASTERIUM. XIIX. *Hund. in Metrop.* CUNO RATISBON. EPISC. MORITUR.

Fridericus Comes Bogius, ut Henrico ægrè faceret, Clero civibúsque Ratisbonensibus author fuit, ut Cunoni demortuo Henricum Comitem Wolfratshusium, virum imperterritum & haud modicè consanguineorum commodis implexum, quod sacris hominibus plerumque noxium est, subrogarent injussu Ducis Henrici. Hic Comitis insolentiam, sui contemptum interpretatus, Episcopi electionem, velut vitio factam, apud Innocentium Pontificem & Regem Lotharium insimulavit, institítque, ne Pontifex electo, sacrorum usum, Rex verò profana jura permitterent. Sed Episcopus, antè quàm in jus vocaretur, inaugurationem maturavit, & , impetratâ à Conrado Salisburgensi consecratione, & possessionis adeundæ licentiâ, exercuit munia Episcopatus; quæ exorsus est ab Engelberti D. Emmerami Abbatis vexatione, cui in ordinem redacto sacris interdixit, hoc nomine, quod præscri- *Chron. Weltngart.* NOVÆ A BOGIO TURBÆ. HENRICI EPISCOPI RATISBONENSIS MOLITIONES.

Præscriptum à Paschale Pontifice argentum non penderet. Adhæc Innocentij Pont. auctoritate D. Emmerammi basilicam invadit, sacros calices, auream argenteámque supellectilem conflat, templi sacrarium diripit, tabularium spoliat vetustis immunitatis, jurium, donationum documentis, quæ & jussit igne deleri. Hæc intra mœnia. Foris, ne quid deesset malorum, Bojariæ Princeps expugnat arcem Stauffianam, firmátque præsidio & rebus ad tolerandam obsidionem opportunis, ex agro vicino comportatis. Episcopus arcem mox circumdat tam arcto cinctu, ut, cùm cibaria deficerent, à Principe, obsessis fame laborantibus, per vim fuerint invehenda. Bellum inde ductum in Boicam Subalpinam. Hâc in expeditione præsentissimum discrimen Henricus adiit ad castrum Wolfratshusium, gentilem ejusce familiæ sedem. Dum enim incautiùs sibique præfidens, arcem cum paucis prætervehitur, ab Othone, loci Dynastâ, ex equi phaleris cæteróque agnitus habitu, propè abfuit à casu supremo. Otho, contracto confestim suorum globo, imperat, eum unum petant, qui gereret principis ornamenta, cæteros negligant. Factâ igitur adversus incogitantem eruptione, Othoniani solum Ducem pressêre. Actum erat de ipsius salute, nisi quispiam è comitatu evadendi modum ostendisset. *Commutemus*, inquit, *equos & saga, tuque, quà lubet, capesse aversam à viâ fugam, ego cursum rectà intendam, & quicquid sors tulerit, agam patiárque.* Factum id cum dicto. Insectantes, specie habitus adducti in fraudem, omisso vero Duce, personatum assecuti, multis conficiunt vulneribus. Henricus ingeniosè servatus, accito milite, Othonis agrum latè populatur, expugnat redigítque in cineres castrum Omerasium propè Oenipontem. Eadem fortuna manebat Wolfratshusium, nisi verni jejunij ineuntis consueta Welfonibus religio, ardentem vindictæ cupidinem mitigâsset. Arx Stauffiana, educto præsidio, incensa, succedaneæ victimæ vicem fuit. Hæc in Boicâ.

HENRICUS BOIUS DE SALUTE PERICLITATUR. XIX.

CATRUM OMERASIUM REDACTUM IN CINERES. STAUFFIUM EXUSTUM.

WELFONIS CUM UTHA NUPTIÆ.

Bellum aliud natum ex avaritiâ, invidiâ obstetricante. Welfo in Sueviam unà cum fratre cognomini profectus, Utham nobilissimam juxtà ac opulentissimam, è Calbianâ gente, Godefridi Dynastæ filiam matrimonio sibi junxit. Albertus, Godefridi patruelis, qui Uthæ dotale patrimonium avidâ spe erat complexus, dolore amens ob aversam ad extraneum gentilitiam hæreditatem, arma induit, invadit Calbense castrum, Welfonis præsidium ex improviso, nocturnâ aggressione, opprimit, prædam omnem abripit in arcem Wittenbergam, vico flammis vastato. Majora ausurus auxilijs Friderici & Conradi, qui cum Boijs fratribus, ob egregiam in Lotharium fidem, gerebant inimicitias, patitur se à Welfone Wittenbergæ obsideri. Ei jam adventabant suppetiæ, cùm castrum catapultis verberatum, venit in Welfonis manus. Dati præsidiarij in vincula, præda omnis recepta, arx cremata, Conradus quoque Zäringius, Uthæ avunculus, Schomburgo, quod Welfonis milite tenebatur, obsidium admoverat, cùm à Lothario, qui Welfoni auxilio venerat, loco cedere coactus est. Aliâ ex parte Welfo Leonstainium, quod ad eam diem credebatur inexpugnabile, vi, an arte, expugnavit, & igne corrupit. Calbium Alberto erat reliquum, quo suas spes aleret: verùm ubi Welfonem sensit totis viribus imminere, ratus, sibi rem isthic neutiquam fore tutam, sponte se contulit in Welfonis castra, ejúsque affusus pedibus, temeritatis suæ veniam, & victoriæ gratiam exoravit. Welfo satis habens vicisse, & æmulum ad sua genua prostratum intueri, dedit supplicis modestiæ, quod armato non fuisset daturus, amicitiæ reconciliationem, amissas opes, & nomen generosi bellatoris.

CALBENSE CASTRUM OCCUPATUR. WITTENBERGA EXPUGNATA.

LEONSTAINIUM DEVICTUM.

XX. ALBERTUS CALBIUS WELFONI RECONCILIATUS.

Alberto reconciliato supererat Fridericus, qui simul arma corripuerat, adhuc metuendus, an metuens, invalescentem Henrici Ducis fortunam, quæ eum Ulmam usque provexerat, latè circùm omnem Friderici regionem devastantem. Stitit nonnihil victoris impetum ignominia, ad Wernicum amnem, non procul à Danubio, ubi castra locârat, accepta. Fridericus injuriam prohibiturus, haud longè ab Henrico cum justo exercitu consedit. Missi à Bojo exploratores, in Senatu militari referunt, hostem ingentem pugnatorum multitudinem habere sub signis, eóque videri in præsens à pugnâ abstinendum. Eadem fuit ductorum opinio

Otho Frising. lib. 1. de Frideric. c. 18. *Werenza.* HENRICUS BOIUS TURPEM FACIT RECEPTUM.

nio. Datur ergo signum, silenti agmine abeundi trans flumen, & abitur quidem, sed tantâ trepidatione & confusione legionum, ut, cùm eas non caperent pontis extemporalis angustiæ, & fluvius imbribus intumescens vadum negaret, compluribus natatu fuerit superandus. Receptus iste fugæ prorsus affinis vulgóque irrisus, Henricum sic pupugit, ut ad facinus, omni fugâ longè turpius, se sit passus induci maleferiatorum suasu, existimantium, parùm, aut nihil interesse, virtúsne, an dolus hosti officeret: quasi nulla datæ fidei, pactorum, fœderum, juris gentium ratio foret in exercendis inimicitijs ponderanda: quod ne Græcis quidem visum, qui, teste Polybio, inter indecora numerabant, fraude, nudis technis, hostem circumvenire, & non tam animos hostium, quàm corpora sternere. Alijs silentibus, rem in hunc modum narrat Otho Frisingensis. Henricus, simulato tot civilium odiorum fastidio, per legatos à Friderico poscit tempus locúmque colloquendi de inimicitijs, secundâ omnium, ipsius adeò Lotharij approbatione, finiendis: & se quidem, si per Fridericum licuerit, pacis & reparandæ cum Lothario gratiæ fore interpretem. Fridericus, quem alioqui jam malorum & ambitionis intempestivæ satias ceperat, consilium non putavit esse respuendum. Zuifaltense Monasterium consensu delectum, ad certæ diei congressum. Fridericus nihil insidiarum suspicatus, candore Germanico tutus magis, quàm raro comitatu; Henricus verò numerosiore cinctus milite, conveniunt, pacatè colloquuntur, convivantur, recipiunt se ad nocturnam quietem. Atqui nocte intempestâ excitatur ad Friderici conclave tumultus, ipsum ad necem postulantium. Quid ageret in re tam desperatâ? Confugit ad opem Numinis, quæ sola extremè periclitantem exitio poterat eximere. Dum omnes elabendi vias rimatur, en ipsi, velut divinitus, ostenditur inobservatum aliàs ostiolum, per quod evadit in vicinum templum, indéque in turris fastigium. Irrumpitur in cubile, excutiuntur omnes anguli, mirantur percussores quorsum petita fera evaserit? Itur in omnes Monachorum cellas, officinas, diverticula, irritâ ubique indagine. Noctem in suâ speculâ Fridericus egit insomnem, medius inter spem & timores. Inter hæc facinoris & periculi rumor emanat ad Friderici domesticos, & ab his extra septa Cœnobij ad amicos, qui densati ad arma convolant, factóque globo parant vindictam. Jam se dies aperuerat, cùm Fridericus notavit conglobatos, animísque resumptis, Henricum è sublimi sic alloquitur: *Contra fas, bone Dux, fecisti, qui me in pace vocatum, pacis non ferens signa, inimicum te potius, quàm amicum ostendisti. Nec ab hoc facto propriæ famæ revocavit honestas, nec carnis, quâ conjungimur, affinitas. Ne autem malum pro malo reddere videar, te tanquam amicum fideliter admoneo, ne fideles meos, quos undique adventare cerno, expectes.* Henricus, cùm facto non posset infamiam detrahere, pudore potiùs, quàm metu trepidus, sese mox è loco proripuit, dignus, cui ad Superbi cognomentum etiam fraudulenti crudelisque titulus impingeretur.

EIUSDEM FACINUS INDECORUM.

XXI.

In Bojariam reversus, Othonem Wolfratshusium instituit bello persequi. Rem ferijs Paschalibus aggressus est, ab arcis jam sæpe nominatæ obsidio. Otho longè impar viribus, Henrici patrui Reginoburgensis Episcopi, qui bellum accenderat, implorat opem. Hic conquisitis undique subsidijs, magnam florentissimæ juventutis multitudinem conduxit, ipsum adeò Leopoldum Austrium, & quosque alios Henrici æmulos. Unus Otho Wittelspachius Palatinus, prætorij præfectus, Othonis Magni Bojorum postea Ducis parens, & progenitor Principum, qui hodie rerum in Bojariâ potiuntur, odia civilia detestatus, copijs utrinque ad pugnam accinctis, pacis author intercessit. Castra ad Isaram flumen, haud longè à Wolfratshusio tetenderant, & explicatâ acie, concurrendi signum expectabant. Otho utrobique plurimos habebat amicos, in quibus Fridericus Bogius consobrinus, & Otho gener, cujus inprimis res agebatur. Ante omnes Fridericum palàm, audientibus legionibus, affatus, periculi magnitudine & suscepti consilij turpitudine, sic permovit exercitum, ut nemo esset, quin polliceretur, se fore in Wittelspachij authoritate, & correptis signis ad Bojum transiturum, nisi Fridericus ipse transitionem occuparet. Ergo ne desereretur, ducem se suis præbuit pleno agmine in

XXII.

PAX WOLFRATHUSIA.

Henrici castra progressus; ad cujus procumbens genua, sine cunctatione admissorum veniam & amici nomen impetravit. Wittelspachius ad alterum aciei comitem reversus, Othonem Wolfratshusium nullo propè negotio induxit, ut sese suáque Henrico Duci permitteret. Ejus conditio paulò quàm Bogij fuit durior: nam Procerum sententiâ judicatus fecisse contra Rempublicam, compulsus est dedere arcem Wolfratshusiam, quam Henricus direptam flammis subjecit: ipse verò deditius, obtentâ vitæ incolumitate, captivus abductus est Ravensburgum: ejus uxor filia Wittelspachij honorificè habita, & interim patri commendata. Ratisbonensis Episcopus, in quem deinceps tota belli moles erat incubitura, suis diffisus viribus, sponte pacem exambijt, quam Hohenburgensi comitatu redemit.

Arx exusta. Otho Wolfratshusius captivus.

Inter eas Boicæ turbas emerserunt aliquot religionis contubernia. Dedicatum hoc anno Beyhartingense, in superiore Vindeliciâ, à Romano Gurcensi Episcopo, jussu Conradi Salisburgensis. Id Monasterium ante annos aliquot fundaverat Juditha matrona nobilis, in suâ areâ, prope villam Hartingam, & sacris virginibus addixerat: quibus in Parthenonem Altenhonauensem, auctoritate sedis Apostolicæ, translatis, in earum locum successêre Canonici Regulares D. Augustini. Annis succedentibus eò loci conditorium acceperunt è nobilissimis familijs Machselraniorum & Haslangiorum personæ illustres. Ad hunc quoque circiter annum pertinet, ejus, quem dixi, Ordinis Collegium Schamhaptense ad fontes rivi Schambacensis, haud procul à vico Altmanstainio. Hoc cœnobium extruxit & locupletavit Gertrudis vidua nobilis Bertoldi Dynastæ. Venit etiam in partem ejusce pietatis, Luitgarda utriusque filia. Datum quoque florentissimo isti Ordini, sub idem temporis, à Conrado Salisburgensi domicilium S. Zenonis, in agro Halæ Divitis, ubi Haslangij nobiles alteram suis funeribus stationem locârunt. Instauratum quoque ab Othone Wittelspachio & D. Othone Babenbergensi Enstorfium. Huc præterea (cùm certum originum tempus non habeam) referas licet Cæsareense, opus Henrici Lechsmundiani & Graispacensis Tetrarchæ, Ordini Cistertiensi attributum. Eidem cessit Walderbachium à Comitibus Rietenburgicis erectum.

M. S. de Fundat. Monasterium Beyhartingense. *Aventin. lib. 6. pag. 622.* Schamhaptense. S. Zenonis. Enstorfium. Cæsareense. Walderbachium.

An. Christ. M.C XXXI. XXIII.

Anno hujus sæculi primo supra trigesimum, Monacho-Monasteriense Cœnobium, olim excisum ab Ungaris, & varijs temporum injurijs penè redactum ad incitas, remissúmque studium religionis, D. Otho Babenbergensis, vir inexhaustæ liberalitatis, è ruinis eduxit, & transcripsit S. Benedicti familiæ. In istius operis consortium venisse Henricum Ducem Bojariæ, & Diepoldum Vohburgensem Marchionem, author est Aventinus. Undenstorfense Asceterium Ord. Canonicorum Regularium S. Augustini situm ad flumen Gelonum, ab Othone Wittelspachio cœptum construi anno M. C. XXVI. Idem Otho, quinto pòst anno, coronidem imposuit, impetravítque ab Innocentio II. ipsius stabilitatem: voluit etiam hoc ipso anno, quo vitâ functus est, in conclavi (ut vocant) capitulari sepeliri. Subenense cœnobium, quod in secundâ Boicâ hodie utcunque tenui censu ad Oenum visitur, Tuta, è regio Ungarorum sanguine, incertum, quo præcisè anno, cœpit erigere; quia tamen ex ejus Epitaphio constat, eam in hoc ipso monasterio diem obijsse, anno M. C. XXXVI. Cal. Maij, non abludit à vero, hoc circiter anno, posita fuisse ejusce domicilij fundamenta. Pòst Altmannus Episcopus Tridentinus, anno M. C. XLII. donationes Subenensibus à se factas, diplomate sancivit, éstque meritus titulum socij fundatoris.

Monacho-Monasteriense. Undenstorfense. Subenense.

Inter ista religionis amplificandæ studia, ambitio turbas ingentes in orbem Christianum invexit. Honorius II. Pontifex, anno superiore 16. Cal. Mart. è vitâ abierat, acceperátque eodem die successorem Innocentium II. patriâ Romanum. Huic mox objectus à potente Petri Leonis factione, Anacletus II. qui antea Petrus Leonis vocabatur, homo maculosus, &c, teste scriptore vitæ S. Bernardi, indignus, qui vel unius viculi curæ præficeretur: quíque ab ipso Bernardo dicitur *homo peccati, qui super electum à Catholicis Catholicum, & canonicè, locum sanctum invasit armis, igne, pecuniâ, non vita vel virtutum merito.* Innocentius adversa-

Schisma Petri Leonis. *S. Bern. ep. 126.*

versariæ factionis violentiâ adactus, in Galliam abijt, & Claromonte primùm, deinde Remis concilia habuit frequente Patrum consessu. Lotharius Cæsar, per Gerardum Rom. Ecclesiæ Cardinalem invitatus, Leodij cum Legato collocutus, sepultam conferendorum sacerdotiorum litem refodit, pollicitus, si Innocentius restitueret vetustum jus pedi & annuli Antistitibus concedendi, fore ut vicissim illum in urbem, ipsam adeò D. Petri sedem reduceret. Verùm, ne eam petitionem urgeret, D. Bernardus, quâ pollebat apud Lotharium auctoritate, discussit, effecitque, ut Romanâ coronatione futurus esset contentus, posteaquam Innocentium urbi reddidisset. Claromonte, rogatu Bernardi Hildenesheimensis Episcopi, & S. Norberti Magdeburgensis, qui mirandis operibus ad hoc operæ impellebantur, ad Patres relatum est, de S. Gothardo in cœlitum numerum referendo; quæ causa ad Remense Concilium est rejecta, in quo 4. Cal. Novemb. ab Innocentio templa, aræ, aliique Sanctorum honores Gothardo sunt decreti. INNOCENTIUS PONT. ABIT IN GALLIAM. XXIV. S. GOTHARDI CANONIZATIO.

Lotharius promissi memor, in annum sequentem, qui alter & trigesimus fuit, Italicam expeditionem indixit, iniitque 18. Cal. Septembris. Conradus Italici regni invasor, de Lotharij profectione factus certior, post varios Italiæ tumultus, propè incomitatus, per aversas itinerum ambages, plerisque suorum amissis, in Germaniam recurrit: ubi licèt magnâ pecuniæ rerúmque aliarum penuriâ laboraret, non paucos tamen reperit suarum partium studiosos, quos ad res novandas crescendi spes erigebat. Eo factum, ut, scissis in factiones Procerum animis, Lothario non licuerit copiosum exercitum trans alpes occupare, ne, quos domi relinquebat amicos, necessariâ defensione nudaret. Ne ipse quidem in itinere extra vitæ discrimen fuit. Augustæ Vindelicorum diversantem, factiosi coorti in tumultum, non priùs desierunt ad cædem poscere, quàm à regijs fortiter repressi, civitatem medijs in flammis ardentem viderunt. Nihilo secius cum eâ legionum raritate, quæ neque ejus majestati, neque rei, quam acturus erat, magnitudini satis respondebat, per vallem Tridentinam profectus, à Bononiensibus & Æmiliensibus, aliisque Conradi partiarijs contemptim habitus, non est ausus eos lacessere, sed rectâ versus Apenninum contendit. Innocentius viâ terrestri in Italiam redijt, & post acta Placentiæ vicinorum Episcoporum comitia, Roncalijs cum Lothario & Longobardorum Optimatibus, de vindicandâ Ecclesiæ dignitate est collocutus. AN. CHRIST. M.C.XXXII. LOTHARII ITALICA EXPEDITIO. GERMANICÆ FACTIONES. LOTHARIUS AUGUSTÆ PERICLITATUR. *Vrsperg. Append. ad Lambertum Alb. Stadens. Otho Frising.* INNOCENTIUS REDIT IN ITALIAM.

Itum deinde in urbem, non tam virium fiduciâ, quàm causæ bonitatis. Sub signis Lotharius vix trahebat ultra bis mille pugnatores, cum quibus tamen ad S. Agnetis portam castra ausus figere, Genuensium & Pisanorum classibus Latij littora occupare jussis, tantum injecit Anacletianis terrorem, ut, qui cum suo idolo Romæ erant, in editas turres, ipse verò Anacletus in D. Petri Basilicam & Vaticana munimenta sese reciperent. Ita Pontifex, unà cum Lothario urbem pacato agmine ingressus, secessit in Lateranum: Lotharius verò Aventinum insedit. Pontifex reductus in suam sedem, prid. Non. Jun. Lothario diadema imposuit in æde Lateranensi, idque præter morem, eò quòd D. Petri templum proprium Romanæ Cæsarum inaugurationis, à Petro Leone teneretur. Sexto, post eam celebritatem, die, Innocentius in vicem navatæ per Lotharium operæ, in Romanis adversus Petrum Leonis animandis, Cæsari concessit beneficiarias ditiones, quas Mathildis Apostolicæ Sedi donârat, eâ tamen lege, ut illas ad successores non transmitteret, & clientelare beneficium, annuâ centum argenti librarum pensitatione, profiteretur. Quò prolixior tamen esset gratia, ijsdem conditionibus ea donatio ad Henricum Bojariæ Ducem, Cæsaris generum, extensa est: unde promptum est colligere, non modò honorarium obsequium, sed militares etiam copias è Boijs adjunxisse. Tentata quidem est eo tempore divortij Pontificij compositio; sed cùm Anacletus neque colloquij, neque prælij copiam faceret, & nimis esset operosum cum cum tantâ Cæsariani militis infrequentiâ ejicere è Vaticano, & verò etiam Germanicæ legiones Romani cœli inclementiâ, & continuis Anacletianorum incursionibus, annonæque penuriâ conflictarentur, & Rogerius Siculus alia ex parte AN. CHRIST. M.CXXXIII. *Chron. Benevent.* XXV. SEDI ROMANÆ RESTITUITUR. LOTHARIUM CORONAT.

Innocentio immineret, Lothario visum, redire in Germaniam, tum ad tutandos amicos adversus conjuratos, tum ad majores vires comparandas. Innocentius, Germanorum præsidio destitutus, tametsi certum habebat, pedem in urbe figere, quia tamen id non mediocris erat periculi, Pisas, potentissimam tunc & amicissimam urbem abijt.

ROR ENSE MONASTERIUM. Hoc anno, Rorense Monasterium inferioris Bavariæ, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini conditum ab Adalberto viro nobili, qui non suas modò facultates, sed semet etiam DEO, votum ultroneæ paupertatis professus, transcripsit.

SPIRA RURSUS OBSESSA. AN. CHRIST. MCXXXIV. Inter hæc Conradus, Mediolano in Germaniam redux, astu, an perfidiâ civium, Spiram receperat, videbatúrque belli sedem in ejus agro locaturus, cùm Lotharius anno senescente, ex Imperij civitatum præsidijs & fidis provincialium centurijs, conflato confestim exercitu, rebelles circumsedit, omnésque tum è continente,

XXVI. DOMITA. tum è Rheno aditus clausit tam arctè, ut obsessi denuo domiti rerum inopiâ, sese Cæsaris arbitrio dediderint.

CONRADUS ET FRIDERICUS PACEM IMPETRANT. *Sigon. lib. 11. Chron. Hirsaug.* Quia porrò Principes, magnam partem, qui eatenus factiosos erant secuti, aut in fide nutabant, aut ad Lotharium defecerant; Conradus & Fridericus fratres, propè inermes, mollia consilia respexerunt, durioribus alioqui perituri. Multum tamen fuit, quod mediocriter sapientum est, vel serò sapuisse, neque voluisse niti contra torrentem. Ergo cùm verni jejunij ferijs Lotharius Babenbergæ comitia ageret, usi patrono Bernardo Clarevallensi, se suáque Cæsaris authoritati permittentes, non injuriarum modò oblivionem, sed intimam quoque amicitiam eámque stabilem impetrârunt, eo pacto, ut Conradus regios Italiæ titulos, uterque arma poneret.

MEDIOLANENSES SCHISMA EJURANT. Cum ijs ad officium rediêre Mediolanenses, Anacleto & Conrado ejuratis. Soluti deinde sunt dirarum religionibus, quas ob schismatis contagionem contraxerant, præsente D. Bernardo, quem ut numen aliquod sospitale sunt venerati. Ita demum Lotharius tranquillum imperium est consecutus.

AN. CHRIST. M. CXXXV. S. NORBERTI OBITUS. Hic annus cœlo transmisit D. Norbertum Magdeburgensem Archiepiscopum, Boicæ venerandum, ob inductam in ejus fines Præmonstratensis Ordinis sanctitatem.

S. MAGNI MONASTERIUM. *Avent. lib. 6. pag. 622.* Eâ quoque tempestate S. Magni Cœnobium, Canonicorum Regularium D. Augustini, conditum à Gebhardo Ratisbonensi Canonico in Suburbio Ratisbonensi ultra pontem. Fuit Gebhardus è stirpe Comitum Raningensium, quorum arx gentilitia in suis adhuc ruderibus visitur juxta amnem Laberum.

AN. CHRIST. M. C. XXX VI. S. LEOPOLDI OBITUS. Ad cœlites abijt anno tricesimo sexto S. Leopoldus Austrius, excellens religiosi Principis exemplum, parens octodecim liberorum, ex quibus in Bojariâ sacras infulas, ipsa adeò principatûs insignia tenuêre, Otho Frisingensis, qui res ab orbe condito gestas in annales digessit, & Friderici Barbarossæ nepotis acta misit in litteras, Conradus Bataviensis & Salisburgensis Antistes, Henricus primus Dux Austriæ, Leopoldus, qui Bojariæ Ducatum triennio tenuit, Conradus imperio potitus. Leopoldus parens, cœnobium Claustro-Neoburgense, & S. Crucis in Austriâ condidit, ac demum ab Innocentio VIII. Pontifice anno M. CCCC. LXXXV. sanctorum catalogo est inscriptus.

XXVII. Ut ex istis diverticulis redeamus in ordinem, migrandum nobis est tantisper extra Boicam, & in Italiam comitandus Imperator Lotharius unà cum Henrico

HENRICI SUPERBI RES IN ITALIA PRÆCLARE GESTÆ. Superbo Bojariæ Principe, cujus virtuti atque industriæ tribuendum, quicquid ferè alterâ expeditione, Cæsaris auspicijs, gestum est memorabile trans alpes. Insigniter etiam Cæsari manus & consilia commodârunt Conradus, nuper Rex Italiæ, & Fridericus ejus germanus, quibus succenturiamus Othonem Wolfratshusium, qui eatenus in Ravenspurgensi custodiâ habitus, redditus erat libertati. Junxerunt se Henricus Ratisponensis Episcopus, & Otho Wittelspachius. E juventute Boicâ confluxerunt mille quingenti, ductore Welfone Bojo, Henrici principis germano, quorum fortitudine res gestæ dignæ memoratu. Ejusce profectionis causa potissima, quòd Lotharius assiduis Innocentij Pontificis, Roberti item Principis Capuani, aliorúmque legationibus fatigatus, Rogerij Siculi tyrannidem statuisset oppri-

primere. Accedebant Lombardiæ motus ab Anacleti sequacibus. E Boicâ, ineunte autumno, factum iter per alpes Tridentinas. Exercitu transmisso, castrum Gardæ ad lacum Benacum; ad Eridanum, Vardastallum, primo statim impetu occupata; & Henrico, genero Cæsaris, clientelari nomine attributa. Magnus inde passim terror ex famâ tanti apparatûs, Procerum fortunam respectantium ad Cæsarem concursus, eorum inprimis, qui varijs implexi litibus, ejus arbitrium postulabant. Sic obviam prodiêre Mediolanenses. Hi contra Rempublicam fecisse judicati, quòd in illos arma gestâssent. Cremenses vicissim damnati, quòd à Cremonensi comitatu ad Mediolanenses defecissent. Vis parabatur Bononiensibus & Æmiliensibus, quam haud dubiè fuissent experti, nisi Henrici nostri prudentia Cæsaris iram temperâsset, nondum obliti, quanto contemptu nuper ab ijs spretus fuisset. Taurinum usque, civitates omnes ad officium compulsæ. Spoletum, Ancona subactæ. Sæpius acta comitia Roncalijs, & jus dictum more prisco. Itum inde Ravennam ad hiberna, & consultatum de ratione belli Apuli, ad quod Pisanorum classis, quadragenis senis instructa triremibus, jussa esse in promptu. Hinc non Rogerij minùs, quàm Anacleti vehementes curæ. Henrico, perlustratâ Tusciâ, quam à Lothario beneficiariam acceperat, datum negotium, Pontificis & Roberti Capuani jura vindicandi. Habuit sub signis tria, non amplius, equitum millia cum aliquo peditatu, quorum paucitatem Albani ausi spernere, obsessi, expugnati, & direpti sunt. Cassinense Monasterium, quod Rogerij & Anacleti fortunam sequebatur, Henricus à Rinaldo Abbate delinitus auro, citra maleficium ad Innocentij & Lotharij obsequium reduxit, impetraturus absolutam secessionis veniam in Comitijs Melphitanis. Capuani & Aquilani sine cunctatione eidem dedêre manus. Castra inde mota Beneventum, & per feciales deditio impetrata. Inter hæc Rogerius triginta armatorum millia mœnibus infudit. Facta exinde copia certaminis, quod Henricus avidiùs, quàm consultiùs inijt. Ubi enim concurrere cœperant acies, Germanus miles, qui frontem occupabat, terga vertit, & actum erat de victoriâ, nisi Henricus mirâ dexteritate eam ad se traxisset. Nam suo usus ingenio, ne cætera acies tota inclinaret, quasi primi ordines suo jussu locum mutâssent, universam avertit ab hoste, jussitque, amne transmisso, collem, cui civitas incubat, occupare, indéque ad portam auream murum adoriri. Id ubi sensêre Beneventani, actum de urbe rati, acie excedentes, confestim auxilio accurrêre, quos Germani prementes è vestigio, simúlque irrumpentes intra mœnia, portas, fora occupârunt, consternatis Rogerianorum animis. Et jam urbis direptio excidiúmque à victoribus parabatur, cùm Henricus, Innocentij ductus auctoritate, ab utroque in tempore jussit abstineri. Adsidebat tum Imperator arci Barensi, quæ valido Rogerij præsidio tenebatur, civitate jam expugnatâ. Henricus eò deduxit Innocentium. Secutâ arcis deditione ad Lotharij arbitrium, acti in furcam, qui eam pertinaciter erant tutati. Henricus dehinc belli terrorem circumtulit, Rogerium nullo passus loco subsistere, Trojam, Garganum, Sipontum, Barulum, aliáque Apuliæ confinia redegit in suam potestatem. Demum toti provinciæ ad Innocentium revocatæ rector impositus est Ranulfus, homo Germanus, cui Pontificis simul & Imperatoris manibus traditum est vexillum, insigne vicariæ potestatis. Roberto in Capuæ principatum asserto, Rogerius ejectus ex Apuliâ, refugit in Siciliam, quem cùm totis copijs Lotharius cogitaret persequi, Germani exteram militiam perosi, & reditum in patriam orantes, eum ab isto consilio revocârunt. Igitur Innocentium in urbem comitatus, iter in Germaniam, per Etruriam & Lombardiam intendit. Delatus in vallem Tridentinam, repentè correptus adversâ valetudine, pervenit ad sylvam, quæ Lycum ab Oeno dirimit, ubi coactus in casâ vilissimâ decumbere, 3. Non. vel (ut Dodechinus scripsit) 3. Cal. Decembris, fato concessit insignis Imperator, non minùs armorum gloriâ, quàm laude pietatis; quo vivo, ut ait Urspergensis, *totum Imperium Romanum titubare non potuit, tam erat strenuus belli ductor, præcipuus in armis, consilio providus, terribilis inimicis* DEI *& sanctæ Ecclesiæ*, quippe qui, ut notat Paulus Diaconus, *sub imperij chla-*

Petrus Cassinen. *Ursperg.* *Sigonius.*

LOTHARII INGRESSUS IN ITALIAM.

CIVITATES ITALICÆ SUUM ILLI OBSEQUIUM PROFESSÆ.

AN. CHRIST. M. C. XXXVII.

ALBANI DOMITI.

XXIIX.

CASSINUM RECONCILIATUM.

HENRICI VICTORIA AD BENEVENTUM.

ROGERIUS PULSUS EX APULIA.

XXIX.

LOTHARIUS MORITUR.

Paul. Diac. in Chron. Cassin.

chlamyde, cœlesti militabat Regi, sacerdotes honorabat ut patres, pauperes fovebat ut filios, viduas ut matres, atque ita in singulis eminebat virtutibus, ut omnes perfectè haberet. Id verò erat præcipuæ in DEUM religionis, quòd ne militaribus quidem laboribus se à divinis permitteret abstineri. Summo diluculo, sacerdoti aderat ad aram facienti pro defunctorum solatio; pòst, sacrificio pro salute exercitûs dabat operam; postremò ordinariæ cujuslibet diei Liturgiæ intererat, consuetus inter orandum fundere uberes lachrymas. Quando Richiza Augusta miserorum pedes abluebat, ipse raro modestiæ exemplo, suâ eosdem tergebat cæsarie, libabat osculo: mensæ accumbentibus ministrabat cibos, inferebat potum, & largè promebat singulis. Virorum doctorum haud paucorum opinio est, à Lothario esse profectum, ut causæ civiles, jure Romano in Imperij ditionibus finirentur, cùm antea Judices, alij Longobardicis, alij Salicis, alij alijs legibus uterentur. Hoc certum est, eum legum studia scholásque in Italiæ Gymnasijs renovâsse.

AN. CHRIST. M.C. XXXIIX. — HENRICI BOIARII MALE SARTA AMBITIO.

Mox ab ejus excessu, à Germaniæ Principibus agi cœptum de novo Rege ad fastigium producendo. Henricus Bojariæ Dux, spe adhuc dubiâ eam sibi fortunam desponderat, non satis æstimans, quàm incerta sint, quæ nexa ac pendentia sunt ex aliena multorum capitum suffragatione. Animi cæteroqui tumidam augebat confidentiam, quòd Lotharius moriens, apud illum augustalia Imperij insignia deposuerat, velut pignus accessuri principatus. Spiritus inflabat ingens potentia, quâ non Boicam modò à parente acceptam, sed etiam Saxoniam, Etruriam, Mathildis hæreditatem, aliásque partes Italiæ Innocentij & Lotharij liberalitate erat adeptus, cum ijs terrarum spatijs, ut ab Oceano Germanico, & Codano sinu, continentem dominatum, usque ad mare Adriaticum superum inferúmque extenderet. Eum commendabat continua in bellis prosperitas, non reputantem, quanta sit fortunæ vis & instabilitas in utramque partem, cui tam promptum est aurâ reflante compingere in scopulos, quàm cursu secundo in altum, & optatam stationem provehere. Proinde frenos injici oportere felicitati, sine quibus regi non possit; esse expandenda vela modestiæ ad conciliandos amicos, qui candidato suffragentur. Atqui Henricus, qui in se summa omnia suspiciebat, ratus, se omnes alios infra se habere, eóque citra periculum ullius rivalitatis, fasces sibi ultro venturos in manum, insuper habuit æmulos, neglexit alios, quibus erat jus eligendi, neque tanti Germaniæ coronam voluit videri æstimare, ut ejus gratiâ cuperet esse candidatus. Quo supercilio offensi Proceres, tametsi Moguntiam augustalia comitia in proximam Pentecosten indixerant, tamen plerique putârunt, eam diem indicto ad cal. Martias conventu, esse occupandam, ídque ad Rheni & Mosellæ confluentes, & Henrico quidem neglecto, ne armis votorum libertati intercederet, quamvis geminum illi suffragium, Bojariæ respectu unum, alterum Saxoniæ jure deberetur. Omissi etiam Saxones, & ij duntaxat invitati, qui Conrado Suevo, Friderici ex Agnete Henrici V. sorore filio, impensè credebantur consulturi. Adfuêre, Theodowinus presbyter Cardinalis Episcopus Portuensis Sedis Apostolicæ legatus, Archiepiscopus Coloniensis Brunoni nuper suffectus, Albero Trevirensis, Buggo Wormatiensis, Fridericus Conradi frater. Adalbertus Moguntinus paulò antè vitâ excesserat. Posteaquam eò loci, prout cuique suadebat animus, Henrici fastum acriter prosciderant, expenderántque, neque à Tarquinio Superbo, neque ab ullo quoquam paris arrogantiæ, rempublicam bene fuisse gestam aut moderatè, Theodowino summi Pontificis regníque Italici consensionem addicente, nihil cunctandum rati Principes, Conradum Regem salutârunt. Inde mox itum Aquisgranum, ubi ille, de more, Caroli Magni solio est impositus, & à Theodowino & Alberone Trevirensi, sacro ritu inunctus est. Etenim Agrippinensis, quia recèns electus, nondum ab urbe pallium acceperat, habuit istius inaugurationis vacationem.

XXX. — ELECTIO CONRADI SUEVI REGIS. — CORONATIO.

Factum Henricus, pro eo atque rei magnitudo poscebat, ægerrimè tulit, indignatus, non se modò in Regis sortitione præteritum, sed duarum in Imperio fortissimarum gentium, in comitijs nullam esse habitam rationem. Igitur electionem

vitio

vitio factam accusat, aspernatur, quæ inde secuta, coquit ingentes iras, & proximis Quinquagenalibus ad Babenbergensem conventum citatus, ire contemnit. Super hæc, accendebat animum, quòd Principum aliqui regium illi nomen obtulissent. Ubi tamen aliquantum iræ posuerat, ad 5. Calend. Quintileis paulò, quàm antè, pacatior, vocatus, se comitio stitit, veritus, ne, si irasci pergeret, Imperij Ordines vicissim iratos experiretur, & Reipub. judicaretur hostis. Isthic, ingentibus promissis, quæ postea in ventos abierunt, placatus regni insignia Conrado tradidit, non prodijt tamen in ejus conspectum, ne contra animi sententiam illi plus æquo deferre, accusationi obnuntiare, vel ignaviæ notam, nimiùm prensando contraheret.

HENRICI SUPERBI INDIGNATIO.

XXXI.

Ergo revalescente vindictæ cupidine, res evasit in exitiales simultates, quæ demum erupêre in apertum; quando non multò pòst, à Conrado vocatus Augustam, armatus accessit, nec se passus est inflecti ad molliora. Castra ad Lycum posuit, bellum spirans, & non obscurum majestatis contemptum. Conradus è contrà eum debitæ fidei commonefacere, humanitate delinire, terrere minis, ostendere, quid sibi juris esset in clientelas, quas imperij beneficio teneret, urgere, ne ultrà causam daret leges in refractarium exercendi. Hæc cùm frustra essent, ventum ad extrema. Conradus eum jussit Saxoniæ imperium abdicare, causatus, tam non esse è re & more Imperij, in uno capite congeminari Provincias, quàm unicam Provinciam pati geminos dominatus: quod si tamen volens lubensque hac in parte pareret, séque componeret ad æquitatem, non defuturos honores atque beneficia, quibus unius Saxoniæ jactura compensaretur. Ea denunciatio jam alioquin exacerbato omnem reverentiam & patientiam excussit. Enim verò cujus esset prudentiæ, res certissimas inani spe projicere? quis non videret, id agi, ut enervatâ sensim justæ defensionis facultate, omnibus fortunis everteretur? Facturum esse Conradum sinceriùs ac generosiùs, si larvâ detractâ per vim invaderet, quod lege ac jure non posset. Conradus arma præsentanea veritus, Augustâ cum exiguo comitatu Wirceburgum proficiscitur, & Henricum Reipubl. hostem declarat, ac demum proximis Natalitijs Goslariæ, Boicæ juxtà ac Saxoniæ Ducatu spoliat. Boijs impositus est is, quem antè dixi, Leopoldus Conradi frater uterinus; Saxonibus, Albertus Marchio Brandenburgicus, Henrici consobrinus.

ARMA IN CONRADUM.

ABDICATIO.

Redactum in ordinem Boij, magnam partem, sine cunctatione deseruerunt. In Saxonibus plus fuit fidei & constantiæ. Cùm provinciam solito modestior obiret, séque ac filiolum commendaret, illi suam operam quoscunque in casus addixerunt. Qui ex Boijs fidem non exuerant, & Suevi, veteres Welfonum clientes, inobservati, manipulatim, diversis itineribus, illum in Saxoniam sunt secuti. Sic ex utraque gente conflatæ vires, quibus Albertum, expugnato Lunæburgo, totâ Saxoniâ pepulit, ipsíque Conrado, qui fugientem exceperat, prope Hamburgum, tantâ ferociâ occurrit, ut, non ausus supremam aleam experiri, maluerit in præsens suam fortunam pacto cum Henrico fœdere, quàm armis, in tuto collocare. Jam eâ prosperitate tumidus tendebat in Bojariam, adversus Leopoldum, cùm Quindeleburgi de suo jure apud Regem disceptantem, mors in medio conatu, veneno (uti quidem visum) propinata, oppressit 13. Cal. Octob. heroem, si animi elationem excipias, cum quovis Principe componendum. Et certè non usque adeò malè composuêre viri non imprudentes, qui à sequiore judicio alieni, excelsos Henrici spiritus, animi magnitudinem, avitæ gloriæ amorem, & injuriarum intolerantiam sunt interpretati. Nemo inficias ibit, eum omnium ævi sui mortalium fuisse generosissimum, & in superandis bellorum maximis difficultatibus fortunatissimum; hoc tamen nomine deplorandum, quòd Germaniam tot beneficiorum immemorem, Regem in solvendis promissis tam infidum sit expertus. Ejus corpus in Lutherensi cœnobio, juxta Lotharium socerum, terræ mandatum est. Filium reliquit Henricum, cognomento Leonem, præstanti puerum indole, cujus mentio nobis sæpe recurret non sine laude. Eum Saxones, compertâ parentis morte, suæ gentis Principem, Rege deserto, creârunt.

AN. CHRIST. M.CXXXIX.

SAXONIÆ RECUPERATIO.

XXXII.

PAX CUM CÆSARE.

MORS.

OTHONIS FRISINGENSIS PRIMORDIA.

XXXIII

Hoc anno, si vetustis Austriæ Annalibus fides est, Otho S. Leopoldi Marchionis Austriæ filius, vir eruditione & pietate clarus, ad mitram Frisingensem vocatus est. Fuerat antea primus Neoburgensis collegij, quod parens à fundamentis erexerat, moderator: pôst Lutetiæ Parisiorum optimis excultus disciplinis, Morimundense cœnobium, cum sedecim sui propositi socijs ingressus, professúsque arctam D. Bernardi disciplinam, ad Frisingensis Ecclesiæ gubernationem est vocatus.

MONASTERIUM OSTERHOVENSE.

Sub idem tempus, Osterhovense Monasterium, quod antè Regularium D. Augustini fuerat, agente D. Othone Babenbergensi, D. Nortberti familiæ est transcriptum. De hujusce Cœnobij primordijs non est consentiens scriptorum opinio. Ea refert Aventinus ad Ducem Utilonem, qui unà cum conjuge in Choro basilicæ conditus est. Idem autumat, vastatum ab Ungaris, ab Henrico S. Cunegundis fratre, Duce Bojariæ, instauratum, & traditum sodalibus D. Augustini. Alij primam ejusce domicilij institutionem tribuunt Henrico, quem modò dixi; cùm duobus filijs, quos Hunni interemerant, orbatus, Christum dixit suarum fortunarum hæredem, earúmque partem Osterhovensibus dicavit. Quia verò morte præventus, fundationem nequijt ad exitum perducere, S. Henricus Imperator ab eo rogatus, ejus conficiendæ negotium in se suscepit: quo factum, ut Canonici sæculares primitus loco præessent, idque per centum annos, donec S. Otho Babenbergensis, D. Nortberti suasu, Ordinem Præmonstratensem Canonicis hoc anno subrogavit.

FRONTENHUSIÆ STIRPIS ULTIMUS

Sub idem tempus (neque enim certum annum producere promptum est) Cuno Frontenhusius, idémque Medlingensis Comes suæ stirpis ultimus, vacuas clientelarum Dynastias Boico Principatui, sine hærede defunctus, reliquit.





BOICÆ



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER XXI.

Leopoldus Bojorum Dux, Phalajæ Comites obsidens, à Welfone Henrici Leonis tutore oppressus: Welfo vicissim bis profligatus, semel ad Neresheimium, iterum ad Winsbergam. Leopoldo mortuo, Welfo bellum instaurat. Hæresis Arnaldistarum contra Cleri opulentiam. Edessa in Oriente Christianis erepta. Bellum adversus Geisam Vngarum. Bello Wolfratshusiano, Boij à Friderico Ahenobarbo devicti. Palæstinæ expeditionis infelix exitus. Bellum Saxonicum. Conrado Rege veneno sublato, Ahenobarbus eligitur: divertit ab uxore: Romæ coronatur: magna gerit in Italiâ: Henricum Leonem immittit in pacificam Boicæ possessionem: Austriæ Marchionatum convertit in Ducatum, cum insigni Boicæ detrimento.



LEopoldus, Bojorum Dux à Rege creatus, totius propè gentis studijs subnixus, qualia sive terror, sive fama clementiæ expresserat, Ratisbonam, principum Regiam invasit, eáque potitus, copioso instructus milite, totam aggressus lustrare provinciam, veteri Ducum instituto, sacramenti adactam religione recepit in fidem. Juri dicundo cùm per dies aliquot dedisset operam, castra ad Lycum, è regione Augustæ Vindelicorum, metatus, cogitabat eodem, quo Boicam sibi devinxerat, tenore, ulteriora ditionum Welfonibus addictarum, redigere in suam potestatem. Verùm eas non habuit perinde atque Boicam obsequentes. Etenim Otho & Conradus Phalajæ Comites, qui Henrici Superbi partes cum fide erant secuti, correptis armis, in gentilitiam arcem se receperant, certi vim experiri. Fuêre Phalajæ Comites è stirpe Comitum Schirensium & Dachaviensium, ductâ ab Arnulpho Schirensi origine, qui in herciscundâ, cum Othone fratre, hæreditate, Dachavium sortitus, factúsque primus Dachaviensis Comes, è Bea-

An. Christ. M. C. XL.
Otho Frising.

I.

Phalalæ Comites vim Leopoldi Ducis sustinent.

è Beatrice conjuge duos filios sustulit, Othonem & Conradum, & huic quidem posteriori Dachavium obtigit, factúsque est parens nepotum Dachaviensium. Fuit autem Phalaja, Aventino Vallatum Romanum (cujus adhuc extant rudera) castrum primæ Vindeliciæ, medium inter Oenum & Isaram, quà Manguoldus amnis præterfluit, & Ahamstainij nomen ad hanc diem retinet. Otho, quem scripsi, Phalajus, author est Monasterij Bernriedensis Canonicorum Regularium, quo de ad annum hujus sæculi vigesimum. Hunc igitur unáque Conradum fratrem, Leopoldus Phalajæ clausos obsedit. Welfo Henrici Superbi germanus, ad quem, velut patruum, Henrici Leonis tutela spectabat, Saxonibus in belli partem accedentibus, pupilli causam suscepit, eóque Conradi Regis arma in se convertit. Hinc accensum grave bellum ac diuturnum, quo excitatæ geminæ Guelfonum & Gibellinorum in Germaniâ factiones; quarum hæc multos Imperatores, illa plurimos Duces implicuit. Porrò Welfoni nostro Rogerius Siculus belli nervum suppeditabat, veritus, ne Rex Conradus Germaniæ turbis expeditus, adjutúsque copijs Italorum, ad capessendam Longobardici regni coronam, traijceret, ac deinde Romanæ Ecclesiæ succurreret; ut mirum sit, quî venerit in mentem Felici Fabro, Andreæ Presbytero, & Trithemio, quos Brunnerus secutus est, ut scriberent, Innocentium, ad alendum in Germaniâ bellum, Welfonis arma adversus Conradum stimulâsse, ne Siciliam invaderet, quam tamen perinde atque Apuliam, cujus se Regem Rogerius ferebat, plurimùm intererat Romanæ Ecclesiæ jurato hosti auferri, & Innocentio vindicari, subacto schismatis pertinaci patrono, à quo non ita pridem in pugnâ Gallaziensi Pontifex captus, multa indigna toleràrat. Ergo Welfo noster Phalajensibus obsessis suppetias accurrit, & Leopoldum nihil tale cogitantem oppressit Idib. Augusti, non tamen sine aliquâ suorum jacturâ, sed cæde longè majore Leopoldianorum; in quibus Albertus Bogius Comes, Henricus Dynasta Rainingius, aliíque boni sanguinis complures: multi capti, cæteri acti in fugam.

Welfo Henrici Leonis tutor.

Armatus in Conradum regem.

Sigon. lib. 11.

Rob. de Monte.

Leopoldum Boicæ Ducem opprimit.

Hunc primum recuperandi Principatus conatum geminæ clades exceperunt. Primam Welfo accepit non longè abs Neresheimio, ausus cum Conrado Rege signa conferre; alteram Ellenhovij, iniquo marte cum Friderico Regis fratre congressus, fugatúsque. Sed ne tunc quidem arma projecit: verùm integrato confestim exercitu, Conradi Regis Winsbergæ, Welfonum oppido, adsidentis, castra invasit, improspero rursus eventu ad 12. Cal. Januarias. Nam rejectus cum clade, destituit obsessos, qui denique fecêre deditionem eâ lege, ut, quicquid matronæ humeris efferre possent, id bonâ pace liceret. Ea conditio causam dedit memorabili fidei conjugalis exemplo. Credebantur uxores, mundum muliebrem, aurum, gemmas, & si quid præterea foret meliorum sarcinarum, in tutum recepturæ: verùm secum reputantibus, nullum maritis pretiosiorem esse thesaurum, excessêre miserabili ordine, simul & spectantibus non injucundo, singulæ viros cervice gestantes. Ea pietas Conrado lachrymas gaudio manantes expressit. Nemo fuit, quin recrearetur ingeniosâ charitate, præter Fridericum Regis fratrem, qui fraudem accusans, negánsque, paciscenti Regi id doli genus venisse in mentem, qui proinde maritis non deberet patrocinari; hos volebat rapi ad lanienam. Sed à Conrado verè regium tulit responsum; *Mi frater, non decet Regem, ullo casu, fidem fallere: verbum regium non decet immutari: mihi fama, favor Numinis, hostili nece longè debet esse potior. Si fides Principi vilis est, cuinam tandem erit pretiosa? Mendacem vocari, in homine ingenuo nota turpis est; quàm infamis in dominantibus?* In istâ Winsbergæ obsidionali pugnâ, quidam ajunt, nata esse Guelforum & Gibellinorum perniciosa nomina ex tesserâ præliari, quæ in Welfonis acie ejus appellationem usurpavit; apud regios verò Giblingam, villam Augustensis Diœcesis, in quâ Dux Fridericus fuit educatus ab incunabulis. Italos verò, quibus harum vocum notio erat incognita, existimantes, Guelfos esse, qui partes Pontificias, Giblingos autem, qui Cæsarianas tuerentur, vernaculo linguæ Italicæ genio, in factionum titulos eas voces convertisse.

Vincitur a Conrado Rege. Et a Friderico Regis fratre.

Iterum cladem accipit ad Winsbergam.

Matronarum Winsbergensium charitas in maritos.

II.

Conradi fides in promissis.

Guelforum et Gibellinorum appellatio unde orta sit.

Dum

Monaſterium Schlirſeenſe, Schlechdorfenſe, et Scheftlarienſe. Scotorum religio.

Dum bellum incrudeſceret, Otho Friſingenſis dabat operam placando Numini. Quam ad rem auxilio Henrici fratris cœnobia, Schlirſeenſe, Schlechdorfenſe & Scheftlarienſe injurijs Ungarorum jacentia, è ruinis eduxit. Poſtremo dedit S. Nortberti ſocios: in duo priora D. Auguſtini colonias induxit. Eâdem tempeſtate Scotorum induſtria ad normam priſcæ ſanctitatis in uſum] revocandæ plurimùm contulit. Inter magiſtros eminuit B. Macarius, qui clarus miraculis, Sancti nomen eſt conſecutus. Ejuſdem propoſiti ſocios viginti quatuor, duce Sanctino, Henricus Auſtrius Viennæ conſtituit. Ex eodem ſodalitio Gerardus migravit Aichſtadium, non ſine Bojariæ commendatione, quæ tales hoſpites prima excepit.

An. Christ. M. C. XLI. Otho Fris. lib. 7. c. 25. Tumultus Ratisbon. e in Leopoldum.

Cæterùm Leopoldus, Welfone fugato, pacatiorem nactus provinciam, Reginoburgum conceſſit ad rem communem & privatorum cauſas ordinandas. Quo tempore Otho Comes Wittelſpachius, Welſonum ſtudioſus, popularium, qui ad hominis exteri peregrinos mores malè erant affecti, uſus ingenio, tumultum conflavit. Civibus ad arma concurrentibus, Leopoldus propè abfuit ab exitio, certò opprimendus, niſi ſparſis per varios urbis vicos tædis, furentem plebem ad reſtinguenda tectorum incendia rejeciſſet. Spatium adeptus evadendi, confinem latè agrum vaſtavit, collectâque validiore armatorum manu, redijt ad urbis obſidionem, poſitiſque in ejus conſpectu caſtris, cives ultima metuentes, ad redimendam auro ſalutem deditionémque coëgit.

III. Secuta hostilitas.

Dehinc certus ulciſci ignominiam à Welſone in Phalajenſi pugnâ acceptam, iratum agmen ad Lycum uſque rapuit, & paſſim eorum, qui Welfonis ſigna ſequebantur, arces evertit, omniáque circùm populatus, igne fœdavit. Tum per Othonis Friſingenſis fines regreſſus, súſque déque habitâ germanitate, militari direptioni cæteriſque maleficijs agrum conceſſit. Non multò pòſt morbo correptus, Ratiſbonæ, dum cœli mutandi gratiâ, iter intendit in Auſtriam, vix Altaichium inferius attigerat, cùm intendente ſe virium defectione, abſque liberis fato conceſſit, brevi & inquieto Principatu potitus. Funus in baſilicâ cœnobij S. Crucis, quod ejus parens locupletaverat, in Auſtriâ tumulatum eſt.

Leopoldi mors.

Monasterium Novæ Cellæ.

Porrò hoc etiam anno, Novæ Cellæ Monaſterium in Friſingæ conſpectu ad Moſæ & Iſaræ confluentes Henricus Bavariæ Dux, Otho Friſingenſis Epiſcopus & Conradus Antiſtes Saliſburgenſis fratres, Præmonſtratenſium religioni erexerunt. Monaſterij baſilicam nobilitant SS. Marini Scoti Pontificis, & Teclani Diaconi, quem ſacerdotem nominat Hundius, ſacræ exuviæ conditæ ſub eodem tymbo ſepulchrali. Fuerunt D. Virgilij in excolendâ Bojariâ adjutores: uterque Friſingæ vitam poſuit. Magnam olim fuiſſe ad eorum tumulum precationum frequentiam, ſuſpenſæ anathematum votivæ tabellæ teſtabantur. Eſt quoque in templo Dintenhauſenſi, quod Novæ Cellæ velut matri adnexum eſt, ſepulchrum Eberhardi, quem reſcriptum Apoſtolicum Sancti titulo honeſtat. Ejus effigies prodit, eum fuiſſe in iſto pago pecoris cuſtodem. Ipſius tumulus hodiéque celebratur à vicinis remotiſque, qui humum, quâ ejus corpus tegitur, non modò domibus, ſed ſtabulis etiam, adverſus contagionem & venenatas animantium peſtes, ſalutarem experiuntur. Mirum planè eſt, tam frequenti aliquot ſæculorum effoſſione, tumulum non exhauriri.

An. Christ. M. C XLII. Welfo bellum instaurat. IV.

Leopoldi morte, Welfoni revixit ſpes vindicandi Boicæ Principatum, ſi non armis, at ſaltem Conradi Regis benignitate, ſi quâ poſſet induci ad pacem eo beneficio ſanciendam. Verùm Rex eam ſpem fruſtratus eſt duplici ratione. Etenim primùm, ſanguinis inſtinctum ſecutus, Ratiſbonæ, in publico Ordinum conventu, Henricum, Leopoldi fratrem, Boicæ Ducem creavit: deinde, quò minor eſſet ejuſce beneficij ambiguitas, Gertrude Henrici Superbi viduâ interprete, Henrico Leoni, quem Superbus moriens hæredem reliquerat, perſuaſit, ut ſpe Saxoniæ aliquando potiundæ, ſponte abdicaret, quicquid poſſet juris obtendere in Boicæ Principatu; pacto ob ætatis immaturitatem inutili, quod meritò in Comitijs Francofordienſibus poſtea voluit reſcindi, anno M. C. XLVII. Id priùs quàm Gertrudis,

dis, haud satis memor maternæ in filium charitatis, moliretur, pacta erat futuras nuptias cum Henrico Conradi fratre, quas re ipsâ hoc anno contraxit, turpi ad matres exemplo, quæ filiorum charitatem extraneo affectu perfidiáque contaminant. Welfo nihil remissiùs causatus, nepotem patruo, quem jura ad eam clientelam proximè vocarent, nihil detrahere potuisse, mirum quantum exacerbatus, arma resumpsit, & Bojariam ingressus, Austrio penè inspectante, à nullo maleficij genere abstinuit, certus, clades ultrà proferre, nisi Henricus Dux exercitum propere collectum grassanti objecisset. Welfoni visum non est in præsens, prælio rei summam committere, nedum expectare Conradum Regem, cum expedito milite ad fratris auxilium properantem. Dum Welfo agmen spolijs onustum in Saxoniam reduxit, Henricus Dux eum per agrum Frisingensem secutus, miserandam incolis vastitatem induxit, cum insigni sacrarum possessionum detrimento. Frisingæ adeò mœnia solo æquata, cives vexati hostiliter, quòd Welfoni addictiores, tecto hostem recepissent. Conversa dehinc arma in Dachoviam, quæ arctè circumsessa toleravit obsidionem, quousque ob rerum inopiam coacta ad deditionem, à victoribus est incensa. Conradus, loci Dynasta, ad Henricum Wolfratshusium consanguineum se recepit, de cujus variâ fortunâ paulò pòst sermo redibit, quando eum, expugnato Wolfratshusio, captivum, & sine lytro, ob præclaram juvenis indolem, à Friderico dimissum, Dalmatiæ & Croatiæ Ducem memorabimus.

VASTAT BOJARIAM.

FRISINGA NUDATA MOENIBUS. *Dodechin. Arenpeck, pag. 148.* DACHAVIA DEDITA, INCENSA.

Anno superiore, prid. Cal. Octobris, Regimarus Passaviensis Episcopus tristi fato raptus est, si verum habet narratio viri cujusdam visorum cœlestium non insueti, qui eum retulit à D. Altmanno in cœtu divinorum judicum accusatum, damnatúmque, quòd Episcopatum, quem florentem acceperat, suâ ignaviâ pessumdedisset. Certè, quamvis Passavienses Annales eum Ecclesiæ desertorem appellant, nullam tamen causam adferunt tam ignominiosæ appellationis: & præterquam quòd constet, eum sacros census valde auxisse, non est obscurum, eundem servandæ & amplificandæ religionis, & juventutis probè instituendæ fuisse oppidò studiosum. Datus illi successor Reginbertus Comes Peilstainius, conditor pontis Bojodurensis, qui Instadium cum Batavio conjunxit.

Godefr. Viterb. in Conrad. pag. 595. Oth. Frising. lib. 7. cap. 28. REGIMARI PASSAVIENSIS EPISCOPI EXITUS.

Hoc anno Conradus Rex Bertham, conjugis suæ sororem, Berengario Sulzbacensi Comite natam, Manueli Joannis Comneni Græcorum Imperatoris filio, & proximè ad Imperium adspiranti, despondit. Rari fuit honoris, Berengarium duas filias, alteram Occidenti, alteram Orienti, eodem tempore, in summo fastigio & Augustali titulo florentes habuisse. Credibile est, id illi felicitatis cœlum reposuisse, ut eximiam ipsius pietatem, quâ aliquot domicilia divino cultui consecraverat, remuneraretur. Nuptiæ ad anni quadragesimi quarti initium dilatæ. Sponsa Constantinopolim deducta nobilissimo comitatu, cujus princeps fuit Embrico Wirceburgius Antistes, qui domum revertens, Aquileiæ vivendi fecit finem. Berthæ nomen Græcis auribus duriusculum, in Irenes appellationem mutatum, non mutatis tamen moribus, quos optimos è Germaniâ attulerat, & qui nihil habebant, quod à Græcis carperetur. Nihil enim in illâ arrogans, nihil fastuosum: horrebat corporis cultum adscititium & nimiopere affectatum, gnara, illas tali ornatu indigere, quibus natura, vel virtus meliorem negâsset. Pro gemmis & purpurisso erat verecundia, decus modestiæ, pudici mores, perfecta conjugij fides. Sed istis ornamentis mariti lascivia neutiquam respondit. Detulit quidem Augustæ non vulgares honores atque reverentiam, sed in furtivos amores turpiter effusus, genialem thorum fœdavit. Quam obscœnitatem Irene ne diu videre cogeretur, diem præmaturè clausit. Demortuam maritus vero dolore desideravit, sed seriùs, & defletam, in paterno Pantocratoris Monasterio, magnificè tumulavit.

BERTHÆ SULZBACENSIS NUPTIÆ CUM MANUELE IMPERATORE ORIENTIS. V. *Epist. Manuelis ad Conrad. Sigon. lib. 11. Dodech. ad an. 1144.* EIUSDEM VIRTUTES ET OBITUS. *Nicetas.*

AN. CHRIST. M.C.XLIII.

Anno quadragesimo tertio mors, quæ ne à Regum quidem turribus æquo pede pulsandis sibi temperat, sustulit Gertrudem Henrici Leonis iniquam matrem, Lotharij Imperatoris filiam, Henrico Austrio, quod paulò antè recensuimus, se-

cundis

cundis nuptijs, anno superiore conjunctam. Tam brevis illi fuit illaudati matrimonij usura, empta ingente filij damno. Partûs difficultas, quam in fœtu enitendo passa est, vitam illi ademit. Illata est Luterensi conditorio (si Trithemio fides est) vel, quod mavult Andreas Presbyter, Basilicæ Cœnobij Castellensis. Venit etiam in censum nobilissimorum funerum Innocentius II. Pont. Max. 8. Cal. Octob. oppressus curis & animi mœrore, quem illi procreârunt Romani, adspirantes ad priscæ libertatis usurpationem, authore Arnaldo homine seditioso, Politicorum hæreticorum antesignano. Ea lis omnes deinde Pontifices usque ad Clementem III. graviter exercuit. Arnaldus id agebat, ut omnis rerum profanarum sacrarúmque possessio atque proprietas Clero adimeretur, usu duntaxat relicto. Natum inde Romanis bellum contra Tiburtes Pontificibus addictos, quod magnis utrinque gestum ausis per annos complures, nonnisi Tiburis excidio potuit extingui. Quæ causa fuit, ut Lucius II. Pontifex, Cælestini II. qui fuerat Innocentio subrogatus, successor, Conradi auxilia adversus Romanos implorârit, non impetrârit tamen, quòd Conradus bellis domesticis distentus, ejus voto nequiverit respondere, satis habens, antiquas Romanæ Ecclesiæ prærogativas in Comitijs Spirensibus renovare, rejectis Romanorum precibus, quibus specioso Imperij ex Ecclesiæ spolijs ditandi obtentu, ad urbem & Arnaldi errorem invitabatur. Accusant Annales hujus anni brumam insolentis prorsus asperitatis & tempestatum, quæ passim mense Februario non sylvas modò, evulsis radicitus arboribus, nudârunt, sed everterunt etiam ædificia sacra pariter & profâna; quas clades duobus consequenter annis Germaniæ incubuisse reperio.

Mors Gertrudis matris Henrici Leonis.
Innocentii II. obitus.
Otto Frising. de reb. Frider. c. 27. & 28.
Arnaldistæ hæretici.
An. Christ. M.C.XLIV.
VI.
Chron. August. germ. Dodechin.

Sed longè fuêre sæviora, tum Romæ, tum in Oriente. Et hîc quidem ad perniciem Christianorum, isthic verò ad eversionem Cleri & Pontificiæ ditionis. Romana procella Lucium II. orbi eripuit, sive ictu lapidis missi è Capitolio (uti habet Codex Vaticanus) sive, quod Otho noster ejus ævi scriptor vero propius asserit, tædio Arnaldisticæ impietatis, & urbis rebellantis quotidianâ vexatione. Demortuo mox suffectus est Eugenius, & in Farsensi Monasterio, quò adversariorum metu secesserat, extra Romam consecratus. Direptæ interim ab Arnaldistis nobiles Catholicorum domus, è sacro Purpuratorum senatu quidam sauciati, alij conjecti in vincula: loco atque munijs depulsi ministri Pontificis: coacti cives in Patricij Romani verba jurare. D. Petri Basilica conversa in belli sedem: peregrini, orationis gratiâ ad sacra limina venientes, verberibus adacti ad promendam pecuniam, quæ obtentu spontaneæ oblationis, sævientium avaritiæ deserviret: renuentes morem gerere exactoribus, in ipso templi vestibulo trucidati: patrata alia, qualia solent in expugnatâ civitate. Quæ scelera D. Bernardum moverunt, ut Conradum Regem, ad suscipiendam Ecclesiæ defensionem, mellitissimis litteris hortaretur.

An. Christ. M.C.XLV.
Lucius II. moritur.
Sævities Arnaldistarum.
Oth. l. 7. c. 31. & in reb. Frid. l. 2. c. 20.
Bern. Ep. 242. & 243. vel ut in vetusto Exemplari, 244.

Atque hæc quidem de Romanis turbis. In Oriente Edessa, nobilis Mesopotamiæ civitas, quæ præcipuum erat regno Jerosolymitano rebus asperioribus refugium, ipso Christi nascentis die à Sanguino capta est. Fuit autem Sanguinus Syriæ Halopensis & Mesopotamiæ (demptis tamen Antiochiâ & Damasco) potens Dynasta, & natus quidem ex Ithâ S. Leopoldi Austrij matre, quæ cum D. Thiemone & Welfone in Orientem cum sacrâ militiâ comitata, à Sanguini patre capta, & sumpta in thori societatem, Sanguinum hunc Christiani sanguinis sitientissimum in lucem edidit. Hic igitur Edessâ potitus per vim, plebem imbellem jugulavit, vel abripuit in servitutem ipsâ morte funestiorem. Urbis Episcopum cum universo Clero, ceu victimas, ante aras mactavit: omnia miscuit sanguine innocenti: multa castella redegit in suam potestatem. Quibus exemplis territi Christiani, auxilia ex Occidente rogârunt per legatos, qui Romanum Pontificem omnéque pietum nomen ad sacram militiam excitarent. Quis ejusce molitionis eventus fuerit, annis sequentibus exequemur.

Edessa Christianis erepta.
Guil. Tyrius lib. 16. c. 4. & 5.
VII.

Sub hoc ipsum ferè tempus (neque enim certum annum signare facile est) Henricus Bojariæ Princeps Geisæ Pannonum Regi bellum intulit, hâc inprimis ex causâ. Miles, qui in Austriæ limite excubabat, ductore Rapolto, Posonium

hodie

Orb. Frif. l. 1. de reb. Frid. c. 32. Arenb. p. 148. Avent p. 501. Cuspin. in Aust. Chron. Vng. Bonfin.

BELLUM UNGARICUM.

hodie Presburgum, repentè nocturnâ impressione cepit; civium alios trucidavit, alios fecit captivos; pauci fugâ sibi consuluerunt. Geisa, licèt admodum adolescens Belæ Cæci filius, comperto Austriorum facinore, contractâ raptim armatorum manu, præmisit, qui percontarentur, cujusnam imperio, Conradi Regis, an Henrici Boij, Posonio vis esset illata. Respondêre invasores, se neutrius jussu id fuisse ausos, sed studio Boritij, filij Regis Colomanni, qui quartus ante Geisam Ungaris imperaverat. Boritium modò exulem, ad recuperandam patriam, quà promissis, quà præsentario stipendio passim mortales sibi devincire; & ab hoc quidem se esse conductos. Geisa superveniens, munitionem arcto cinctu & copioso milite circumsepsit. Obsessi, post toleratas obsidionis ærumnas, cùm nulla loci retinendi spes superesset, pacti cum Geisâ ter mille argenti libras, sine maleficio abire permissi; sed Geisa, recepto Posonio, cùm non dubitaret, Henrici auspicijs fuisse occupatum, eidem bellum indixit, tractisque ad signa septuaginta pugnatorum millibus, ad Litham amnem, qui ab Australi Danubij latere, Austriam ab Ungaris dirimit, castra est metatus. Locus Germanis, Lehrfeld, opinor ex veteri deserti Bojorum appellatione dicitur. Henricus è diverso, ad Viscum, aliàs Pischium, flumen consedit. Geisa, Austrij castris diligenter exploratis, cùm nondum ephebis esset egressus solenni ritu, sacerdotibus bene precantibus, militarem cultum induit, accinctus armis, veteri gentis exemplo, mox editurus specimen boni Imperatoris. Igitur aciem ordinat, ejúsque frontem geminâ sagittariorum alâ, qui hostem eminus excipiant, prætexit: tum medium agmen longè numerosissimum Belæ avunculo commendat, & in subsidijs duodecim equitum millia retinet, jubétque, aciem isto, quo stabat, ordine, vado reperto,

IIX. silenti agmine transmittere, antequam ab hoste vis objiceretur transituris. Et verò compererat, in Henrici castris, contemptu periculi, an imperitiâ exploratorum, omnia geri negligenter, ne sentiri quidem Ungarorum motum, ignorari consilia hostium, nihil prorsus timeri: cùm tamen nihil æquè metuendum sit Imperatori, atque non metuere, & sibi læta somniare, antequam sit causa lætandi. Ergo fluvio transmisso, Geisa priùs fuit in Henrici conspectu, quàm in procinctu

PUGNA. esse crederetur. Hinc, ut in re improvisâ, confundi legiones, nihil agi ex lege militari, quia nihil erat provisum aut compositum, quisque raptim atque turbatè ad arma convolare, capere stationem, quam non ductores, sed sors offerebat, omnia ferri impetu, nihil ex ratione atque consilio. Qui tamen ad signa procurrerant, collegêre animos, rati, certamen fore cum Bessis atque Scythis, quorum forma deridicula, jumentorum strigosa macies, quales primi ordines ostentabant. Henriciani in id genus hominum coorti, nullo negotio primores turmas evertunt, & successu alacres, in mediam aciem invehuntur. Et hîc quidem Martem habuerunt utcunque faventem: nec fuisset dubia victoria, nisi qui ex Henricianis in pugnam posteriores convolabant, (quia in omnibus ferè prælijs, oculi primi omnium vincuntur) ex pulvere, ominantes malè pugnatum esse à socijs, initâ fugâ, fortunam hucusqne blandientem destituissent, & commilitones, atque unà Henri-

HENRICO INFELIX. cum, retraxissent. Plures in fugâ cæsi, quàm in certamine. Universè ex Austrijs septem millia, ex hoste in vestigio ter mille occubuerunt. Bonfinius studio gentis, cui stylum commodavit, victoriam facit aliquantò inflatiorem, scribens, à tertiâ diei horâ, ad præcipitem usque vesperam, fuisse dimicatum. Otho noster, in fratris gratiam, notat Ungaros plura suorum funera numerâsse. Henricus accepto dedecore, mœstus se Viennam recepit. Geisa castris spolijsque potitus, in Ungariam revertens, victoriam non est prosecutus.

Et hic ipse quidem est, cujus soror Sophia Henrico Conradi Regis filio ex-

SOPHIA UNGARICA CHRISTO DESPONSA. petita, Christo venit in manus. Illa spe nuptiarum, cum honestissimo comitatu ducta in Germaniam ad condiscendos gentis mores & linguam, Belæ patris & Conradi voluntate, hæsit in Monasterio Admontensi, dum sponsus thoro maturesceret. In quâ morâ, cùm (ut ferè per diutinam procrastinationem multa

IX. obliquè eveniunt) Bela moritur, & ei demortuo Geisa succedit. Henricus verò

raptus

raptus immaturo fato, sponsæ vota frustratus est. Quare ipsa, Luitgardis Ratisbonensis nobilissimæ fœminæ magisterio imbuta, ne bis sponsum lugeret, negavit, se alium, quàm immortalem ducturam; mundóque valete jusso, soli se Deo addixit. Eam Geisa sæpe per litteras ad patriam revocavit, propositis omnis generis illecebris, quæ virgineæ constantiæ illuderent: at illa dedignata rerum caducarum quisquilias, prætulit Regnis omnibus castissimos sponsi cælestis amores, sibique ipsa epithalamium concinens, quo animæ Christo desponsæ gloriantur, *Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini Iesu Christi*, se Regum Regi dedicavit.

Ista posteriora contigerunt annis sequentibus. Hâc, de quâ scribo, tempestate, terrarum orbis magnam partem bellorum turbine involvebatur: & Bojaria quidem, priùs quàm Henricus ad bellum Ungaricum traheretur, urgebatur domesticis periculis, ex gravi simultate, quæ Henricum Episcopum Ratisbonensem, virum alioquin inquietum, & sago, quàm infulis aptiorem, armaverat ad Ratisbonæ obsidionem iniquissimo tempore, cùm in Ungariâ simul & in Boicâ militare non posset. In Galliâ Belgicâ, Albero Trevirorum Archiepiscopus cum Henrico Namurcensi Comite collidebatur. Alibi passim bella gravissima, & ne quid malorum abesset, fames, qualis nulla aliàs, crudelissima, quæ ipsas adeò infelicium herbarum radices, corticesque arborum commolitos in aliquam panis similitudinem, unà cum cruore jumentorum è venis extracto, more Scythico, in cibum vertit. Famem horribiles terræ motus & internecina pestis est secuta.

Otho de reb. Frid. l. 1. c. 29. TURBÆ PASSIM IN ORBE CHRISTIANO

FAMES ET PESTILITAS

Sed & Fridericus Ahenobarbus, infusus cum ingenti armatorum multitudine in Norici fines, in Bojariâ, vivo etiamnum patre, prima militiæ rudimenta posuit, Henrico Wolfratshusio infestus, quòd Welfonis partes adversus patrem patruósque esset secutus. Et hic quidem est Ahenobarbus Conradi Regis ex fratre nepos, qui postea gessit imperium, atque in præsens Boicæ nobilitatem ad arma concivit pro Henrico Duce capienda, non quòd sibi quicquam Boij ab adolescente, tum primùm ex umbrâ prodeunte, timendum ducerent, sed velut ludicrum certamen inituri, incruentas sibi palmas de tirone pollicerentur. Confluxêre igitur Wolfratshusium perfrequentes. Instructa utrinque acies pro castri mœnibus. Boij ne tum quidem Friderici adolescentiæ irasci, sed deridiculo habere temeritatem, ausam veteranorum fortitudinem lacessere. Atqui nimirum fortissimus juvenis hunc illis risum brevi ademit. Thrasones, signis collatis, aversi in fugam, didicêre, tutius esse habere ducem, qui nihil, præter turpem fugam metuat, quàm in pectore veterano meticulosam imbelliam. Unus Conradus Wolfratshusius perstare ausus in vestigio, venit in manus victoris. Multis stimulantibus, ne Fridericus tam illustri captivo, nisi grandi ære libertatem redderet, respondit, virum fortem generosè deditum, liberaliter debere dimitti: non esse suæ nobilitatis facere quæstum ex virtute, inhonesto nomine grande esse lucrum, sordes avaritiæ inter turpia computari: bellatorum esse instare decori; illis ut prima famæ cesserint, ita plerumque cedere universa. Certè Bojariæ juventus Friderici virtutem admirata, bello proximo, quod cum Conrado Zaringensi gessit, fortem illi fidelémque operam navavit. Tigurum eo duce occupatum: Conradus ad ultima redactus, arcibus omnibus, quamlibet munitissimis, exutus, cùm nullo loco tutus consisteret, nullum habuit, nisi in Regis clementiâ receptum.

BELLUM WOLFRATSHUSIANUM. X.

BOII DEVICTI AB AHENOBARBO.

VICTUS ITEM CONRADUS ZARINGENSIS.

Tot tantásque tempestates repentè secuta est mollissima malacia quiésque totius Occidentis, cùm non bella modò movere, sed vel arma gestare in publico, pro grandi crimine haberetur. Non fuit tamen otium à bellico apparatu, qui in juratos hostes nominis Christiani verteretur. Bellicum cecinit Eugenius III Pontifex Max. impulsus ærumnis & supremo periculo Christianorum, qui haud procul aberant ab ultimâ necessitate, nisi tempestivis auxilijs erigerentur. Tubæ vicem fuit & conquisitoris D. Bernardus tantâ vi cælestis facundiæ, & continenti miraculorum affluentiâ, ut, cùm innumeri mortales, non paucæ adeò mulieres, viros habitu mentitæ, ad crucis tesseram traherentur, urbes civibus, agri colonis exhau-

AN. CHRIST. M.C.XLVI. PAX QUIETISSIMA. SACRÆ MILITIÆ APPARATUS.

D. BERNARDO AUTHORE.

riendi

riendi esse viderentur. Conradus Rex eam ad rem comitia Spiræ habuit sub annum vertentem, & in Bojariâ, mense Februario anni insequentis, in quibus non modò innumera propè nobilitas, sed ipse quoque cum Henrico fratre Bojorum Duce, cum Welfone patruo Henrici Leonis, quem cùm aliàs auro Siculo & Ungarico auctoratum, adhuc sensisset hostem, posteaquam in villa Bitegoviensi militiam crucis professum in fidem suscepisset, deinceps suum commilitonem solebat appellare, neque sinebat à suo latere divelli. Inter Episcopos, hujusce socios expeditionis, fuit quoque Otho Frisingensis, Reginobertus Batavensis, Henricus Ratisbonensis, Ottocarus præterea Stiriæ Marchio, Bernardus Princeps Carinthiæ, Fridericus Suevorum Princeps, postea Imperator.

Otho Frisf. de reb. Frid. l. 1. c. 36.

XI. Et ut nemo non agnosceret miros divini Numinis instinctus, non modò probi sanguinis homines sine numero dedêre nomina, sed ipsi quoque sicarij, prædones, & truculenti grassatores, sumptis crucis insignibus, immanitatem visi sunt pietate mutare. Extincta simul inveterata odia, iræque in Christi hostes conversæ. Sed, qui genius est Tartareæ nequitiæ in bonis mala serentis, Radulfo Monacho concitatore, ex agro Coloniensi, Moguntino, Wormatiensi, Argentinensi, toto adeò Rheni limite, ingens cruce signatorum multitudo ad Hebræorum excidium conjurata, putavit, se læta belli transmarini auspicia capturam, si eam gentem ferro deleret. Hinc acres in urbibus tumultus & permulta recutitorum funera, donec D. Bernardus insanientes homicidas docuit sapere justiora.

HEBRÆORUM PERSECUTIO.

Hoc anno, qui totus in bello parando absumptus est, Eugenius III. 10. Cal. Janu. litteris ad Gebhardum Præpositum Windbergensem, Ordini Præmonstratensi asseruit factam non multò antè, per Albertum Bogensem Comitem, fundationem. Alderspacense quoque Monasterium circa annum M. C. XXXIX. à D. Othone Babenbergensi inchoatum, anno sequenti, D. Bernardi intercessione, cessit instituto Cistertiensi.

MONASTERIUM WINDBERGENSE. ALDERSPACENSE.

AN. CHRIST. M.CXLVII.

Conradus Cæsar, priùs quàm moveret in Orientem, ne vacuum à rectore relinqueret Imperium, coactis Francofurti Germaniæ comitijs, ex communi Principum suffragatione, Henricum filium impuberem Regni collegam dixit, & Aquisgrani sacris cæremonijs curavit inaugurandum. Quo tempore Henricus Leo repetijt Bojariæ Principatum, Cæsarem atque Imperij Ordines contestatus, vitio factam, ante annos quinque à minorenni, nullâ tutoris authoritate, sed matris fraude, abdicationem, & nullo juris ordine parentem Boicis ditionibus fuisse exclusum: se verò, quem natales proximè ad ejusce clientelæ beneficium vocâssent, nullius paternæ culpæ affinem, præter jus fásque esse spoliatum, adeóque ex lege, ante omnia, spoliato deberi integram restitutionem. Tam verò cordatè causam egit florentissimus juvenis, ut appareret, si Cæsaris voluntate non posset, statuisse Boicam armis invadere.

CONRADUS REX HENRICUM FILIUM COLLEGAM LEGIT. HENRICUS LEO BOICÆ PRINCIPATUM REPETIT.

XII. Conradus, cui res ea cordi non erat, ne bellum à tergo relinqueret, & filio Regi Imperium turbulentum, causatus, sibi non esse integrum, disceptatione admodum perplexâ sacram expeditionem morari, litem ampliavit, Leone benignè admonito, ne tantillam comperendinationem gravatè acciperet: fore enim ut, ubi primùm ex Asiâ rediret, ipsi, sine cunctatione, daretur rogatio. Ita fervidus Princeps, præter animi sententiam, dilatus est speciosâ belli sacri excusatione. Cæsar Francofurto Norinbergam, indéque Reginoburgum discessit, comitante Cardinale Portuensi, Eugenij Pont. Legato, cujus consilijs in rebus sanctioribus uteretur. Reginoburgi, florente vere naves conscendit, & vectus secundo Danubio in Austriam appulit, eo die, quo Christi ad cœlum abeuntis memoria recurrit. Prima castra posuit ad Burgum (ita vocat noster Otho) Ardecherum, copiarum adventum, quæ sequebantur, præstolaturus. Convenisse ferunt tanto numero, ut Nicetas Græcus scriptor asserat, Græcorum oculos ijs recensendis non suffecisse. Faber Felix facit infinitam multitudinem: Auctor Chronici Reicherspergensis affirmat, ab orbe condito tantum exercitum non fuisse conspectum. Otho Frisingensis, comes & spectator ait, *flumina ad navigandum, & camporum latitudinem ad ambulandum,* visa esse, vix fore satis tantæ multitudini:

DIFFERTUR.

ITER SACRORUM MILITUM IN SYRIAM. INGENS EXERCITUS.

dini: Guilielmus Tyrius paulò moderatiùs numeravit septuaginta cataphractorum millia, peditatum dixit innumerabilem.

Alia ex parte Septentrio socius esse voluit istius expeditionis. Daniæ Rex, Poloniæ Rutenorúmque populi frequentissimi, sua ad eam nomina sunt professi. E Saxonibus conflatus duplex exercitus, alter à Friderico Magdeburgensi, alter ab Alberone Bremensi, Archiepiscopis. Si veteri scriptori credimus, *tota terra contremuit à facie tanti apparatus.* Prætereo classiarios, qui ad 5. Cal. Majas Coloniâ Agrippinâ solventes, 14. Cal. Junij in portu Britannico Anglicam & Flandricam sibi classem adjunxerunt, & oram Cantabricam circumvecti, ex itinere Olyssiponem Saracenis per transennam eripuerunt. Ludovicus VIII. Galliæ Rex, cum infinitis propè copijs movit è Francia 3. Cal. Julij. Tantæ potentiæ nihil fore videbatur impervium aut inexpugnabile: sed humanos conatus divinus favor destituit, haud dubium quin ex justissimis causis. Omisso aliorum successu, satis erit nostrorum clades dare sub aspectum. Certè D. Bernardus, qui prodigiosis ostentis manifestè demonstravit, se divino instinctu id bellum suasisse, ut exitûs improsperi mœrorem leniret, semet aliósque solari non erubuit divinæ providentiæ judiciorúmque abysso profundissimâ, & exemplis eorum, qui DEO authore, res similes olim susceperunt, & licèt incurrerint in adversos scopulos, tamen à scopo divinæ gloriæ & salutis multorum mortalium neutiquam aberrârunt. Diligit enim DEUS filios, quos castigat; sed non satis ejus beneficentiam nôrunt æstimare, qui eam duntaxat ex rerum secundarum blandimentis metiuntur. Pronum est suspicari, non defuisse in tantâ hominum & morum colluvie lasciviam, quæ est in castris, ubi major peccandi licentia: & verò ubi est effrenis multitudo, vix possunt esse pauci, qui peccent: id superstites, post cladem sunt fassi, nec dissimulavit S. Bernardus, cùm fatetur, *DEUM provocatum peccatis, ante tempus quodammodo visum esse judicâsse orbem terræ: populos cecidisse propter iniquitatem, nec tamen eorum casum fuisse adversus promissa DEI, quæ ejus justitiæ non præjudicant, quantumvis sit terribilis super filios hominum.* Bonfinius certè, Conradi iter per Ungariam, contra datam fidem, minimè pium pacatúmque, sed insolens & injuriosum fuisse ostendit, quando queritur, Regem instar hostis acerrimi ultum esse veteres injurias: à religiosorum collegijs, à cœnobijs & xenodochijs, sub viatici sacríque stipendij nomine, immodicam pecuniam extorsisse. Quid præterea peccatum sit, tam nobis promptum non est dicere, quàm DEO non ignorare. Itineris initia læta utcunque fuerunt per Bulgariam & utramque Thraciam. Philippopoli primùm se perfidia Manuelis Græci Imperatoris cœpit aperire. Is sine maleficio transituris tuta omnia pollicitus, nihilo minùs truculentam grassatorum manum armaverat, animaverátque immani Germanorum odio, quod demum patuit, cùm in nostros à tergo invecti, postremum in agmen cœperunt incurrere, daturi luculentas perfidiæ pœnas, nisi fucatæ Philippopolensis Antistitis blanditiæ nostrorum iras temperâssent. Rursum est violata fides Adrianopoli, cùm è Germanis Proceribus quempiam Conradi Regis consanguineum, qui in urbe curandæ valetudinis causâ substiterat, vivum, unà cum diversorio, cives exusserunt. Fridericus, Conradi ex fratre Friderico nepos, eam atrocitatem concremato Monasterio, in quo fuerat patratum scelus, dictâque in latrones capitali sententiâ, jussus est à Rege ulcisci. Hæc leviora: quæ deinceps evenerunt, fuêre tristissima, & hoc quidem, quod modò sum dicturus, nocentissimum certamen adversus truculentissimum elementum.

M.S. Fulden. Franco-Saxon.

CLASSIARII.

CLADES GERMANORUM.

S. Bern. lib. 2. de consid.

XIII.

Exod. 3. Iudic. 20.

QUIBUS EX CAUSIS?

Bonfin. lib. 6. pag. 261.

MANUELIS PERFIDIA.

XIV.

Ad 7. Idus Sepembris, nostrorum copiæ, exceptis Lotharingicis, quæ cum Duce Vaudemontio, alijsque magnatibus, diversæ sequebantur, in amœnissimâ Cherobachorum planicie, haud procul à Constantinopoli tetenderant. Eum campum perfluit Melas torrens alveo tenui, qui æstate arescens, coit in limosam voraginem; sed ubi se infundunt imbres, sic intumescit, támque latè exundat, ut fluvij modum supergressus, maris speciem referat, neque vado neque navigijs tractabilis. Dum eò loci miles jucundè, nulliúsque periculi metuens, conquiescit,

AQUARUM ILLUVIES IN EXERCITUM.

postridie, quàm venerat, nubecula primùm exoritur, deinde pluviam stillat non immitem, pòst subitò tantos nimbos profundit mixtos procellis & ventorum turbinibus, ut velut ruptis cœli cataractis, ventisque in terras armatis, momento totus ager undique immanibus vorticibus fluctibúsque innatârit. Miseranda castrorum facies, abrepta in mare carpenta, disjecta tentoria, legiones undis obrutæ & sparsim confusæ. Qui natatu se commisêre fluctibus, pars absorpti raptique in vicinam Propontidem, pars sarcinarijs vehiculis elisi, pars oppressi cautibus, complures primo statim aquarum impetu suffocati, involutique undis ineluctabilibus. Quibus sors fuit paulò mitior, nudi rerum omnium, jumentorum ope, in eminentem tumulum, ubi Welfo noster & Fridericus tabernacula fixerant, evasêre. Pauci, connexis inter se rhedis, objectisque, quæ sors offerebat, repagulis, extra undas erecti tempestatis exitum expectârunt. Satis non potest oratione explicari, quanta hominum, gazæ, sarcinarum, fuerit jactura. Conradus eâ mœstus calamitate, suos in littus Asiaticum, hoc est, in perfidissimorum latronum fraudes & lanienam ad vitandos Græcorum tumultus, summâ, quâ potuit celeritate, transmisit. Manuele regiâ in urbe salutato, per Bithyniam progressus, abs læva Galatiam, Paphlagoniam, & Pontum reliquit, à dextra Phrygiam, Lydiam, & minorem Asiam. Pacato agmine procedentibus annona malignè præbita: empturis nullum ferè uspiam forum, sed tantum pretij indictum, quantum lubebat propolis, qui stantes pro muris, acceptâ antè pecuniâ, cibaria demittentes, sæpe rebus emptis fraudabant emptores, seséque ex eorum conspectu proripiebant. Sed execranda fuit illorum immanitas, qui Manuele si non authore, saltem conscio, calcem comminutúmque gypsum panibus admiscebant, cum certâ manducantium pernicie, qui magno numero, corrosis inde visceribus, contabuerunt. Jussu Manuelis cusi sunt nummi adulterini, qui peregrinis aliquid de suo vendentibus obtruderentur. Idem cruce signatis dederat viæ duces locorum quidem peritos, sed dolis instructos, jussósque defessum agmen per steriles viarum ambages in Turcarum insidias trahere, inductósque in fraudem, medio itinere deserere. Quod illi præstitêre gnaviter. Nam de industriâ declinantes à dextrâ Lycaoniam rebus omnibus affluentem, deceptos induxerunt in arentes Cappadociæ solitudines, longè ab Iconio, quò se rectà viam monstraturos condixerant. Cùm haud procul à Turcis abessent, noctis silentio, clàm inivêre fugam, deserto exercitu, fracto laboribus & jam hostium insidijs irretito. Illuc ex condicto Turcarum omne nomen confluxerat, è Medis, Cilicibus, Armenis, Parthis, Cappadocibus, quibus erat persuasum, nostros suis sedibus eo consilio egressos esse, ut pulsis omnibus Christianæ fidei hostibus, toto Oriente potirentur. Igitur suorum freti multitudine, recentes immittunt in defessos & ferè semineces, turmis per vices succedentibus: eminus spargunt telorum nubes, docti laxatis ordinibus refugere, & rursum conglobati ad certamen redire. Germani, quibus ob armorum pondus, longam inediam, & equorum defectionem, par non erat velocitas, densati quidem resistare, legiones inferre contra obstantes, pugnam tentare cominus, sed in cassum, cùm neque fugientes valerent assequi, neque sic dispescere, quin denuo coëuntes pugnam integrarent. Sternebantur interea spiculorum procellis & jumenta & sessores, tantâ strage & certâ jaculorum destinatione, ut, cùm aliquot horas pugna tenuisset, è septuaginta cataphractorum millibus, & innumero peditatu, vix decima pars superfuerit, captis haud paucis, cæteris internecione deletis. Bernardus Comes Carinthius cæsorum stragem nobilitavit. Conradus cum eâ superstitum paucitate, per ingentes difficultates Nicæam evasit. Illuc antè quàm appelleret, exercitui lacero pugnandum fuit ad flumen Mæandrum, cujus ulteriora Barbari densis catervis, ubi vadosus erat, obsepserant. Et hîc quidem via vel aperienda vi, vel pereundum. Conradus, castris extra teli jactum in hostis conspectu positis, omnes jussit noctu curare corpora, ac postero manè ad pugnam esse expeditos. Ubi diluxit, instructâ acie, suos sic est affatus. *Nostrûm nemo nescit, commilitones, qua nos spes ad hanc expeditionem adduxerit: si humana spectâssemus, domi*

IMMANITAS GRÆCORUM XV.

FRAUS VIÆ DUCTORUM.

CRUCE SIGNATORUM MAGNA CLADES.

BERNARDUS CARINTHIUS OCCISUS. *Nicetas p. 75.*

PUGNA AD MÆANDRUM.

domi nobis erat affatim opum atque gloriæ, neque nostrâ intererat, peregre aliena sectari, vel quærere causas triumphorum. Divinius aliquid spectavimus, quando à charorum amplexibus avulsi, patriæ amœnitati exteras ærumnas, quieti labores, delitijs inediam, solem solúmque inimicum, amicissimæ patriæ prætulimus. DEVM videlicet rebus omnibus antehabuimus, Christi Imperatoris nostri incunabula palatijs, vindicias terræ omnium sanctissimæ regnis atque coronis. Vt beatam nobis compararemus æternitatem, arma induimus, sacram militiam professi ad certamina, sine quibus ne nomen quidem piorum militum merebimur. Toties civilem sanguinem fudimus, & fudimus quidem pro vanissimis nominibus: an verebimur hodie nostrum & sonticum illum quidem Christo propinare? Christo, inquam, qui pro nobis suum dedit hauriendum. Si pium ullum fuit bellum uspiam, pientissimum est, quod gerimus adversus ipsissimam impietatem, quæ sacra divinitatus adyta pessumdedit, exanguravit, conspurcavit. Laudantur triumphi, qui ex justo bello reportantur, at nullum potest esse justius, quàm hoc, quo sanctissimæ religionis nostræ monumenta, terram DEI sanguine imbutam, avitum fidei nostræ patrimonium à spurcissimis incubatoribus repetimus. Agitur, commilitones, DEI gloria, gentis nostræ decus, salus Orientis, amicorum tutela, pro quâ majores nostri tot támque graves dimicationes susceperunt. Et quoniam semper, præ quàm aliæ nationes, laudis fuimus appetentes, delenda nobis est hodie macula recenti clade suscepta, ne posteritas intelligat, tot viros fortissimos ab ignavis nebulonibus impune esse necatos, vel abductos in turpissimam servitutem, eósque ipsos debellatos esse per ignaviam, & nullo edito facinore memorabili perijsse. Credite mihi, hostis, qui est in nostro conspectu, habet quidem numerum, sed nos DEVM & virtutem. At semel victi sumus, esto; non lubuit DEO vincere in tantâ multitudine, vult in paucis vincere, ut ipsi soli victoria laus decúsque tribuatur. Et verò omen avertite cælites; demus etiam hoc divinæ voluntati, ut infeliciter pugnemus; certè præstat mori XVII. *fortiter in acie, quàm diu cum ærumnis conflictari, raptari in compedes, & cruciari inter infamissima servitia crudelissimi dominatus. Si cademus, Christo, cujus cruci sumus auctorati, gloriosè cademus, illius enim sumus, erimúsque vivi perinde atque morientes. Beati, qui in ipso moriuntur, sed pro ipso, longè beatiores. Vita quidem jucunda usura est, & vincere speciosum, sed utroque optabilius mori morte justorum, quam viri generosi expectant sine formidine, optant suaviter, excipiunt sine mœrore, adoriuntur absque trepidatione. Ite, Ite igitur optimi Christi milites adversus hostes crucis, certi, vos, ita mihi cor salit, non nisi forti magnóque animo facturos.* Mox ubi dixerat, cœlitibus in vota vocatis, vadóque reperto, primus aciei frontem, equo sublimis, duxit in flumen, & Barbaris nequicquam obsistentibus, evasit in continentem. Hîc non tam cædes, quàm ingens cæsorum strages. Turcæ, velut irato cœlo siderati, fractique terrore, neque in fugâ reperêre salutem, neque in armis, sed alij super alios strati, tantâ cadaverum strue campos passim implevêre, ut Agathias, qui suis oculis lustravit occisorum execrandas exuvias, affirmet; suo etiamnum ævo, ossium superfuisse *tumulos crebros & altos* instar collium, quos illac iter agentes solebant admirari. Guilielmus Tyrius, Francique Scriptores eam victoriam Ludovico Galliarum Regi adscripsêre. Mirum est, Othonem Frisingensem ejusce prælij non meminisse: sed neque meminit suæ fugæ, nostris in Cappadociâ profligatis, inter præliantes elapsus, post ingentia viarum incommoda Hierosolymam denique pervenisse, scribitur à Chronologo Reichersbergensi.

VICTORIA

Dum ea peregre gererentur, Conradus Salisburgi, priscæ religionis exemplar obijt. Subrogatus est Eberhardus è nobilissimo Comitum Hiltpolstainiorum sanguine, primùm quidem Babenbergæ Canonicus, tum Pruseningensis Monachus, pòst Abbas Biburgensis, ac denique, adnitente Godefrido Admontensi Præsule, ad Archiepiscopatum evectus haud vulgari Boicæ emolumento; quippe quæ ejus potissimùm & Hartmanni Brixinensis Episcopi vigilijs atque provisione defensa est, ne Schismate, quod sub Alexandro Pont. Max. & Victore Ecclesiam afflixit, involveretur.

CONRADI SALISBURGENSIS OBITUS. XIIX.

An. Christ. M. CXLIIX. Conradus Hierosolymis honorifice exceptus. *Guil. Tyr. l. 16. Otho Fris. l. 1. de Frid. c. 58.* Welfo Boius redit in Germaniam.

Nunc ad sacri belli malè fortunatos eventus stylum referamus. Conradus Græcâ classe vectus sub ultimam sanctioris jejunij hebdomadem, portum, quem Acconem id loci vocitabant, apud Ptolemaidem ingressus, Hierosolymam profectus, à Balduino III. Rege, à Fulchero Patriarchâ, & populo universo, festo plausu acceptus est. Illi aderant, Welfo Bojus, Henricus Austrius Bojariæ Dux, Fridericus Ahenobarbus, Otho Frisingensis, Arnoldus Cancellarius, Ortlibus Basileensis, complures ex Optimatibus, inter quos Fridericus Wolfratshusius, qui fato occupatus, in Templariorum conditorio est tumulatus. Conradus, adoratis Christi vestigijs, pietati religiosè operatus est, & Ptolemaidem reversus, ære suo legit supplementa copiarum. Welfo, posteaquam in colloquio, quod habuère Conradus, Ludovicus, & Balduinus Reges, de ratione persequendi belli, sententiam dixerat, gravi morbo contactus, reditu in patriam maturato, navigavit in Siciliam, ubi à Rogerio magnis cultus honoribus, & pecuniâ adjutus est ad bellum cum Conrado instaurandum. Mox, ubi in Germaniam redijt, Flochbergam irritus obsedit, & Friderico Ahenobarbo interprete, anno sequenti in Conradi gratiam redijt.

Conflictus ad Damascum. XIX.

Porrò in Regum conventu, jam senescente Junio inter Tyrum & Ptolemaidem, in loco, cui à Palmâ nomen, cùm Hierosolymorum urbi nihil timeretur, visum est, Damascum minoris Syriæ caput exercitibus trifariam divisis adoriri. Duxit primum agmen Balduinus, secundum Ludovicus, Conradus tertium. Castra mota per Daphnidem, pérque nemora felicium arborum, quæ circum urbem ad complura passuum millia protendebantur, itinere viatum flexibus & claustris, quæ suis quæque munimentis defendebantur, admodum perplexo. Ergo per vim aditus oportuit aperire. Hostis è castellis pulsus, refugit ad amnem, qui Damasci mœnia præterlabitur. Isthic ex utrâque ripâ maxima vis hominum constiterat, quæ telis nostros accessu & aquatione prohiberet. Balduinus semel iterum incurrit in obstantes, toties rejectus, Francis otiosè spectantibus. Conradus, comperto, Balduinum in acri certamine subsidio indigere, Gallos militari gradu prætervectus, suos in aciei fronte Turcis objecit, coëgitque cominus confligere, & superatos, statione relictâ, pedem in urbem referre. Edita in eo conflictu egregia facinora. Conrado non imperatoris magis, quàm militis partes agenti, unus aliquis è Turis cæteris confidentior instabat: caro illi stetit audacia. Rex insultanti, ictu fulmineo caput medium cum humero & costatum crate diffidit. Quod factum oppidanis inspectantibus tantum injecit terroris, ut inciperent de tuendis mœnibus desperare. Versi tamen ad dolos, quod ferro nequibant, fraude perfecerunt. Gliscebat inter obsidentes, ex nationum æmulatione & invidiâ in Germanos, simultas haud obscuris perfidiæ argumentis, quod ferè contingit, cùm pari imperio à pluribus res in bello diriguntur. Id cùm Damascenos non lateret, auro nonnullos Procerum corrumpunt, impetrántque, ut rem agant languidiùs, frenósque inijciant pugnatorum alacritati. Ita belli facie mutatâ, & Ductorum votis dissonantibus, obsidio post triduum omittenda fuit, frementibus viris fortissimis, quòd tanti momenti conatus, post tot tantósque labores & amissum florem optimæ nobilitatis, paucorum avaritiâ & præposteris consilijs in nihilum recciderent, & ne terræ quidem palmus, in quo Romana Aquila, vel Lilia Gallica, vel Crux Solymorum, figerentur, rei Christianæ accessisset. Conradus ob successum prorsus insperatum, æger animi, in Thessaliæ fines abijt, ubi Manuelem rebus adversis, quàm secundis æquiorem expertus, vires laboribus & ægritudine labascentes aliquanto otio recreavit.

Soluta obsidio. *Oth. Fris. l. 1. c. 59.*

Theodora Græca Henrico Austrio nupta. An. Christ. M. C. XLIX.

Theodora, inter hæc, Manuelis neptis, Henrico Bojorum & Austriæ Duci matrimonio est locata. Eodem tempore Reginbertus Batavensis Episcopus, sacræ comes expeditionis vivere desijt 3. Cal. Octob. Illi datus successor Conradus Junior D. Leopoldi Austrij filius, germanus Othonis Frisingensis. Cæterùm placuit Cæsari, Fridericum nepotem ad res Germaniæ curandas, ne quid per suam absentiam existeret rerum novarum, præmittere. Hic per Bulgariam Pannoniámque

que domum mense Aprili redux, nonnullos è suis domesticis otij publici turbatores suspendio necavit. Conradus solvens è Græciâ, per mare Illyricum atque Dalmaticum, Polam Istriæ civitatem appulit, & maritimæ agitationis impatiens, equestri itinere per Aquileiam vectus Salisburgum, ferias Pentecostes rebus divinis impendit. Exinde delatus Ratisbonam, egit frequentissima comitia. Illum Eugenius Pontifex litteris humanissimis datis, peramanter est solatus, ut mœrorem abstergeret Asiaticæ expeditionis. Cùm de ejus successu varij, toto orbe, sermones spargerentur in vulgus, S. Bernardus, qui se, editâ apologiâ, conciliati belli jam antè purgaverat, publicè suam innocentiam evidenti prodigio testatus est. Parens nonnemo filium, luminibus orbatum, sancto viro curandum obtulit, multáque excusantem infimis denique precibus induxit, ut pro misero divinam opem imploraret. Dein, manibus puero impositis, palàm oravit, ut, si sacram militiam divino instinctu suasisset, & suadenti Numen adfuisset, *in pueri istius illuminatione dignaretur ostendere.* Cùm in eam sententiam supplicâsset, expectarétque precationis effectum; *Quid mihi faciendum?* exclamat puer, *video enim.* Ad hæc adstantium exortus clamor, vulgatáque fama miraculi, mortalibus persuasit, sacri belli consilium datum fuisse cœlitus, tametsi votis humanis neutiquam respondisset, DEO ita pro suâ immensâ sapientiâ disponente. Id abunde jam ostenderat Spiræ, ubi inspectante Conrado Rege puero pedibus capto gressum crucis signo restituit, pauperes aliquot ab ipso Rege oblatos morbis liberavit: Francofurti, senem paralyticum notissimæ infirmitatis, post brevissimam orationem ita sanavit, ut, mirante populo, grabatum salvus vegetúsque domum gestaverit. Treviris urbe totâ effusâ in ejus adventum, geminas sorores privatas oculorum usu visui restituit: idem beneficij contulit alteri in D. Petri basilicâ, ubi etiam mulieri surdæ, duobus claudis, ope cœlesti mirabiliter est medicatus: alibi passim, quacunque illi iter, provincias miraculorum & sanctitatis suæ famâ implevit. Sed & istud omnem dubitationem sustulit, quòd mortalibus fuerit persuasum, vera scripsisse Joannem Casæmarij propè Verulas in Hernicis Abbatem, cùm sanctissimè D. Bernardo asseveravit, se à Divis Joanne & Paulo accepisse, cœlo esse receptos, qui è Christianis piè, in optimâ causâ, vitam pro DEO posuissent.

CONRADI REDITUS IN GERMANIAM.

XX.

Gaufrid. in D. Bern. vita.

PATRATA A D. BERNARDO MIRACULA.

REVELATA SALUS PRO CHRISTO CÆSORUM.

Ad superiores Conradi Regis ærumnas, gravissimum vulnus accessit ex Henrici filij, quem ante triennium Regem dixerat, funere præ quàm immaturo. Successêre è Bojariâ novi motus. Othonis Wittelspachij filij, juventâ & avito sanguine præfidentes, Regis iras provocârunt. Aventinus scribit, eos sacras opes juvenili licentiâ diripuisse. Eo factum, ut in Ratisbonensi comitio in eos bellum, in parentem verò proscriptio decerneretur. Subinde Kelheimium, gentis Wittelspachiæ castrum ad Danubij & Altmylæ confinia, cinctum obsidione, quæ tamen non fuit diuturna. Otho enim causatus, se alienâ culpâ multari, litem, antequam in deteriora cresceret, sic composuit, ut è filijs natu majorem Regi daret pacis & fidei obsidem: abdicaret Ecclesiarum tutelam, cujus obtentu filij exorbitâssent: Rex vicissim irasci desineret. Rebus cum Othone compositis, subortæ curæ graviores, ob Henrici Leonis in Sueviam adventum, ut urgeret addictam sibi à Conrado in ipso Palæstini belli procinctu de Bojariæ principatu adversus vitricum rogationem: eam ad rem Leo arma ostentavit è vicino parata ad vim inferendam, nisi lege ageretur. Verùm Conradus, ut in re morosè cogitatâ, obstinavit deesse promisso, & negare forum, atque Henrici fratris sui vadimonium illi, qui duorum Ducatuum clientelas simul ambiret. Res spectabat ad bellum, cùm Adalbertus Marchio, Henrici Leonis æmulus, alijque Saxoniæ Principes, rati tempus adesse excutiendi invisum Leonis dominatum, mittunt ad Conradum, qui eum invitent ad invadendam Saxoniam, quâ perditâ, in ventum abitura sit ferocientis juvenis molitio. Enimvero Provinciam nudatam esse præsidio, & in Clementiæ (erat illa Henrici Leonis uxor, Conradi Zäringij filia) juvenculæ imbellis & imperitæ manu esse relictam: procerum complures, mariti juvenis imperia aversari: haud fore operosam Brunonis vici expugnationem: quo occupato, reliqua futura essent in prom-

AN. CHRIST. M. C. L.

CONRADI FILIUS MORTUUS.

XXI.

Oth. Frisl. 1. de Frid. c. 73.

TURBÆ IN BOICA.

AN. CHRIST. M. C. LI.

Helmold. in Chron. Slavorum lib. 1. c. 63.

HENRICUS LEO IN CONRADUM ARMATUS.

BELLUM IN SAXONIA.

in promptu. Eâ ſpe Conradus illectus, diſpoſitis quaquaverſum copijs, quæ Leonem in Sueviâ continerent, confeſtim adit Goslariam, Brunswico citra cunctationem caſtra admoturus. Leo factus eâ de re certior, quotquot habebat in Sueviâ partiarios, per varias ſparſos ſtationes jubet ad condictum locum adeſſe Chriſti naſcentis ferijs. Edicto vulgato, Leo remiſſiùs cœpit à regijs obſervari, laxatis vigilijs, datóque ſpatio evadendi; quòd nemini veniret in mentem, eum fugæ conſilium cepiſſe. Quo ille comperto, cultu plebeio ignorabilis, tribus fidiſſimis comitatus, ingreſſus iter, noctis beneficio deluſis hoſtium inſidijs, quinto demum die Brunſwicum appellit, & miro ſuorum gaudio recipitur. Jam Conradi caſtra Henningam, haud procul à Brunſwico moverant, cùm adfertur, Leonem in urbem adveniſſe paratum ad vim defendendam. Eo nuntio Rex ab obſidione revocatus, Goslariam retro abiens, dimiſit ſuos ad hiberna, ut brumæ inſolentis rigores vitarent.

Robert. de Monte.

An. Christ. M.C.LII.

XXII.

Conradus Rex veneno sublatus.

De reſumendis armis & Italicâ profectione, ad capeſſenda Imperij inſignia, ſeriò cogitantem, languor lethalis intercepit, ſerpente ſenſim peſte, quæ credita propinata ab Italis Medicis, Rogerij Siculi auro corruptis, quorum operâ in curandâ valetudine utebatur. Cùm mali lentitudo animi robur nihil minueret, & vires gerendæ Reipub. non impares ſupereſſent, placuit Babenbergæ habere comitia, ubi cum multorum mœrore rebus humanis ereptus, ſemper ſui ad exitum uſque ſimilis, retinénſque magnanimitatis, 15. Cal. Martij vivere deſijt, Princeps in primis bonus, magnum religionis columen, propugnator æquitatis, imperterritus ad pericula, nunquam niſi aliorum flagitio devictus. Auguſtalem ornatum, non ſuo admodum impuberi filio, & faſcibus adhuc impari Friderico; ſed nepoti Ahenobarbo, quem nôrat imperio maturum, commendavit. Demortui funus, contra domeſticorum ſententiam, qui deportandum cenſebant in gentile Laurisheimij mauſoleum, Babenbergenſes ſibi vendicârunt, honeſtiſſimum rati, tanti Principis exuvias juxta D. Henrici tumulum, qui nuper ab Eugenio Pontifice in Sanctorum album fuerat relatus, regio more collocari.

Otho Friſi. 2. c. 2. Gunther. lib. 1. Criſpin.

Fridericus Ahenobarbus Rex eligitur.

Novendecim, non amplius, dierum interregnum fuit. Tertio Non. Martias omnes Germanici regni Ordines, cum nonnullis Italiæ Proceribus, Francofurti congreſſi, ſummâ omnium voluntate, Fridericum Ahenobarbum, Suevorum Ducem, Regem ſalutârunt. Tantæ conſenſionis rationem hanc reddidêre ſcriptores, quòd paterno ſanguine Gibellinis, materno, quem ex Judithâ Welfonis ſorore traxerat, Guelfis eſſet conjunctus, eóque crederetur, tollendis factionis utriusque diſſidijs aptiſſimus: quippe qui ambabus æquali neceſſitudine cohæreret. Operæ pretium, hoc loco non prætermittere, quod à pleriſque omiſſum Amandus, Friderico ab arcanis Epiſtolis, cum fide miſit in chartas. In comitio Francofordienſi ſex aut octo, non plures conſederunt è Principibus, duos idem vocat regni officiales, qui factâ rogatione de Friderico cooptando, ſuffragiorum jus ſibi præcipuum vindicârunt, quíque cæterorum Procerum, qui frequentes aderant, ſepoſito judicio, ubi in publicum egreſſi, Fridericum renuntiârunt abs ſe Regem creatum, cum cæterorum approbatione ſunt auditi. Quo ritu ſpecies aliqua proditur priſci juris & modi Regis eligendi. Factâ Auguſtali electione, dimiſſi plerique Principes, reliqui, haud magno numero, Aquiſgranum profecti, Friderici inaugurationem honeſtârunt mediâ magni jejunij Dominicâ. Sacras cæremonias adhibuit Arnoldus Pontifex Colonienſis. Pompâ peractâ, Rex animi ſui ſenſa, de legatione Romanâ, Regni proceribus aperuit. In urbem miſſi, Hillinus Trevirenſis Archiepiſcopus recens electus, nondum ſacris Pontificalibus initiatus, & Eberhardus Babenbergenſis, uterque prudentiâ & eruditione eximius. Poſterior erat è Bojariæ Dynaſtis, qualis etiam fuit Guicmannus Comes Deggenbergius, vir ætate maturâ, qui hoc anno ex Cicenſi Epiſcopatu provectus eſt ad Archiepiſcopatum Magdeburgenſem, adnitente Ahenobarbo: quam rem Eugenius Pontifex Max. velut ſacris legibus repugnantem vehementer improbavit. Evicit tamen apud Anaſtaſium Eugenij ſucceſſorem interceſſio Friderici, ut iſta pro-

Modus electionis.

Amand. lib. de primis actis Friderici. Gevol. lib. de ſac. Rom. Imp. Septemv. p. 130. 132.

XXIII.

Legatio in urbem.

promotio rata haberetur. Idem, hoc anno, Ratisbonæ regiam coronationem repeti voluit in æde S. Emmerammi, quia agi non potuit in Cathedrali basilicâ, quæ 15. Cal. Mart. unà cum quinque alijs arserat: quo incendio aliquot plateæ fuerunt involutæ. Subinde duo Henrici Boicæ competitores Herbipolim, ad dicendam causam, citati sunt: sed cùm Austrius, semel iterum vocatus, vadimonium deseruisset, nihil tum potuit confici. FRIDERICI SECUNDA CORONATIO. LIS AB HENRICO LEONE IN AUSTRIUM INSTAURATA.

Nihilo plus actum Wormatiæ, cùm ad ferias Pentecostes comitia agerentur, Austrio negante, sibi diem esse dictam ex legum præscripto. Acta rursus eadem causa mense Septembri Ratisbonæ, sed neque tunc peracta: ne tamen nihil ageretur, Fridericus, qui nuper, agentibus sedis Apostolicæ legatis, ab Adelhaide Vohburgia uxore, sanguinis nexu propiore, quàm ferrent matrimonij leges, conjunctâ, diverterat, consuluit Proceres, de secundâ in thori societatem adlegendâ, déque mittendis ad Manuelem Constantinopolitanum legatis, qui ejus auxilia polcerent adversus Guilelmum cognomento Malum, qui recèns Apuliæ & Siciliæ dominatum, Rogerio patre defuncto, invaserat. Decembri mense, Boica lis denuo in Spirensi conventu ad Cæsaris tribunal evocata: sed quia neque tum Austrius comparuit, Goslariæ tandem, edicto vocatus neglig ensque vadimonij, damnatus est, & ex Principum sententiâ, Henrico Leoni victoria litis asserta est, cujus tamen fructum antè non tulit, quàm Ahenobarbus ex Italiâ revertisset. AN. CHRIST. M. C. LIII. FRIDERICI AB UXORE DIVORTIUM. XXIV. SECUNDUM LEONEM FINITA LIS.

Hanc profectionem sub regni initium in se receperat, pollicitus, se intra biennium fore in procinctu. Ergo contracto ad eam rem, per otium, potente exercitu, Henricum Leonem, florente juventâ Principem, & Welfonem ejus patruum voluit secum venire in partem expeditionis. Redux è Saxoniâ in Bojariam, in campis Lycatibus ad Vindelicorum Augustam copias recensuit sub ineuntem Octobrem. Inde progressus per fines Brixinensium & vallem Tridentinam, legiones exposuit in agro Veronensi ad Gardæ lacum. Hìc factus certior, militem in Alpium transitu, deficiente commeatu, ex prædis consuluisse necessitati, nec abstinuisse manum ab Ecclesiarum spolijs, jussit à toto exercitu conferri viritim, quantum satis esset ad damnorum æstimationem, idque per Tridentinum & Brixinensem Episcopos ad loca rebus spoliata referri, ratus, se nisi placato cœlo, expiatóque sacrilegio, nihil à DEO posse prosperum expectare. Mense Novembri, in Roncalijs ad Padum, haud longè à Placentiâ, castra habuit. Is locus solennis conventibus, quoties Transalpini Reges in urbem, ad capessendam Augustalem coronam proficiscebantur. Isthic moris erat, singulos Regum clientes, regia beneficia profiteri hoc ritu. Ex prælongo hastili scutum suspendebatur, & præconis voce beneficiarij omnes ad proximæ noctis excubias citabantur: quisquis isti obsequio deerat, censebatur clientelæ recognitionem neglexisse; hoc ipso exuebatur clientelari jurisdictione, sive sacra foret, sive profana. Atque ita tum quidem nonnulli Episcopi censi sunt in *commissi* (ut vocant) pœnam incurrisse: in quibus Hartwicus Bremensis & Ulricus Halberstattensis, salvo tamen Ecclesiarum jure, quibus ea beneficia perpetuo nexu devinciuntur. EXPEDITIO ITALICA. AN. CHRIST. M. C. LIV. FEUDORUM IN RONCALIIS RECOGNITIO.

Secuta est obsidio Dertonensis. Dertona haud longè à radicibus montis Apennini, è prærupto supercilio subjectam planiciem prospectans, validâ murorum turriúmque coronâ minax, suburbio declivi præmunita, Mediolanensibus Friderici hostibus amica, inimica Papiensibus, jussa fœdus abrumpere, negavit se, desertis socijs, Papiæ accessuram. Quamobrem à Friderico proscripta, rigente adhuc Februario cœpit obsideri. Præmissi ad exploranda oppidi munimenta, locúmque expugnationi deligendum, regius Aquilifer Otho Wittelspachius, qui à rerum gestarum gloriâ Magni nomen consecutus, Bojariæ imperavit, & Bertolfus Dux Burgundionum, cum expedito equitatu. Hi Taneram flumen transgressi, haud procul ab ejus ripâ tetenderunt. Capta mox primo insultu suburbia. In urbe curabant viri fortes, quos Mediolanum submisit, quive ultro famam militaris fortitudinis aucupabantur, è quorum numero, Opitius Marchio Malaspina. Regis exercitus trifariam divisus. Fridericus stativa habuit ad occidentem: Henricus DERTONENSIS OBSIDIO. XXV.

cus Leo in suburbio ad meridiem è regione Apennini: Papienses subsidiarij, pars ad Orientem, pars ad Aquilonem. Obsessi accurato cinctu, ne quà foret spes exitûs, circumvallati, receptiq; intra mœnia tantâ multitudine, ut redacti in angustum, carcere clausi viderentur. Muris verberandis adhibitum omne genus machinarum. Obsessis, ex oppugnationis difficultate crevit audacia, & ex necessitate alacritas resistendi. Fecêre crebras eruptiones Marte vario, quibus cæsi duo juvenes genere illustres, Cadolus domo Bojus, & Joannes Saxo. Complures vicissim ex oppidanis, partim saxis in urbem per catapultas projectis, partim in velitaribus pugnis occisi, nonnulli etiam capti, & fractâ gulâ necati. Sed nullâ re graviùs urgebantur, quàm siti, quòd Henricus Leo eos aquatione prohiberet adempto rivo, qui suburbium perfluebat. Puteum, quo subinde sitim irritabant veriùs, quàm sedabant, Papienses fecêre inaccessum. Castrum vicinum Mediolanensis imperij, admotis per nocturnas tenebras scalis, ab Othone Wittelspachio & Bertoldo duce occupatum. In longum ducebatur obsidio, cùm Fridericus motus sacri religione temporis, tribus postremis sanctioris hebdomadæ diebus, cessavit ab impressionibus. Clerus urbanus hâc usus occasione, ipsâ die Parasceves, ordine mœsto, sacro indutus cultu, instructus thuribulis, prælato crucifixi signo, portis egressus, ad Regis tentorium procedebat ritu supplicantium, lamentans, quòd nullius affinis culpæ, intolerabiles pœnas pateretur. Venientibus Fridericus misit obviam, qui

XXVI. juberent in urbem redire. Post quatridui cessationem, integrata oppugnatio, in ternas adhuc septimanas est producta, quando oppidani, ultimis fracti malis, fecêre deditionem. Deditis facta venia vitæ & libertatis: urbs direpta & vastata flammis. Papienses, suum ut studium Friderico probarent, rogârunt, ut Papiam, regni quondam sedem, Dertonensi triumpho illustraret. Annuit Fridericus, ut, quorum causâ & auxilio rebelles debellaverat, aliquo victoriæ fructu recrearentur. Triumphans ingressus est 10. Cal. Maij, inter festas acclamationes, & diademate redimitus, sceptrúmque gestans, in D. Michaëlis æde victoriam Deo est gratulatus.

Dertona dedita, expilata, incensa.

Triduo isthic exacto, iter Romanum ingressus, cùm à Placentinis mœnibus arceretur, omissâ obsidione, tantâ celeritate movit in urbem, ut Hadrianus Pontifex, qui Anastasio successerat, anxius, amicus, an hostis veniret, obviam miserit Legatos, qui juramentum de præstanda Romanæ Ecclesiæ tutelâ exigerent, posceréntque sibi dedi Arnaldum hæresiarcham, qui in exercitu versabatur. Traditus urbis præfecto, resti addictus & igne consumptus est. Sutrium Fridericus promoverat, ubi Adrianus è munitissimâ Castellanæ civitatis arce, in quam se metu adventantis receperat, cum convenit, nec priùs admisit ad pacis osculum, quàm equum conscensuro, quod primo aditu omiserat, veteri more, scandulam ephippiariam tenuisset, fecisśetque reverenter, quæ ex antiquis monumentis demonstrata sunt, Reges olim Christi Vicario honoris causâ præstitisse. Præmissus equitatus, qui Adriani permissu, confestim D. Petri basilicam & urbem Leoninam occuparet, ne Arnaldistæ, quorum arrogantem legationem Fridericus cum stomacho erat aspernatus, res novas molirentur, & urbis aditum redderent intutum. In eam, ductu Octaviani Cardinalis, cum Adriano per portam auream progressus, 14. Cal. Junij in Apostolorum Principis æde coronam cæteráque Imperij insignia suscepit, Senatu Populóque Romano, neque consulto, neque ad eam celebritatem invitato. Quod ubi rescitum in urbe, populus actus in furorem, facto in Germanos impetu, qui in Leoninâ remanserant, atrociter conflixêre. Multi utrinque cæsi. Cæsar ad tumultum excitatus, correptis confestim armis accurrit, graviter ulturus injuriam, nisi Adrianus, impetratâ delicti veniâ, iratum mitigâsset. Pugna ab horâ diei decimâ in noctem producta. Capti è Romanis ducenti, innumeri sauciati, mille plùs minùs mersi in Tiberim & præfocati. Henrici Leonis virtus, eâ die, factis illustribus emicuit, dum, fortissimè pugnans, inter primos Hadriano movit admirationem, à quo cum magnâ commendatione amplissimis

Anonym. de rebus gest. Adriani. Vide Baron.

XXVII. *Adriani Pont. cum Friderico congressus.*

Romanus tumultus. Henrici Leonis egregia fortitudo.

mis præmijs est donatus. Cùm urente jam æstate morbi Germanis incumberent, ducti sunt in montes Tiburtinos, ubi aëris salubritate & medicamentis sunt recreati. Regiones confines annonam præstabant; soli Spoletani officio defuerunt. Quam rem Cæsar indignatus, castra Spoleto admovit, ausósque cives factâ eruptione in Germanos incurrere, non modò retudit, sed etiam recurrentes insecutus, superatis vallis, portas invasit. Civitatem miles diripuit: quæ antè, quàm præda posset exportari, conceptis temere flammis magnam partem est excisa. XXVII. SPOLETUM CAPTUM, INCENSUM.

Revertenti in Germaniam, soli post hæc Veronenses infesti fuerunt. Moris erat antiqui, ut Cæsaribus Athesin trajecturis, pontem sternerent; straverant quidem, sed eâ fraude, ut ponderis impatiens, maléque compactus, facilè à prægravantibus solveretur, & transeuntes in flumen excuteret. Sed non processit dolus. Exercitus incolumis in adversam ripam evasit. Veronenses, qui, si pons vitium fecisset, postremum Cæsarianorum agmen lanienæ destinaverant, pars intercepti, pars, ponte fatiscente, in flumen effusi. Gravius fuit certamen ad Pylas Veronenses. Sunt fauces, quas uno latere Athesis impetu per confragosa decurrens, ex altero, imminens amni rupes, cogunt in arctum angusto calle in medio relicto, quem si à fronte, vel è prominente caute pauci infestent, totos exercitus arceant, & impune saxis obruant. Rupis supercilium Albericus Veronensis eques, cum quingentorum latrunculorum globo, insederat. Primo die, anterius nostrorum agmen sine maleficio transmisêre: luce posterâ coorti in secundos, iter provolutis è monte saxis intercipiunt. Quâ de re Cæsar factus certior, Isaacium & Garzabanum Veronenses, nobili natos sanguine, qui eum in urbem secuti, nondum ab exercitu discesserant, mittit, qui popularibus suadeant, ut ab incœpto desistant. Verùm lapidibus fuêre salutati, rejectíque. Missi rursum alij, fuêre irrisui, jussíque Imperatori referre, neminem illac transiturum, quin priùs equo, vel loricâ & ære non modico transitum emisset. *Turpe est*, inquit Cæsar, *Principem latronibus pendere tributum: virtute via aperienda est.* Tum conversus ad Wittelspachium: *Tuæ*, ait, *erunt partes, hanc prohibere ignominiam.* Operam hilariter pollicito, sociati ducenti juvenes notæ fortitudinis, quidvis pro gloriâ ausuri, omnes gladijs & hastis armati. Alacres iter ingressi, rimantur occultos aditus, & quà perreptando per abrupta, quà invicem succollando, quà compositis in modum scalarum hastis, ad rupis fastigium inobservati enituntur. Hîc Otho vexillum explicuit, eóque ostendit, verticem esse occupatum. Tum totis castris sonuere tubæ, aciésque in latrones instructa: quod illi, inane terriculum interpretati, pro ludo habuerunt. Verùm, ubi generosa cohors in apertum prodijt, territi, consilium à pedibus mutuati, quà cuique turbata mens suadet, hac illac sparsi dispalatíque, per abrupta diffugiunt, præcipitijs eliduntur, fractísque casu artubus vel hærent inter cautes, vel debilitati membris, in ima devolvuntur semianimes. Qui audaciores, in vestigio obtruncati, præter duodenos, qui cum Alberico captivi rapti sunt ad Imperatorem, omnes gulâ fractâ interempti, unico excepto (Gallus eques fuit) qui, cùm probâsset, se per fraudem in latronum societatem esse protractum, in socijs plectendis, carnificis officio functus est. Wittelspachij virtus miris celebrata laudibus, ex heroico facinore cepit omen assurgendi ad fortunam longè illustrissimam.

VERONENSES FRIDERICO INFESTI.

CERTAMEN AD FAUCES VERONENSES.

XXIIX.

Fridericus redux in Boicam, in Comitijs Ratisbonensibus, Henrico Austrio abdicato, Henricum Leonem in paterni Principatus possessionem induxit Idib. Octob. jussitque, Bojariæ Proceres, datis obsidibus, ei dicere sacramentum: subinde in Wormatiæ conventu ad Domini natalem, sumptum supplicium de quibusdam, qui Friderico absente, quietem publicam turbaverant. Quâ de re publicè postulati Arnoldus Archiepiscopus Moguntinus & Hermannus Palatinus, compertique, ob privatas inimicitias, Rheni con- HENRICUS LEO BOICI PRINCIPATUS ADIT POSSESSIONEM.

sinita prædis, cædibus, & incendijs miscuisse. Eos ignominiâ notari placuit veteri Francorum & Suevorum more, qui pro lege habebatur. Qui genere illustris, reus capitis agebatur, antequam pœnas daret, ad augendum dedecus, canem ad aliquot passuum millia gestabat. Eam consuetudinem Fridericus, ad sanciendam antiqui moris disciplinam, jussit in usum reduci. Severitatem tamen temperavit Ordinis sacri & senectæ reverentia in Arnoldo, ne ipse produceretur ad publicam ignominiam, sed ejus loco Ludovicus Lohimus, Guilielmus Glizbergius Comites, aliique canem portarent: qui simul atque eâ formâ prodierunt, jussi sunt infames sarcinas deponere: Palatino verò ad quatuor passuum millia, unà cum culpæ affinibus, Emichone Liningensi, Godefrido Spanheimensi, Henrico Catzenelenbogio, Conrado Kirchbergio, Henrico Dietenio Comitibus, & alijs compluribus, cum eo dedecore fuit procedendum. Id pœnæ genus ab ipsâ Numæ Pompilij lege, viri eruditi accersunt, quæ sic habet: *sei quis hominem liberum imprudens, seu dolo malo occisit, pro capite occisei & nateis ejus, in concione arietem subjcito.* Hermanni Palatini genus non satis comperio: cum, Otho noster scribit, *magnum fuisse Imperij Principem:* Trithemius, *virum per omnia gloriosum* deprædicat.

Dodechin. POENÆ TURBATORUM PUBLICÆ QUIETIS.

Anton. August. Otho lib. 2. c. 38. Spanheim.

XXIX. AN. CHRIST. M.C.LVI. PAX INTER HENRICUM AUSTRIUM ET HENRICUM LEONEM. *And. Presb. pag. 60.*

Cæsar Wormatiâ in Bojariam regressus, Pentecosten egit apud Othonem Wittelspachium Kelhaimij, uti quidem visum est Aventino, & Henricum Austrium denique induxit, ut Henrico Leoni cederet Boicæ Principatum. Quæ res Cæsarem sic affecit, ut negaret, se omnibus retrò annis, unquam meliùs de Repub. meritum fuisse, quàm reductis in concordiam magnis istis Principibus, qui haud levi rei communis incommodo diffidebant. Austrium possessione gratis non abijsse, Annales domestici profitentur. Ut enim Ducis titulos retineret, Imperator in Comitijs Ratisbonensibus 6. Id. Septemb. *Marchionatum Austriæ, ab antiquâ Bojorum jurisdictione exemit, & quosdam ei Comitatus adjungens, convertit in Ducatum, judiciariam potestatem Principi Austriæ ab Anasso, usque ad sylvam propè Pataviam, quæ dicitur Rosental, protendendo.* Etenim ad id usque temporis Marchiones Austriæ, Stiriæ, Istriæ, & Chambensis, sive Vohburgius, pertinuerant ad Ordines Bojariæ, neque ijs licebat à Bojarijs comitijs abesse, quoties à Duce vocabantur. Diploma hâc super re descriptum est ab Andreâ Presbytero Ratisbonensi, ex quo manifestè apparet, Henrico Austrio, & ejus ex Theodorâ liberis, Austriam liberi Ducatus nomine esse transcriptam.

AHENOBARBI NUPTIÆ CUM BEATRICE BURGUNDA.

XXX.

Rebus ad eum modum in Boicâ compositis, Ahenobarbus Wirceburgi, in magnâ Principum frequentiâ, & effusis in regiam magnificentiam opibus, Beatricem, Reinaldi Burgundionum Comitis filiam, natam ex Judithâ Simonis Lotharingorum Ducis prole, nuptam duxit. Porrò quia præstantissimus reliquiarum thesaurus è D. Ursulæ Sodalibus, studio atque religione Serenissimorum utriusque Bavariæ Ducum, uno, antequam hæc scriberemus, circiter sæculo, in urbem Monacensem, aliáque Boicæ loca est importatus, facere non possum, quin earum reliquiarum faciam mentionem. Anno M. C. LVI. cœpêre solito celebriùs honorari. Cùm multa apud Agrippinenses è saxo monumenta, titulique complures proferrentur in lucem è loco martyrij, atque in ijs essent inscriptiones complures, quæ Episcoporum aliorúmque nomina præferebant, incessit multorum animos religio, rem nondum satis exploratam certâ ratione cognoscendi. Gerlaco Abbati Tuitiensi suborta dubitatio, num fortè fossores, quæstus causâ, tales inscriptiones affixissent. Quare descriptos titulos ad Elisabetham Schonaugiensem, cui ex Cœlitum consortio multa pandebantur, curavit perferendos, ut, si quid divinâ mentis incitatione, vel arcano lumine innotesceret, id certiùs ex ejus notitiâ condisceret. Commodùm Hilduinus Schonaugiensis Abbas duo corpora, ex istâ Martyrum sodalitate, operâ Gerlaci Tuitiensis impetraverat. Unius è Divis nomen agnitum ex sepulchri lemmate, S. VERENA VIRGO ET MARTYR. In alterius cognitionem

D. URSULÆ ET SODALIUM RELIQUIÆ.

tionem venisse se scripsit Elisabetha. Enimvero se, cùm reliquiarum pompa Schonaugiensi basilicæ appropinquaret, harum aliàs prorsus insciam, sedisse domi, & eâ parte animi, quæ mentis est & contemplationis, divinitus illustratam vidisse, quà incedebant reliquiæ, globosam eximij candoris flammam, cui Angelus antecedens thuris halitum & odoramenta adolebat: postridie verò, inter rei divinæ mysteria, obtulisse se videndam B. Verenam, atque collocutam de socio martyre, ac de se ipsâ, & nomen aperuisse suum, sociúmque appellâsse Cæsarium: qui & ipse, cùm se aspectabilem dedisset, docuerit, se ex ordine militari, permotum exemplo Verenæ Martyris, ad eandem cum ipsâ adspirâsse palmam. Unde cognitum, eam sodalitatem, non ex fœminis tantùm, sed etiam ex viris coaluisse, cùm eousque ex Britannicarum Virginum historiâ esset vulgò persuasum, beatam istam Martyrum classem absque virorum comitatu navigâsse. Narrat inde Elisabetha, sub D. Andreæ Apostoli annales ferias, tria Martyrum corpuscula ex D. Ursulæ comitatu Schonaugiam fuisse translata: cúmque solita vis in sacrificij silentio mentem à sensibus abstraxisset, objectam sibi speciem viri valde augusti, & duarum Virginum, & mox agnovisse, harum pignora esse, quæ recens Coloniâ advenerant: invitante verò S. Andreâ, ab ijs sciscitatam didicisse, Adrianum fuisse nomen regali puero, qui decennis pro Christo passus esset martyrium: Virgines verò Albinam & Emmerentianam sorores, Aureliani Comitis fuisse filias. Quæ eò descripsi libentiùs, quòd pietatis interest, ejusce sodalitatis Lipsana magno in pretio atque veneratione in Boicâ celebrari.





BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER XXII.


Fridericus Barbarossa cum Adriano Pont. collisus. Schisma amplectitur, rebúsque in Italia variâ fortunâ gestis Ecclesiæ reconciliatur. Cremam subigit. Mediolanum bis superatum exscindit. Episcopos Sedi Apostolicæ fidos, exilijs, aliísque malis affligit. Henricum Leonem proscribit. Bojarij schismatis exortes. Res gestæ ab Othone & Conrado Wittelspachijs. Concilium Turonense. Pseudosynodus Papiensis. Mechtildis Diessensis. Everhardi Salisburgensis, Arnoldi & Gerohi Reicherspergensis, Conradi Salisburgensis obitus & res gestæ. Monacensis urbis origo.

An.Christ. M.CLVII.

Leonstadii origo.

Legatio Constantinopolitana.

I.



Enricus Leo missus in Boicæ possessionem, conventum habuit Ratisbonæ, in quo tum publicas, tum privatorum causas ordinavit. Inde profectus in Saxoniam, Leonstadium, urbem de suo nomine appellatam, cœpit à fundamentis excitare: Lubecam etiam ex incendij cineribus ad eam eduxit amplitudinem, cui posteri addidêre splendorem & opes, quibus possit hodie inter egregias urbes habere locum. Fridericus Imperator, bello Polonico ex animi sententiâ confecto, & Boleslao ad obsequium concordiámque, ad speciem saltem, reducto, Herbipoli Manuelis Constantinopolitani Legatos audijt, hoc nomine ingratos, quòd nimio fastu verborúmque phaleris, Græcum tumorem vanitatémque ostentâssent. Eos cum aculeato responso erat dimissurus, nisi ipsi precibus lachrymisque veniam exorâssent. Munera attulerant ab Irene Imperatrice, Conradi Regis sorore ad Fridericum Sueviæ Ducem, ejusdem Conradi filium peradolescentem, Manuelis nomine poscentes, ut ipsis præsentibus, quod celebri pompâ fieri consueverat, publicè armis accingeretur. Octobri mense Cæsarem, Vesontione in Burgundiâ agentem comitia, convenêre ab Adriano Pont. Legati, expostu-

expostulatum, quòd Cæsar nondum ab ijs exegisset pœnas, qui Londoninensem Episcopum, Româ redeuntem, impiè violatum, rebúsque spoliatum in vincula conjecissent, quibus ille ne tum quidem esset solutus. Simul allatæ ex urbe litteræ, quibus Pontifex Ahenobarbum officij commonefaciebat, ostendens, eum *constantiùs* in istius facinoris *ultionem exsurgere debuisse: sed dici, ita dissimulâsse crimen, ut non esset, cur sacrilegos pœniteret in tantâ sceleris impunitate. Ejusce dissimulationis & negligentiæ causam se penitus ignorare, cùm sibi non esset conscius admissæ ullius in Cæsarem offensæ, sed ejus personam, sicut charissimi & specialis filij & Principis Christianissimi, quem in Apostolicæ confessionis petrâ non ambigeret* DEI *gratiâ solidatum, sincerâ semper dilexerit charitate, & debitæ tractaverit benignitatis affectu. Debere eum ante oculos mentis reducere, quàm gratanter & quàm jucundè, anno superiore ejus mater sacrosancta Romana Ecclesia ipsum susceperit, quantâ cordis affectione tractaverit, quantam dignitatis plenitudinem contulerit & honoris, & qualiter imperialis insigne coronæ libentissimè conferens, benignissimo gremio suo ejus sublimitatis apicem studuerit confovere, nihil prorsus efficiens, quod regiæ voluntati vel in minimo cognosceret obviare, neque tamen pœnitere Adrianum, desideria Cæsareæ voluntatis implevisse, sed si majora de ejus manu beneficia suscepisset, si fieri posset, quòd considerans, quanta Ecclesiæ* DEI *& Adriano per eum incrementa possent & commoda provenire, non immeritò gauderet.* Hæc ferè ad verbum ex Adriani Epistolâ visum est recensere, ut appareat, quàm levi momento, unica mentio acceptorum beneficiorum, ex sinistra Cæsarianorum interpretatione, versa sit in fomitem gravissimi incendij, quo deinde Christianus orbis exarsit. Quantò magis fuisset Christianæ prudentiæ & reverentiæ consentaneum, unam alteramve dictionem, uti debebat, pro supremi Ecclesiæ capitis optimâ mente, interpretari? Interpretatus verò est anno sequenti Adrianus, Friderico explicans mansuetudine prorsus Apostolicâ, se istas voces *Beneficium*, non pro feudo, ut vocant, sed pro benefacto, & *conferre coronam*, non pro dare pleno jure, sed simpliciter, pro imponere coronam, accepisse. Verùm ubi priores litteræ à Reinaldo Imperij Cancellario in publico Principum consessu fuerunt recitatæ, & detortæ in sequiorem sensum, quasi Adrianus Imperium, clientelare Romanæ sedis beneficium duceret, Cæsar senatúsque universus ad eam explicationem cohorruerunt. Horrorem & invidiam exaggeravit pictura in Laterano suspensa, quâ Lotharij Cæsaris inauguratio repræsentabatur cum hac inscriptione:

Rex venit ante fores jurans priùs Vrbis honores,
Pòst homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Quam poetæ insulsam ostentationem Fridericus ab amicis monitus, cùm postulâsset expungi, tamen Pontifex nondum curârat inducendam. Atque hoc ipsum in eo, quem dixi, conventu acerbissimis sententijs traductum est, quasi tabella servaretur, velut index & monumentum Pontificiæ potestatis in Romanum Imperium. Id cùm Proceres liberrimis vocibus palàm abominarentur ut nescio quod argumentum servitutis; fertur, ardenti jam foco oleum affudisse legatorum alterum, (Radewicus rem ut incertam narrat) cùm & ipse paulò commotior in has voces erupit: *A quo ergo Imperator habet, si à Domino Papa non habet imperium?* atque isto quidem dicto sic accendisse Principum iracundiam, *ut Otho Palatinus Comes de Bajoariâ (ut dicebatur) propè exerto gladio, cervici illius mortem intentaret*: sed hæc Radewici dubitatio eam narrationis partem, & Othonis factum valde reddit ambigua. Hæc verò sunt extra dubium. Primum quidem, quòd Romanorum Jurisperitorum nonnulli jam tum Imperij dignitatem conabantur deprimere: deinde, quòd Pontificis Legati, postero manè, postquam hæc erant in Senatu gesta, cum Friderici stomacho & indecorè jussi sunt rectâ abire Romam, & nusquam declinare à viâ, ad ullum Episcopum vel Abbates, quasi hoc jubere esset in Imperatoris arbitrio. Constat etiam, Fridericum litteris circularibus omnes Principes & Episcopos, adversus Legatos ipsúmque Pontificem, tristibus querelis & supra modum aculeatis accusationibus concitâsse, reos egisse mendacij, & damnâsse velut

QUERIMONIÆ ADRIANI PONT. DE CÆSARE.

II.

LEGATI PONTIFICIS DURITER HABITI.

velut *divinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarios, quicunque Cæsarem dicerent, Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papâ suscepisse.*

An. Christ. M. C. LIIX

Quam ob rem Adrianus Pontifex, anno sequenti, ut frigidam Apostolicâ lenitate & sapientiâ affunderet, & errantes in viam reduceret, eam, quam dixi, interpretationem adhibuit, ostenditque, se in superioris anni litteris, nihil scripsisse à Cæsaris dignitate alienum, si rectè & sapienter ipsius dicta acciperentur. Visus quidem Cæsar eâ moderatione iras posuisse; sed quæ postea contigerunt, ejus sententiam bilémque prodidêre. Supererat injuria, quâ se Sedis Apostolicæ legati Cardinales Rolandus & Bernardus Vesuntione affectos, Romæ in purpuratorum senatu sunt graviter conquesti. Accusatio inprimis Othonem Wittelspachium incessebat: atque is quidem in Italiam jam abiverat, ut Cæsari brevi secuturo præmuniret iter. Atqui Reinaldus Cancellarius (quod notavit Radewicus) quia pacatè cum legatis egerat, & fuerat author pacis retinendæ, non erat, cur ejus nomen traduceretur: etenim omnium, qui adfuerant, testimonio constabat, nihil eum, nisi modestè locutum, & verò etiam Legatis pro viribus adstitisse, ne à concitatâ multitudine violarentur.

III.

Ahenobarbi profectio in Italiam.

Cæterùm Germaniæ Antistites, adnitente Henrico Leone, Adriano rem, ut erat gesta, unà cum Friderici responso cum fide retulerunt, &, dilutis molli refutatione Legatorum querelis, rogârunt, ut, quæ essent partes sapientissimi pastoris, Fridericum leni majestatis temperamento revocaret ad sedatiora, tolleret ex hominum conspectu Lotharianæ coronationis effigiem, aboleret inficetos barbari poetæ versus, efficerétque, ne cum Reipub. Christianæ perturbatione summa orbis capita colliderentur. Inter hæc Fridericus in campis Lycatibus, prope Vindelicorum Augustam copias præstolabatur, mox in Italiam moturus. Eò certatim confluxit è Bojarijs, Suevis, Franconibus, Saxonibus, Burgundionibus, Lotharingis Ripuarijs, Ungaris, Bojæmis (quorum Ducem Cæsar recèns auxerat regiâ dignitate) flos juventutis cum bellico omnis generis apparatu. Pontifex de periculo belli imminentis factus certior, ex mente Germaniæ Præsulum, litteras scripsit ad Cæsarem plenas humanitatis, quibus oblitterare visus est, quicquid sequioris suspicionis ex priorum rerum ambiguitate adhæserat: simul misit legatos, eximiæ moderationis & industriæ, qui singulari in tractandis animis dexteritate, gliscentis discordiæ scintillas extinguerent. Hi fuêre, Henricus SS. Nerei & Achillei, & Hyacinthus S. Mariæ in scholâ Græcâ Cardinales. Mutinam progressi, cum Othone Wittelspachio & Reinaldo Cancellario honoris causâ congressi, miram de se suáque legatione spem concitârunt. Ubi venêre in Tridentinam vallem, à Friderico & Henrico Comitibus, nullâ juris gentium & Alberti Tridentini, quo duce & comite utebantur, reverentiâ, per summum nefas, rebus omnibus exuti, dati sunt in custodiam: neque priùs dimissi, quàm Hyacinthus, Legatorum alter, fratrem obsidem dedisset. Id facinus Henricus Leo, ad quem omnis ista ditio pertinebat, dignis tantâ atrocitate supplicijs, in authores vindicavit. In Cæsaris castra delati, plena humanitatis omnia experti sunt. Reddidêre Cæsari Adriani litteras, quas Otho Frisingensis religiosè & appositè, ad tollendam superioris legationis invidiam, est interpretatus.

Legatio Pontificis ad placandum Cæsarem.

Legati violantur in Tridentina valle. Benigne a Cæsare excipiuntur. Cæsar Episcopos consulit de iustitia belli italici.

Jam erat Fridericus accinctus ad bellum Italicum, cùm, ne quid adverso Numine tentaret, Hartmannum Brixinensem Episcopum, virum præcipuâ famâ probitatis, cujus consilijs in rebus ad Deum spectantibus plurimùm utebatur, aliósque cœlitibus apprimè devotos, belli causis probè explicatis, seriò consuluit, videretúrne, cœlo invito, in Italiam trajecturus. Eorum fuit sententia, videri bellum cum bono Deo susceptum, & prosperè conficiendum. Wittelspachius interim & Reinaldus Cæsaris Legati, multa præclarè atque ex animi sententiâ gesserant, Deo utriusque cœptis adspirante. Etenim ambobus (quod Radewicus laudavit) inerat cum ætatis flore, formæ quædam gratia atque dignitas singularis, ingenij & animi eminens excelsitas, pectus ad pericula aheneum, laborum incredibilis tolerantia, amœnitas eloquentiæ, opum malè quæsitarum odium, bene quæ-

IV.

Res in Italia gestæ a Wittelspachio.

sitarum

sitatum liberalis effusio, laudis bonis artibus comparandæ ardens studium, curæ pervigiles, ne quicquam sibi indulgerent, quod posset ignosci. Hæ dotes ferè in utroque pares, cum eo tamen discrimine, quòd Wittelspachius à sacris liber, ferro, Reinaldus, adscriptus Clero, mansuetudine & misericordiâ potissimùm uteretur. Quibus studijs, ingentem sibi bonorum approbationem, militum benevolentiam, Imperio existimationem pepererunt. Magna laus est, quòd in hâc expeditione, nihil admodum memorabile gestum est, sine eorum virtute. Primo in Italiam ingressu, Rivolam, Veronensium arcem alpium faucibus incumbentem, naturâ loci insuperabilem, solâ nominis sui famâ, deditione occupârunt. Quæ res magno fuit emolumento, tum ad patefaciendum iter exercitui secuturo, tum ad exemplum urbium, quæ certatim in Cæsaris fidem concessêre. Initium fecêre Veronenses, pòst Mantua, inde Cremona; ubi cum Ravennate, Mediolanensi, & quindecim utriusque Provinciæ Episcopis collocuti, Proceres & Legatos vicinarum civitatum audiêre. Inde per Romaniolam & Æmiliam, nemine obsistente, profecti, lustrârunt Exarchatum Ravennatem, Ariminum, & ditionem Anconitanam, tantâ honorum magnificentiâ & populorum studijs suscepti, quantam multi antè Reges non fuerant experti. Ab ijs interim compertum, Palæologum Constantinopoli advenisse in oras maris Adriatici, & ingressum Anconam, specie legendi militis adversus Guilielmum Siculum; re autem verâ, ut, quod sæpenumero tentatum antè à Græcis, civitates maritimas auro corrumperet, traherétque in partes. Neque erat dubium, quosdam Italiæ Procerum, postea quam cum Palæologo capita contulerant, se largitionibus labefactandos dedisse. Complures ex his Otho, haud procul à Ravennâ, habuit obvios à Græcanico colloquio redeuntes, in quos commotior, stricto invectus ferro, nihil pensi habens, se numero longè esse inferiorem, Guilielmo Maltraversaro Ravennatensi, ejusce globi Primipilo, manus injecit, minatus, se eum in vinculis abducturum, cæteris Italis, ne ausis quidem mutire; tanta omnes trepidatio invaserat metúsque authoritatis, quâ Otho vice Cæsaris fungebatur. Hâc fretus, contraxit exercitum, castrísque ad Anconam positis, Græcos ad se evocatos multáque excusantes, oratione minaci jussit totius Italiæ finibus facessere: paruerunt illi sine morâ, lætique, se passos non esse graviora. PALÆOLOGI MACHINATIO.

Fridericus, coacto undique centum, & quod superat, millium exercitu, ut ea multitudo per alpium angusta faciliùs penetraret, copias quadrifariam partitus, totidem agminibus jussit castra moveri. Henricus Austrius, & Carantanorum Duces iter habuêre per Forum Julij, pérque fines Veronæ: Bertolfus Zäringensis, Burgundiæ Dux cum Lotharingis, per montem Jovium. Per Clavennam & lacum Cumanum, pars potissima Franconum Ripariorum, & Suevorum. Eos Cæsar cum reliquis legionibus est secutus. Venientes Brixia morari ausa, momento subacta, sexaginta obsides, & haud modicam æris multam dedit. Friderico proxima cura fuit, astringendæ certis legibus disciplinæ militaris. Tum lustrato exercitu, profectionis, quam nondum vulgaverat, reddidit rationem in hanc sententiam: *Divinum munus est, pro quo Numini debemus & habemus gratias immortales, quòd, in quâ versamur iniquitate temporum, & conditione Imperij, tantum in vestris animis cernamus fortitudinis atque prudentiæ, quantum in vobis præsidij, varia virtutis vestræ experimenta deinceps nos sperare voluerunt. Summa quidem rei penes nos est ministerium, sed penes vos Imperij firmamentum & consiliorum robur. Conjicere haud est operosum, tantos apparatus spectare bellum, sed non perinde promptum, nôsse belli causam, & contra quos sit sumptum. Nolimus cuiquam esse persuasum, arma nos pro libidine induisse, aut ingenio confictas inanitates belli causam habuisse, quod ijs crebrò contingit, qui ex occasione aucupantur gloriæ materiam, vel quos profunda ambitio, cupido spoliorum, odium implacabile, ad tristia vota cum internecionis gentium injurijs compellunt. Horum nihil nos patrijs sedibus excivit, simile nihil armavit. Mediolanum est, quod nolentes nos atque perinvitos per inhospita montium ad hanc belli necessitatem adegit. Superba Mediolanensium rebellio, nos à charorum amplexibus abstra-*

CÆSARIS INGRESSUS IN ITALIAM. V.

ORATIO AD MILITES.

abstraxit. Sacramentum dixistis Imperio, Imperij læsa est majestas, lacessimur injuriâ, quam si non depellimus, tam nobis erit probrosum, quàm si cognatum sanguinem, conjuges ac liberos, aras atque focos ab hoste appetitos ignaviter deseruissemus. Orationem excepit omnium alacritas & ardor nihil nisi arma spirantium. Actum deinde in militari senatu de ratione belli. Decretum inprimis, Mediolanenses non aggredi, nisi præmissâ clarigatione ad jus reposcendum obsequij debiti & justæ pœnæ, quâ sese obstrinxissent. Quam denunciationem prævertêre Mediolanenses, malè sibi conscij, & neutiquam dubitantes, totam belli vim suis capitibus imminere.

MEDIOLANENSIUM LEGATIO.

Miserunt ad Cæsarem viros prudentiâ & usu rerum præstantes, qui eum promissis, proceres verò largitionibus delinirent, cæteroquin arrepti propositi retinentes. Quamobrem re infectâ ad suos remissi, implerunt urbem solicitudine, imbellem turbam lamentis, senatum anxietate consiliorum, plerisque Optimatum sinistra de belli eventu augurantibus: quamquam, ut solet, non deerant decoctores obærati, audaces, rerum novarum amantes, quorum genio turbæ magis, quàm publicum otium, erant attemperatæ. Horum prævalente sententiâ, tota civitas arma corripit, urbana juventus describitur in centurias, populus omnis jubetur ad omnes

VI. casus esse in promptu. Ergo, desperatâ pace, à Cæsare Imperij hostes declarantur, indicitur Cæsarianis profectio ad obsidionem. Ut ventum ad flumen Abduam, cujus alveum alpinæ nives, in aquas resolutæ, supra solitum inundârant, apparuerunt in adversâ ripâ expediti mille circiter equites, parati Cæsarem transitu prohibere. Quæ res totum exercitum erat retardatura, nisi Boëmiæ Rex & Conradus Dachavius, contempto discrimine, per rapidum amnem imperterriti vadum monstrâssent. Ducentos, plus minus, undarum vehementia abripuit, Mediolanenses trepidi refugerunt in urbem, triste belli omen ex primo eventu reportantes. Cæsarianæ legiones, pars refectis pontibus, pars vado transmissæ. Mota castra ad Lambrum amnem, ubi Cæsar obvium habuit miserabile Laudensium agmen, auxilium implorantium contra vim, quâ ob servatam Imperio fidem, patriâ fortunisque omnibus se exutos querebantur, usque eò miseri, ut ne glebam quidem terræ haberent, in quâ calamitosi exilij sedem figerent. Fridericus eorum miseratus sortem, montem Egethionem, quatuor à Laude passuum millibus, uti rogabant, concessit cum egregio prærogativarum juriúmque additamento.

OBSIDIO MEDIOLANI

LAUDENSIUM QUERELÆ.

EGBERTI SCHARDINGENSIS TEMERITAS ET CÆDES.

Inter hæc Egbertus Dynasta Schardingensis, idémque Butinensis & Neoburgicus Toparcha, vir ingens animi bellóque bonus, Cæsaris injussu, ut virtutem ostentaret, suis auspicijs ad usque Mediolani portas excurrens cum millenariâ eâque nobili turmâ, exceptus est validâ civium multitudine. Pugnatum primò missilibus eminus, deinde ferro cominus, ordine adeò confuso, ut, cùm eques equiti hæreret, & pulvis visum dimicantibus penè adimeret, vix nôssent, quarum partium essent permixti pugnatores: cúmque in arctum commixtis neque locus esset receptui, neque copia fugiendi, cadendum erat in vestigio, aut cædendus adversarius. Vicit tamen hostium multitudo virtutem, jámque tota Egberti phalanx pellebatur, cùm ille, animadverso, è suis quempiam jumento effusum periclitari, obversâ fronte recurrit in pugnam, amicum cædi eripit, & incomitatus hostem rejicit usque ad vallum, nemine auso vim objicere, donec conglobati hominem circumfundunt, equo detractum, & loricâ cassidéque nudatum concidunt. Fama tamen fuit, captum ab hoste & raptum in urbem, manu carnificis fuisse immaniter obtruncatum. Ejus casum Reicherspergenses canonici, ipsius liberalitate locupletes, & Varnbacenses Monachi, qui eidem ejúsque majoribus sui cœnobij primordia & incrementa debent, vehementer doluerunt, justáque funebria tum ipsi, tum Eberhardo Witterunio ejusdem clienti, qui unà occubuit, fecêre. Cum ipso

VII. extincta est familia nobilissima Schardingensium Dynastarum. Commilitones, amisso duce, in castra reversos, iratus Cæsar acerbè reprehendit, duriùs in eos animadversurus, nisi supplicia destinantem exercitus supplex mitigâsset. An nescissent videlicet, disciplinam militarem præcipuum esse imperij stabilimentum,

RATIO HABENDA DISCIPLINÆ MILITARIS.

decús-

decúsque virtutis, ex cujus sinu manant triumphi, quâ sine, effrenes exercitus grex potiùs sint pecudum, quàm agmen bellatorum? Imperia certè esse militiæ vincula animámque præliorum. Quid tandem futurum sit, si miles centurionis, si centurio tribuni, si tribunus Imperatoris jussa non expectet; si quivis pro libidine ruat in discrimen? Quorsum sint in exercitu signa, nisi ut legionarij nôrint quonam sit eundum? quorsum castrorum distributi ordines, nisi ut quisque miles præstò sit ad nutum? Eò spectare contubernia, ut regantur à Decanis, à quibus custodiatur morum actionúmque mensura. Militem authorari, ut pro patriâ, pro Republicâ, non pro suâ libidine ferrum stringat, sed ad nutum Imperatoris. Verti in totius exercitus ignominiam & contemptum istorum feroculorum dedecus, quod omnino sit ultimis exemplis expiandum. Quam ad vocem, misericordiam inclamârunt circumstantes legiones, sine quo fuisset, ut minimùm temerarij facinoris authores ad pœnam capitis erant rapiendi.

Postridie, quàm malè conflixerant, (fuit autem dies Augusti quintus & vigesimus) Cæsar copias universas ad Mediolani obsidionem eduxit, castrisque locatis, ad singulas portas disposuit stationes. Urbani minimè segnes, animadverso, Conradum Rheni Palatinum Cæsaris fratrem, & Fridericum Suevorum Ducem, in extremâ castrorum parte à socijs remotiores, injuriæ esse opportunos, factâ post solis occasum eruptione, nihil tale metuentes adorti, vallo superato, disjectisque excubijs, cæteros jam ad quietem compositos eò necessitatis adegerunt, ut, nisi Bojæmiæ Rex, audito pugnantium fremitu, properatis auxilijs nutantes erexisset, luculentam cladem antè fuissent accepturi, quàm fugati Mediolanenses, ad suos se retulêre, multis desideratis, qui vel in vestigio ceciderunt, vel vivi venerunt in Cæsarianorum potestatem. Haud pauciores vulneribus debilitati redierunt in urbem. Aliâ ex parte Otho Wittelspachius, cum fratribus Friderico & Othone juniore, civitatis portam obvallaverat. Notavit die quadam urbanas vigilias solito infrequentiores: proinde capto in arenâ consilio, calonum turbam jubet aridos lignorum fasces aliámque incendij materiam habere in promptu, & signo procurrendi accepto, ad portam convolare; eam, si possent, unà cum ponte subductario, subjectis tædis concremare, mox à tergo secuturos, qui laborantes periculo eximerent. Paruêre (nocte an interdiu, Radewicus facit ambiguum) & suos singuli manipulos immittunt in propugnaculum, & in pontis sublicas flammam propagant. Civitas præsenti discrimine metúque excitata, ne flamma domos urbanas corriperet, ut in re improvisâ, tumultuariè pars ad tutandos aggeres, pars ad restinguendum incendium concurrit. Wittelspachius è contrà tela spargere in obstantes, instare vallo, civésque prolicere ad certamen. Pugnatum utrinque summâ vi: à civibus, ut Cæsarianos arcerent à portâ; ab his, ut penetrarent in urbem. In eo conflictu tergeminorum Wittelspachiorum præcipua virtus emicuit, non sine commilitonum incitamento & hostium admiratione. Sauciati utraque ex parte permulti, cæsorum numerus non est relatus in chartas: receptus honestus utrique, anceps victoria, quæ proximâ impressione convenit in victrices manus Cæsarianorum. Mediolanenses Henrici Ducis Austriæ stativa sæpius missis in vallum sagittarijs, incursârant irrito conatu. Hanc ut illis audaciam excuteret, vocatis in auxilium Ungaris, suos omnes jubet esse in armis, & conglobatos præeuntem sequi ad portæ toties infestæ oppugnationem. Hostis ad eam defendendam frequens accurrit, effunditur extra muros, manúsque intrepidè conserit, sed cum insigni clade, quâ acceptâ, rejectus locum certaminis reliquit, obsitum occisorum cadaveribus multóque civium sanguine.

Periculum Conradi Rheni Palatini.

Othonis Wittelspachii incursio.

IIX.

Præclarum Henrici Austriæ facinus.

Id dedecus Insubrem quempiam juventâ fervidum, ad reponendam ignominiam animavit, sperantem, se, quando aliter nequibat, id singulari certamine assecuturum. Mœnibus igitur egressus in eum locum, unde à Cæsarianis posset spectari & audiri, equum apprimè docilem nunc impellere in rectum, tum in gyrum agitare, mox agere in flexus, cæterámque equisonum artem scitè ostentare, ac demum, ubi diu insultârat, quemvis unum de Cæsarianis provocare ad duellum

Singulare certamen.

VICTORIA PENES ALBERTUM ANDECHSIUM.

IX.

faciendúmque periculum, Germani, an Insubres equitandi peritiâ forent potiores. Cæteris tacentibus, Albertus Andechsius in equum insilit, solóque clypeo protectus & hastâ, in juvenem insolentem infesto gradu invehitur. Ille suos ludos repetere, vibrare tela; hic scuto ictus declinare, & captato tempore feriendi, tantâ vi hastam adigere in obstantem, ut dejectum equo, in arenam everberaret. Non lubuit de prostrato spolia legere, generosius autumanti, & solâ facti gloriâ contento, vitam & arma Insubri, se adverso Marte devictum confitenti, donare. Variæ præterea intercessêre pugnæ velitares parùm aut nihil ad rei summam pertinentes. Consilium erat Cæsari, urbem obsidionis incommodis frangere, quod demum pervicit, cùm Senatus populúsque fame, morbis, agrorum devastatione fatigatus, fastu posito, Cæsaris clementiam prensavit interprete Boëmorum Rege & Henrico Austrio, quibus conciliatoribus, civitas in fidem recepta dedit manus, mense Septembri, quo die natæ Virginis Deiparæ memoria recurrit. Tota civitas in geminum agmen divisa, supplici habitu in castra processit, séque provolvit ad Friderici pedes. Primos ordines ducebat Archiepiscopus prælato crucis signo: sequebatur Clerus omnis vili amictu: alterum agmen constabat ex civibus, qui submisso in terram vultu, & mœstâ voce pauca in rem suam per oratorem dixêre, admissorum veniam rogantes, & pollicentes, se, si id gratiæ impetrarent, deinceps cum fidissimis quibusque, obsequio & omni operâ pro Cæsare certaturos. Cæsar, lætari se & DEO gratulari, respondit, dolere verò malis, quæ suâ ipsi voluntate tolerâssent: hanc sibi causam esse gaudendi, quòd civitas adeò nobilis ad bonam mentem redijsset, spémque faceret præteritorum memoriam obsequendi studijs oblitterandi. Id si rebus præstarent, nihil fore, cur de ipsius benevolentiâ & protectione quicquam esse decessurum vererentur.

DEDITIO MEDIOLANI

MODOETIA INSTAURATUR.

VERONENSES RECEPTI IN GRATIAM

FERRARIENSES A WITTELSPACHIO DOMITI.

Motis dehinc castris, Modoëtiam perrexit, veterem Regni Longobardici sedem, quam à Mediolanensibus eversam, pristino decori & juribus restituit. Pòst, dimissâ in Germaniam magnâ parte copiarum, movit in Veronenses, qui Gardæ castrum occupârant. Posteaquam copias vado trans Athesim deportârat, arces Veronensium subegit, agrum vastavit, eóque demum compulit, ut promitterent, se in posterum in ejus authoritate futuros. Ferrarienses, qui Circumpadanum agrum, Mathildis olim patrimonium, invaserant, ab Othone Wittelspachio derepentè oppressi, pacem exorârunt, sanxerúntque sexaginta obsidibus. Mathildis ditionem paulò pòst Cæsar Welfoni clientelari beneficio tradidit. Idem, acto ad Roncalias frequenti Procerum comitio, totum se Italiæ ordinandæ impendit.

X.

NOBILIA FUNERA.

CRUX SCHIRENSIS UNDE?

OTHONIS FRISINGENSIS OBITUS.

Radevvic. lib. 2. c. 11. & 12.

AN. CHRIST. M.C.LIX.

Ducta aliquot Principum funera. Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, tertio pontificatus anno defunctus est. Exuviæ pars Ticini tumulatæ, pars devectæ Coloniam. Conradus Dachaviensis, Croatiæ & Dalmatiæ Regulus, Bergomi vivendi finem fecit: funus ductum in Bojariam, illatúmque Schirensi conditorio. Ejus donum est Crux Schirensis, ex sacrosanctâ ligni triumphalis trabe, in quâ DEUS mortem oppetijt, decisa. Conradi mater eidem superstes, Othoni Wittelspachio arcem Toparchiámque Dachaviensem postea vendidit. Refertur ad hunc annum à recentioribus dies ultima Othonis Episcopi Frisingensis, à Radewico in annum sequentem, ad 10. Cal. Octobris. Vitam integerrimè actam pientissimè finijt in Morimondensi Monasterio, quo tempore Cisterciensis ordo eò loci comitia celebrabat. Illuc priùs quàm proficisceretur, Frisingense Canonicorum Collegium, qui tunc habitatione convictúque communi utebantur, ad prisci moris sanctitatem revocavit, additis aliquot legibus ad stabiliendam cultus divini & religiosæ disciplinæ observationem. Demortuo suffectus est Albertus Præpositus Frisingensis, cui Episcopatus initium adverso casu valde fuit calamitosum.

FLORENS STATUS ECCLESIÆ FRISINGENSIS.

Tantæ id temporis, ex sapientissimâ Othonis gubernatione, erant Ecclesiæ Frisingensis opes, ut nulli vicinarum de opulentiâ & splendore concederet, à paucis æquaretur, multas superaret. Ea tum erat Cleri probitas, disciplinæ accuratio,

morum

morum honestas, scientia litterarum, ut nusquam melior esse crederetur. Quarum virtutum nitelam DEus illustravit insigni patientiâ; cùm ipsis Ramalibus, quæ in Non. April. inciderant, tempore matutino, horrendum incendium totam Frisingam exussit. Conflagrârunt omnes majores, minores basilicæ: omnis earum gaza, omnis supellex redacta in cineres: ara nulla superfuit: nihil evasit ornamentorum: procubuêre in busta tecta Episcopij, Mystarum contubernia, officinæ, sacra, profana ædificia, paucis exceptis. Verbo, paucas intra horas civitas tota excisa. Creditum est, prodigiosa spectra id cladis præsagijsse. Monstra horrida, tristia phasmata noctibus visa circumvolitare. Lemures domibus insultârunt & Stygij Satyri. Ferales volucres, ululæ, upupæ, bubones, toto anno funesta præcinuêre. Ipsis Januarij Calendis sacerdos effuso in aram calice, ne stillam quidem divini sanguinis ad peragendum mysterium servavit. Id quoque acceptum pro omine, quòd pueri puellæque, arcano instinctu, vicos, supplicum more, sæpe oberraverint. Quas ob res publicæ expiationes ab Episcopo decretæ, indicta jejunia, orationes Litaneuticæ, aliáque placando Numini non sine fructu. Nam brevi civitas è suis parietinis, Alberti Antistitis virtute atque diligentiâ, pro modo istius ævi, in formam non contemnendam est educta. Simili conflagratione Spirensis basilica, regium planè opus, vastata est.

INCENDIUM.

PRÆSAGIA.

SPECTRA.

XI.

SPIRENSIS BASILICÆ CONFLAGRATIO.

Grandia quidem ista detrimenta; sed longè grandius incendium, quo res Christiana cœpit immane quantum conflagrare, renovato inter Adrianum Pontif. Max. & Fridericum Imperatorem dissidio. Cæsar jura (ut vocant) regalia & clientelare juramentum ab Episcopis, aliísque inferioris notæ Præsulibus, perinde atque à profanis hominibus exigebat cum nonnullâ Adriani offensione & curâ, ne res ad Henricianas contentiones sensim relaberentur. Cæsari flagitanti, ut Guidoni Comitis Blanderatensis filio adhuc juveni, S. R. E. Subdiacono, Ravennatensem infulam donaret Pontifex, negavit, se id facturum. Exasperatæ sunt inposterum discordiæ, cùm Fridericus cœpit, contra receptum morem, suum nomen Pontificio in litteris præponere, eundem, omissâ priorum sæculorum formâ, ex vetustæ latinitatis ratione, singulari numero compellare quasi per contemptum. Cœperat idem, Cardinales à latere legatos, templis & Imperij civitatibus arcere, certo indicio grandis aversationis. Dabantur ultro citróque epistolæ aculeatiores, & subinde aliæ suaviores, quæ priorem acrimoniam edulcarent: sed tegebantur potiùs mala, quàm curabantur. Momento inferuntur vulnera, sed tardè coalescunt, suique memoriam renovant in cicatrice. Accenderunt simultates, sparsi in vulgus, ex malevolorum ingenio, vani rumores de occultâ Adriani Pont. cum Guilielmo Siculo adversus Cæsarem conspiratione, & quasi Adriani litteræ fuissent interceptæ, quibus Mediolanum aliásque civitates ad defectionem excitâsset. Suspicionem ex falso ortam intendit vera apertáque Mediolanensium perduellio. Etenim destinati à Friderico Comites, creationi Magistratuum jussi erant interesse per singulas Italici Regni civitates. Ex his Otho Wittelspachius, Reinaldus Cancellarius, Goswinus comitatus Sopriensis & Mathesiani administer. Profecti Mediolanum, egerunt, ut, ad Cal. Februarias, ex recenti superioris anni pactione, consules legerentur, probarentúrque authoritate Cæsaris. Plebs, cæteroqui mobilis ac tumultuosa, pársque nobilitatis rerum novarum avida, pertæsáque brevem paucorum mensium quietem, cognito legatorum consilio, versi in seditionem, ad arma concurrere, clamoribus implere fora, hospitibus ultima comminari, domos, ad quas credebantur divertisse, furiosè oppugnare, occupatas scrutari, aversari saniora suadentes, Blanderatensem adeò Comitem, qui tum in urbe aderat, & præ cæteris putabatur apud furentes valiturus. Furor enim non habet aures, & surdis fabula canebatur. Legatorum aliqui, inter quos Cancellarius, recepti in urbem, ut in re creperâ ac turbatissimâ, improviso tumultu territi, cùm nullum effugij modum, occlusis civitatis portis, viderent; abditi in latebras, anxiè noctem egerunt, apertisque portis, summo manè, Episcopi beneficio elapsi sunt incolumes. Othonem, cujus maximè caput petebatur, servavit

DISSIDIORUM INITIA INTER PONTIFICEM ET CÆSAREM.

FALSI IN ADRIANUM RUMORES.

MEDIOLANENSIUM TUMULTUS.

LEGATORUM CÆSARIS PERICULUM.

uavit incogitata provisio: extra mœnia pernoctanti, sub initium seditionis via patuit ad fugam.

Agebat Cæsar in villâ Autimiacâ festum Virginis purissimæ 4. Non. Februar.

XII. Eò confluxerunt permulti optimates è Germaniâ. Eberhardus Babenbergensis, Albertus Frisingensis, Conradus Eistettensis. Ex Italis, Papiensis, Vercellensis, Astensis, Dertonensis, Placentinus, Cremonensis, Novariensis, Episcopi, alijque, in quorum consessu Cæsar oratione gravissimâ iteratum Mediolanensium crimen accusavit, audivítque procerum sententiam, quæ una fuit omnium, eos videri extraordinaria exempla meritos, famæ tamen Cæsareæ fore decentius, si rei priùs audiantur, & de sceleris magnitudine, ex legum præscripto in commune statuatur. Quare Mediolanenses ad Marnicam villam regiam in jus vocati, ad dictam diem vadimonium obière per legatos. Cùm graviter premerentur, nec defensionis occurreret alia ratio, negârunt, se jurisjurandi religione, fœdere, aut pactionibus esse astrictos, jurâsse se quidem in verba & leges Cæsaris, sed non addixisse, se habituros juramenti rationem: verba fuisse jurantium, sed mentem injuratam. Ita, qui procaciter ac perfidè fecerant, impudenter locuti, ostenderunt, nil bonæ mentis aut spei se ad Cæsaris tribunal attulisse. Nemo fuit, qui non horreret responsi atrocitatem: placuit tamen litem ampliare, & dare spatium saniora cogitandi, ne viderentur præcoci sententiâ damnati. Die constitutâ, ad quam tertiò, quartò fuêre citati, deseruere vadimonium. Cùm igitur nemo compareret ad reddendam absentiæ rationem, ex responsis Jurisperitorum, qui frequentes aderant, Bononiæ, ubi Fridericus dies esuriales agebat, tanquam contumaces, rebelles, imperij perduelles, rei majestatis, Reipublicæ hostes pronuntiati sunt; eorum verò bona, fisco; personæ, servituti addicta.

Mediolanensium accusatio.

Responsum arrogans simul et insulsum.

Damnatio.

Inter hæc Cæsar, gnarus eos nihil æquum voluntate facturos, Henricum Leonem Boicæ Ducem, aliósque Germaniæ Principes jussit confestim militem nuper dimissum ad signa revocare, supplere legiones, & quantâ possent celeritate, trans alpes deportare. Legit & ipse ex Italis copias auxiliares: Verrucam, Serram Longam, arcésque alias præsidijs communivit: Novam Laudem vallo, portis, propugnaculis, milite numeroso instruxit, unde Mediolanensium excursiones possent cohiberi. Mirâ felicitate Cumani lacus insulam, opibus, viris manu promptis abundantem deditione accepit. Idem factum Placentinis Mediolanensium fœderatis. Hi certi belli impendentis, in armis primi fuêre. Ipsis Christi resurgentis ferijs, Tretium cruentâ oppugnatione, non sine luculentâ suorum jacturâ, coëgêre ad deditionem. Sævierunt in oppidanos, ipsósque Mediolanenses, qui belli metu se eò loci receperant. Cæsarianis circiter octoginta captivis, seu metu, sive Cæsaris reverentiâ, fecêre veniam incolumitatis. Oppidum, quod aliàs fuerat Mediolani municipium, exustum funditus everterunt. Successêre pugnæ velitares Marte vario, qui tamen Cæsari ferè fuit secundior. Mediolanenses ad Laudem, ipsâ Pentecoste, profligati: Brixienses eorum partiarij, à Cremonensibus Cæsaris amicis pars acti in fugam, pars capti: sexaginta equites, pedites trecenti necati. Cùm aperta vis Mediolanensibus non procederet; hominem vastum audacémque subornârunt, qui in Cæsaris castra ad Laudem, simulatâ dementiâ, irrepens vim ipsi inferret. Parùm abfuit, quin abreptum è tentorio, raptatúmque per longum spatium in Abduam præcipitaret. Famuli clamore excitati, Cæsarem homini furioso viribus omnibus obnitentem eripuêre. Octo incendiarij Laudem missi, qui intempestâ nocte faces tectis injicerent: unus in facinore deprehensus, fassúsque meditatum nefas, gulâ fractâ in patibulo perijt. Veneficus alius de Saracenorum gente, multiplici toxico in Cæsaris vitam grassaturus, delatus convictúsque certis indicijs, actus in malam crucem.

Varii conflictus et clades rebellium.

XIII.

Cæsar periclitatur

E Germaniâ, ad 13. Cal. Augusti, advenêre validæ suppetiæ unà cum Beatrice Augustâ, quam Cæsar evocârat, jusserátque per Henricum Leonem & Conradum Episcopum Augustanum in regio comitatu adduci. Mille ducenti cataphracti, cum lectissimâ Bojorum & Saxonum juventute, Leonis signa sequebantur. Welfo ejus

Auxilia Germanica.

so ejus patruelis, Friderici avunculus, Princeps Sardiniæ, Dux Spoleti, Tusciæ Marchio, validas etiam copias adduxit. Ita duo illustrissimi Principes Cæsari accesserunt, diverso uterque genio, pari virtutis & gloriæ cupiditate. Welfo liberalitate, facilitate morum, tractandis amicorum negotijs, ignoscendo; Henricus severitate, scelerum odio, animi constantiâ, ad summa quæque grassabantur. In hoc Catonem, in illo Cæsarem diceres revixisse. Fridericus istis firmatus subsidijs, Cremenses, ob initum cum Mediolano fœdus, hostes Imperij judicatos obsedit, Cremonensium precibus & auro, qui veteres cum illis gerebant inimicitias, inductus. Certatum utrinque ingentibus animis & sanguinarijs exemplis. Germani, amputatis Cremensium capitibus per ludibrium velut sphærâ luserunt: Cremenses Germanos captivos, in mœnibus, socijs spectantibus, fœdè dilacerârunt. Acti mutuâ crudelitate in furcam, qui ex his illisve fuêre captivi. Obsidio magnâ contentione protracta in annum sequentem. Inter hæc Mediolanensis ager omni hostilitatis genere vastabatur. Tectis ignes subjecti, excisa vineta, felices arbores truncatæ, decorticatæ, inducta latè vastitas, clausi undique aditus, intercepti commeatus, & quanquam ad initium urbi annonæ copia satis provisa, accisa tamen est diuturnitate temporis, & redacta ad dimensum quotidianum, & parcum illud quidem malignúmque, quod populo, alioqui liberalibus epulis assueto, erat permolestum. Eos, tametsi esuritionis pertæsos, Fridericus, communicato cum Papiensibus consilio, traxit in insidias, affecitque clade luculentâ. Centum quinquaginta cæsi, vulnerati sine numero, sexcenti abducti in vinculis.

Henrici Leonis et Welfonis virtutes et diversa ingenia.

Cremensis obsidio.

Crudelitatis exempla.

Mediolanensium angustiæ.

Clades.

Hæc dum in eo sunt, à Senatu populóque Romano venêre Legati ad Fridericum, obnixè rogantes, ne, quod paucorum de minutâ plebe culpâ in ejus majestatem Romæ peccatum fuerat, insonti nobilitati imputaret, haberétve obtentui ad urbis jura dignitatémve minuendam, in quâ Orbis Imperator esset renuntiatus haud invito Senatu, & qui de populo extra nuperum tumultum fuissent. Verebantur videlicet, ne Cæsar, si Adrianus Pontifex cum eo reconciliaretur, Pontificias partes adversum Senatum populúmque amplecteretur. Auditi Legati & habiti indulgenter, donatíque regiè, jussi sunt referre Quiritibus, bono ut essent animo. Cum ijs missus est in urbem Otho Wittelspachius & Heribertus Præpositus Aquensis, vir magno rerum usu, cum mandatis, ut, quoad liceret, æquas pacis conditiones cum Pontifice constituerent, haberéntque rationem eorum, quæ Senatui populóque Romano deberentur. Excepti Cæsaris Legati à Romanis perhonorificè: sed tametsi ultro citróque crebri de pace nuntij commearent, nihil tamen confici potuit, Romanis antiquo urbis fastu indigna quædam postulantibus, quæ nequibant à Legatis decenter admitti. Ita dum utrinque de dignitatis prærogativâ certatur, levi momento pacis tractatio fuit suspensa, donec Adriani obitus eam disturbavit. Obijt Anagniæ Calend. Septembris, sublatus anginæ angustijs, fauces, per quas cibi potúsque & spirationis meatus est, præcludentis. Unde ab hoste quopiam Pontificiæ dignitatis conficta fabula, cum à muscâ gutturi tenaciter inhærente fuisse præfocatum, posteaquam Fridericum dirâ imprecatione è piorum albo deleverat. Quod figmentum vel inde refellitur, quòd constet, Cæsarem ab Ecclesiæ communione ab Adriano nunquam fuisse remotum: quanquam, teste Dodechino, eâ de re cogitârit, non perfecerit tamen, morte præventus.

Populi Romani legatio.

XIV.

Legati Cæsaris ad Pontificem.

Adriani Pont. obitus.

Vrsperg.

Dodechin.

Baron.

Post ejus decessum, omnium, quæ adhuc fuerant, Schisma teterrimum ex sacrorum comitiorum dissidio, in Ecclesiam invectum est. Postquam Adriano, in æde Principis Apostolorum justa funebria de more fuerant persoluta, Patres, penes quos jus erat eligendi, prid. Non. Septemb. habito tridui colloquio, de subrogando successore, viginti tres, assentiente clero atque populo, Rolandum presbyterum S. Marci Cardinalem, sedis Apostolicæ Cancellarium, gente Tuscum, domo Senensem, è Bandinellorum stirpe, Pontificem dixerunt, virum sapientiâ cæterísque virtutibus insignem, apprimè eruditum & eloquentem, D. Bernardo percharum, quippe cui dudum Pontificiam tiaram, velut præscius, subobscurè tamen, præsagierat.

Codex Vatican.

Schisma teterrimum.

ſagierat. Aliâ ex parte Joannes S. Martini, Guido S. Calliſti Cardinales, à cætero Purpuratorum Senatu diſſidentes, Octavianum tit. S. Cæciliæ Cardinalem, è genere Comitum Tuſculanorum, indito Victoris IV. nomine, protruſerunt, hominem eouſque ambitioſum, ut, cùm jam diu Pontificatum prensâſſet, auſus ſit purpuream epomidem, ſupremæ dignitatis inſigne, Rolando, qui nomen Alexandri III. aſſumpſerat, detrahere, aliámque à Sacellano ex compoſito præparatam ſibi circumponere; eóque habitu, reſeratis Baſilicæ D. Petri foribus, prodire, introducere militare præſidium, quod per quoſdam ſenatores auro emptos legerat. Alexander, ejúſque ſuffragatores, metu in Eccleſiæ munitionem elapſi, novem dierum obſidionem tolerârunt, quâ concurſu totius populi Romani ſoluti, pauló pôſt ab impiis ſenatoribus, triduanæ cuſtodiæ fuêre mancipati. Evaſerunt tamen 12. Cal. Octob. amicorum ope ad tres Tabernas, haud procul ab urbe. Eo loci in magnâ Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, Cleri, populíque frequentiâ, non à Sabinenſi (quod ſcripſit Brunnerus) ſed ab Oſtienſi Epiſcopo, quod notavit diſertè Baronius (nam Oſtienſis eſt inaugurare Maximos Pontifices) conſecratus, Anagniam ſe recepit, ubi octavo à conſecratione die, diris devovit Victorem, antè monitum, ut ad mentem rediret: ſimul execratus eſt, quiſquis eum auſurus eſſet Pontificio cultu induere, aſſeclâſque omnes, qui ejus factionem ſequerentur. Nihilo minùs Octavianus, occupatâ D. Petri Baſilicâ, ubi per quatuor omnino hebdomadas modis omnibus laboraverat, ut Epiſcopum quempiam initiatorem nanciſceretur, ægrè reperit Malphitanum, neſcio quem fugitivum, & in Anconæ finibus latitantem, cujus operâ ad eam ſcenam uteretur, præſente Epiſcopo Ferentinate Alexandri jam pridem hoſte, & Joanne Tuſculano Alexandri, quem elegerat, deſertore. Cæremonia tam inauſpicata totius orbis terrarum ludibrio haud dubiè erat explodenda, niſi Ahenobarbus, qui Alexandri in rebus agendis animi magnitudinem erat expertus, metuebátque, ne, quâ ille erat ſentiendi & dicendi, ubi ratio poſcebat, ſinceritate, ſuis votis aliquando repugnaret, in Spurij partes conceſſiſſet tantâ contentione & animi impotentiâ, ut Alexandri Legatos fœdiſſimo ſacrilegio reſti fuiſſet addicturus, niſi à conſilio tam nefando eum Welfo & Henricus Leo ſuâ moderatione abſterruiſſent. Minùs ſapuit Wittelſpachius, qui militare ingenium & Cæſaris ſtudia ſecutus, totum ſeſe addixit Victori, quem oberrantem omnes Campaniæ civitates, totúmque D. Petri patrimonium, tutatus eſt, & teſtitantes in ipſius verba adegit: Alexandrum verò & amicos Cardinales (quod per encyclicas litteras conqueſti ſunt) malè exagitavit.

Cæsar Papæ Schismatico se addicit.

XV.

Idem facit Otho Wittelspachius.

Fridericus ſuo ut Idolo Romanam ſedem ſtabiliret, inane decretum vulgavit, quo Pſeudoſynodum, ad anni ſequentis Epiphaniæ octavam, Papiæ indixit, & Alexandrum juxtà ac Victorem, per Pragenſem ac Verdenſem Epiſcopos, ipſúmque Wittelſpachium citavit, iſthic orbis Chriſtiani judicium de Pontificiâ lite audituros. Admiſſi in Alexandri conſpectum Legati, nullâ eum reverentiâ, nedum Pontificis titulo dignati ſunt, ſed litteris in medium productis, juſſerunt adeſſe conciliabulo. Quâ inſolentiâ permotus Pontifex, repoſuit, neutiquam eſſe Imperatoris, citra Romani Pontificis voluntatem cogere concilia, vel Chriſti ſupremum in terris Vicarium ad profanum Imperij tribunal evocare: id enim, præterquam quòd fieri nequeat abſque Numinis injuriâ & juris Pontificij violatione, nullius prorſus eſſe momenti. Victor autem, ut ad certam victoriam, non quaſi in jus ambulaturus, Romanæ ſedis immemor, reſpondit, ſe Friderici arbitrio obſecuturum. Vocati quoque ad infamem conventum Boicæ Antiſtites. Albertus Friſingenſis propudioſum cœtum eſt aſpernatus: idem fecit Romanus Gurcenſis. Hartmannus Brixinenſis ſimili tactus religione, pedem domo non extulit. Hartwicus Ratiſbonenſis & Conradus Batavenſis adfuêre quidem, ſed negârunt, ſe Victorem pro Pontifice habituros, niſi communi orbis terrarum conſenſu probaretur. Idem profeſſus eſt Peregrinus Aquileienſis Patriarcha, cum nonnullis alijs. Eberhardo Saliſburgenſi per valetudinem non licuit intereſſe, idque divino beneficio: nam Vicentiam uſque progreſſum morbus repentinus non eſt paſſus tendere ulteriùs.

Pseudosynodus Papiensis.

Ab Episcopis quibusdam Germaniæ spreta.

ulterius, sed injectâ velut manu domum retraxit, ne fœdâ contagione suam innocentiam contaminaret. Absentiam tamen excusavit per Henricum Præpositum Berchtesgadensem, quem cum duobus jumentis clitellarijs piscibus & caseo onustis, & triginta argenti marcarum donativo, misit ad Fridericum. Hillinum Archiepiscopum Trevirensem adversa pariter valetudo in itinere corripuit, prohibuitque Ticino: misit tamen Legatum, qui purgaret impotentiam comparendi, sed de industriâ nulla de adeundo conventu mandata dedit. Porrò cum neque per se, neque per alium in pseudosynodi acta consensisse, planum est ex Epistolâ Eberhardi Babenbergensis Episcopi ad Eberhardum Salisburgensem his verbis: *Solus Trevirensis de regno nostro superest in parte illâ Archiepiscoporum, qui non consenserunt.* Unde falsi arguitur Index continens eorum nomina, qui Conciliabulo subscripserunt, inter quos relatum est calumniosè Hillini nomen ingenio detrantium, quibus, súsque déque est, vera an falsa obtrudant, dummodo splendidè mentiantur.

Ne ad Id. Januarias conventiculum ageretur, fecit Cremensis obsidio, cujus ardorem Fridericus suâ præsentiâ volebat intendi. Ergo dilatâ in Februarium coitione, summis viribus obsessos cœpit urgere, admotis circùm machinis & novi operis turribus geminâ contabulatione, è quarum superiore, omni missilium genere Cremenses, qui propugnabant mœnia, petebantur. Ex inferiore proijciebantur in murum pontes, per quos planus esset transcursus. Rarò aliàs fuit propugnatio pertinacior, oppidanis ad ultima quæque comparatis, donec desideratis animosioribus, aut sauciatis, exteriori mœnium cinctui retinendo deinceps impares, ad interiora recepti, viribus animísque cæperunt fatiscere. Quamobrem tot fessi malis, ad 7. Cal. Februarias, capto sui dedendi consilio, colloquij copiam cum Aquileiensi Patriarchâ & Henrico Leone impetrârunt. Rebellionem eo nomine conabantur tegere, quasi arma Cæsaris odio non induissent, sed ne venirent in Cremonensium manus, eóque rogabant, ne eorum odijs ad noxam dederentur, cæteroqui in Cæsaris arbitrio futuri, pollicentésque fidem obsequiúmque perpetuum. Pax illis data ijs legibus, ut incolumi vitâ atque libertate oppido excederent, cum ijs duntaxat rebus, quas unicâ sarcinâ possent efferre. Mediolanensibus & Brixianis, qui erant in præsidio, arma adempta. Quod opum in urbe superfuit, à Germano milite direptum: cùm verò hoc ipsum aviditati satis non esset, tecta igne subjecto cremata. Cremonenses & Laudenses veteri flagrantes odio mœnia fossásque solo æquârunt. Cæsar triumphantis specie Papiam invectus, ab oppidanis magno plausu exceptus est.

An. Christ. M. C. LX.

XVI.

Cremenses dediti.

Cremensi excidio prælusit immane incendium, quod Fridericus odio Alexandri Pontificis in Romanam Ecclesiam conflavit, in Papiensi conciliabulo longè nocentissimo. Secundâ Februarij causa Octaviani cæpta agi adversus verum Pontificem. Interfuêre Episcopi è diversis nationibus ferè quinquaginta, plerique ad Cæsaris nutum facti fictique, vel malorum metu sequioribus studijs perplexi. Ejusdem farinæ adfuerunt Abbates & Præpositi magno numero. Adfuit Octavianus fretus Cæsaris patrocinio: nemo ferè apparuit Principum, nisi vel utrique ex asse devotus, vel iniquis imbutus affectibus. Pro Alexandro nullus adfuit, ne legatus quidem, quod satis nôsset, conventum vitio coactum ac præfractâ Friderici malignitate, nullo numero esse habendum. Talibus nihilominus judicibus damnata est Alexandri electio, Victoris collaudata, sub initium verni jejunij, cujus sanctitatem atrox sceleris turpitudo insigniter violavit. Ergo scelestum Friderici Idolum ab infami cœtu adoratum, fœdâ post hominum memoriam abjectione, se Friderici beneficiarium, acceptâ per annulum Papatus clientelâ, agnovit. Missa post hæc à Cæsare severa mandata, quibus provinciæ Romani imperij jubebantur amplecti Victoris authoritatem, abnuentes verò mutare solum: unde turbæ incredibiles & calamitas bene de Ecclesiâ sentientium, qui, ne immane monstrum, deserto Christi Vicario, superstitiosè colerent, sponte abibant in exilium. Boicæ laus est memorabilis, quòd spretis Friderici minis, animata suorum Antisti-

Ep. Præpos. Berchtesgaden. apud Radevvicum. Vrsperg.

Acta Papiensia.

Ex Arnulph Lexovien. ad Alexand.

tum

tum monitis, Victorem detestata, in Alexandro colendo immotam constantiam tenuit. Nihilo minor fuit Ecclesiæ Gallicanæ virtus, quam Hispani, Angli, Hiberni, Norwegi, Ungari, Siculi, ipsi adeò Palæstini sunt imitati, insanas Friderici pro Victore curas hortatúsque irrisui habentes. Longè secus factum à Magdeburgensi, Coloniensi, & Moguntino, Archiepiscopis, eorúmque Suffraganeis.

BOII A SCHISMATE ALIENI.

In Arnoldum Moguntinensem, pessimum Schismaticorum patronum, Deus graviter animadvertit, quando è conciliabulo reducem, Moguntini cives versi in seditionem, in D. Jacobi extra muros Monasterio, ipso Joannis Baptistæ natali, immaniter trucidatum, projecêre in sterquilinium, unde cadaver à mendicabulis extractum, triduo jacuit expositum populi sannis atque ludibrio, donec à Canonicis clàm avectum, in D. Virginis æde conditum est. Sed & Fridericus hucusque fortunatus, cœlum iratum cœpit experiri. Eum detestati sunt Veneti, Veronenses, aliæque Longobardorum urbes, quæ inito inter se fœdere, lectóque exercitu, ausi facere pugnæ copiam, aliàs impavidum sic terruêre, ut, tametsi bene prodiisset armatus, tamen certamen detrectârit. Benignissimè ad pœnitudinem invitatum, idque sæpius, Alexander cùm molliora remedia consumpsisset, Anagniæ, eo die, quo Cœnæ Dominicæ solennia agebantur, unà cum Cardinalibus & Episcopis schismate contactis, cúmque Othone Wittelspachio, diris devovit: clientes verò subjectósque Cæsaris, velut Ecclesiæ persecutoris, juratæ fidei nexu absolvit.

DIVINA ANIMADVERSIO IN MOGUNTINUM.

CÆSARIS INFORTUNIA.

EXCOMMUNICATIO.

XVII.

Sed & velut hominem Superis invisum Mediolanenses sunt execrati, armatique novis odijs, suas & Cremensium injurias statuerunt ulcisci. Ergo Laudensibus, quos ille impensè fovebat, bellum inferunt; eorum agrum ipsis sanctioris hebdomadæ diebus devastant: adscitisque in belli societatem Placentinis, Fridericum à S. Romani obsidione depellunt; haud procul à Carcano castro, quod ipsi obsederant, justo prælio superant. Diu Marte ancipiti eo die certatum est, & Cæsar perruptâ Mediolanensium acie, vexillum prætorium è carpento castrensi, quod Longobardi Carrocium nuncupabant, detraxerat, quasi certus vincendi: cùm Mediolanensibus fugam spectantibus velut è cœlo missæ ex Ursicinatibus & Herbensibus suppetiæ ex improviso advenerunt: quæ recenti fortitudine in Germanos pugnando fessos, & jam victoriam Cæsari gratulantes, invectæ, mutatâ prælij aleâ conjecêre in fugam. Fridericus ægrè Baratellum, indéque Comum è victricibus Mediolanensium manibus evasit. Pugnatum 6. Id. Augusti. Cæsaris castra ingentésque manubiæ victoribus cesserunt. Quam cladem Fridericus tulit acerbissimè: ejus famam ignominiámque ut premeret, scriptis hinc inde, ad Peregrinum præsertim Aquilejensem litteris, se victoriâ potitum inaniter est commentus, quasi vindicem Dei manum & scissæ religionis supplicium non sentiret.

MEDIOLANI REBELLANTIS AUDACIA.

VICTORIA DE CÆSARE.

Non multò antè Henricus Leo, impetratâ missione, se in Bojariam retulerat, ubi acceptâ ex Hartmanni Brixinensis Episcopi voluntate, Pollingensis Cœnobij tutelâ (quod ipsum Patres Pollingenses ob nimiam Brixinæ distantiam & sera Episcopi subsidia petiverant) ad bellum est in Saxoniam evocatus. Slavi, maris Baltici accolæ, effusi in Saxoniam, fœdè agrum ferro & populatione vastaverant. Quam injuriam ut pio bello ulcisceretur, hostile solum ingressus, omnia latè cædibus & igne corrupit. Breve fuit in domandis Barbaris certamen. Niclotus gentis regulus, dum se incautiùs infert in frumentatores, ex insidijs occisus, Slavos movit ad faciendam deditionem, unde fructus non vulgaris propagatæ religionis, ad quam ea gens, antehac à vero Deo aliena, sacris Christianis initiata volens lubénsque accessit. Id in acceptis referendum propitio Numini & curis ingentibus Bernonis, quem Henricus Ecclesiæ Megalopolitanæ præfecit. Illum, Arnoldus Lubecensis Abbas asserit, fuisse primum Suerinensem Episcopum Megalopolitano Episcopio Suerinum translato. Idem, antè quàm homines cæteroqui feroces imbueret genio mansuetiori, imbutósque Christo subigeret, indignè ab ijs ha-

SLAVORUM MOTUS IN HENRICUM LEONEM COMPESCUNTUR.

SLAVI AD CHRISTUM CONVERSI.

Helmold. lib. 1. c. 88.

Arnold. Lubecen. Chron. Slav. l. 4. c. 24.

OPPBERNONIS EPISCOPI MEGALOPOLITANI.

ijs habitus, sæpe cæsus colaphis, sæpius ludibrijs affectus, haud rarò minis factísque solicitatus, ut Dis sacrificaret; insigni tolerantiâ & humanitate, quæ valida sunt arma fidei præconum, tantum profecit, ut eliminato dæmonum cultu, devictâque barbarie, de gentilitiâ superstitione triumphârit, Bernardóque successori quietam florentémque Ecclesiam reliquerit. Henricus Leo, id temporis à Friderico impetravit (quæ erat istius ævi cruditas) potestatem erigendorum Episcopatuum, dandi Antistites, eósque stabiliendi in omni Slavorum ditione, quam ipse, vel ejus progenitores subjugâssent. Quâ sacræ authoritatis usurpatione sanctioribus institutis neutiquam consentaneâ, Henricus non Bernonem modò, sed etiam Geroldum Aldenburgensem, & Evermonem Raceburgensem illubentes induxit ad profitendam fidem obsequij clientelaris, veritos, ne, si id detrectarent, novellæ Ecclesiæ, ex intempestivâ contentione, aliquid caperent detrimenti. Geroldus Helmoldi præceptor, translatâ ex Aldenburgo sede, primus Lubecensem Ecclesiam, authore Henrico Leone, cathedrâ & clero nobilitavit.

XIIX.

NOVORUM EPISCOPATUUM ERECTIO.

Helmold. in præf. l. b. 1. Sigon. l. 13.

WELFONI TUSCIA DONATA IN CLIENTELAM.

Welfo patruus, soluto Papiensi conciliabulo, omnem Tusciam, quam à Cæsare fiduciariam acceperat, inijt, eáque perlustratâ, Comitia Procerum egit ad fanum D. Genesij, ubi juri dicundo utilem dedit operam. Audijt civitatum Legatos, Toparchijs suos cuique Dynastas creavit, vendicavítque prædia stipendiaria, quæ partim ab oppidis, partim à nobilitate erant interversa. Actis deinde apud Pisanos Christi redivivi ferijs, Lucenses adijt, magnis utrobique cultus honoribus, quòd ejus æquitatem, sapientiam, impensè venerarentur. Pòst, castellis oppidisque militari præsidio firmatis, Spoletum profectus, perinde atque alijs locis, cives reperit ad nutum obsequentes. Demum rebus ad eum modum trans alpes compositis, earum summam Welfoni filio transcripsit, pérque vallem Tridentinam regressus in Bojariam, Lycatiorum in superiore Boicâ Tetrarchiam adijt. Welfo junior, nihilo quàm parens æqui bonique minùs retinens, subjectorum saluti & tranquillitati se totum addixit: acerrimè cohibuit prædonum & militares injurias, ne parcens quidem Cæsarianis, si qui in ejus ditiones grassarentur, nihil pensi habens Cæsaris invidiam; qui tamen subjectorum commodis invigilanti, honestè irasci non poterat, sat gnarus, milites esse in officio continendos, & Principi suscipiendam esse populi curam non secus atque liberorum, quo sine neque conciliatur reverentia, nec fovetur charitas, quæ sunt optima bene regendi instrumenta.

WELFONI IUNIORI COMMISSA.

Hoc anno Mechtildis Berchtoldi Comitis Diessensis & Sophiæ Schardingiæ filia, quod veriores membranæ testantur, transijt ad vitam beatiorem. *Tam fuit testata* (utar Raderi verbis) *hujus virtus virginis, ut ne fama quidem de eâ auderet mentiri, quod, magno teste Ambrosio, decus maximum est, quo commendatur virgo.* Christum amore, cœlum desiderio sub ipsam infantiam complexa, quinquennis, neque major, in parthenone, qui olim Diessæ fuit, DEO dicata, mox vini, carnis, lecti, lavacrorum, pharmacorum, omniúmque suaviorum victus condimentorum usu sibi interdixit. Instructa cæterarum virtutum absolutione, omnes bonæ Antistitæ partes Diessæ est assecuta. Erat grandi in DEUM fiduciâ, multæ orationis, quâ complures animi corporisque ægritudines, DEO opitulante, depulit: dæmonem è puellâ proscripsit; oculo, quem casus subulâ expunxerat, visum restituit. Quæ beneficia eâ lege conferebat, ut, quoad ipsa viveret, silentio premerentur; sin secus fieret, minabatur, mala, quæ abstulisset, in suas quæque sedes postliminio reversura, tam erat fugitans inanis gloriolæ, quâ ejusmodi DEI dona temerantur. Ferebat ægerrimè sororum contentiunculas, iras diuturniores, & si quid præterea minuebat charitatem, sine quâ, neque vigilias, neque prolixas precationes, neque corporis afflictationes cæterámque disciplinæ severitatem, negabat multùm adferre ad Numinis amorem emolumenti. Verbum paulò acrius, quod incogitanti exciderat, multis lacrymis & complurium dierum jejunio diluit. Quibus ex rebus natum illi celebre nomen sanctitatis. Translatæ ad Edelstettensis Suevici Monasterij præfecturam, mota apud Cæsarem lis est de quopiam jure Cœnobij.

MECHTILDIS DIESSENSIS MORS. VIRTUTES.

Rader. to. 1. p. 128.

XIX.

Engelbert. in ejus vita. Antiq. lect. Canis. to. 5.

Fridericus id temporis agebat Ratisbonæ: tribunali se stitit Mechtildis, cùm disceptaretur causa, & Cæsari abunde satisfecit. Invitata ad regiam mensam, sive sanctitatis opinione, sive respectu propinqui sanguinis; cùm pro more à vino decrevisset abstinere, Deus aquam ter in vinum mutavit. Imminentis fati cœlitus admonita, Diessam rediјt. Diengensis agri partem, quam sub vitæ exitum, à patre dono acceperat, in Deiparæ Virginis arâ sic obtulit, ut, consentientibus præsidum votis, ex ejus frugibus panes ad usum sacrificij voluerit præparari. Visa est non multò antè, quàm expiraret, ex Cœlitum Reginæ aspectabili præsentiâ, ingentem lætitiam hausisse, & præter communem modum de manibus Angelicis cibum immortalitatis Eucharisticum accepisse. Aliàs sæpenumero cœlestium spirituum familiaritate recreata est. Defunctæ nomen tum maximè inclaruit, quando illi, qui ejus opem medicámque manum senserant, miranda ejus opera propalârunt, aliísque fuerunt authores, ut ab ipsius tumulo remedia peterent. Desecti capilli, quos aluerat, arcendis fulminibus prodesse sunt crediti. Sororem habuit Euphemiam ad D. Altonem Antistitam pari sanctimoniæ famâ, dignámque, quæ referretur in chartas. Sed ejus gestis scriptor defuit, & proinde effugerunt posterorum memoriam.

AN. CHRIST. M.C.LXI.

HENRICI LEONIS CUM EPISCOPO RATISBONENSI CONTENTIO.

Anno, qui supra sæculi sexagesimum primus fuit, Henricum Leonem cum Hartwico Ratisbonæ Episcopo graviter collisum referunt Annales. Causam dedit Episcopi vita solutior, & sacrarum opum profusio: quibus malis cùm admonitus modum non faceret, Henricus medicinam fecit ipso ferè morbo graviorem. Assumptâ vindicis personâ, invasit Ecclesiæ possessiones: Stauffensem arcem vicúmque, Episcopij patrimonium, suæ fecit ditionis, & Ratisbonâ scissâ in factiones, cùm populi pars Hartwicum, pars Henricum Leonem sequeretur, ferro & igne in agrum promiscuo furore sævitum. Res spectabat finem exitiabilem, nisi Eberhardus Salisburgensis, Episcopatus vicem miseratus, pacis sequester intercessisset, unà cum Friderico Wittelspachio Bojariæ Prætore, & Conrado Comite Raningio, quibus adnitentibus, Henricus assensus est, ut integratâ pace à civilibus armis odiísque discederetur. Is, quem dixi, Fridericus fuit Othonis Wittelspachij germanus, qui non longè pòst se totum Deo in Understorfensi cœnobio devovit.

XX.

RECONCILIATIO.

Vrsperg.

Atque istæ quidem turbæ Henricum in Boicâ detinuerunt, dum alij Germaniæ Principes, Reinaldo Coloniensi antesignano, Cæsari adversus Mediolanenses desudanti duxêre suppetias. Nam is urbi de integro obsidionem admoverat, ratus, ipsâ incolumi, se Italiam pacato imperio nunquam habiturum. Ergo devastato, quàm latè ad quindecim passuum millia patebat, agro, castrísque in urbis conspectu locatis, omnem interclusit convehendæ annonæ facultatem. Id cœptum sub Majum exeuntem, cùm Victor Papa spurius ad 15. Cal. Junij Laudensi conciliabulo sese rursum pro legitimo Pontifice, præsente probantéque Friderico jactâsset, & Mediolanensibus eorúmque fœderatis Placentinis, Brixianisque, Sacris interdixisset. Exinde Fridericus Ludovicum Franciæ, & Henricum Angliæ Reges per litteras solicitavit, ut se Victori addicerent: verùm uterque ex Episcoporum sententiâ illum est detestatus. Ipse Cistertiensis ordo jam tum Episcopis & religiosorum florens contubernijs, coacto ad Cistertium conventu, sese Alexandro totum devinxit. Quo facto Fridericus efferatus, omnem D. Bernardi familiam è suis regnis proscripsit, ijs duntaxat exceptis, qui ad Victorem, communi domiciliorum conspiratione, deficerent. Hinc ingens exulum in Franciam confluxus. Alexander ipse, relicto Romæ Guilielmi Siculi vicario, Siculis triremibus Tarracinâ vela fecit in Galliam, & passus ad Tarricinam naufragium, sub anni sequentis initium salvus portum tenuit.

LAUDENSE CONCILIABULUM.

ORDINIS CISTERTIENSIS AFFLICTIO.

ALEXANDER PONT. NAVIGAT IN GALLIAM.

Inter hæc solito acriùs Mediolani obsidium urgebatur, cùm, orto velitari conflictu, Fridericus ardore intempestivo invectus in hostem, sive coactum, sive fugam simulantem, ad mœnia repressit. In quo pugnæ æstu incautè ad arcum Romanum progressus, effusus equo, grave vulnus accepit, certò periturus, nisi eum sui erectum, equóque redditum, præsentissimo discrimini subduxissent. Quo ex ca-

AHENOBARBUS AD MEDIOLANUM VULNERATUR.

ex casu factus incitatior, juratus obstinavit, se non nisi victorem aut mortuum à Mediolano abiturum: quod si humanitus sibi quippiam contingeret, Fridericum Conradi Regis filium, & si hunc fata non probarent, Henricum Leonem, Cæsares nominavit. Hieme appetente, Laudem, indéque Cremonam cum uxore concessit, locatis utrobique præsidijs, quibus Brixiani juxtà ac Placentini à convehendis Mediolano cibarijs arcerentur. Tantæ severitatis adjecit edictum, ut, si qui institores secus fecisse deprehenderentur, præcisis manibus, vel effossis oculis, vel truncatis naribus plecterentur. Alios imbrium frigorisque rigoribus objectos, cogebat quantumcumque poscebatur auri pro vitâ pacisci.

Istis gradibus Mediolanum rapiebatur ad ruinam. Clausâ undique urbe, augebantur rerum omnium pretia, fames evadebat indies intolerabilior, eóque tandem ventum erat inopiæ, ut canes, equi, & quæ obscœna magis, in escam, ineunte Januario, verterentur. Hinc populi quiritationes atque tumultus, accusantis rebellionis authores, & præcipuè Archiepiscopum, quasi bello materiam, pacificationi obicem attulisset. Quamobrem ille plebis Cæsarísque metu, Genuam profugit. Quia verò cives nihil ampliùs rationum admittebant ad aures, Legatos ad Cæsarem, Laude agentem, mitti placuit. Ivêre cum liberis mandatis Consules, Ossa Ossius, Albertus ejus filius, & Anselmus, admotis jugulo mucronibus, velut mortis victimæ se suáque omnia, sacra, profana, urbem, agrum, Cæsaris arbitrio dedentes, nimis utique largâ pactione, cujus ipsos postea pœnituit; quando se cum inexorabili Principe supremam urbis perniciem pactos intellexerunt. Crediderant, se specie infimi obsequij, pompáque lamentabili, Fridericum ad aliquam partem lenitatis flexuros: sed spe decepti, jussi sunt signa omnia militaria, cum omnium portarum clavibus, & Magistratuum insignibus, tradere per trecentos equites florem Insubricæ juventutis, ac deinde nomine civitatis fidem perpetuam jurati promittere. Factum id quarto Martij. Tertio pôst die, adduxêre velut captivum urbis vexillum prætorium, unà cum trecentis signis minoribus in Thensâ augurali urbani *Carrocij*. Promiscua multitudo universa flebili agmine carpentum stipabat, singulis crucem manu gestantibus. Dispositi per Thensæ tabulata tubicines, ferali cantu urbis fata deplorabant, tubásque substernebant pedibus Imperatoris. Ipsa D. Ambrosij effigies vecta in sublimi *Carrocij* malo habitu deprecantis, cùm omnia essent dedita, se quoque ipsam dedidit humi inclinata, quasi Friderici majestatem venerata, ejusdem misericordiam demissè prensaret. Fuissent ista suprà quàm satis ad molliendum Ahenobarbi pectus, nisi fuisset aheneum: sed vide quàm aheneum! Lacrymas, præter ipsum, nemo in potestate habuit, cùm miserabile vulgus cruces in ejus oculis deposuit, inclamans misericordiam: cùm audita ætatis omnis, sexûs omnis, omnium Ordinum comploratio: dati obsides, quotquot ipse qualésque imperavit: civitas universa in terram provoluta, lamentabiliter jacuit velut jugulum datura ad cultrum. Quid plura? Quamlibet abjecti atque supplices, jubentur suis ipsi manibus urbis portas diruere; diruunt: fossas æquare solo; æquant: mœnia dejicere, viámque complanare, quâ exercitus quadrato agmine urbem ingrederetur; complanârunt, hoc saltem sperantes, omnibus amissis, patriam sibi fore reliquam: sed & hæc fuit deserenda, solum omnibus mutandum: &, ne spes ulla redeundi superesset, ædificia, præter paucas basilicas, à fundamentis eversa: & areæ, per quatuor mundi plagas, aratro sulcatæ respersæque sale, quasi Mediolano renascendi facultas omnis adimeretur: sed DEUS longè meliora destinârat. Hoc si non fuit sævire, nescio quid de Barbarossâ barbarum fingi possit & sævum. Magnis quidem delictis decet adhibere severitatem, sed Principem non decet ira inexorabilis, cui nulla pœnitudo faciat satis. Ferus est, qui delectatur pœnâ; non enim justitiæ, sed sibi præstat legum vindictam, quod genus est quoddam profligatæ humanitatis.

AN. CHRIST. M.C.LXII. MEDIOLANENSES PREMUNTUR.

FACIUNT DEDITIONEM.

XXI.

AHENOBARBI DURITIES.

Fridericum, Mediolani ruderibus adhuc insultantem, Eberhardus Salisburgensis & Hartmannus Brixinensis, par fortissimorum Antistitum, litteris minacibus

EBERHARDI SALISBURGENSIS ET HARTMANNI BRIXINENSIS CONSTANTIA.

cibus evocati convenerunt, facturi constantis in Alexandrum Pontificem illustre fidei experimentum. De utroque habitæ in publico senatu, biduo ante Ramalia, quæstiones, dictæ graves sententiæ. Ut schismati conciliarentur, allatæ speciosæ rationes; sed quicquid artificij, quicquid assentationis, minarum, machinarúmve potuit adduci, attamen ne latum quidem unguem à consentiente Orthodoxorum judicio potuêre dimoveri. Peroravêre, audiente Cæsare; causam disceptârunt in duodecim Episcoporum consessu, adstante frequenti Principum coronâ, támque divinâ facundiâ Alexandri dignitatem sunt tutati, ut, nisi insana malè feriatorum

XXII. præjudicia schismaticas aures occupâssent, palmam certò fuissent de impietate relaturi. Id saltem tulêre fructus, quòd non modò impune pro veritate dixerint, sed licuerit ambobus ad suas sedes reverti: quo factum, ut Boica in officio retineretur, spreto Victore, quem illi, Cremonæ divertentes, ne salutatione quidem sunt dignati. Id ipse cùm ferret gravissimè, Cæsarem rogavit, ne tantam ignominiam pateretur inultam: sed non impetravit tamen, ut durius quicquam in eos consuleretur; tanta fuit virtutum efficacitas atque reverentia. Immo Gerhoho, qui Eberhardum in Italiam erat comitatus, dedit Cæsar, ut ipsius fratres Canonici Augustenses à Collegis ipsóque Episcopo, ob repudiatum Victorem sacerdotijs fortunisque spoliati, edicto restituerentur, cœnobiúmque Reicherspergense, cui Gerhohus præerat, Cæsareâ tutelâ frueretur.

Sub autumnum Henricus Leo in comitijs Carpheimensibus loci Monasterium, Advocati titulo, in suam fidem recepit, &, agente Bertoldo Andechsio, Bertoldum Pogium ad cessionem prædij Mynsteriani, quod cœnobio debebatur, adegit. Inde profectus est in Burgundiam, adfuturus Cæsari de abdicando utroque Pontifice anxiè laboranti. Verebatur enim Fridericus, ne Reges, qui in Alexandri perstabant authoritate, arma pro ejus defensione corriperent, traherentque in partes Germanos, Italósque à Schismate alienos, unde evenire poterat, ut ipse de Imperio periclitaretur, nec tamen volebat videri inconsultò & sine ratione Victori adhæsisse. Quare comperto, Alexandrum à Ludovico Galliæ & Henrico Angliæ Regibus honorificentissimè fuisse exceptum, in Burgundiam cum suo Idolo contendit, ut Ludovicum à colendo Alexandro abduceret, induceretque ad probandum alium quempiam ab utroque diversum, qui Concilij, quod statuerat cogere, consensu eligeretur. Missis igitur in Galliam legatis, postulat, ut Rex ad 4. Cal. Septemb. apud Ararim fluvium colloquendi gratiâ velit occurrere, non procul à Divione; sibi enim esse certum, eo congressu ex communi consilio Ecclesiæ reddere tranquillitatem. Ludovicus doli latentis incogitans, promisit, se unà cum Alexandro adfuturum; & si hic quidem recusaret adesse, juratus addixit, se non defugiturum, quò minùs Rex ipse Cæsari loco Alexandri dederetur. Sed & Waldemarus Canuti Martyris Daniæ Regis filius, inductus in fraudem, sibi passus est persuaderi, ut se ad extinguendi schismatis tractationem ad Fridericum conferret, tametsi Absalon Roschildensis Episcopus, insigni vir sanctimoniâ, regiique ministri sollicitè monerent, ne se daret in discrimen, non modò labem aliquam ex Schismatici consuetudine consciscendi, sed etiam officiendi Danorum libertati, quos Fridericus sub jugum mittere cogitabat. Ludovicus Rex, omnino certus stare promissis, cùm jam Fridericus, comitantibus Daniæ & Boëmiæ Regibus, magnáque stipatus Germaniæ Principum frequentiâ, cum justo exercitu ad locum colloquij properaret, ex itinere divertit ad Alexandrum Pontificem, suasitque, ne indicti colloquij refugeret eventum. Suasit quidem, sed non persuasit excusanti facti istius indignitatem: neque enim sibi per sacras leges & Patrum placita esse integrum, sedis Romanæ, cujus sit cæteris omnibus jus dicere, majestatem subdere judicio ullius humanæ potestatis, quod fieri nequeat, nisi prodendo Ecclesiarum omnium dominæ dignitatem. Illam orbi Christiano dare leges, non accipere. Id responsi Ludovicum conjecit in magnas angustias, secum animo reputantem, agi de servandâ jurisjurandi religione, déque regij nominis existimatione, non sine alijs incommodis, quæ credebat oritura, si Alexander in sententiâ perstaret.

Verùm

Cæsaris adversus Alexandrum et Victorem molitio. *Robert. de Monte in Append. Sigeb.*

Frustranea.

Verùm dictu mirabile, Deus anxietatem discussit per Henricum Anglorum Regem, qui integratâ cum Francis pace, compertáque Ludovici perplexitate, cum valido exercitu trepidanti suppetias accurrit. Quocirca Fridericus impar utrique Regum, si quæ fors esset inferenda vis, retro, unde venerat, repudiatâ colloquendi voluntate, regressus est. Ita Henricus Leo, sublatâ spe pacis componendæ, Constantiam ad Lacum Acronianum sub 9. Cal. Decemb. reversus, cum uxore Clementiâ Conradi Zäringij filiâ divortium fecit, nescio quo consanguinitatis obtentu, an, quod Urspergensis suspicatur, suasu Imperatoris. Eâ repudiatâ, duxit Mechtildem Henrici Britannorum Regis filiam, ex qua tergeminos filios sustulit; Henricum Rheni Palatinum, Othonem, qui post Philippum imperavit, & Guilielmum. HENRICUS LEO UXOREM REPUDIAT.

Alexander Pontifex Ahenobarbi metu solutus, anno supra sexagesimum tertio, mense Majo, lubente Galliarum Rege, Turone in D. Martini basilicâ Concilium egit septendecim Cardinalium, Episcoporum centum viginti quatuor, Abbatum quadringentorum quatuordecim, aliorum è sanctiore ordine complurium. Interfuit S. Thomas Episcopus Cantuariensis, anno superiore ex Angliæ Cancellario creatus Antistes, missus communi Londinensis synodi consensu votisque Anglicanorum Pontificum. Venienti Alexander omnes Cardinales voluit ire obviam extra civitatem, duobus exceptis, quos de more Pontifici oportebat adesse: tanta fuit sanctimoniæ dignatio. Eodem se contulit Conradus Wittelspachius, qui, posteaquam fuerat cum Eberhardo Salisburgensi & Hartmanno Brixinensi, rei Catholicæ in Boicâ patronis, collocutus, ita cœpit adulterinum Friderici Papam detestari, ut nullo capitis periculo, nullis fortunarum dispendijs adduci potuerit, ut ab Alexandro deficeret. Quæ animi magnitudo toti Concilio cùm esset in admiratione, sic affecit Alexandrum, ut eum Sabinensis Ecclesiæ infulis donatum, atque inde evectum ad Moguntinam mitram, Romanâ insuper purpurâ nobilitârit. AN. CHRIST. M.C.LXIII. TURONENSE CONCILIUM. *Vita S. Thom. Cantuarien.* XXIII. *Docdechin. Bruschius.* CONRADI WITTELSPACHII IN ALEXANDRUM FIDES.

Inter hæc Fridericus, actis Wormatiæ Christi resurgentis ferijs, iratum plenus venit Moguntiam. Cives notæ melioris, qui se Arnoldinæ cædis conscios meminerant, metu supplicij, penè omnes ex urbe profugerant. Brungerus, qui unicus domi manserat, capitali sententiâ damnatus. Godefridus D. Jacobi Abbas loco motus, cùm non satis probâsset suam innocentiam: Monachi clausi domûs urbanæ parietibus, alij industriâ feliciore dilapsi, ne quid indignius paterentur: reliquis facta abeundi potestas: civitatis diruta mœnia, neque ante annum M.C.XC. instaurata. Quam calamitatem excepit triste sacrorum silentium, templorum solitudo, ubique mœror, quòd tota diœcesi non esset, qui sacerdotes initiaret, conficeret sacrum Chrisma, daret aures pœnitentibus, flammeo sanctimoniales velaret, dedicaret templa. Cæterùm in Turonensi Concilio, summâ Patrum consensione, diræ in Octavianum iteratæ, explosæ ipsius aliorúmque Schismaticorum ordinationes. PRÆMIA. CIVITATIS MOGUNTINÆ CALAMITAS.

Sed neque Henrico Leoni hoc anno licuit esse quieto per Slavos, qui intempestivâ Pribislai & Wertislai (erant ambo Nicloti nuper interfecti proles) cupiditate, Leonis arma in suam perniciem provocârunt. Illi, extincto parente, Henrici beneficio, de ejus hæreditate modicam portionem decerpserant, in Kycinorum ad Gucegonium oppidum, & Circipanorum non longè à Gripswaldâ, Wolgasto, & Sondio, haud amplos fines redactam. Quâ neutiquam contenti, cùm ex nuperâ clade respirâssent, adjecerunt animos Obotritis invadendis. Conspiratione per Guncelinum Suerini præfectum Henrico nuntiatâ, collecto raptim exercitu, rigente brumâ, ad eos opprimendos confestim advolans, Guncelinum præmisit cum flore juventutis, qui rebelles tantisper in arcto contineret, donec cum reliquis copijs ipse adveniret. Ambo fratres in Wurlæ bene munito custro consederant. Ne uterque obsideretur, bellum inter se partiti sunt. Wertislao fratrum juniori relicta Wurlæ defensio, datúmque, quantum satis esset præsidij ad sustinendam obsidionem. Pribislaus cum delecto equitatu nemora insedit, *Helmold. l. 1. c. 93. Crantz. lib. 6. c. 19.* NOVUS SLAVORUM TUMULTUS.

 hostem

XXIV. hostem ex insidijs vexaturus. Henricus sine cunctatione, Wurlam angusto cinctu complexus, vetuit suos hostem prolicere ad certamen, sed suam quemque stationem, per vices, cum curâ tueri: ita enim fore, ut sedendo, assiduéque vigilando, pararent victoriam, parceréntque virorum fortium sanguini, qui modus esset gloriosè vincendi. Tum aggressus fabricari machinas eâ formâ, quam in Cremensium expugnatione expertus erat inprimis opportunam: alias adhibuit mœnibus arietandis, alias applicuit propugnaculis ad eam altitudinem, ut tela è sublimi missa, neminem propugnatorum sinerent impune caput exerere supra mœnium pinnas. Quod genus oppugnationis Slavis hactenus invisum, eò plus incussit terroris, quò, ut in re novâ, minùs erant ad vim insolentem comparati. Metum intendit casus Wertislai graviter telo sauciati, & edita muri ruina, unde demum orta desperatio defensionis longioris. Colloquio impetrato, conventum in eas leges, ut oppidum, unà cum arce & præsidiarijs dederetur, vitâ tamen incolumi: Pribislaus verò ab armis discederet. Wertislaus cum longo nobilitatis ordine, pugione ad cervices religato egressi, se ad Leonis pedes prostravêre. Prostratis injecta vincula, quibus onustus Wertislaus, ductus Brunsuicum; cæteri varijs locis custoditi. Pribislaus, ne captivis duriorem sortem accerseret, positis tantisper armis, à mense Martio, usque ad anni insequentis calendas Januarias bello abstinuit.

COMPESCITUR.

Ista dum ab Henrico Leone gererentur, inter Hugonem Tubinganum Brigantiæ & Curiæ Dynastam, & Welfonem Bojum, acre bellum levibus initijs conflatum est. Hugo tres grassatores, qui itinera habebant infesta, fecit captivos. Horum unum Welfonis clientem egit in malam crucem, & gentilitium ejusdem Moringense castrum evertit: duobus alijs proprijs clientibus noxam capitalem condonavit. Quam rem Welfo suam injuriam interpretatus, graviter cum Hugone expostulavit, petivítque sibi fieri satis. Cùm Hugo responsis acerbioribus & longiore morâ nihil pro æquitate faceret, quasi vellet omissâ conciliatione, injuriam diffiteri; Welfo evocato ex Italiâ filio, maternam omnem hæreditatem unà cum importunâ lite commisit; ipse verò abijt in Italiam. Res inter altercationes stetit ad annum usque insequentem; cùm Welfo junior advertens, nihil profici ignobili disceptatione, jus armis putavit esse repetendum. Hugo, qui & suis & Friderici Rotenburgij Sueviæ Ducis, Comitúmque Zolleranorum præsidebat viribus, certus erat bellum experiri. Igitur Welfo ad 7. Idus Septembris, quinque armatorum millia è Boijs & fœderatorum auxiliaribus eduxit haud procul à Tubinga. Suppetias miserunt Episcopi tres, Augustanus, Spirensis, & Wormatiensis, Albertus Habspurgius, Bertoldus Zäringensis, Hermannus Badensis, Rudolfus Pfullendorfius, Bertoldus Vohburgius, duo Calbenses Comites, Godefridus & Rudolfus Romerspergij, Comites Bergenses duo. Castris in hostico locatis, sequentem diem, qui erat Dominicus, placuit dare religioni, & si quâ fieri posset, paci componendæ. Fuerunt tamen, qui neglecto ductorum imperio, egressi castris, sub horam diei nonam ad Tubingæ mœnia prodierunt, protervè hostibus insultantes. Oppidani impatientes ignominiæ, factâ eruptione, cum feroculis manus conserunt, loco Welfianis periniquo: qui cùm fortiter premerentur, totis castris ad arma conclamatur, & vicissim à Tubinganis concurritur. Ita præter expectationem pugna committitur viribus omnibus. Welfiani, loci iniquitate superati, se dant in fugam: ex ijs nongenti capiuntur, cæteri per nemora palantes ægrè hostium manus evasêre. Welfo penè incomitatus evasit in Ahalmense castrum: miles unicus è toto numero cæsus est.

Vrsperg. Otho Blasian. c. 18.

XXV. BELLUM WELFONIS CUM HUGONE TUBINGANO.

AN. CHRIST. M.C.LXIV.

WELFO FUGATUR.

Hoc anno Hartwicus II. Episcopus Ratisbonensis diem clausit 11. Cal. Septembris, ijs, quas antè retulimus, rebus memorabilis, quibus addi potest, eum cum alijs Germaniæ Principibus, dedisse operam paci conciliandæ inter Henricos Leonem & Austrium, quando Austria, titulo Ducatûs aucta, crevit accessione Provinciæ Super-Anassianæ, quæ aliàs fuerat Bojariæ clientela. Idem S. Magni Monasterium Ordinis Canonicorum Regularium D. Augustini, quod à Gebhardo

MORS HARTWICI EPISC. RATISBONENSIS.

Otho Frising. de reb. Frid. c. ult.

hardo Comite Raningio ædificatum, ac locupletatum olim, stetit ad pontem Ratisbonensem, dedicavit, donavítque privilegijs, anno M. C. LV. In ejus locum successit Eberhardus, cognomento Suevus, Canonicus Augustanus. Hic item annus propugnatorem religionis egregium cœlo submisit Eberhardum Salisburgensem Archiepiscopum. Erat illi familiare studium, miseros ope, consilio rebus, quibus poterat, adjuvandi. Adibat per se elephantiacorum tuguria, casas ulcerosorum, quibus benignè liberalitérque præstabat vitæ subsidia. Non horrebat contrectare manibus eorum vomicas, saniem, tabo fluentes artus. Cujus facti exemplum insigne memorat Cæsarius, quando Christo, sub leprosi formâ Eucharistiam poscenti, ministravit. Tam effusâ in hospites erat liberalitate, omnes ut tecto reciperet, nullum dimitteret indonatum. Cætera, quæ gessit, ipsius discipulus fusè explicavit, quæ proinde non recenseo. Ipsi suffectus est Conradus II. 3. Cal. Julij, Cæsaris patruus è nobilissimo sanguine S. Leopoldi Marchionis Austriæ, frater uterinus Conradi Regis Romanorum. Auctus hoc anno Bojariæ Ducatus accessione Burghusianæ Dynastiæ, Gebhardo ejusce ditionis domino rebus humanis exempto. Habuit Burghusium olim suos regulos, qui genus traxerunt ab Aribone nobilissimo Bojorum Dynastâ, qui in venatione à bisonte peremptus, antiquis carminibus celebratur. Quidam ejus stirpem referunt ad Babonem patrem quadraginta liberorum, quos omnes moriens in vivis reliquit. Aribonis progeniem Aventinus ex Bataviæ, Varnpachij, Ranshoviæ, Rotenhaslachij membranis collectam, operosè contexuit velut monumentum vetustæ nobilitatis.

EBERHARDI SALISBURGENSIS EXCESSUS ET VIRTUTES.
Append. ad Radevic. S. Eberhardi discipulus tom. 2. Antiq. Lect. Canis. pa. 264. & tom 6 pa. 1194. Hund. Rader. Cæsar. li. 8. c. 33 pa. 147.

XXVI.
DYNASTIÆ BURGHUSIANÆ ACCESSIO AD BOICÆ PRINCIPATUM.
Avent. lib. 6. pa 642.

Tot virorum illustrium obitus secuta est gravis orbis Christiani perturbatio. Victore IIII. Schismatico Lucæ in Tusciâ 10. Cal. Maij phrenesi extincto, spes erat Ecclesiæ ad concordiam revocandæ, cùm repentè Guido Cremensis ex Diacono S. Eustachij Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ trans Tiberim olim ab Adriano IV. creatus, fasces noménque Paschalis III. Cal. Maij invasit. Fridericus Cæsar, posteriore imperij quinquennio, quod sub Victore aliquoties victus egerat, edoctus, haud difficilè ad Alexandri authoritatem accessisset, nisi malesuadæ pravorum hominum molitiones eum ad Paschalis tutelam impulissent. Certè nutare visus est, cùm à Conrado Wittelspachio candidâ orationis libertate motus, palàm ostendit, se omnino ejus consilio usurum, scriptisque raptim ad Reinaldum Coloniensem Archiepiscopum literis, eum vetuit de subrogando in Victoris locum Pontifice cogitare. Cùm verò Reinaldus seriùs litteras Cæsaris accepisset, & ipso inconsulto monstrum aliud obtrusisset orbi, in comitijs Herbipolensibus, Cæsar eum hâc de re graviter increpitum, *suum proditorem appellavit.* Quam in sententiam Joannes Saresberiensis, qui postea factus est Carnutum in Franciâ Episcopus, epistolâ memorabili ad Girardum Magistrum Agrippinensis scholæ scripsit, toti ferè mundo innotuisse, *quantus contemptor Ecclesiæ semper, quantus incentor & author schismatis extiterit ille Coloniensis præsumptor Ecclesiæ.* Præsumptorem vocat, quia se pro Archiepiscopo gessit, tametsi Adrianus Pont. ejus electionem damnâsset. *Defecerat* (inquit Saresberiensis) *illud schisma, pacem fuerat Tyrannus vestræ Ecclesiæ redditurus, nisi illum Colonia adhuc adversus Ecclesiam incitaret, ut pari voto, non tam summi Pontificis vitam, quàm Petri dignitatem conentur extinguere, dicentes; Alligemus justum, quoniam inutilis est nobis, scientiam viarum DEI nolumus, Regem nescientes, nisi Cæsarem:* eo enim (ut ajunt) *proposito, in Italiam profecti sunt, ut Cremensem Hæresiarcham intrudant in sedem Petri, & Vicarium Christi aut comprehendant, aut ejiciant, aut occidant. Veruntamen oratio sine intermissione fit ab Ecclesiâ ad DEUM pro eo, ut supra modum timere non debeat à duabus caudis fumigantium titionum, Friderico & Reginaldo, qui ponentes carnem brachium suum, sanctum Israël blasphemare non cessant.* Idem alibi: *Quis similis erat Friderico in filijs hominum, antequam in Tyrannum verteretur ex Principe, & ex Catholico Imperatore schismaticus fieret? Ille sacerdotium scidit adversus Dominum, & à Domino scissuram sentit Imperij.* Sed de his postea.

Acta Alexandri. Codex Vatican. Ep. S. Tho. Cantuar.
PASCHALIS SPURIUS PONTIFEX.

REINALDUS ARCHIEPISC. COLONIENSIS SCHISMATICUS.
Saresb. ep. 185.
Ep. 159. & 178.

Nunc

Nunc quod hujus est loci, cùm animus Friderico ad respuendum Paschalem defuisset, schisma longè, quàm antè, tetrius invectum est. Sed Boica rursus eàdem, quâ Victorem, detestatione erat execrata, ad funestum Paschalis nomen cohorruit, exemplo & hortatu Conradi Salisburgensis Archiepiscopi, qui edicto cavit, ne quis totâ suâ provinciâ alium, quàm Alexandrum, Pontificem agnosceret. Ne verò minus faceret, quàm imperaverat, cùm Septembri mense à Friderico juberetur vel se Paschali subjicere, vel juribus regalibus, quorum indipiscendorum gratiâ Papiæ Cæsarem convenerat, carere; posterius antehabuit, Paschalē constanter aversatus, & satis habens, ab Alexandro pallium, sacræ potestatis insigne, accipere. Idem cùm faceret Conradus Wittelspachius, Moguntinus ne Legatum quidem Paschalis in conspectum admisit, sed jussit propere provinciæ finibus excedere, vetuitque severè, quemquam spurij Pontificis mandata ad se deferre, nisi audaciam luere vellet effossione oculorum. Suam etiam constantiam retinuit Hartmannus Brixinensis Episcopus, quem decimus Calendas Januarias cœlo transmisit. Natus erat in agro Pollingensi, haud procul à Passavio, honestis parentibus. Litteris ac pietati puer dedit operam in D. Nicolai asceterio prope Passavium: unde evocatus, præfuit collegio sacerdotum Salisburgensium cum dignitate Decani, Conrado Pontifice. Non multò pòst adijt Chymensis Ecclesiæ præfecturam, unde à D. Leopoldo petitus, Claustri Neoburgensis fecit fundamenta. Isthic multa sapienter docuit, & fuit divinitus edoctus. Cùm inter domesticos sacræ lectioni incumberet, subitò exiliens è cœnobio properavit ad vicinas ædes, ubi quidam è religiosis negotij causâ colloquebantur. Ad fores ubi constitit, eos magno clamore jussit se ex eâ domo proripere. Vix pedem extulerant, cùm illa procubuit, haud dubiè omnes oppressura, nisi Hartmanni beneficio evasissent. Ejusdem ope, exitio erepti nautæ cum vectoribus, qui haud procul à cœnobio, navi ad scopulum undarum vi impactâ, hæserant, nihil propiùs, quàm naufragium expectantes.

XXVII. Boica expers schismatis. Conradus Wittelspachius Paschalem respuit. Hartmannus Brixinensis Episc. moritur. Res ab eo gestæ.

Mira præter hæc opera Deus in ejus gratiam patravit. Purum aquæ putealis laticem, quem ille delibaverat, in generosum vinum mutavit. Faciens ad aram pro puero, cui ossiculum præcludebat fauces, cum magnâ puris copiâ periculum depulit. Aqua, quæ ejus manus abluerat, tumentem oris livorem fœminæ abstersit. Homicida, quem occisi frater ad necem jamjam destinabat, ad Hartmanni pedes asylum nactus est, hoste eum ne auso quidem attingere. Si quis cogitationum obscœnis imaginibus agitatus ipsi adstaret, id illico castissimus Præsul sentiebat, & vultûs severitate sic delusi castigabat animum, ut vel mox resipisceret, vel ab intuentis conspectu se è vestigio proripere cogeretur. Ista in aliorum salutem; quod subjicio, in ipsius Hartmanni gratiam Deus fecit: ex quo colligere est, quanti sint Numinis favores in eos, quos elegit in sortem Sanctorum. Unus quispiam ex Hartmanni clientibus claræ nobilitatis & multarum opum, è vivis abiverat alligatus dirâ anathematis religione. Execrati cadaver jacebat insepultum, quòd nemo auderet terræ, sacris expiatæ ritibus, illud mandare. Defuncti germanus omni satagebat ope, ut in Novæ Cellæ templo tumularetur. Hoc ut per Hartmannum liceret, ei calicem argenteum obtulit, impetravítque corpori impiato sacram stationem. Nocte proximâ, cùm se Hartmannus ad quietem composuisset, adfuêre umbræ vindices, specie famulantium, ignem pone ipsius lectum excitantes, ex cujus æstu bonus vir cœpit immensum quantum fervere, & resolvi in sudorem. Tum ipso audiente genij; *Quid obstat* (inquiunt) *quin hominem istum in has flammas præcipitemus?* Cúmque id pararent, unus formâ, quàm cæteri imperiosiore, Hartmannum his vocibus compellat: *Quid, infelix, tibi fuit animi, ut suadente avaritiâ, cratere argenteo te sineres corrumpi; ut jus divinum humanumque venderes, locum sacrum execrando cadavere velles temerare? Id tu scelus in hoc, quem cernis, rogo, jam mox lues, nisi te seriò facti pœniteat, revocésque quod concessisti.* Ille horrendum pavere, detestari crimen, meliora omnia prolixè polliceri: apparitores proinde extincto igne evanescere, relicto tamen ingenti ardore in corpore

pœni-

pœnitentis. Hunc ut temperaret, è strato surgens, apertâ fenestrâ, captat auram mitiorem, neque tamen lenit flammam viscera depascentem. Obambulantis per conclave strepitu excitatus Conradus, qui Hartmanno erat à sacris sacellis, miratur primùm, quid rei sit, cur ille, præter morem, noctu esset inquietus: deinde admissus in conclave, edoctúsque causam, cum Præsule secedit in domesticum S. Nicolai sacrarium, ubi quidem quindecim regij Vatis psalmos unà recitant: sed cùm ardor sævire non desineret, Hartmannus non nescius, quid Numen exigeret; *Vade*, inquit, *& cyathum, causam mei cruciatus, quem à demortui fratre heri malè accepi, sine morâ restitue.* Die posterâ Cœnobij præsidi, ejúsque domesticis sanctè præcepit, ne suæ basilicæ execratum cadaver paterentur inferri: ita demum immissum ab infelici dono incendium remisit. Pauca hæc de multis, quæ visum est interserere profanioribus, ne lectori mera bella tristésque rerum eventus referremus.

Urebat inter hæc Welfonem nostrum dolor, ob acceptam anno superiore ignominiam. Welfo parens pacis studiosior, accepto casus infelicis nuntio, confestim se in Bojariam retulit, egitque cum Cæsare, ut concordiæ arbiter, æquis legibus otium ab armis imperaret. Factæ quidem induciæ, & restitutio captivorum; sed quies ultra annum non tenuit, quòd Welfoni parùm honesta videretur. AN. CHRIST. M. C. LXV. XXIIX. INDUCIÆ INTER WELFONEM ET HUGONEM.

Cæterùm Fridericus, obfirmato adversus Alexandrum Pontificem odio, ferijs Pentecostes Wirceburgi conventum egit quadraginta Germaniæ Episcoporum, & nonnullorum præterea Principum. Isthic Reinaldi Agrippinensis furijs incitatus, exegit ab omnibus, ut jurati profiterentur, se, rejecto Alexandro, Paschali morem gesturos, neque lecturos Cæsarem, nisi suam illi fidem addixisset: quo se quoque juramento ipse obstrinxit. Jussit præterea Episcopos, ad eandem impietatem adigere sacerdotes subjectos & religiosa collegia; arcere verò ab aris & patriâ, quicunque id imperij detrectarent. Albertus Frisingensis negavit, se à Conradi Salisburgensis Metropolitæ sui judicio discessurum. Quamquam (si Sigonio & Aventino credimus) postea per vim adactus, ne regijs clientelis exueretur, pollicitus est, se Paschali obtemperaturum, *quamdiu Imperator ejus partes foveret.* Rupertus Passaviensis, senex capularis, nihil cunctatus, concessit in Paschalis factionem. Scelus quoque exaggeravit graviori improbitate, quando omnes Episcopatus sui Præsules impio juramento in Paschalis verba adegit: sed hoc ipso anno extinctus Nonis Decembris, ad justas Ecclesiæ proditæ pœnas est postulatus. Conradus Salisburgensis datâ operâ Comitio noluit interesse. Cæsar secundo Danubio Viennam navigans, Eberhardum Ratisbonensem, quem Brunnerus Fridericum malè nominat, in suas quoque partes traxit. Simili ruinâ permulti Proceres eversi, in quibus etiam Henricus Dux Austriæ. Ut tamen Ahenobarbus religionis speciem aliquam præseferret, feriâ quintâ, quæ Christi natalem secuta est, Caroli Magni reliquias, quæ trecentos annos unum & quinquaginta, Aquisgrani latuerant, argenteo feretro illatas, in mediam basilicam eduxit. Cæremoniæ dederunt operam Reinaldus Coloniensis, & Alexander, nuper ex Præposito factus Leodiensis Episcopus. AHENOBARBUS SCHISMA PROMOVET. *Chron. Reicherss.* *Brun part. 3. pa. 463.* CAROLI M. RELIQUIÆ TRANSLATÆ. *Chron. Augusten.* *Serrar. in Christiano pa. 823.*

Verùm ne diu sub eâ pietatis larvâ abderentur Friderici in viros integerrimos profunda odia, duos Conrados, Wittelspachium Moguntinum & Salisburgensem Antistites nisus est publico subducere. Moguntinensi in exilium ejecto, Christianum Imperij Cancellarium suffecit: ut Salisburgensem opprimeret, 15. Cal. Martij Norinbergæ comitia indixit, jussítque Archiepiscopum ad causam dicendam adesse. Conradus, quâ erat animi magnitudine, non dubitavit, innocentiæ suæ patronus obire vadimonium, & Henrico Leone adjutore, causam tueri tam validis argumentis, ut nihil faceret reliquum, quod refelleretur. Accusatus Episcopatum occupâsse per ambitum, omisso regalium jure, spretáque Paschalis auctoritate, gessisse; respondit, se ne nunc quidem in Paschale quicquam, præter inane dignitatis nomen agnoscere: pro regalibus verò ter Cæsari factum supplicem, CONRADUS WITTELSPACHIUS EJECTUS IN EXILIUM. AN. CHRIST. M. C. LXVI.

CONRADUS SALISBURGENSIS SUAM CAUSAM PERORAT.

ter repulsam tulisse. De ambitu, audiendum Clerum populúmque Salisburgensem, quibus testibus luce clarius sit futurum, se ad eam Cathedram ex sanctiorum legum normâ rite atque ordine esse electum. Sufficit viri authoritas & pondus rationum, ut secundum innocentem pronunciaretur; sed Ahenobarbo res erat potissimùm de augendâ Paschalis factione, cui immensum quantum incrementi ex Conradi ab Alexandro defectione credebatur accessurum. Ergo nihil eo senatu decretum: ampliatâ lite visum est sine arbitris ejus tentare constantiam.

CÆSARIS IN EUM IRÆ.

Id factum, quando Fridericus ad 4. Cal. April. Laufæ jus dixit. Missi internuntij, quorum princeps Henricus Austrius Conradi frater, qui Cæsaris voluntatem explicarent: sed impegêre in cautem Marpesiam: negavit Conradus, se in ullius mortalium gratiam per turpem adeò transitionem, cum certâ Numinis indignatione, æternam animo suo maculam perniciémque unquam accersiturum. Quo responso Fridericus velut actus in rabiem, subitò omnes Salisburgensis Ecclesiæ possessiones occupat, partitúrque inter suos gnathones: simul non secus atque hostes Imperij, omnes cœnobitas direptioni devovet, quotquot Conradi sententiæ vel authoritati quicquam essent delaturi. Hinc secuta passim tristia rapinarum aliorúmque malorum exempla, quæ edebantur impune in apertâ libertate peccandi, quæ Cæsaris non modò voluntate, sed etiam imperio grassabatur. Fuit Henricus quidam, Ercheberti à Lapide filius, homo gnaviter scelestus, & audax ad insaniam, qui prædium Munsterianum, colonis ejectis, Reicherspergensi Monasterio deripiens, se id Cæsaris jussu facere non est veritus profiteri: quam rem Henricus Leo tam indignè tulit, ut, quas vindicias loci patronus Saxonicis detentus turbis per se præstare non potuit, Othoni Wittelspachio per litteras impensè commendârit, & bono animo jusserit esse suos clientes.

Chron. Reichersp.

ALEXANDER PONT. ROMAM REVERTITUR.

Codex Vatican. Neubrigen. l. 2. c. 17.

XXIX.

Inter hæc Alexander Pontifex, sublato Victore, vocatus in urbem frequentibus populi Romani litteris, quibus lamentabantur, se ab Imperatore per vim adactos polliceri, se, nisi Alexander ante 3. Cal. Octob. Romam reverteretur, in Paschalis partes transituros: Senonibus, ubi adhuc substiterat, valefaciens, venit in montem Pessulanum, indéque solvit Augusto jam adulto; pérque varias tempestates & Friderici insidias, Messanam appulsus, à Guilielmo Siciliæ Rege Romanæ Ecclesiæ beneficiario maximis cultus honoribus, contrà ac Fridericus per litteras expetierat, regiâ classe vehi jussus est ad ostia Tiberina, ubi magnâ Cleri populique Romani frequentiâ obsequentissimè exceptus, Romam inde veniens, incredibili urbis lætitiâ & plausu 11. Cal. Decemb. recreatus est. Non defuêre tamen è Romanis, qui Friderici largitionibus corrupti, Guidoni sua studia venditaverant, perinde atque nonnulli Tusciæ Magnates, quorum ille auxilio plerasque id locorum civitates ab Alexandri fide avulserat, ad quem è Petri sede eijciendum, intrudendúmque Paschalem, magnos in Germaniâ faciebat apparatus, de quorum infaustis eventibus dicemus anno sequenti, dum in ijs, quæ Boicæ propiora sunt, tantisper versabimur.

WELFO HUGONEM AFFLIGIT.

Welfo Junior, licèt imperatis à Cæsare inducijs, visus erat iras posuisse, recurrente tamen identidem dedecoris accepti memoriâ (ut sunt famæ vindicandæ motus inquieti) ab animo suo impetrare non potuit, quin Hugoni de nuperâ victoriâ glorianti reponere vices moliretur. Quod igitur fuit intermedij temporis, in reparando bello consumpsit, & evocato rursus in auxilium Bertholdo Zäringio, Hugonis agrum ferro flammáque populatus, Chelmunzianum castrum, paucorum dierum oppugnatione, & paulò pôst Hildratshusium suæ ditionis fecit, diruítque. Dehinc arcis Gilstainianæ turres egregiè munitas dejecit: demum Villariam omnibus copijs cinxit. Hæc, tametsi ad vim defendendam egregiè esset comparata, oppugnatorum tamen alacritate brevi capta est & redacta in parietinas. Hugo tot mœstus cladibus, diffisúsque proprijs viribus, Friderici Suevorum Ducis suasu, externa auxilia circumspexit, conduxítque Boëmos, qui nihil cunctati, Bojariam incursârunt, obvia quæque, turbinis instar, cædibus rapinísque involventes. Primâ impressione Henricus Comes Landspergius, Boëmorum nobilissimus,

BOEMI IN BOIARIAM IRRUMPUNT.

à Boijs

à Boijs cæsus, sociorum furorem exacuit: quamobrem in Sueviam effusi, pari immanitate sævierunt ad lacum usque Lemanum. Welfo ab ijs penè oppressus, Ravenspurgum continenti se fugâ recepit. Gliscebat in majus belli incendium, cùm Ahenobarbus Hugonem ad causam dicendam citavit Ulmam: cúmque hic evocatæ peregrinæ nationis ad Germaniæ perniciem, crimen haud satis dilueret; Proceribus, quos urebant accepta damna, in ejus damnationem incumbentibus, jussus est à Cæsare, vel solum vertere, vel, si mallet, se Welfonis arbitrio dedere. Eum supplicem & abjectum ad vestigia, Welfo ter repulit, nec admisit aliter, quàm ut, velut belli jure captus vinctúsque, Nuinburgi in Rætiâ Curiensi attineretur. Isthic per annum & quod superat, arctè est habitus, neque priùs redditus libertati, quàm Welfo vitâ excessisset. VASTANT SUEVIAM. HUGO AB AHENOBARBO DAMNATUS.

Hunc præcessit Arnoldi Reicherspergensis Canonici beata mors Cal. Februarij, eò dignior memoratu, quòd ostendit modum bene felicitérque moriendi. Fuit Arnoldus Gerhoho loci Præsuli non sanguine magis, quàm virtutum æmulatione conjunctus, & quoad in vivis fuit, sodalibus ob religiosam morum honestatem charus, dúxque ad veræ pietatis absolutionem. Illi mors vitæ consentanea cœlitus obtigit. Ad eam cùm se, longo sanctitatis usu & occultis de hoste Stygio triumphis, comparâsset, tam non est veritus supremam cum eo luctam subire, ut ultro integras nefariorum spirituum cohortes, quæ se illi dabant in conspectum, lacesseret, objecto crucis signo, cujus eos terrore dabat in fugam. Atrocia minantes, refutabat convitijs, provocabátque, ut, si quid superesset nævi, quod nondum expiâsset, edicerent, reúmque apud æquissimum Dei tribunal agerent. Objicientibus quædam levis momenti: *Frustra hæc*, respondebat, *istas minutias virgo sanctissima* (Deiparam intelligebat) *verbo refutaverit.* Hujus nomen, velut agonis ultimi tesseram, repetebat identidem, & socios ad illam invocandam cæterósque cœlites, ex litaniarum formulâ, incitabat: útque ostenderet, in quo posita sit summa spes morientium, Christi de cruce pendentis signum manu gerebat, figebat osculis, & manifestè victor, explicatâ ad hilaritatem fronte, velut trophæum erigebat. Tandem ut monstraret sodalibus, quàm verum sit Dei verbum addicentis obedienti victorias, paulò antè, quàm efflaret animam, lætus exclamavit; *Io obedientia, Io obedientia!* Ita valedicens ultimùm rebus mortalium, multis, quæ sub ejus obitum subortæ sunt, ærumnis subductus est, ne vivus aspiceret non modò tertiò repetitum hoc anno Cœnobij incendium, sed ut è longinquo & citra mœrorem spectaret ingentes turbas, quæ Christianum orbem miscuerunt. ARNOLDI REICHERSPERGENSIS BEATA MORS. MORES. XXX.

Minores hæ, quia & breviores & minùs fuêre communes. Henricus Leo, fractis per Guncelinum & Bernardum, ad Raceburgum, Pribislai denuo rebellantis reliquijs, evasit multò quàm antè Slavis formidabilior. Nam & Waldemari Daniæ Regi Lubecæ collocutus, eum sibi fœdere junxerat, auróque accepto, quòd Slavos à Danorum vexatione, piratas ab infestandis commercijs arceret, insuper id pactum iniverat, ut, quas gentes terrâ maríque sub jugum uterque mitterent, earum tributa inter se ex æquo partirentur. Gemino Ducatui accessêre peramplæ Principum possessiones, Hermanni Winceburgici, Sigefridi Hammenburgensis, Othonis Aslensis, & aliorum. Erat in ejus manu nobilissima Stadæ munitio, totúsque, quàm latè patebat, Comitatus. Ei parebat Ditmarsia. Nuper à Frisonibus, quorum fines incurrerat, reportârat ingentes manubias & lytri præsentariam pecuniam. Sed ejus fastum, qui cum opibus atque potentiâ creverat, natámque exinde imperandi immoderationem, nonnihil repressit Slavorum subita incursio, quâ Megalopolim ex improviso occupatam, ferro flammáque vastârunt civibus internecione deletis. Ægrè videlicet ferebant, Wertislaum Pribislai fratrem, pacis obsidem justo diutiùs in vinculis ab Henrico teneri. Accessit valida Saxonum conspiratio, credentium, insidias strui suæ libertati tot opum accessione, & arrogantiâ dominandi. Et verò ille, conspirante fortunâ, subactâ jam Wandaliâ, magnisque rebus continenter in Italiâ pro Cæsare gestis (ut difficile est modum statuere rebus secundis) paulatim evaserat insolentior, unde orta, quæ HENRICI LEONIS POTENTIA. *Helmol. Chron. l. 2. c. 6. & 7.* SLAVI MEGALOPOLIM VASTANT. SAXONUM IN HENR. LEONEM CONSPIRATIO.

 gloriæ

gloriæ comes est, multorum invidia. Saxonicæ conjurationi nomina dedêre, Wichmannus Magdeburgensis, Hermannus Hildesemensis, Antistites; Ludovicus Comes Turingiæ, Albertus Brandeburgicus, Otho Camburgius, Marchiones; Albertus Comes Palatinus Summeresbergius, illustres earum gentium Principes, unà cum ingente numero præcipuæ nobilitatis. Quod erat omnium teterrimum, Reinaldus Coloniensis, qui unus apud Cæsarem omnia poterat, clàm miscebat consilia cum fœderatis, metuens (meticulosa enim semper est ambitio) ne Leo suis aliquando luminibus, meritorum in Cæsarem magnitudine, obstrueret. Et verò formidata Cæsaris authoritas, conjuratos in officio continuit, donec illo Italicam expeditionem parante, larvâ positâ erupit in apertum. Saxones Orientales Ludovico Turingo juncti, obsederunt Aldeslebium: Christianus Oldenburgius, collectâ Frisonum manu Bremam invasit. Henricus tantâ rerum turbarúmque mole pressus, arma, quantâ licuit celeritate, comparat: Pribislaum Slavorum Principem, ne populares armet, novâ sibi juramenti religione adjungit: Holsatiæ, Stormariæ & Wagriæ, ne hostibus accedant, imponit Orlemundum, virum bello bonum, qui pupilli (erat is Adolfi II. Comitis, nuper bello Wandalico cæsi, filius) pueritiam universámque ditionem, viduâ in ordinem redactâ, regeret. Tum apparatu formidando Turingum aggressus, nullo loco passus est subsistere, sed Magdeburgum usque populatione, ferro ignéque omnia fœdavit. Nihil propè fuit negotij in retundendo intra Frisiæ paludes Oldenburgio. Brema momento recepta, permissáque direptioni. Ex urbe plerique profugêre metu supplicij. Ex ijs multi proscripti, neque priùs patriæ redditi, quàm immanem pecuniæ vim ad eam redimendam contulissent. Belli reliquum, cùm nemo pugnæ copiam faceret, solo terrore & Henrici famâ confectum, frendente Coloniensi, & alios super alios æmulos Leoni suscitante, ut, si quà posset, perpetuum illi victoriarum cursum abrumperet. Sed hic conatus in irritum abijt. Cæsar enim, ne bellum incrudesceret, jussit Saxones armis absistere, & Reinaldus non multò pòst, ambitionis & excitati in Ecclesiâ dissidij divinæ justitiæ pœnas dedit meritissimas.

Crantz. in Saxon. l. 6. c. 20. BELLUM SAXONICUM. XXXI.

Fridericus Novembri mense florentissimum exercitum in Longobardiam transportavit, rectâ moturus in urbem ad opprimendum Alexandrum, quod maximè habebat in votis: sed festinanti moras injecit Anconæ obsidio, defectio quarundam Italicarum urbium, diligentiâ Mediolanensium, magno molimine civitatis suæ ruinas reparantium. Inter hæc bellum populi Romani adversus Raimonem Tusculanum Paschalis partiarium exarsit. Romani Alexandro addicti, mense Majo, cum ingenti armatorum multitudine (quadraginta duo millia recensent aliqui) irruperunt in agrum Tusculanum. Raimo tantis impar viribus, à Cæsare primùm exiguas suppetias impetravit ductore Reinaldo: pòst validiores adduxit Christianus Moguntinus Archiepiscopus, quem Conrado Wittelspachio in exilium abeunti Fridericus suffecerat. Mille trecenti plus minus fuêre. Ut venerunt in Tusculi conspectum, Romani, omissâ statim obsidione, instruxère aciem velut certi de victoriâ. Germanis unius diei inducias poscentibus, insolenter responderunt, venisse eos ad lanienam, ut corvis cœnam præberent. Quæ dicti acerbitas efferavit Germanorum animos, ut súsque déque habitâ suorum paucitate, signa explicarent, tantâque ferociâ irruerent in hostem, ut ingenti Romanorum strage Cannensis pugnæ funera si non superarent, æquarent tamen. Certè, devictorum confessione, major nulla clades post Annibalis ad Cannas victoriam, urbi Romanæ illata est. Reinaldus nondum suo fato maturus, factâ è Tusculo cum trecentis eruptione, jam turbatam Romanorum aciem plurimorum cæde cruentavit. Ex ingenti numero, bis mille, non plures redierunt in urbem. Capti quinque millia: in vestigio occubuêre novem millia, cæteri, quà sors tulit, fugâ sparsi dispalatíque. Pugnatum postridie Pentecostes in monte Portio, unde Germani acceperunt ansam regerendi convitium in Romanos, egregiam illos cœnam corvis in Porco præbuisse.

FRIDERICUS CÆSAR REDIT IN LONGOBARDIAM. *Act. Alexand. apud Baron.* AN. CHRIST. M.CLXVII. XXXII. ROMANORUM INGENS CLADES.

Erat

Erat in urbe Alexander suorum casu tristis atque perplexus. Ne elaberetur, Reinaldus, accitis vicinarum civitatum auxilijs, Romam circumsedit, donec Fridericus, Anconâ deditione acceptâ, cum exercitu universo ad urbis expugnationem advolavit. Erant in urbe non pauci, quos schisma & spes præmiorum ab Alexandro alienaverat. Primus Friderici impetus in S. Angeli munitionem fuit, sed irritus. Cùm neque illi propugnaculorum D. Petri oppugnatio ex animi sententiâ succederet, per Fridericum Suevia Ducem Rotenburgium, ignem sacrilegum templo omnium sanctissimo injecit, D. Petri aras humano sanguine temeravit, multa cremavit monumenta vetustæ sanctitatis. Ne basilica omnino tota abiret in favillas, præsidiarij, deditione factâ, prohibuerunt. Arsit nihilominus tota Dei Matris ædes à Turri nuncupata. Sed quod omni scelere fuit funestius, Paschalis, propudiosum impietatis Idolum 3. Cal. Augusti, in Apostolorum Principis sede prostituit adorandum, & mitras veris Episcopis detractas suis adoratoribus partitus, Cal. Augusti Beatricem Augustam diademate insignivit. Welfo senior redux ab Hierosolymitanâ peregrinatione, in istas scelerum atrocitates spectator incurrit unà cum Henrico Burggravio & Friderico Wittelspachio, quos religio traxerat in Palæstinam. Ille agri Romani & sacrorum vastitatem unà cum Friderici barbarie detestatus, se proripuit in Germaniam, hoc infelix, quòd Welfonem filium in istâ consceleratorum colluvie reliquit, eum brevi in urnâ recepturus. Inter hæc Alexander Pontifex, diffidens Laterani munimentis, confugiens in amicam Frangipanorum turrim, intra Romæ mœnia Legatos Wilhelmi Junioris Siciliæ Regis audijt offerentes aurum & triremes, quibus ad vitandum captivitatis discrimen uteretur: verùm ille remissis triremibus, pecuniam in Romanos sibi fidos distribuit, & clàm, habitu peregrini ignorabilis, paucis comitantibus, se recepit Beneventum. Sic implebatur mensura criminum, quam denique Numen iratum in Friderici ignominiam, & facinorosi exercitus pœnas effudit. Immisit luem immedicabilem, quæ non modò innumeram manipularium multitudinem, sed universos etiam propè Principes sacri juxtà ac profani ordinis, ignobili morte, sævum in modum, consumpsit. In his Reinaldus, fax Schismatis & nefandi belli concitator, Godefridus Spirensis, Eberhardus Ratisbonensis, Daniel Pragensis, Hermannus Verdensis, Alexander Leodiensis. E nobilissimis sublati, Welfo junior, Fridericus Rotenburgius, Berengarius Sulzbachius, Henricus Tubingensis venêre in censum Libitinæ. Cæteri derasâ cæsarie nonnihil levabantur, mortuis, quàm viventibus similiores, tantâ macie & pallore, ut vivam mortis imaginem referrent. Otho Wittelspachius felici sorte in legatione Bizantinâ cum Friderico Austrio occupatus, ut à nefariâ expeditione, ita à supplicij consortione exemptus, ad meliora est reservatus. Tandem & Fridericus ipse immanitate cladis exterritus, rebus tumultuariè in urbe compositis, hominibus invisus, & Superis execrabilis, 8. Id. Augusti iter ingressus, comitante ubique mortalitate, Lucæ nuntium accepit, Longobardos sociatis armis eum transitu prohibituros. Per montium aspera cum paucis Papiam delatus, ut legum violator & diris devotus ex universâ Lombardiâ pulsus est. Prælio cum Mediolanensibus urbem de integro molientibus, fusus fugatúsque, viginti armatorum millia amisit. Emit magnis precibus à Comite Mauriensi licentiam, per ejus ditiones Italiæ periculis emigrandi. Tendenti in Burgundiam, occurrêre passim mera civitatum & colonorum odia, eum non secus atque pestiferum sidus aversantium. Quos antè sibi beneficijs conciliaverat, fidem cum ejus fortunâ mutârunt: omnes, quos metus, perpetuus odij comes, utcunque continuerat, se hostes palàm sunt professi. Demum eò necessitatis est adactus, ut, cùm se nusquam tutum animadverteret, velut in umbrâ mortis, sibi latibula per castella quæreret, quibus ne biduum quidem securè licebat uti. Susæ, subalpino oppido diversanti, hospes dispositas in ejus caput insidias detexit. Suspendio necaverat nobilem obsidem Brixiensem: quamobrem amici ad vindictam conjurati, locârunt insidias ad omnes fores diversorij, quæ egredientem interciperent. Quid ageret, velut plagis inclusa fera? Velle vi perrumpere, temerarium, infre-

Fridericus Cæsar D. Petri basilicam incendit.

Paschalis insolentia.

Beatricis Augustæ coronatio.

Alexander Roma excedit.

XXXIII.

Lues in Cæsaris exercitu.

Saresber. Ep. 211.

Tom. 2. Leodien. Episc.

Cæsaris infelicitas.

Saresber. Ep. 235.

Otto Morena apud Baron. An. Christ. M.C.LXIIX.

PROFUGIUM. infrequentiore comitatu, quàm pro numero obsidentium, facere deditionem, plenum discriminis & infamiæ. Ergo tentanda ratio per astum elabendi. Hartmanno Sibenaichio datum negotium, ut personatus Cæsarem mentiretur. Fridericus vernæ cujuspiam habitu tectus, cum alijs quinque, qui sibi centones circumposuerant, egressus est. Quæ illum stropha cùm servâsset, demum insidiatoribus patuit, quando pertæsi moras longiores, in Cæsaris conclave irrumpentes, notârunt, se non Fridericum, sed Friderici mimum tenere. Ad eum modùm servatus, multa minitans coquénsque atrocia, abijt in Sequanos, quorum principatus Reginaldi soceri morte ipsi obvenerat, ne hos quidem amicos habiturus, sed tracturus post se longam sortis exacerbatæ catenam. Dum Bisuntij respirans, meros furores meditatur, per certos homines cognoscit, res in Sueviâ & Saxoniâ ad arma spectare, fratre ipsius antesignano, & ijs authoribus, qui ejus reditum, ut Germaniæ dirum & inauspicatum, cupiebant amoliri. Martio tamen mense, citra tumultum, pro innata genti lenitate admissus est. Sed tantum abest, ut tot calamitatibus melior evaserit, ut larvâ detractâ, religiosis quibusdam, quos ad conciliandam cum Ecclesiâ Romanâ pacem magnis promissis evocârat, per litteras obnuntiaret, frustra venturos, nisi secum genium aliquem cœlestem adducerent, ipsique venirent instructi potestate miraculorum, quibus leprosos mundarent, & mortuos vitâ redonarent.

OBSTINATIO.

Igitur sepositâ Ecclesiæ pacandæ curâ, stimulante avaritiâ, animum appulit ad locupletandam familiam, ne quidem neglectis prædiorum minutijs, quorum non exiguum numerum in Sueviâ, partim dono Procerum, partim pretio, instar Euclionis & nundinatoris appetentissimi, contraxit in privatos usus: ita sordes & rei faciendæ libido in ejus animum confluxerant, ut non puderet naviter esse vitiosum. Privatorum opes, quæ ad fiscum spectabant, árripiebat avidè. Omnes Rudolfi Pfullendorfij Comitis agros emendicavit: Adelgozi Subegij sine hærede defuncti Augustæ Vindeliciæ, facultates omnes invasit. Successit item ex asse Friderico Rotenburgio, qui nihil liberorum ex Henrici Leonis filiâ tulerat. A Welfone seniore, qui abdicatâ Reipublicæ tractatione, sibi statuerat in otio deinceps consulere, scriptus hæres, spem optimæ hæreditatis ambabus ulnis est amplexus. Welfo successionem Henrico Leoni ex fratre nepoti detulisset, si hic, quam pactus erat pecuniam, in tempore Welfoni repræsentâsset: sed cùm Leo moras de industriâ traheret expectans mortem seni imminentem, sperânsque, se unà cum primario hæreditatis asse, pacti æris accessionem in lucro habiturum; Welfo è tabulis ejus nomen erasit, & substituit Fridericum.

Vrsperg.

XXXIV.

Per idem tempus Leo filiam, Friderici Rotenburgici Sueviæ Ducis Viduam, Waldemari Daniæ Regis filio despondit. Eum parens regno jam destinaverat. Conradus Salisburgensis, gesto ferè per quinquennium magnâ cum laude Archiepiscopatu, multisque pro Ecclesia perfunctus laboribus, calculi dolore extinctus est. Fuit pro sæculi istius modo egregiè eruditus, haud absimilis fratri Othoni Frisingensi. Doctrinam exornabat pietas singularis, magnúsque rerum humanarum usus. Cœperat templum arcémque Salisburgensem, post anni superioris incendium, pristino nitori restituere, cùm in pulchro conatu eum vita destituit 4. Cal. Octobris. Successorem accepit Adalbertum II. Ladislai Bojæmiæ Regis filium, quem Alexander. Pont. Max. pallio donatum, ad retinendam in tuendâ religione constantiam animavit, Patriarcha verò Aquilejensis sacris Pontificijs initiavit. Sed quæ fuit ævi istius infelicitas, Fridericus Cæsar, Alexandri odio, bonum Adalbertum aversatus, ne aspectu quidem dignatus est in comitijs Bambergensibus, hoc obtentu, quòd se inconsulto, contra receptum Imperij morem, Archiepiscopi munia administrationémque cepisset. Unde factum, ut (quod in loco memorabimus) nomen potiùs, quàm munus & commoda Archiepiscopatus tulerit. Etenim anno mox insequenti jura beneficiaria perinvitus Friderico dedit in manus, vi adigendus ad abdicationem, nisi subjectorum amor, quibus ab injurijs cautum malebat, & Henrici Austrij avunculi intercessio, voluntariam

Helmold. l. 2. c. 13.

CONRADI SALISBURGENSIS OBITUS.

VIRTUTES.

AN. CHRIST. M.C.LXIX.

tariam cessionem persuasissent, quâ Friderici, jamjam cum exercitu irrupturi, furôr est in tempore sedatus.

Babenbergæ ijsdem comitijs actum de Saxoniæ Principibus in Henrici Leonis gratiam reducendis. Fridericus Cæsar omnes in jus vocatos insimulavit turbatæ in Germaniâ contra jus fásque tranquillitatis, eò majore publicæ rei detrimento, quòd ex eorum inquiete nata esset Longobardis occasio defectionis. Re ultro citróque in multis consessibus accuratè discussâ, pronuntiatum pro Henrico, eâ tamen conditione, ut Hartwicus Hamburgensis Archiepiscopus suæ sedi restitueretur. Ejus morte paulò pòst extincta est controversia de Stadæ Comitatu, quæ illum cum Hartwico dudum colliserat, Stadâ in Leonis potestate relictâ. Conradus enim Lubecensis Antistes, jubente Cæsare, suæ dignitati est restitutus, cum eo fructu, ut deinceps, velut mutatus in virum alterum, haud paulò se Henrici observantiorem, & Clero, præ quàm adhuc fecerat, benigniorem præstaret, refrenarétque Henrici Turingiæ Comitis avaritiam, qui Dei hominúmque hostis, solitus erat sacras opes incursare. Unus fuit Wedekindus Dasenburgius, qui pacem suo malo respuit. Hic ab adolescentia rapinis assuetus, fuerat quidem à Leone conjectus in vincula, sed non multò pòst redditus libertati, officij immemor & promissæ fidei, redierat ad genium, fretus Dasenburgici castri munitione, quam rebatur insuperabilem. Et verò ardua fuit loci, rebus omnibus ad vim defendendam instructi, oppugnatio. Cùm castri situs, montísque prærupti eminentia omnem machinarum usum elideret, adhibendi fuerunt metallarij fossores, qui ductis infra munitionem cuniculis, montis viscera scrutantes, reperêre puteum, unde unica obsessis copia aquationis, quâ subductâ, dedêre manus. Præsidiarijs permissa facultas abeundi: Wedekindus se dedidit arbitrio Leonis.

Saxones Henr. Leoni reconciliati.

XXXV.

Inter istos motus Gerohus, vel, ut alij vocant, Gerochus Reicherspergensis Cœnobij Præsul 5. Cal. Jul. rebus humanis exemptus est, cùm annum ageret septuagesimum sextum, cœlo maturus. Natale illi solum Pollinga vicus cœnobio nobilis in superiore Bojariâ, haud longè Weilhaimio. A puero litteratum & pietatis studiosus, Frisingæ primùm & Mospurgi, ubi scholæ à viris eruditis regebantur, deinde Hildeshemij apud Saxones apprimè excultus, redux in patriam, ab Hermanno Pontifice Augustano, ob ingenij felicitatem doctrinæque famam, principi Gymnasio præfectus, sanctiori virorum insignium Senatui adscriptus est, perpetuus summorum Pontificum, qui in sacerdotij & Imperij dissidijs, sedem Romanam jure tenuerunt, cultor, & immotæ fidei in eorum dignitate asserendâ. Ætate jam maturâ, cùm perfectioris vitæ studio teneretur, retineretur tamen parentum fratrúmque inopiâ, quò minùs ad religionem evolaret, utrisque persuasit, sese ut Raitenbuchensi D. Augustini pervetusto cœnobio, mater quidem in Parthenone, pater verò fratrésque inter viros Deo manciparent. Hos ille mox secutus, sic omnem religiosæ severitatis rationem brevi est complexus, suos ut sodales, ipsos adeò moderatores dux hortatórque præclarissimis exemplis longo intervallo præverteret, tantâ efficacitate, ut boni omnes ad illius mores, velut rectissimam virtutum amussim, sese componerent. Fuêre tamen dyscoli, qui ut lucifugæ animantes ejus luminibus offensi, ægerriméque ferentes, quas Româ attulerat, primævas instituti sui leges, graviter eum sunt insectati, quando eos cœpit ad illarum observationem sedulò excitare. Illum Chuno I. Ratisbonensis Episcopus sacerdotio initiavit, fecitque muneris sui adjutorem. Chunone defuncto, Conradus Salisburgensis, exemplar egregiæ sanctitatis, eum misit Legatum ad summum Pontificem, magno suo emolumento, &, rebus feliciter confectis, reversum admovit Cœnobij Reicherspergensis gubernationi, quam gessit eâ moderatione, ut ex emendatis sodalium moribus pulcherrima lux sanctitatis foras promicaret. Hinc excitata opulentiorum liberalitas ad conferenda auxilia, quibus ruinosa domus, qualem Gerhohus repererat, brevi resurgeret in formam ampliorem. Multi etiam è nobilitate non modò suas opes, sed se quoque ipsos, capti amore pietatis, religioni dedêre. Inter istas virtutum exercitationes, edidit egregios ingenij

Gerohi Reicherspergensis mors.

Res gestæ.

Rader. tot. 2. p. 279. genij sui partus, quorum indicem videre est apud Raderum: quódque inter omnia fuit pulcherrimum, post se reliquit magnam in Reicherspergensi collegio virtutum famam & existimationem, quæ præter alios complures, pellexit Gebhardum Halæ Oenanæ Dynastam, ut florenti etiamnum ætate, post tredecim annorum stipendia facta Cæsari Ahenobarbo, res, quibus affluebat, amplissimas, & arridentis fortunæ invitamenta Reichersbergensis Cœnobij disciplinæ postponeret, cui statim se post Comitia Babenbergensia consecravit, matris & duarum sororum exemplo, quæ nuper in parthenonem, eodem loci à Geroho conditum, & sanctis informatum moribus, concesserant.

AN. CHRIST. M. C. LXX. *Act. Alexand.* XXXVI. PASCHALIS PSEUDO-PAPÆ MORS. Hæc dum in eo sunt, Paschalis, nefandus Ecclesiæ Romanæ incubator, cancro divinitus immisso, putrescentibus renibus, ad extrema protractus est, usq; eò fœtens & saniosus, ut citra horrorem à nemine posset adiri. Qui morbus illi longè olidissimam animam & noxis neutiquam expiatam expressit. In ipsius locum à residuâ Schismaticorum fæce subrogatus est Joannes quidam Ungarus, professione Monachus, Abbas Strumensis, Cardinalis Tusculanus, vir apostata, gyrovagus, vorax, obscœnus, qui, ut suæ turpitudini velamen obtenderet, Callisti III. nomen usurpavit. Tale hominis monstrum Ahenobarbus adoravit, & tamen voluit videri ab eo esse alienus, quando animadvertit, Alexandri nomen amorémque indies augescere, se verò in momenta evadere viliorem. Ergo ut sibi conciliaret Orthodoxos, simulans se pacis desiderio teneri; è conventu Bambergensi misit Episcopum Bambergæ, Alexandro semper fidum, unà cum duobus Abbatibus, Cisterciensi & Claræ vallensi, apprimè catholicis: sed misit instructos mandatis tam intricatis támque perplexabilibus, ut facilè prudenti cuivis appareret, eos (quod ferè in fallaci legatione primum est) deceptos, nihil præter Friderici fucos & dolosas artes attulisse, quibus Alexander à Longobardorum protectione divelleretur; quâ subductâ, haud foret operosum, reliqua Catholicorum auxilia dissociare, atque eo modo Mediolanenses, eorúmque fœderatos Friderico præbere ad ictum. Quamobrem boni legati, cùm neque ipsi satis, quid sibi Fridericus vellet nolletve, explicarent, jussi sunt, unde venerant, inanes reverti.

DOLOSA CÆSARIS LEGATIO.

AN. CHRIST. M. C. LXXI. HENRICUS BERGENSIS ALBERONI BATAVENSI EPIS. SUCCEDIT. *Hund. Avent.* Henricus Bergensis Comes, Bertholdi Andecensis ex sorore nepos, è Canonico & Præposito Spirensi, hoc anno 5. Id. Sextil. magno Ordinum consensu, neque obstante Cæsare, Alberoni Batavensi Episcopo datus est successor. Albero, posteaquam annos quatuor Episcopio præfuerat, sed ortâ inexpiabili inter ipsum & Canonicos dissensione, non sine ignominiâ, urgente Cæsare, propter aliquorum facinorum atrocitatem gradu dejectus fuerat. Sed neque Henricus retinuit Episcopatum: cùm se, nisi cum Cæsare de Romano Pontifice sentiret, desperaret eam dignitatem posse retinere, jámque esset ætate decrepitâ, volens lubens, post menses aliquot, infulam abdicavit, quam induit Theobaldus ipsius frater, qui quidem initio adversarium sensit Cæsarem, postea tamen expertus æquiorem, perstitit in eâ dignitate, cujus initium Annales Augustenses referunt ad annum insequentem.

HENRICI LEONIS IN PALÆSTINAM PEREGRINATIO. *Chron. Slav. Arnold. Lubec. l. 2. c. 3. & seq. Alb. Staden.* XXXVII. Cæterùm Henricus Leo, rebus in Saxoniâ pacatis, & altùm quiescente Bojariâ, votum, quod de honorandis in Palæstinâ Christi viventis & demortui monumentis dudum animo conceperat, hoc anno persolvit. Saxoniâ Wichmanno Magdeburgensi Archiepiscopo cum vicarij potestate commendatâ, plerosque Proceres itineris sui comites habuit, Conradum Lubecensem Episcopum, Henricum Brunsuicensem, Bertoldum Lunæburgensem, Abbates; Pribislaum Regulum Megalopolitanum, Guncelinum Suerinensem, Sigefridum Blanckeburgium Comitem, & alios complures è præcipuâ nobilitate, ita ut nulli fuerit vacatio, præterquam Ecberto Wolfenbutelensi & Henrico Lunæburgico, cui Mechtildem conjugem uterum gerentem commisit. Brunsuico peregrinationem aggressus est sub annum ineuntem. Reginoburgi Virginis lustratæ sacra peregit, adscivitque in comitatum Ottocarum Stiriæ Marchionem, Fridericum Sulzbachium, & è Boijs quosque nobilissimos. Eidem se adjunxit Episcopus Wormatiensis, Friderici Imperatoris ad

ris ad Manuelem Orientis Principem legatus, hujus filiam Henrico Augusti filio nuptum petiturus: quod gratum Leoni accidit, ut eò commodiore Græcorum benevolentiâ frueretur. Cum his provectus in Austriam, abs Henrico Vitrico Neoburgi amicissimè cultus, Gertrudis matris nobile Mausoleum piè veneratus, Viennam descendit. Ibi, navibus & annonâ ad iter comparatis, secundo Danubio appulit Strigonium eo ipso die, quo Ladislaus Rex Ungariæ, quem Brunnerus, repugnante Crantzio, Stephanum appellat, veneno extinctus est, fato tum Henrico Austrio, qui comes Strigonium Leoni fuerat, filiámque Ladislao locârat, tum ipsi Leoni utique luctuoso, vel eo nomine, quòd subita regni mutatio videretur iter Palæstinum reddiitura minùs securum. Eam curam discussit Strigoniensis Archiepiscopus, adjuncto Florentio Duce profectionis, & rerum necessariarum curatore. Secundâ aliquot dierum usi navigatione, in scopulos è flumine extantes incidunt, ubi aquæ in arctum coëuntes, è suis angustijs cum ingente fremitu, non sine navigantium periculo, velut per cataractas ex alto ruunt præcipites. Eò loci, cæterâ classe incolumi, Henrici Leonis navis in cautem impacta fractáque cum in undas effudit. Perierat, nisi extractum in cimbam, speculæ custodes periculo eripuissent. Exinde Leo, mutatâ viæ ratione, Danubio diffisus, terrestri itinere delatus in Serviorum fines, grande rursus discrimen adijt, nihil sinistri metuens, eò quòd gentis Ducem in comitatu haberet obsidem securitatis. Hic aliquantum prægressus, cum fide, an fictè, provinciam omnem jussit peregrinos benignè comitérque habere. Illi contrà, ducenta circiter millia ad arma coorti, prædensum saltum ad Ravanellam urbem insidijs occupare, inhiare spolijs, vim minari, si pacatum agmen ultrà tenderet. Cùm æqui nihil quicquam posset impetrari, Henricus Leo arma jubet expediri. Totum agmen constabat plùs minùs mille ducentis: Brunnerus non nisi quingentos numerat in toto comitatu. Ravanellam acie quadratâ prætergressi, castra communiunt, quæ Servij à tergo secuti, cum ululatu barbaro lacessentes, Wormatiensis Episcopi stationem, quæ proxime hostem excubabat, invadunt. Missi ab Henrico viginti omnino loricati, qui laborantes erigerent. Commodùm hostium ductor, in æstu certaminis, inter primos telo lethali stratus occubuit. Ejus casu cæteri omnes in fugam effusi, deinceps à nostris vexandis abstinuerunt, ne ausi quidem rursus prodire in conspectum. Superatâ sylvâ Nicæam ventum, indéque Constantinopolim, ductu paratúque Manuelis, ipso die Christi de morte & Orco triumphantis. Certatum illic effusis munificentiæ studijs & humanitate inter Principes. Ortâ super mensam quæstione de tertiâ in divinitate personâ, Henricus Brunsuicensis Abbas, ejus à patre & filio processionem adversus Græcorum errores, tum è divinis litteris, tum authoritate veterum Ecclesiæ Græcæ Doctorum, tantâ eloquentiæ & rationum luce demonstravit, ut omnes rapuerit in sui & sanissimæ doctrinæ admirationem.

Naufragium.

Dimicatio contra Servios. *Albert. Crantz. l. 6. c. 3.*

Acta Constantinopoli. *Joan. 15. 16. 17. Gal. 7. Conc. Alexandrin. Synod. 5 6. 7. Athanas. Cyrillus Hieros. & Alexandrin. Basil. Greg. Nazianzen. Damasc. &c.*

Abeuntibus Manuel instruxit classem, quâ provectos in altum, fœda tempestas excepit. Ea cœlestis Reginæ, quam maris stellam & cœli dominam religiosè salutamus, ope sedata est. Ipsa enim uni cuipiam è vectoribus formâ super humanam eleganti aspectabilis, jussit omnes bono esse animo: sibi enim curæ esse navem, quæ virum à sanctimoniâ probè commendatum veheret, quem Henricum Brunsuicensem vectores sunt interpretati ob notas boni Præsulis virtutes: quippe qui toto itinere cilicio indutus, orationis, vigiliarum, inediæ, divinarum rerum assiduitate, se, totúmque peregrinantium agmen, secundum Deum sanctissimæ Virgini commendabat. Re ipsâ sedatis momento procellis, diéque redditâ, periculi magnitudo apparuit, cùm in conspectu fuêre extantes dextrâ lævâque scopuli, qui carinas inter spatiorum angusta erant allisuri, nisi vis humanâ major prohibuisset. Eos citra noxam transvecti, Ptolemaidem, factâque isthic exscensione, jumentis usi, sanctam civitatem attigerunt. Sacro quodam horrore perfusi, mixtísque gaudio lacrymis, quicquid sive in urbe fuit, sive in regione Dei hominis vestigijs consecratâ, sanctiorum monumentorum, cum insigni religione lustrârunt: publico omnes sumptu, triduo lautè & urbanè in regiâ habiti. Henricus Leo insigniora

Tempestas sedata ope Deiparæ.

XXX IIX.

signiora terræ sanctæ loca magnis donis honoravit. Sacratissimo DEI sepulchro grandem pecuniæ vim obtulit: Basilicam, in qua crux, triumphale salutis nostræ instrumentum, ornavit opere musivo: ejus fores vestivit argento: alendis sacrorum facibus sumptus perpetuos ordinavit: Hospitalis & templi militibus donavit mille argenti libras. Votivâ perfunctus pietate, Antiochiam abijt, tristis, Conradi Lubecensis Episcopi, & Bertoldi Lunæburgensis Abbatis funeribus. Milo Saracenus misit obviam quosque honoratissimos; sed ille declinato ipsius congressu, ad Simeonis (ut vocant) portum applicuit, indéque per continentem Tersulsum pervenit, quod Milo pòst expugnavit, iratus, quòd loci cives tectis peregrinos excepissent. Aliâ ex parte, Soldanus longè humanior, quingentos submisit bene armatos, qui simul viæ duces, simul essent defensores. Ita Henricus tridui labore Armeniæ arenas emensus, Heracleam ingressus, à Turcis hospitali civilitate honoratus est. Inde profectus Araxatum, ipsum Soldanum obvium habuit, amicissimè omnia deferentem, gratulantémque, quòd Milonis perfidi hominis insidias prosperè evitâsset.

Henrici Leonis munificentia.

Cùm Henricum identidem propinquum & consanguineum appellaret, admirantem, quænam stirps aut necessitudo conjungeret hominem toto propè orbe divisum; Soldanus edocuit, se matre Teutone Russorum Regis filiâ prognatum, omnes Germanos, velut uno eodémque sanguine devinctos, pro cognatis habere. Ut verò istam germanitatem re ipsâ testaretur, mille quingentos equos liberaliter produxit, rogans [ut] Leo, pro se suóque comitatu, quotquot ex ijs vellet, liberrimè uteretur. Addidit & triginta alios egregio cultu excellenter instructos, unaque sex camelos & binos leopardos, donum perrarum, & nostratibus spectaculo futurum. Vestem, quam auro rigentem idem donavit, Leo postea dedicavit sacris altaribus. Non se tenuit, quin liberalem Principem de amplectendâ Christi religione compellaret, utpote quæ sola ipsi ad beatitatis æternitatem deesset. At ille; *Non est* (inquit) *arduum sibi persuadere*, DEUM, *si ita collibuit, corpus sibi de intactâ Virgine sumpsisse, quandoquidem idem ille hominem de terrâ virgine formavit; sed mihi omnino sic videtur, communem omnium* DEUM *& Imperatorem, noluisse ab omnibus uno cultu honorari.* Henricus longiorem disceptationem, quam neque rude ad pietatem hominis ingenium, neque locus tempúsve ferebat, non est ingressus: professus tamen est, se in omnem vitam, ejus munificentiam amicitiámque ubique deprædicaturum. Abeunti Soldanus fidissimos adjunxit, quorum ductu, Henricus eas terras peragravit, in quibus Conradus Rex, non ita pridem senserat immanem perfidiam Barbarorum, quod ne tunc usuveniret, Henricus diligenter providit. Ventum denique Constantinopolim. Bosphoro trajecto, quem S. Georgij brachium dixêre recentiores, novis affectus est honoribus. Oblati muli quatuordecim onusti auro & argento vestéque pretiosâ, de quibus tamen Leo, pro sua modestiâ, nihil decerpsit præter gemmarum aliquid, & Divorum lipsana, quæ templis inferret, bona utique omni gazâ longè præstantiora. Sic donatus, transijt incolumis in Pannoniam, ubi abs Rege, qui post fratris interitum regnabat, amicissimè habitus, & cum fide per omnes Regni fines est deductus. Feliciter in Bojariam reverso, Cæsar Augustæ Vindelicorum amanter est gratulatus: sub annum exeuntem se Brunsuici Rikezæ uxori, quæ Richardem erat enixa, lætus reddidit.

Colloquium cum Soldano.

An. Christ. M.C.LXXII.

Soldani liberalitas.

XXXIX.

Manuelis Constantinopol. humanitas.

Per Ungariam reditus in Germaniam.

An. Christ. M. C. LXX. III.

Anno postero Fridericus Ladislaum Boëmiæ Regem regno exuit. Causam historiæ non produnt: tamen non abludit à vero, Cæsarem imbutum implacabili Adalberti Salisburgensis Archiepiscopi, Boëmi filij, odio, eam parenti ignominiam intulisse: quæ eò fuit gravior, quòd Friderico, quem Ladislaus successorem dixerat, prætermisso, Cæsar Sobeslaum patruelem summæ rei imposuit, eâ lege, ut à regio nomine, Principis titulo contentus, abstineret. Dehinc Fridericus Cæsar Adalbertum insidiosè aggressus, ne eum suo duntaxat animo, sed cum aliquo obtentu æquitatis, gradu movisse crederetur; duos illi subornavit accusatores, quorum ipse querimonijs, quibus actio foret probabilior, sub aliquâ judicij specie uteretur.

Cæsar Albertum Salisburg. persequitur.

retur. Fuit uterque ex ordine sanctiori. Et prior quidem Gurcensis Antistes, Hermannus Comes Ortenburgius, vitio electus, quem Adalbertus in arce Strasburgiâ obsessum, ad deditionem & abdicandum Episcopatum compulerat: unde semina simultatis inexpiabilis. Nam undecunque nactus fuerit consecrationem, contra jus fásque ausus est Richerium Brixinensem Episcopum, Adalberti ingratijs inaugurare. Igitur ambo, Cæsare conscio, in Adalbertum conspirant, eique anno sequenti ad 7. Cal. Junij, cùm Reginoburgi, majore quàm aliàs frequentiâ comitia agerentur, litem injuriarum intentant. Fridericus receptâ accusatione, causam refert ad Senatum. Adalbertus nihil veritus obire vadimonium, suæ patronus innocentiæ fidenter adfuit in Henrici Austrij avunculi sui comitatu. Richerius ingressus in causam, quicquid corraserat calumniarum, in reum congessit, læto Cæsare, & suâ præsentiâ vultúsque compositione pondus addente maledicentissimæ orationi. Adalberto defensionem paranti negatum est spatium dicendi, & velut in sceleris manifestum dictæ atroces sententiæ, nemine uno, præter Henricum Austrium, intercedente. Cæsar gavisus in sinum, tali artificio evertisse innocentem, Henricum Berchtesgadensem Præpositum Salisburgensi cathedræ destinat, virum cæteroqui non malum, si ambitio & præceps judicij iniquitas in eo subrogando abfuisset. Istis auspicijs malè in D. Ruperti sedem intrusus, publica Episcopij munia obijt, recognovit clientelas, confirmavítque vetera clientum beneficia, vicissim agnitus & cultus fide clientelari, quæ ne Henricus quidem Leo, cæterà æqui & dignitatis suæ apprimè retinens, negavit, tam prona hominum studia, in quamcunque partem commoda animos inclinârint.

PER CALUMNIATORES, AN. CHRIST. MCLXXIV.

DEPELLIT ARCHIEPISCOPATU.

XL.

Fridericus, quasi bene rem gessisset, coactis quàm potuit maximis copijs, Septembri mense, aliam vindictæ telam apud Insubres malè orsus est, pejùs texuit, coactus bene abrumpere. Ad Alexandrum defecerat magna pars Italiæ. Nam Brixia, Placentia, Parma, Mediolanum è ruinis assurgens, Mantua, Regium, Mutina, Bononia, Cremona, fœdus icerant adversus Ahenobarbum ad mutuam Longobardiæ defensionem. Primus illi impetus in Alexandriam recens conditam, donatámque ab Alexandro nomine bene auspicato. Paleam illam hostes per contemptum dixerant, sed ferream sunt experti: quippe quæ nullâ vi, nullâ arte flecti potuit ad deditionem. Cùm Fridericus nunquam, nisi cum suorum clade, vi apertâ uteretur, post quartum mensem obsidionis, cuniculum egit in urbem, ijs sanctioris hebdomadæ diebus, quibus recolitur memoria Christi patientis, tanto silentio, ut oppidani non modò fossorum labores non senserint, sed ne quidem quicquam ejusmodi sint suspicati, eò quòd pacti essent cum hoste pro diebus sacris inducias. Fridericus in ipsâ Domini Parasceve, id operis statuerat aperire, ratus, propugnatores religioni intentos, eâ die à belli cogitatione cessaturos. Ergo sextâ feriâ ducentos viros manu promptos in cuniculum immittit, eósque jubet nocte concubiâ, apertâ fossione, in urbem irrumpere, oppressisque portarum excubijs, dispositas sociorum stationes mœnibus recipere. Verùm operosa molitio in ventos abijt. Nam Alexandrini, per nocturnos vigiles fraudis admoniti, concurrerunt ad arma, hostésque è subterraneâ fossione egressos ad unum omnes mactârunt, clausóque cuniculo, effusi extra portas, castra Friderici repentè invaserunt oppressis vigilijs, cúmque luculentâ strage Germanorum; quâ Fridericus in fugam actus, coactus est solvere obsidionem ipsâ luce dominicæ Resurrectionis. Acta Alexandri memorant, in eo conflictu conspectum fuisse ante prima Alexandrinorum signa D. Petrum in equo candido, coruscantibus armis, animos clientibus, qui se illi devoverant, addere. Fridericus, omissâ Alexandriâ, Pado trajecto, Papiam iter intendit non sine grandi periculo. Etenim cùm Longobardi ita vias obsiderent valido exercitu, ut nullâ ratione eorum occursum vitare posset, coactus est per fraudem, interpositâ pacis mentione, prælij aleam declinare, ne trepidum ex recenti clade militem ignominiæ exponeret. Cùm ingenti circumjectarum urbium odio laboraret, eâdem arte illarum conatibus illusit, simulans, omnino sibi esse deliberatum redire in gratiam cum Ecclesiâ

ALEXANDRIÆ OBSIDIO. AN. CHRIST. M.CLXXV.

SOLUTA CUM FRIDERICI CLADE.

Romanâ. Quod ut plausibiliore fuco illineret, ad colloquium postulavit Papiam tres optimæ notæ Cardinales, Ostiensem, Portuensem, & D. Petri ad vincula, quos tametsi salutavit humanissimè, tamen religioni sibi duxerunt, hominem diris devotum resalutare. Actum quidem de pace, sed in cassum, quòd Cæsar omnem compositionis modum transgressus, quædam circa sacrorum dispositionem iniquè exigeret, quæ nulli unquam Cæsarum fuissent concessa.

IRRITÆ DE PACE TRACTATIONES.

Dum hæc agerentur, castris ad Papiam locatis, evocaverat è Germaniâ militem, quo copias insigniter debilitatas firmaret; Longobardi vicissim, cùm pacis tractatio non successisset, ad signa reversi, Fridericum sub pellibus hærentem sic premebant, ut obsesso non absimilis videretur. Ne opprimeretur, Cremonenses se pacis sequestres obtulerunt, cujus mentionem à Cæsare admissam, veriùs expetitam, Italiæ fœderati non respuerunt. Datis utrinque tractatoribus, apud Montem bellum inter utraque castra 16. Cal. Majas cœptum agi, decretúmque, ut pactis inducijs hostilia cessarent, dum in pacis leges iretur, de quibus cùm non conveniret, mox reditum est ad arma. Christianus enim Moguntinensis Archiepiscopus, cujus maximè operâ hoc in bello Cæsar utebatur, frustra Sancassianum oppidum obsedit pulsus à fœderatis: paulò pòst ad Claternam vicum ex insidijs opressit turmas aliquot hostilis equitatus: invasit Medicinæ Castrum. Vetranæ vicum exussit, latéque ferro & igne grassatus est. Inter hæc Cæsari è Transalpinis auxilia veniebant, cùm Henricus Leo non accessisset, eum Cæsar Clavennam accivit, invitavitque ad arma socianda, quæ ex Boijs & Saxonibus facilè & sine morâ poterat contrahere. Sed Leo Imperatorem Romanis execrationibus obstrictum, & impium bellum detestatus, adduci ne infimis quidem precibus potuit, etiam cùm ejus genua Fridericus prensaret, & minas beneficiorúmque exprobrationem promissis admisceret; ut quicquam opis aut operæ in præsens addiceret. Unde sibi accersivit iras implacabiles, &, quam mox videbimus, fortunæ mutationem. Huic prælusit Philippus Archiepiscopus Coloniensis, qui cum Leone veteres gerebat inimicitias. Ut Cæsari gratum faceret, cum valida suorum manu ad Cæsarem proficiscens, non Sueviam modò, sed maximè Bojariam gravibus damnis affecit.

Sigon. l. 14. Blond. Dec. 10. l. 5.

Act. Mutinen.

HENRICUS LEO CÆSAREM AVERSATUR.

A PHILIPPO COLONIENSI ARCHIEPISCOPO LACESSITUR.

Henricus porrò reversus in Bojariam, novam cœpit urbem moliri, quæ à Scheftlariensibus Monachis, ad quos villa Isaræ vicina & fundus pertinebat, Monachij nomen est adepta, éstque hodie Regia princépsque urbium Bojariæ, quæ ex parvis initijs crevit in eam, quæ hodie visitur, amplitudinem. Illius ædificandæ hæc fuit occasio. Reichenhalla, civitas est in Boicâ ad alpium Noricarum promontorium, ubi fons manat perennis aquæ salsissimæ, quæ seorsim à dulci scaturit, duratúrque in salem candidissimum, unde celebre commercium cum Suevis, Rhetis, Franconibus, Helvetijs, aliísque Rheno confinibus, magnúmque vectigal. Devehebatur olim per pontem, quo jungitur Isara, ad Veringam: vicus modò est quinto infra Monachium lapide Frisingensis ditionis: unde ex portorio Frisingæ Pontificibus grande æs inferebatur. Henricus id commodi in Boicæ Ducum usus cogitans avertere, ex improviso Veringam occupat, demolitur pontem, novum statuit ad Monachium, mutátque salis aliarúmque rerum trajectum: hinc Episcopis vetera jura repetentibus, & ex Ottoburgi castro salis subvectionem infestantibus, longa litium materia, quas rite compositas in loco ostendemus.

MONACENSIS URBIS ORIGO.

XLI.

LIS DE SALIS VECTIGALI.

Longè perniciosior discordia cùm incredibili orbis Christiani lætitiâ anno insequenti sublata est. Fridericus Imperator, mense Majo, acceptis è Germaniâ subsidijs, Insubriæ finitima cœpit populari. Mediolanenses, eorúmque fœderati, haud dubij immanem sibi parari tempestatem, supremis etiam viribus afflictæ patriæ succurrendum censuerunt. Nemini, qui arma gestare posset, permissa vacatio. Fœderati Barilianum progressi, & moræ impatientes, septingentos equites miserunt, qui hostium motum sitúmque explorarent. Vix tria passuum millia confecerant, cùm Fridericus in venientes trecentorum primùm turmam, deinde alias super alias immisit, à quibus repressi Mediolanenses, non sine aliquâ jacturâ pedem

AN. CHRIST. M C. LXXVI. Dodechin. Act. Alexan.

pedem ad suos retulerunt. Instructâ dehinc acie, magno utrinque ardore concursum est. Primo statim impetu Friderici aquilifer, in confertum agmen temere invectus confossúsque, aquilam in hostium manibus reliquit. Atrox proinde pugna, multis utrinque cadentibus. Inclinatâ Germanorum acie, Fridericus sese in promiscuas legiones inferens inconsultiùs, dum militis potiùs, quam Imperatoris partes occupat, equo suffosso in terram effusus, creditus est occubuisse. Sparsa per legiones casus infausti fama, Mediolanensibus alacritatem, Cæsarianis terrorem fugámque intulit. Multos Ticinus amnis hausit, plurimi in vestigio, in fugâ plures occubuêre. Castra opulenta cesserunt in prædam. Pugnatum 3. Cal. Junias, qui dies sacer tribus generosissimis Christi Athletis Sisinio, Alexandro, & Martyrio. Ante prælium totidem columbæ ab eorum altari visæ sunt avolare, & ostento mirabili in *Carrocij* malo considere: quæ res à Mediolanensibus in certum omen victoriæ accepta est, & pugnæ dies Martyrum honori festivè celebritérque consecratus. Friderici conjunx, quæ tum Comi substiterat, per quatriduum, lugubrem induta cultum, maritum comploravit, &, cùm ipsius cadaver inter cæsorum corpora non reperiretur, à Mediolanensibus funus repetijt; cùm denique quintâ à conflictu luce, præter suorum spem, Papiam incolumis ingressus, Christianum Moguntinum, qui paulò antè prælio, ad Medicinam, Bononienses fuderat, jussit ad se confestim cum exercitu advolare. CÆSAR PRÆLIO VINCITUR.

Atque hæc quidem est Friderici clades, quæ finem attulit diuturno orbis Christiani divortio. Ille enim, acceptum recens dedecus superiorúmque temporum sortem animo secum reputans, ad æquiora cœpit inflecti. Nutantem impulerunt pecuniæ inopiæ, invalescens fœderatorum potentia, dubia quorundam Cæsarianorum fides, aliorum defectio, authoritas quorundam Principum, quibus, tametsi rectè sentirent, adhuc tamen metus & Friderici pertinacia, libertatem recta suadendi, quæ cum dominantium certâ pernicie detrahitur meticulosis, eripuerat. Hi tandem apud eum, rebus adversis si nondum subactum, attamen solito tractabiliorem, mollia nacti fandi tempora, rogârunt, revocaret ad animum, quas quantásque calamitates Ecclesiæ dissidium in orbem invexisset. Cœlum abunde ostendisse, ipso irato, cum ingenti Reipublicæ damno & perturbatione bella esse gesta, ex quo Cæsar Romanæ sedi cœpisset esse infestus. Id gravatè sentire Italiam, & Germaniam oppidò malis fessam non posse sua fata non dolere, & credere, se alienæ culpæ subire pœnas. Eam bellum anceps atque diuturnum non expetijsse, de cætero probare non posse, quod plerisque videatur, non adversus homines, sed contra Deum esse susceptum, eóque gestum improsperè. Certè non posse dissimulari, paucos superesse, qui inposterum manus sanguinémque lubentes sint commodaturi causæ, quam animitus aversentur, & secuturi fortunam, cui tacitis cogitationibus diffidant. Ab orbe flagitari pacem cum Deo, & summo ipsius in terris Vicario, quæ si nequeat impetrari, vix ullos fore, qui ferrum pro Papâ, quem ut spurium horreant & detestentur, sint stricturi. Quæ deinde malorum Iliades in ipsum Cæsaris caput, ubi à suis deseretur, sint incubituræ, non esse difficilis conjecturæ. Eâ denunciatione Cæsar territus, Moguntinum & Magdeburgensem Archiepiscopos (quibus addunt aliqui Wormatiensem) misit ad Alexandrum, qui Anagniæ degenti certam ineundæ pacis mentem aperirent. Iras enim ætatis fervore conceptas jam deferbuisse, subijsse præteritorum pœnitudinem & votum impetrandæ veniæ. A supplice tantam animi demissionem allatum iri, quanta meritò à Catholico Principe summo Ecclesiæ capiti debeatur. Alexander sapienti consilio gratulatus, respondit, nihil in se futurum moræ, quò minùs fieret satis Cæsaris desiderio, modò certum habeat, Deum placare, quem in Vicarij personâ sit insectatus; simul habere rationem Regis Siciliæ, & Longobardorum, quorum salus in eâ negotiatione vertatur. Datâ igitur ultro citróque Legatis securè commeandi tesserâ, tandem post Ferrariense colloquium, nonnulláque tractandi præludia, communi consensu statutum, ut Venetijs conveniretur, quò Alexander, vectus classe tredecim Siculârum triremium, appulerat, eâ tamen cautione, ne Fridericus, PAX ECCLESIÆ. AN. CHRISTI M C. LXXVII. XLII.

ante pacem certis legibus sancitam, injussu Pontificis in urbem reciperetur. Demum sub ineuntem Quintilem pax eâ conditione est constituta, ut Wilhelmus Siciliæ Rex eâ per annos quindecim frueretur: Longobardis permitterentur sexennes induciæ. Ad extremum, Cæsar 10. Cal. Sextileis Venerias ingressus, postridie, abjurato schismate, promissâque Alexandro obedientiâ, per submissos Cardinales sacris Christianis est redditus unà cum Principibus, qui iisdem cum ipso religionibus fuerant irretiti. Exinde Imperator accedens ad Pontificem, qui ante D. Marci fores opperiebatur, depositâ chlamide, humi fusus, deosculatus est Alexandri pedes, & ad pacis osculum est admissus: tum apprehensâ dextrâ, intercinente symphoniâ, inductus in chorum, capite inclinato sacram à Pontifice cælestium bonorum apprecationem accepit. Ad 8. Cal. Sextiles Cæsar adfuit Alexandro ad aram facienti, pedésque rursum deosculatus, aurum, ritu consueto, altari imposuit: sacris peractis, Pontificem deduxit, & equum ascensuro habenam scandulariam de more firmavit, pérque longum spatium apprehenso freno, equitantis lateri pedester adhæsit, usque ad mare eodem functurus officio, nisi, quod prolixioris itionis supererat, Pontifex ultro remisisset. Hæc ex authore gestorum Alexandri, & Romualdo Archiepiscopo Salernitano, qui fuère totius cæremoniæ spectatores: ex binis item Alexandri Epistolis ad Episcopum Capuanum, & Abbatem Cassinensem, aliisque fidissimis veterum monumentis, quæ videre est apud Baronium: ut inde appareat putida quorundam vanitas, mentientium, Alexandrum Cæsaris caput pede pressisse, & pronuntiâsse versum decimum tertium psalmi nonagesimi; *Super aspidem & basiliscum ambulabis* &c. Quod certè, cùm sit valde memorabile, diligentiam vetustorum scriptorum, etiam minutias quasvis annotantium, non potuisset effugere, si verum esset, tam duram indecorémque ignominiam, præter morem, à mitissimo modestissimóque Alexandro Imperatori etiamnum formidando & demissè pœnitenti, fuisse impactam.

AHENOBARBUS RECIPITUR IN ECCLESIÆ CONSORTIUM.

CONRADUS WITTELSPACHIUS FRUSTRA REPOSCIT ARCHIEPISCOPATUM MOGUNTINUM.

XLIII.

Pace ad eum modum cum summo populorum gaudio conciliatâ, Christianus Moguntinus, qui Conrado Wittelspachio, per Fridericum depulso, fuerat subrogatus, ab eodem obtinuit, ut per pacis conditiones malè occupatam mitram retineret: Conradus vicissim jus malè ereptum repetijt in publico consessu, præsente Alexandro & Friderico, causatus, æmulum, qui acerrimè Ecclesiam oppugnâsset, sine injuriâ non posse fidelissimo rei Catholicæ propugnatori præferri. Alexander, qui Christiani postulatis jam annuerat, & per pacta jusserat caveri ejus honori, fassus quidem est, Conradum æqua poscere, sed dandum fuisse publico, quod de Moguntino Archiepiscopatu esset constitutum, quódque salvâ pace rescindi non posset. Videret proinde Conradus, malletne Ecclesiæ suam tranquillitatem, an Christiano infulam adimere. Ille, quâ erat modestiâ, rem omnem Pontificis arbitrio permisit cum ingenti laude & honoris sui incremento: nam in præsens, cum bonâ Friderici veniâ, donatus est Archiepiscopatu Salisburgensi: Adalbertus enim sponte, suo juri obnuntiaverat, & Henricus Berchtesgadensis non multò pòst ad Brixinense Episcopium erat transferendus, posteaquam ob occupatam Adalberti dignitatem fuerat ab aris submotus. Conradus præterea, Christiano, sexto abhinc anno è vivis sublato, sedem Moguntinam recepit, tenuítque per annos septendecim. Hoc anno quoque ipsi addita dignitas Legati Pontificij per Germaniam universam.

AUGETUR ALIIS HONORIBUS. MOGUNTIAM REDIT.

AN. CHRIST. M.C. LXXIIX.

Anno sequenti redux in Bojariam, inter primas curas habuit, Salisburgensem provinciam, quæ nonnihil labis annorum superiorum iniquitate contraxerat, ad pristinam conditionem revocare. Quamobrem Cal. Februarij, Hohenaugiæ Synodum habuit Episcoporum ad Provinciam spectantium, cui simul voluit equestris ordinis primores interesse. In eâ Callistus ejuratus, Alexander verò orbis Christiani parens est agnitus: explosum schisma, odia posita, sublatæ factiones, templis honor, aris sacra restituta, pax & alta quies universæ Bojariæ.

SYNODUM CELEBRAT.

Arnol c. 23. & seqq.

Alia fuit rerum in Saxoniâ facies, inter bella, quæ adversus Leonem Slavi, Philippus Coloniensis, & Udalricus Halberstattensis accenderant. Leo Dyminam

nam Slavis tridui obsidione extorsit Friderici machinarum architecti insigni industriâ, quâ ab oppidanis deditionem obsidésque expressit. Venêre inter hæc ad Henricum nuntij, quibus trans Albim revocabatur contra Udalricum Halberstadium, qui Saxonum Orientalium auxilio, montem Hoppelbergium munitione firmabat. Quâ ex denunciatione, velut vates futurorum, in has voces erupit: *Bella video, bella mihi parantur.* Igitur collectis raptim vasis, illuc, ubi belli sedes locabatur, citatis accurrens castris, hostem è nido depulit, & æquavit solo affecta munimenta. Verùm hostis nactus otium reparandi vires, reversus, cœpto institit operi, & Henricum ad disturbandas operas regressum, prælio conjecit in fugam, impedimentis exuit, multos cecîdit, plurimos fecit captivos. Ex ijs, qui ad paludes confugerant, multi aquis mersi & uligine. Quâ ex clade, generosi Henrici spiritus cœperunt insigniter inclinari. Animum inprimis percellebat spreti nuper Cæsaris conscientia, haudquaquam dubitanti, parari in se tempestatem, nec quieturum Imperatorem, donec insigni vindictâ acceptum dedecus castigâsset. Et jam re ipsâ Philippus Coloniensis, vetere flagrans odio, an Friderico stimulante, Quernhamelam usque, Saxoniam latè vastaverat: à quo tamen Leo sibi duxit abstinendum, quasi antiquam esset virtutem oblitus: quia non erat nescius, qualem mox hostem in Cæsare esset habiturus. Huic regresso in Germaniam, Spiræ Nemetum occurrens, de acceptis à Coloniensi injurijs est conquestus: audijt quidem Cæsar querelas, sed fronte adeò nubilâ, ut facilè Henricus intelligeret, se judicem nullo modo faventem compellâsse. Dicta tamen utrique dies, & rogatio Wormatiam ad Id. Januarias est rejecta: sed Leo Cæsari diffisus, vadimonium deseruit, atque hoc ipso Procerum, qui conventui aderant, magnam sibi invidiam accersijt, quasi Cæsaris majestatem novo contemptu, Comitiorum authoritatem recenti contumaciâ sperneret.

Bellum Saxonicum.

XLIV.

Initia ruinæ Henrici Leonis.

Igitur adversarijs absentiam immensum quantum exaggerantibus, jussus est adesse Magdeburgi. Cum neque isthic se sisteret, Theodoricus Landspergius Lusatiæ Marchio criminatus, eum quædam contra Rempublicam fecisse, spopondit, se accusationis æquitatem singulari certamine probaturum, si Leo facta inficiaretur: credibile est id illum odio postulâsse, eò quòd Slavi à Leone exciti, Lusatiam fœdè vastâssent. Duellum, quod ad rei, quâ de potissimùm agebatur, summam nihil pertinebat, & indecorum erat cùm longè impari certamen, Leo, ut suâ dignitate inferius, respuit, petiítque per amicos copiam Cæsaris privatim sine arbitris conveniendi. Quâ impetratâ, Haldeslebij verbis tam exquisitis eum lenijt, ut ostenderet, se posuisse iras; & quicquid delicti esset, remissurum, si quina marcarum millia fisco inferret. Ille verò (ita eum, urgente velut ad ruinam fato, prudentia destituerat) nescius cedere tempori, quæ opportunissima est in rebus creperis sapientia, ne videretur solvendo mulctam, profiteri noxam, nimium ab innocente exigi causatus, re infectâ ab Imperatore discessit. Ergo tertiò jussus anno sequenti Goslariæ causam dicere, comitiorum fugitans, tertiò vadimonium neglexit. Isthic cùm Cæsar frequenti Senatu Procerum sententiam rogâsset, omnium fuit una sententia, videri, Leonem, velut refractarium & reipublicæ hostem, proscriptione castigandum. Ei nihilominus Cæsar, ne quid inclementiùs ageret, ampliationem indulsit in annum posterum, ad medium verni jejunij, quo tempore, cùm rursum pervicax Comitia esset aspernatus, Geilenhusij igni & aquâ est interdictus. Secuta exinde provinciarum laceratio. Philippus Coloniensis contracto mox exercitu, adscitisque in belli societatem finitimorum centurijs popularibus, quarum erat insignis impietas & audacia latrocinandi, atrocem in modum in Saxones grassatus est. Sacra pariter atque profana, nullo rerum personarúmve discrimine, fœdè violata: exustæ Divorum ædes, excisa Monasteria, gregatim abactæ sanctimoniales, & flagitijs prostitutæ: raptus de manu sacerdotis, sacrificio nondum absoluto, calix; aliorum scelerum patrata tanta immanitas, ut Philippus semet horrens, quòd suis ista fierent auspicijs, impiam militiam detestatus, domum abierit. Wichmannus Archiepiscopus Magdeburgensis in Haldeslebiæ

Accusatur.

Cæsari colloquitur.

Forum Cæsaris devitat.

Proscribitur.

Saxonia vastatur.

Haldeslebia evertitur.

lebiæ obsidione relictus est, quæ denique longis superata ærumnis, cùm objectus profluenti rivo agger aquam supra domorum contabulationes efferret, à Bernardo Lippiensi Comite, viro fortissimo, honestis legibus dedita fuit, & à fundamentis eversa. Ad eas calamitates accesserunt Udalrici Episcopi Halberstattensis execrationes sæpius in Leonis caput repetitæ, & sacrorum toto Episcopatu silentium, quæ mala bonus Leo cùm duceret quibusvis alijs longè graviora, ad Episcopi pedes demissè prostratus, impetravit, ut tum ipse, tum universi, quos habebat obsequentes, istis vinculis solveretur, páxque fieret cum Antistite, quæ tamen non fuit diuturna. Nam Udalricus otij impatiens, mox resumpsit arma in Leonem: quo factum, ut Henrici miles Halberstadium, vastato circùm agro, occupârit. Tota civitas, orto ex humili casâ incendio, ne templis quidem exceptis, conflagravit. Haud pauci sacerdotes unà cum basilicâ periêre; Episcopus ægrè flammis ereptus, venit vivus in Leonis manus cum ingenti civium multitudine. Ille redditus libertati, paulò pòst depontanus senex naturæ debitum exolvit. Westphali quoque ad Osnabrugum prælio superati: captus Simon Teckenbergius, vinctúsque ferreis catenis, quibus non multò pòst solutus, Leoni perpetuâ fide adhæsit. Mense Majo, Northusium in Turingiâ à Leone exustum, cæsi justâ acie Turingi, Ludovicus Comes Provincialis, & Hermannus Comes Palatinus, capti cum innumera manipularium turbâ. Adolfus Holsatius, qui insimulatus Guncelini Suerinensium Satrapæ criminationibus, & Leoni offensus, quòd captivorum lytrum ad suum commodum vertisset, ab eo defecit, & eam ob rem tota Transalbianâ regione est ejectus. Pluna vi capta, Sigeberga coacta ad deditionem, & commendata Leopoldo natione Bojo, viro strenuo atque prudenti.

Halberstadium exustum.

Westphalorum clades.

Northusium incensum.



BOICÆ



BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS I.

LIBER XXIII.

Bojariæ Ducatus Henrico Leoni detractus. Othoni III. cognomento Magno Wittelspachio à Friderico Cæs. Ahenobarbo donatus, quem Otho, post triennium moriens, Ludovico IV. filio pupillo, sub Conradi Wittelspachij Archiep. Moguntini & Friderici fratris tutelâ reliquit. Henrici Leonis exilia, varia fortuna, res gestæ, vitæ pius exitus. Fridericus Cæsar Ahenobarbus Boici Principatus opes & potentiam accîdit, cum Summis Pontificibus colliditur, moritur in expeditione Asiaticâ: quem paulò pòst Fridericus filius est secutus. Philippus Ahenobarbi frater, neglecto Henrico VI. cujus tutelam à Friderico Cæsare demandatam gerebat, regnum invadit: occiditur ab Othone Wittelspachio. Otho Henrici Leonis filius regium nomen cum Philippo assumit. Ludovici Boij res gestæ, mors illata à sicario. Res Christiana in Oriente magnas clades accipit: frustranei ad eam erigendam Europæi apparatus. Landishutæ, Straubingæ, Bojcarum urbium origines. Hildegundis Novesianæ virtutes. Agnes Andecensis nupta Philippo II Regi Galliæ. Rheni Palatinatus ad Wittelspachios translatus.



Uæ dicta superiùs, videri poterant fortunæ reflorescentis invitamenta, nisi complures Leonis partiarij, diversis alienati casibus, fidem exuissent, quæ in adversis rara est & inconstans, plerisque sua commoda privatim, neglectis publicis, respectantibus. Leonem odiosum reddebant mores austeri, & ex longo dominatu, justo

An. Christ. M.C.LXXX.

justo imperiosiores. Fridericus verò Imperator Ecclesiæ conciliatus, firmatúsque totius Imperij viribus; non timeri modò, sed etiam coli sinceriùs & amari cœperat. Is Henrico mox à proscriptione Westphaliam & Angriam detraxerat, donaveràtque Philippo Coloniensi. Cæteram Saxoniam Bernardo Anhaldino fecerat clientelarem. Bojaria in Othonis Wittelspachij manus venit ob præclara in Rempublicam merita. Et verò ita visum Numini, cujus est dare, adimere, minuere, extinguere, transferre, quamcunque in sortem versare, quemadmodum ipsi libitum est, certissimo fatorum ordine, dominatus & imperia, ut Boica, quæ annis tribus supra ducentos à Domo Schirensi ad alienos, Bertholdo extincto, devenerat, pöstliminio ad legitimos nobilissimi Principatus hæredes reducta, Othonis posteris, insequentibus sæculis, ex quibus anni quadringenti septuaginta septem jam propè effluxêre; immo quod boni omnes nobiscum vovent, usque in sæculorum finem nunquam interruptâ serie, beatè feliciterque assereretur. Bojaria igitur nexu, quo Henrico Leoni tenebatur, 3. Cal. Julij soluta; Othoni Wittelspachio lubens volens sacramentum dixit, læta, quòd suæ gentis Principem, utique quovis extero gratiorem, recepisset. Eum Fridericus Cæsar ritu solenni Ratisbonæ inauguratum beneficiario Principatu donavit. Atque isti quidem fuêre gradus, quibus Henrici Leonis quamlibet potens fortuna, præceps ibat in ruinam, ad quam denique Cæsaris indignatione post varias agitationes fuit impulsa. Is, compertâ Saxonum defectione, ne eorum reconciliandorum suique colligendi spatium Leo nancisceretur, collecto ex Boijs & Alemannis exercitu movit in Saxoniam. Progredienti passim copiæ auxiliares sese ultro junxêre tanto numero, ut, qui Saxonum Leonis authoritatem, acceptáque ab eo beneficia ab ipsis incunabulis adhuc respexerant, metu consternati, transitionem facerent ad Fridericum. In his fuêre, Ludovicus Withæus, Leopoldus Hertesburgius, Ludovicus Peinius, complures alij, quos Slavi Leonem exosi, secuti sunt. Primo aditu, nullo negotio captum à Cæsare Hertesburgum, Lawenburgum, Blanckenburgum, Regensteinium. Dedita, post paucorum dierum obsidionem, Liechtenberga: mons Hartesburgius Goslariæ imminens, quem olim Henricus IV. ad frenandos Saxones castro firmârat, occupatus. Ejus munitio, quam Saxones olim diruerant, muro restituto, præsidio Cæsareo munita. Bernardus Comes Racenburgius, qui conspirationis cum hostibus, & meditatæ in Leonem cædis compertus ad Bernardum Anhaldinum profugerat, ternis arcibus exutus est. Godebuscum ipsius arx expilata & excisa.

I. Henrici Leonis provinciæ a Cæsare donatæ aliis. Otho Wittelspachius creatus Dux Boiariæ.

Leo a suis deseritur.

Cæsar invadit partem Saxoniæ.

Hoc anno lis de Veringensi ponte, de salariâ viâ atque vectigali à Cæsare addicta est Alberto Episcopo Frisingensi. Otho Wittelspachius sententiæ acquievit, quam tamen neque ipse, neque successores sunt secuti. Res demum per Philippum Romanorum Regem est transacta, uti videre est apud Aventinum, &, qui ex eo descripsit, Hundium in Othone II.

Lis de Veringensi ponte decisa.

Avent. l. 7.

An. Christ. MCLXXXI.

Insequentis anni castris Ahenobarbus Albim trajecit, Philippo Coloniensi cis flumen relicto, qui Brunsuico præesset: Marchiones verò Brandeburgicos Bernardum & Othonem fratres, Bardewico præfecit. Eum trans Albim sunt comitati Wichmannus Magdeburgensis, & Babenbergensis Antistites; Abbates Fuldensis, Corbejensis, Hersveldensis, cum Othone Misniæ Marchione. Habuit sub signis ex Boijs & Suevis florentissimas legiones. Leo diffisus Lubecæ munimentis, 3. Cal. Julij Stadam se recepit: Cæsar verò auctus novis è Slavoniâ, Holsatiâ, & Daniâ suppetijs, Lubecam à Leone desertam, civium voluntate, pacatè est ingressus. Henricus interim Stadæ ob loci firmitatem substiterat, unde, si extrema vis cogeret, in Oceanum elaberetur. Verùm, tametsi urbem vallo, propugnaculisque erat complexus, diffisus tamen & munimentorum & fugæ præsidijs, quod factu visum est optimum, ad Cæsaris clementiam sibi putavit esse confugiendum. Eum, impetratâ commeandi securitate, Lunæburgi convenit, omnémque per amicos movit lapidem, ut sibi aditum ad pristinæ gratiæ locum aperiret. Quam ad rem ultro libertati reddidit Ludovicum Turingiæ Landgravium, & Hermannum fratrem

II. Cæsar Henricum Leonem insectatur.

Leo Cæsari fit supplex.

trem Palatinum, quos anno superiore fecerat captivos. Id duntaxat pro se obtinuit, ut ejus causa rursus à Principibus cognosceretur: quod factum est Erfordiæ, ubi ad Friderici pedes abjectus, erectúsque, & admissus ad amplexum, Cæsari lachrymas expressit & voces, doloris testes, de tristissimâ consanguinei fortunâ, quam Henricus ipse sibimet accersijsset. Hæc dicta in speciem, quod demum patuit, quando Cæsar juratus, Principibus addixit (quos tamen plerosque nôrat hostili esse in Leonem animo) se eum pristino gradui nunquam redditurum, nisi id omnes probarent. Hoc tamen sanguini & meritis superiorum temporum concessit, ut Henricus, ubicunque terrarum degeret, patrimonij sui proventibus frueretur. Aliud cùm nequiret impetrare, in Angliam ad socerum profectus est in exilium, promisso, se ante triennium, injussu Cæsaris, in Germaniam non rediturum. Anglus eum honestissimè exceptum cum tot amoris indicijs habuit, ut opes, honores, & majestatem cum ipso videretur esse partitus, effusâ non in ipsum modò, sed omnes etiam exilij comites magnificentiâ & liberalitate. Exulat in Anglia.

Hic annus Alexandro Pontifici laudatissimo ultimus fuit, gesto Pontificatu per annos viginti duos. Subrogatus est Lucius, vir ætate, prudentiâ, longo rerum usu, præstantissimus: quo etiam tempore, non autem seriùs, aut citiùs, uti Hundius ac Brunnerus voluerunt, nisi mendum irrepsit in libellum de miraculis S. Virgilij, quem Canisius edidit, Salisburgi in principe D. Ruperti æde, quæ hujus sæculi anno sexagesimo sexto conflagraverat, D. Virgilij lipsana reperta inter parietinas, prodigiosis operibus cœperunt inclarescere, quorum bene longum indicem videre est in eo, quem dixi, libello. Sub idem tempus Vitalem & Hartwicum Salisburgenses, Pilegrinum Batavensem, Antistites, Alexandrum item Pontificem & Martyrem, Justinum & Nonnosum Frisingæ conditos, Deus miraculis illustravit. Mors Alexandri Pont. Max. *Henr. Canis. Antiq. lect. to. 6. pa. 1178.* D. Virgilii reliquiæ repertæ. Aliorum item sanctitate illustrium.

Boicam recreatam donis cœlestibus, Cæsar insigni potentiæ diminutione haud mediocriter accidit, Othone Wittelspachio dissimulante, ne repugnando acceptum recens beneficium, malè repensare Cæsari irarum vehementi, crederetur. Hic, sive ut Germaniæ Principum opes, ipsis Imperatoribus metuendas, doceret extenuare, sive ut augeret vires Imperij, multiplex Bojariæ vulnus inflixit. Nam Ratisbonam, Bojorum Principum urbem regiam, vetustissimæ Ducum ditioni subtraxit, voluítque liberis Imperij civitatibus accenseri, salvis tamen vectigalibus, portorijs, ac quibusdam alijs juribus, quæ penes Bojariæ Duces & loci Episcopos remanserunt. Gravius fuit damnum ex Tirolis, quæ hactenus pars Boicæ censebatur, subductione in alienam Toparchiam: gravissimum illud, quòd Præfectos limitum, qui vulgò Marchiones dicebantur, erántque majoribus Principibus subjecti, contentique vicariâ potestate, quæ pro arbitrio Ducis dabatur & auferebatur, Cæsar Boicorum Principum imperio detraxit, fecítque Imperatorum clientes, & pares Ducibus, quorum antea nutibus regebantur. Quâ ex mutatione Bertoldus Andecensis nomen dignitatémque Meraniæ Ducis est consecutus: Tirolenses juxtà ac Goricienses Comites aucti novo titulo atque potestate, quæ demum in unam coaluit sub Menhardo Goriciensi, retinuítque solius Tirolij Principatus nomenclationem. Ottocarus præterea, qui Styris, prisco vocabulo Tauriscis, Marchio præerat, Ducis nomen, mutatâ antiquitatis formâ, suscepit. An. Christ. M.C. LXXXII. Boicæ potentia accisa. Ratisbona detracta. Creati novi Duces.

Sed hoc Boicæ longè luctuosissimum, cui tam brevi Othonis Ducis Wittelspachij imperio frui licuit. Nam is 5. Id. Julij, anno M.C. LXXXIII. rebus humanis ereptus, triennem Principatum destituit, Princeps Magni titulo dignissimus. Eum scribunt Kelhaimij natale solum habuisse, ubi Otho ejus parens à Conrado Imperatore circumsessus, Othonem hunc Magnum obsidem dare coactus est, inter filios natu maximum. Kelhaimij Toparchiam cum honore & titulo Palatinorum, post fata, filijs reliquit. Otho spe atque indole jam Magnus, inter primos Friderici Ahenobarbi domesticos, adscitus ad Prætorij præfecturam, magnarum expeditionum comes, & complurium victoriarum non tam socius, An. Christ. M.C. LXXXIII. III. Mors Othonis Wittelspachii.

 cius,

Frider. Epist. ad Alexand. Pont. Ep. ad Roland. Cancell.

DACHAVIUM EMPTUM AB OTHONE M. WITTELSPACHIO.

RAININGA AD FISCUM REDUCTA.

Avent. l. 7. p. 654.

ORIGO LANDISHUTÆ PRIMA.

cius, quàm adjutor & author fuit, sine quo Fridericus parùm magnæ rei, hic sine Friderico multa prospera gessit, adeòque fuit Friderico, quod Parmenio erat Magno Alexandro. Eum Cæsar honore consanguinei persequebatur, quemadmodum & Luitpoldus Arnulphi Comitis filius, à quo Schirenses genus duxerunt. Fuit Otho fidus Cæsari quousque licuit homini militari, qui legum sanctiorum rudis, omne jus habebat in armis, quibus erat innutritus. Præter geminam prolem muliebris sexûs, quarum altera, Sophia nomine, nupsit Poponi Dynastæ Hennebergio; altera, Mathildis, Rapotoni Craiburgio; Ludovicum adhuc impuberem, natum ex Agnete Halensi Wasserburgia, quem tutelæ Conradi Archiepiscopi Moguntini & Friderici fratrum commendavit, à quibus & ipsi Principatus sartus tectúsque servatus est. Funus sacræ Schirensium ædi magnificâ pompâ & frequentiâ nobilitatis illatum, Annales Schirenses referunt. Illi, præter geminos fratres, inferias iverunt Fridericus & Philippus Ahenobarbi filij. Paulò antè, quàm è vivis excederet, Dachaviensem Toparchiam decem auri *marcarum* & octingentarũ argenti librarum pretio coëmerat ab Utildâ viduâ Conradi Ducis Dalmatiæ & Comitis Dachaviensis cæsi ad Mediolanum; filio Conrado defuncto, & Arnulpho leviro Dachaviensi (cùm nullus alius ex eâ stirpe esset reliquus) non obnitente. Idem Raningam redegit in fiscum, quòd Raningiorum propago, qui simul Roteburgi toparchiâ erant potiti, in Conrado & Benedictâ, Conradi liberis defecisset. Raningæ area cum castri vestigijs extat inter utriusque Lavari profluentes, decimo ab Abusio lapide. Kelhaimium, quod antè arx fuerat, Otho cœpit redigere, adjecto oppido, in formam ampliorem. Cœpit item moliri Landishutam, quæ postea evasit in Boicæ prætorium.

Chron. Reicherss.

CONRADUS WITTELSPACHIUS REDIT MOGUNTIAM.

M. S. catal. Episcop. Salisburg. Australe Chron. Augusten. Chron.

Christiano Moguntino in Italiâ extincto, Conradus Wittelspachius, Ludovici Boij tutor, Moguntinæ sedi est restitutus cum ingenti gaudio totius civitatis, quæ eum, velut *Angelum DEI*, ut habent Annales Moguntini, è cœlo lapsum recepit. Adalbertus verò, qui Salisburgensem mitram haud gravatè posuerat, Cæsaris voluntate & lætis Cleri populíque suffragijs 13. Cal. Decemb. pristino honori redditus est. Conradus, antequam rediret Moguntiam, bellum gesserat cum Hermanno Ortenburgico electo Gurcensis Ecclesiæ Episcopo, Conradi ingratijs, qui Theodoricum Collegij Salisburgensis Præpositum censebat esse præferendum. Longè graviori bello collisus est cum Ludovico Turingo, quod cùm alternante fortunâ gereretur, Imperator utrumque, ad causam dicendam, Erfordiam citavit. Quâ occasione, 7. Cal. Augusti, contigit casus miserabilis. Cùm senatus in aulâ spatiosâ, sed ruinosâ haberetur, lacunar, impar sustinendæ multitudini, trabibus situ ac vetustate cariosis, subitò solutum, in subjectam latrinam supra centum homines effudit. Periêre in sordibus, Henricus Schwartzenburgius, homo bellorum avidus, qui, quoties dejerabat, solebat suum caput foricis devovere; Fridericus item Kirchbergius, Burcardus Warbergius, Fridericus Abenbergius, Gozmannus Hassus Ligenheimensis. Cæsar ruinam antevertens, ad fenestræ cancellos refugit, atque ex ijs pendulus servavit vitam. Ludovicus Turingus ægrè se cœno expedivit. Author libri de Langravijs Turingiæ istum casum refert ad annum sextum & octogesimum; sed non est audiendus præ Siffrido, qui longè est vetustior.

IV.

CURIA ERFORDIENSIS COLLAPSA MULTOS OBRUIT: ET CÆSAREM INGENTI PERICULO OBJICIT.

Siffrid. Presb. l. 1. Chron. Erford. Norinb. Godefridi Monach.

AN. CHRIST. M. C. LXXXIV.

CÆSAR RURSUS PERICLITATUR MOGUNTIÆ EX ÆDIFICII RUINA.

Arnol. l. 3. c. 9. refert. ad an. 1182.

Anno proximo, Fridericus Imperator denuo haud leve discrimen ex ruinâ extemporalis ædificij adijt Moguntiæ in Comitijs, ad quæ confluxerant ad quadraginta hominum millia. Cùm ingentem nobilium multitudinem urbis tecta non caperent, in agro suburbano, opere tumultuario ædes fuerunt excitandæ, inter quas una molis valde capacis, ad formam templi non inelegantis. Proceres ad conventum exciverat tum publici cura, tum inprimis pompa Henrico & Friderico Cæsaris filijs adornanda. Ephebis egressos, parens baltheo cæteróque cultu militari palàm statuerat accingere, & Henricum renuntiare Regem, apparatu splendidissimo ad ostentandam Imperij majestatem. Verùm disturbavit theatrum pridie Pentecostes tempestas spirans ab Occidente impetu tam procelloso, ut

ut subitariam basilicam Regiæ attiguam, cæteráque domicilia momento difflârit, eorúmque ruina plurimos mortales contuderit, protriveritque: quasi Numen ostenderet, se nimio fastu offensum. Trabes, pars quernæ, pars abiegnæ magni ponderis, aliæ in Rhenum, aliæ trans flumen ad Hochheimium pagum, tertio ab urbe lapide, per auras everberatæ. Solutis comitijs, Fridericus prid. Cal. Sextileis in Italiam est transgressus, ut ageret cum Lucio Pontifice de utriusque Imperij, Orientis videlicet, in quo res Christiana periclitabatur, & Occidentis salute.

Narrat. Christ. II. apud Serar.

Dum Veronæ colloquuntur, ad Lucium venerunt à Rege Angliæ legati, de Henrico Leone in integrum restituendo. Eam legationem Anglo persuaserat Philippus Archiepiscopus Coloniensis, jam factus Leonis calamitate æquior. Lucius regijs precibus id detulit, ut reconciliatoris partes in se susciperet, quibus perfunctus est ex animi sententiâ, impetrato, ut Leo à proscriptione & exilio absolveretur, nullâ provinciarum restituendarum factâ mentione. Fridericus sub Non. Novembris Veronâ discedens, Mediolani Henricum filium Italiæ coronâ curavit ornandum, inaugurante Lamberto Archiepiscopo, non sine plausu Mediolanensium, meliora sibi à filio, quàm à parente pollicentium. Hic annus Albertum Antistitem Frisingensibus subtraxit, qui DEUM rerum suarum unicum hæredem supremis tabulis, & ingenti sumptu, quem erogavit in Ecclesiæ suæ commoda, esse voluit, ne obulo quidem suis consanguineis relicto. Suffectus in ejus locum Otho II. è Comitibus Bergensibus Suevis, quem nonnulli, ob maternum sanguinem, Diessensi genti, errore vulgi adscripserunt. Tres habuit fratres Passavij Episcopos, Henricum paucis mensibus, postea Theobaldum per annos viginti quatuor, postremò Manegoldum annis novem.

H. LEO AB EXILIO ABSOLVITUR.

HENRICUS CÆSARIS F. CORONAM REGNI ITALICI ACCIPIT.

Albertum Frisingensem ad alteram vitam secutus est Chuno II. Ratisbonensis Episcopus 2. Id. Junij. Successor dictus est Godefridus Cæsari à sacro sacello & ab Epistolis, ad 14. Cal. Julij, qui non omnino annum integrum præfuit, abdicatâ mitrâ anno sequenti ad 11. Cal. Martij. Eidem subrogatus Conradus Laichlingius 5. Non. Martij, post biennium, ut Stero notavit, ab Adalberto Salisburgensi, adstantibus quatuordecim Episcopis, inunctus. Hoc item anno Henricus Comes Riettenburgensis, suæ stirpis ultimus, è vivis excessit, geminis fratribus etiam sine prole defunctis. Quamobrem Riettenburgicæ clientelæ, rediêre ad Boici Principatus proprietatem.

AN. CHRIST. M. C. LXXXV. V.

WEHBURGUM ADDITUM DUCATUI BOICO. *Hund. in Origin. Avent. in Epitom.*

Fridericus Veronæ Lucio collocutus, jecerat haud obscura semina simultatum, quæ Lucij successorem haud modicè exercuerunt. Accesserant Veronam, magno numero, Clerici à spurijs Episcopis, durante Schismate, ordinati, qui intercessore Friderico, usum ordinum & dirarum veniam orabant. Visus erat Pontifex annuisse: tamen Conradi Wittelspachij (uti suspicio fuit) monitu, à sententiâ abductus, quòd non expediret, eos, quibus sacrorum usus in Concilio Veneto fuisset interdictus, extra concilium generale restitui; Fridericum distulit ad conventum, quem promittebat, se propediem Lugduni habiturum. Ingrata semper est magnis Principibus non repulsa modò, sed etiam postulatorum dilatio.

CONTROVERSIÆ LUCII PAPÆ cum CÆSARE.

Gravior fuit controversia de Mathildis bonis dotalibus, quæ Fridericus Imperio, Lucius Ecclesiæ Romanæ testamento relicta, tabulis uterque ostendebant. Accessit gravissima ab Ecclesiâ Trevirensi disceptatio, in qua jus Pontificis cum Friderici usurpatione conflictabatur. Nam Arnoldo Trevirorum Archiepiscopo demortuo, Rudolfus summæ ædis Præpositus, & Volmarus Archidiaconus, diversis suffragatorum nixi studijs, infulam prensârunt. Volmarus prior quidem & à parte saniore, sed præposteris comitijs electus, & in Archiepiscopi solio collocatus est: Rudolfus verò ab inferiore parte, adnitentibus Cæsaris legatis, renuntiatus est: utriusque causam Cæsar ad suum tribunal Constantiam evocavit, & ex Procerum sententiâ pronuntiavit, Collegium quidem eâ vice jure suo excidisse; quòd majorum more receptum esset, ut, si abeuntibus in diversa votis electio titubaret,

LIS DE ARCHIEPISCOPATU TREVIRENSI.

Cæsaribus esset integrum, quem judicarent idoneum, sufficere; tamen nolle se in præsens uti summo jure, sed novam electionem suffragijs instaurari justioribus. Volmarus interea in Trevirensi D. Petri basilicâ se communijt adversus rivalem; qui Trevirim reversus, ad D. Simeonis ædem divertit, inijtque Episcopatum. Gesta hæc erant ante biennium. Rudolfus Cæsaris authoritate, nonnullo Cleri populique favore (ut mobilia sunt hominum ingenia) erectus, opibus etiam potentior, ad rei summam grassabatur, cùm Volmarus Romam profectus, Pontificis opem imploravit. Ergo jubetur uterque æmulorum, Romæ in jus ambulare; vicissim Imperator, missis ad Pontificem viris quatuor, juris humani apprimè consultis,

VI. Rudolphi causam in Romanâ curiâ defendit, postulátque, sententiam in suum adventum comperendinari. Quare Lucius jubet partes sequi Veronam. Hic Imperator Lucium rogare, urgere rationibus, minis premere, renuntiare amicitiam, si Rudolfi petitionem, quam ipse probâsset, adverso judicio profligaret. Nec abhorrebat Lucius, quâ erat moderatione, à Cæsaris opinione; sed visum tamen, neutri litigantium, nisi causâ rite atque ordine discussâ, controversiam addicere. Patres, ubi ad dictam diem, paratis advocationibus, venêre in certamen, rem fecêre longè quàm antè perplexiorem, quòd neque Pontifex sacris sanctionibus contravenire, neque Cæsar causam, quam suam fecerat, & violenter Treviris per filium suum urgebat, vellet deserere. Ita lis tum quidem in triennium ampliata, quando repudiatis ambobus rivalibus, Treviris tiara, annuente Clemente III. Pontifice, conspirantibus eligentium suffragijs, pronáque populi voluntate delata est Joanni Regis Henrici Cancellario. Atque hæc quidem ex veriori historiâ, tametsi in auctario Aquicinctino, Auberti Myræi diligentiâ, nostro ævo edito scribitur, Volmarum electum canonicè, ab Urbano Lucij successore, sabbato sancto Pentecostes, in Presbyterum Cardinalem; & sequenti die in Archiepiscopum, Friderici Cæsaris ingratijs, esse consecratum. In Veronensi congressu, præ quàm cætera postulata, Cæsar prensavit Henrici filij augustalem inaugurationem, sed frustra, Lucio negante, unum imperium ferre duos Imperatores, aut posse filio imponi coronam, quam parens capite gestaret. Ita per mutuas repulsas, animis haud paulùm alienatis, colloquium abruptum est. Friderici odium Lucius Pontifex, 7. Cal. Decembris Veronæ mortuus effugit, in Urbanum II. è Cribelliorum Mediolanensi familiâ erupturum. Nondum soluto congressu, non ambiguis argumentis hoc ipsum apparuit, cùm insessis per Cæsaris exploratores omnibus itineribus, nulli patebat Italia, nisi qui sarcinas lustrandas explicuisset, quod agebatur ad tollendum litterarum commercium.

Cæsar petit à Pontifice pro filio, Romanam coronam.

An. Christ. M. C. LXXXVI.

Hildegundis Virgo Novesiana.

Quæ præter modum accurata circumspectio (quod mox patebit) Hildegundem Virginem, domo Novesianam, haud procul ab Augustâ Vindelicorum non dubiæ morti objecit, quâ non uno miraculo Numinis eam benignitas liberavit. Prodigio similia sunt, quæ à probis scriptoribus de eâ referuntur. Patrem in Palæstinam secuta, virum simulans, Josephi sumpsit, unà cum virili cultu, appellationem. Sed parente præmaturè Ptolemaide defuncto, à famulo, qui comes erat itineris, perfidè spoliata, miseréque deserta, Hierosolymam nihilominus pervenit, obiítque loca Christi vestigijs honorata. Isthic ab amico paterno agnita,

VII. domum retracta est, & adscripta Canonici famulitio, cui lis erat cum Philippo Coloniensi Archiepiscopo de sorore, quam parthenoni, jure (ut ipse quidem arbitrabatur) optimo, præfici oporteret. Hujus causam acturus, proficiscens in urbem, à Collegio Coloniensi litteras, in Volmari gratiam scriptas, accipit, & personatum Josephum, quem virum credebat, itineris comitem accipit, eíque in excavato scipione Capituli litteras perferendas committit. Ut Cæsarianorum exploratorum diligentiam eluderent, per Boicam diversâ viâ progredi placuit. Hildegundi, Josephum simulanti, se fur adjunxit, qui recens nocturno furto domum spoliaverat, secúmque deferebat prædam. Is è longinquo apparitores conspicatus insectantes, furtivam sarcinam Hildegundi, nihil sinistrum suspicanti, commendat, & quasi mox reversurus se abdit in densum nemus. Hildegundis,

prædæ

prædæ indicio, à vestigatoribus deprehensa, Zusmerhusium rapitur ad Judicem rerum capitalium, & velut furti manifesta, DEUM hominésque pro innocentiâ implorans, furcæ addicitur, & ægrè animi per exomologesim expiandi copiam exorat. Sacerdoti se furti prorsus insontem professa, aperit, se peram prædatoriam ab ignoto viæ comite accepisse, & sine injuriâ non morituram: posse furem silvæ latebris educi & subjici quæstioni. Judex hominem nactus, déque furto percontatus, præter mendacem inficiationem nihil extorquet. Quâ in ambiguitate, tam ipsi, quàm Hildegundi ferri candentis purgatio indicitur, quam Hildegundis illæsa subijt, fur verò ambustus, actus est in patibulum. Hujus propinqui ignominiæ impatientes, cadaver infelici trabe solutum tumulant, & Hildegundem ex itinere retractam furis loco suspendunt. Perierat illa, nisi cœlites eam vetuissent perire. Ne restis ei fauces eliderет, biduo pendentem sublevârunt, & divinâ harmoniâ solati, renuntiârunt, Agnetem ipsius sororem, eâdem horâ, quâ ipsa pendere cœperat, in cœlum evolâsse. Credebatur extincta, cùm opilionibus injecta mens, eam de infami arbore deponendi: & deposuêre quidem; sed mox, ubi terram attigerat, ad gregis tutelam à lupis incursantibus revocati, laqueo insertam deseruêre, credentes, esse prorsus exanimem. Sed genij cœlestes absolvêre pietatis officium, laxatóque vinculo, respirantem & equo impositam, Veronam, quo herus Canonicus jam præcesserat, devexerunt. Is suum Josephum, tam manifesto prodigio servatum, tantò habuit chariorem, & in Germaniam reduxit. Hic edoctus ab Angelo tutelari, biennium duntaxat sibi vitæ superesse, à Canonico digressus, sexum tegens habitu, in Schonaugiense Vangionum Monasterium post infimas preces inter viros receptus; masculâ prorsus virtute, quod reliquum vitæ fuit, exegit, nemo ut esset, qui severitate & laborum tolerantiâ superaret. Sub extremam lineam, suo moderatori rerum perpessarum seriem atque discrimina, sexu tamen celato, recensuit, quædam futura prædixit, quibus eventa fecêre fidem. Diem obijt quartâ Paschæ feriâ, 12. Cal. Majas anno octogesimo octavo in Monasterio Schonaugiensi, ubi ejus virtuti, rudi istius ævi simplicitate, his versibus est parentatum.

Omnis homo miretur, homo quod fecerit iste,
Hac, cujus fossa cineres includit & ossa,
Mas vivens paret, moriens sed fœmina claret.
Vita fefellit, mórsque refellit rem simulatam:
Hildegund dicta, vita est in codice scripta.
Maij bis senis hac est defuncta calendis.

Biennio antè, Henricus Leo ex Angliâ redux in Saxoniam, Brunsuici degebat, patrimonij insigniter lacerati possessione contentus. Eum quidem Imperator spe fortunæ melioris subinde lactabat: sed verba erant sine re, quòd Leonem haberet suspectum, quasi multùm conferret ad ea, quæ ab Urbano Pontifice, à Philippo Coloniensi, qui mentem fidémque in Cæsarem mutaverat, & à Canuto Danorum Rege Leonis genero, minùs grata subornabantur. *Arnold. l. 3. c. 12.* VIII.

Sed & erant alia, cur Cæsari moverentur lites, atque illud inprimis, quòd in adeundâ Mathildis hæreditate, non tam jure, quàm suomet usus esset arbitrio, atque eapropter ab Urbano vehementer accusaretur: alterum erat grave admodum ordini sanctiori, quòd Episcoporum morientium peculium, & quicquid defunctis supererat bonorum mobilium, sibi arrogaret: tertium, quòd involaret parthenonum opes eo prætextu, quòd Antistitas complures, malorum morum accusatas locóque motas, velut indignas suis stipendijs spoliabat, quæ ut retineret, vetabat alias in amotarum locum sufficі: quasi in ejus foret manu (quod protervè dominantium est) novas leges figere, refigere bene fixas. Talibus ausis reclamabant passim Episcopi, atque inprimis Urbanus Pontifex vindex Ecclesiasticæ libertatis; Philippus Coloniensis, Conradus Moguntinus, Bertoldus Metensis, aliíque permulti. Ille verò ut aliquem æquitatis fucum eorum querimonijs objiceret, Gelnhusij CÆSARIS VARII ABUSUS.

lenhusij

lenhusij comitia indixit: ubi meditatâ oratione multa in rem suam præfatus, Episcoporum causam judicio subjecit, seriò admonitorum, viderent, ut, quæ more vetusto Cæsaris adhuc fuissent, ne novis institutis Cæsari auferre niterentur. Coloniensis & Metensis Antistites, qui Cæsaris causam præjudicio jam damnaverant, comitio defuerunt: adfuerunt alij, qui minùs rigidi judicabantur. Conrado Wittelspachio Moguntino, ob sedis Metropoliticæ, & purpuræ Romanæ prærogativam, primæ dicendi partes permissæ. Is, quâ erat constantiâ & fide in jura sacerdotum, orsus à controversiæ, quæ agebatur inter summa orbis Christiani capita, gravitate; professus est, suæ non esse tenuitatis decernere, utri partium victoria deberetur: & verò sibi non liquere, an in Germanicorum Principum consessu causa rite posset agitari. Verum quidem, ex Christi sententiâ, dixisse Imperatorem, Cæsari reddenda esse, quæ essent Cæsaris; neque enim cuiquam esse dubium, quin supremo Romani imperij Principi, & tutori omnium Ecclesiarum, danda essent, quæ lege ac more deberentur; sed in eo versari quæstionem, totiúsque rei cardinem, quisnam Judex sit litis in præsentiarum definiendæ; quænam illa sint jura debita Cæsari, & vicissim quæ reddenda Ecclesijs. Et Romanos quidem Pontifices, nulli omnino tribunali fuisse unquam obnoxios; Imperatores verò à Pontificibus solitos esse judicari. Si summo jure agendum esset, illos, ut Judices esse adeundos, quorum esset de summis, perinde atque infimis judicare. Quòd si videretur incedere irâ molliore, neque legibus, neque armis utendum in eos, quibus DEUS legum interpretationem, & armorum sanctiorum præsidia impertijsset. Quare si ita Patres sentirent, optimum factu futurum, & longè tutissimum, benignum parentem adire precibus & obtestationibus, quæ solæ filijs apud parentes sunt relictæ. Quòd si Cæsar autumet id esse infra suam majestatem, Episcopos posse esse interpretes, si modò rogatorum partes ipsis à Cæsare demandentur. Ivêre omnes in Conradi sententiam, & Friderico non invito, omnium nomine decrevêre litteras ad Urbanum, tali temperamento, ut eum crederent aliquid de juris æquitate remissurum. Verùm ijs nihil motus Pontifex, quòd facilè colligeret, Episcopos tempori potiùs, quàm legibus sua studia commodâsse; Imperatori diem præfixit ad causam dicendam: cùm autem hic vadimonium desereret, eum statuit publicis tabulis è piorum numero proscribere. Quod fulmen Veronenses, qui adhuc in Cæsaris authoritate fuerant, ne Veronæ erumperet, sunt deprecati: ne alibi vibraretur, mors Urbani, 14. Cal. Novembris, Ferrariæ intercessit.

Ei successit Gregorius VIII. die postero, à duodeviginti Cardinalibus creatus, & paulò pòst redimitus pontificijs insignibus, quæ uno duntaxat mense, & viginti septem diebus retinuit. Brevi isto tempore multa egit pro Orientalium Christianorum calamitatibus sublevandis: dedit ad omnes Occidentis Principes litteras Pontifice dignissimas, ad eorum poscendam opem; in quinquennium indixit feriæ sextæ severum jejunium, quo Numen placaretur: jussit ferijs quartis & sabbato à carnibus abstineri: addidit secundam feriam, quâ tum ipse, tum Cardinales eorúmque domestici quadragesimalibus duntaxat cibis vescerentur, lege tam rigidâ, quam nemini citra gravem causam liceret violare. Ejus instinctu sacer Purpuratorum senatus se in commune devinxit ad abdicandas lautitias, curámque rei faciendæ, útque omnes belli sacri insignia susciperent, quò magis alij ad ea suscipienda incitarentur: sibi quoque omni usu capiundorum munerum interdixerunt, immo & equitatione, quamdiu terra sancta infidelium pedibus tereretur. Etiam fuerunt authores, ut septennes induciæ toto Occidente, gravissimâ religiosæ proscriptionis pœnâ, sancirentur. Quibus religionibus causam dedit miserrima Palæstinæ conditio.

Mors Urbani II. Pont. Max. IX.

Roger. Neubrig.

Gregorii VIII. Pont. res gestæ pro terra sancta.

Miser Palæstinæ status.

Saladinus Babyloniæ tyrannus, duobus maximis prælijs victor, pulsis è terrâ sanctâ Christianis, gloriosum Christi sepulchrum extorserat, abstulerat crucem adorandam, ex quâ totius mundi spes pependit. Quorum malorum origo non eadem refertur ab omnibus. Accusant aliqui fœdus & clancularia consilia Saladini cum Isaaco Constantinopolitano: alij Christianorum ignaviam: alij violatas

ab ijs

ab ijs pacis & commercij pactiones: alij ambitionem & simultates Raimundi Tripolitani adversus Vidonem, cum Sibylla, Balduinorum, qui proximè Hierosolymæ sceptrum tenuerant, hæres, coronam imposuerat. Addit Nicetas Isaacio à vate scelestissimo injectam fuisse religionem, quasi Orientis Imperio certa ab occiduis Regibus pernicies immineret, nisi se Orientalium fœdere subsidiisque tueretur. Sed quod formidabilius, æquales eorum temporum scriptores meminerunt, sacerdotes id locorum, flagitijs fuisse coopertos: ipsum adeò Patriarcham in eodem fuisse luto. Clades imminens, crebris horrendisque terræ tremoribus, sævis item ventorum procellis fuerat denuntiata: agri præter modum grandine flagellati: mare æstu insolito exundaverat: visa in aëre Aquila circumvolitans Christianorum copias, armata septem jaculis, & humanâ voce; *Væ væ Hierosolymis*! inclamans. Ut ut ista habeant, mox, ubi classicum ex urbe insonuit, innumeræ catervæ, pedestres, equestres, ad crucis signa convolàrunt. Arnoldus, extra classiarios, numerat centum quinquaginta Cæsarianorum millia. Galliæ & Angliæ Reges Philippus & Richardus, Tyrij Archiepiscopi hortatu, & apparentibus prodigiosis in vestibus crucis imaginibus incitati, magnos quoque fecêre delectus. Taceo ingentes Regis Siculi, totius Italiæ, & Flandriæ Comitis apparatus. Fridericus Cæsar, ejusce belli ducem professus, antè quàm se ad iter accingeret, Reginoburgi Comitia Boicæ Procerum habuit, quo tempore Ottocarus Taurifcorum Princeps, elephantiasi laborans, Stiriam Leopoldo Austrio, propinquitatis amore transcripsit, unde Varnpachium & Schardinga, quam Leopoldus munijt, venêre in Austriorum manus, ad Boicam postea rediturae.

INGENS APPARATUS AD SACRAM MILITIAM.

SCHARDINGA ET VARNPACHIUM TRANSLATA AD AUSTRIOS.

Annus octogesimus octavus consumptus est in adornandâ Asiaticâ expeditione, cui, præter Ahenobarbum, dedêre nomen, ejus filius Fridericus Sueviæ Dux, Theopoldus Batavensis, Ratisbonensis, Herbipolensis, Tarantasius, Vesontionensis, Monasteriensis, Basileensis, Tullensis, Osnabrugensis, Misnensis, Episcopi; Bertholdus Andecensis Dux Meraniæ, Hermannus Badensis, Ottho Burgundiæ, Bertoldus Zäringæ, Adalbertus Habsburgi, Henricus Salmæ, Gosbertus Asperimontis, Robertus Nassoviæ, Adolfus Holsatiæ, duo Henrici Dietzij Dynastæ. Ne per absentiam Cæsaris Henricus Leo res novas moliretur, Goslariæ jussus adesse, & è tribus conditionibus, quas ei Fridericus Cæsar præfixit, ut videlicet vel lubens pateretur dignitatem, quam repetebat, imminui, vel in Palæstinâ Cæsari militaret, vel ut triennio patriâ careret, unam eligere; postremam cæteris prætulit, rursúmque in Angliam ivit exulatum: unde tamen anno sequenti, adnitentibus Angliæ & Daniæ Regibus, in Germaniam redijt. Subinde missus à Cæsare Conradus Wittelspachius ad Belam Ungariæ Regem, quo cum itineris, fori escarij, viarum muniendarum, pabulationis rationem iniret, quod & perfecit ex animi sententiâ. Episcopus Monasteriensis, Rupertus Nassovius, & Henricus Junior Comes Dietzius lecti, qui oratores de pace ad Isaacium Angelum proficiscerentur, à quo nihil præter Argolicas fraudes & carcerem, obsidum specioso nomine, donec Cæsar adveniret, impetràrunt. Feciales quoque cum litteris missi ad Saladinum, qui bellum indicerent, nisi ablata restitueret.

Nicetas Chon. niat. Tageno. Arnold. Lubec. Otto de S. Blasio. Rigord. Godefrid. Monach. Expeditio Asiatica apud Canis. to. 5. p. 2. pag. 46.

AN. CHRIST. M. C. LXXXIIX.

HENRICUS LEO RURSUM EXULAT.

Cæsar, Republicâ Henrico Regi filio commendatâ, copijs 9. Cal. Aprilis ad Ratisbonam lustratis, iter est ingressus. Totius expeditionis diarium minutim texere, longum esset ac supervacaneum. Id accuratè præstitum per Scriptores, quos notavi paulò antè ad marginem, pérque alios recentiores. Castra per Ungariam pacatè mota in Illyricum, inde in Lycaoniam. Multæ in viâ pugnæ, cæsis disjectisque passim Græcorum insidijs: castella expugnata, urbes vi occupatæ, Cæsaris Legati Bizantio recepti.

AN. CHRIST. M. C. LXXXIX. X.

RES IN ITINERE PALÆSTINO GESTÆ.

Transmisso Hellesponto sub Martium exeuntem, commissa passim prælia leviora, donec Laodicæam, præ quàm Græcæ aliæ civitates fidam comémque, ventum est, ubi exercitus omni genere humanitatis est ad miraculum recreatus. Certandum postea fuit cum barbarâ Turcarum, ipsius adeò famis immanitate; quo in itinere Fridericus Cæsaris filius honestum vulnus in malâ, excusso dente, pugnans acce-

AN. CHRIST. M. C. XC.

LAODICENSIUM HUMANITAS.

VICTORIA AD PHILOMELIUM. ALIA DE MELICHO SALADINI FILIO REPORTATA. TERTIA AD ICONIUM. MORS FRIDERICI AHENOBARBI IMP.

accepit. Explicatâ acie, Nonis Maij, prosperè dimicatum ad Philomelium: cæsa hostium sena millia, urbs capta, direpta, incensa. Pari felicitate, prid. Id. Maij, commissa pugna in Melichum Saladini filium, qui trecenta armatorum millia Friderico objecit. Nostrorum aciem visus est D. Georgius in vota vocatus, cum candidatâ legione prætexere. Castris per loca siticulosa, cum incredibili nostrorum molestiâ ad Iconium promotis, denuo pugnatum 16. Cal. Junij, ac triumphatum. Occubuêre è Barbaris innumeri, ingens collecta præda, quæ superiorum laborum oblivionem induceret. Expugnatum Iconium: Calicadmi Soldanus pulsus in arcem, precibus pacem obtinuit. Cæsarem hactenus invictum, mors in Armeniâ devicit 4. Id. Junij, casu improviso, & piæ militiæ acerbissimo, qui eum fluminis, sive Serræ, sive Farfaris, sive Saletij, sive Cydni (nam scriptores in diversa abeunt) lavantem, vel traijcientem, vorticibus haustum extinxit. Aliqui Seleuciæ, inopinatâ morte, nullâ fluminis mentione, abreptum putant. Agebat ætatis annum septuagesimum. Justa illi funebria Antiochiæ Fridericus filius, summæ rei in exercitu impositus, persolvit. Hîc demum sæva in milite exorta lues, tot grassata est funeribus, ut, qui supererant, vix sufficerent, demortuorum corporibus tumulandis. Sunt, qui scribunt, ad triginta millia perijsse. In eorum censum venerunt, Rupertus Comes Nassovius, Burcardus Chambensis, Rudigerus Ahaimius, Theopoldus Passaviensis Episcopus, qui Ptolemaide 3. Non. Novembris vivere desijt. Illi, anno postero 5. Id. Martij, Wolfkerus successit. Tageno ejusdem Ecclesiæ Decanus Tripoli diem obijt. Fridericus Cæsaris filius, dum copiarum reliquias Ptolemaidi obsidendæ admovet, & operi gnaviter incumbit, fato succubuit, dignus longiore vitâ, nisi aliud Numini placuisset. Medicis ad prorogandam vitam Veneris usum suadentibus, respondit animo verè generoso, malle se mori, quàm fœdari. Eo sublato, qui supererant, sensim à signis dilapsi. Bertoldus Meraniæ Dux, & Conradus Antistes Ratisbonensis in Bojariam salvi rediêre.

LUES IN CHRISTIANO EXERCITU.

MORS REGIS FRIDERICI CÆS. FILII. *Godefr. Monach.*

HENRICUS VI. REGNUM AUSPICATUR

Nos porrò ab istâ peregrinatione, in Saxoniam ad Henricum Leonem redeamus. Henricus VI. qui in Romanis fastis Quinti nomen habet, eò quòd Henricum Aucupem ex Imperatorum Albo, propter neglectam Romanam inaugurationem expungant; à patre ante Asiaticam profectionem inauguratus, compertâ ipsius morte, absolutam summæ rei gubernationem adijt. Philippus Archiepiscopus Coloniensis, Albertus Leodiensis Antistes, aliíque Germaniæ & Burgundiæ Principes, rerum novandarum appetentes, consilia quidem de eo abdicando agitârunt; sed Leodiensi apud Remos obtruncato, inclinantibúsq; in Henricum Italorum studijs, ab incœpto desistentes, facilè in gratiam fuêre reducti. Difficilius illi adversus Henricum Leonem negotium, qui ipsius ingratijs ab exilio reversus, contemptâ juvenis adolescentiâ, Stadâ urbe potitus, Adolfum Holsatiæ Comitem ditionibus exuerat, ceperat Bardewicum, & direptum incenderat, Lubecam & Lavenburgum redegerat in suam potestatem. Cùm his successibus ad veteris fortunæ spes assurgeret, & metus esset, ne Princeps multarum palmarum, & olim Friderico Cæsari suspectus, rediret ad ingenium, Henricus Rex cum exercitu Saxoniam aggressus, primo impetu Hanoweram occupavit, & subjectis tædis vastavit. Pòst, Leonem Brunsvici obsedit, casso conatu, quòd jam bruma castris infesta sæviret, & lupi, stimulante fame, mirum dictu, gregatim ejus castra irrumperent, non sine insigni equorum & castrensis armenti damno. Orlemundam & Limbergam nihilo secundiore eventu tentavit: ne tamen nihil ageret, iras effudit in Hartwicum Bremensem Antistitem, delatum à Bremensibus, quasi author esset hujusce belli. De sede deturbatum, Anglia per annum habuit exulem. Rex, ne Martem, quem senserat adversum, diutiùs contra Leonem solicitaret, non ægrè passus est, se à Conrado Wittelspachio Moguntinensi, & Philippo Agrippinensi ad pacem ineundam adduci. Ea Fuldæ convenit his legibus: ut Brunsvicum mœnibus quatuor locis nudaretur: arx Lavenburgica complanaretur: Lubeca æquis portionibus inter Leonem & Adolfum Holsatium divideretur: Leo filium daret obsi-

XI.

HENRICUS LEO ARMA RESUMIT.

Chron. Turing. c. 29. Arnold. l. 4. c. 23.

PAX CUM HENRICO LEONE.

obsidem Ludgerum nomine, quem non multò pòst Augustæ Vindelicorum mors oppressit. Passus est præterea Leo Henricum, filium natu majorem, comitari Regem cum turmâ quinquagenariâ in Urbem, ubi à Cœlestino Pontifice ipsis Paschalibus, unà cum uxore Constantiâ, augustali coronâ donatus est. HENRICUS VI. ROMÆ CORONATUS.

XII. Cæterùm Leo, contrà ac convenerat, nec Adolfum, qui nondum ex Asiâ redierat, in communem Lubecæ partitionem admisit, neque Lavenburgum evertit, nedum Brunsuicum muro exuit, sed Hartwicum Bremensem ex Angliâ reducem recepit in suam tutelam. Ejus filius, sive perosus Cæsaris imperia, sive desiderio ulciscendi paternas injurias (qua de re creditus est cum Tancredo, qui se Apuliæ & Siciliæ Regem ferebat, consilia miscuisse) cùm Cæsar in Cassinensi Monasterio D. Benedicti reliquias veneraretur, ab eo ne salutato quidem, in Saxoniam discessit. Imperator Neapolim, quæ Tancredi studio, venienti portas clausit, irritus obsedit. Cœli & æstivi caloris insolentia exercitum magnam partem absumpsit: Philippum Coloniensem Antistitem, & Ottonem Bojæmiæ Ducem, quorum consilijs gerebatur bellum, sustulit; ipsum Cæsarem usque eò afflixit, ut conclamatum à medicis, immo mortuum fama per Germaniam vulgaverit. Unde mox extitère factiones novum Regem optantium, quorum plerique Leonem non invitum haud obscurè suis votis destinabant, nondum sepultâ rerum, quas præclarè gesserat, memoriâ. Quam conspirationem, maturatus Cæsaris in Germaniam reditus discussit. Sed & Adolfus reversus ex Asiâ, Stadam recepit, Lubecam coëgit ad deditionem, & quæ Leo trans Albim recuperaverat, excepto Lavenburgo invasit. AN. CHRIST. M.C.XCI. *Crantz. in Sax. l. 7. c. 3.* HENRICUS IMP. FRUSTRA NEAPOLIM OBSIDET.

Ludovicus IV. Boicæ Dux interea, prætextâ positâ, ephebos egressus, ætatem attigerat, quâ armis tractandis & reipublicæ gubernandæ, more majorum, erat admovendus. Id quò fieret celebriore pompâ, commodùm Augustus Wormatiæ Vangionum, frequentem Principum agebat conventum, in quo solenni ritu Ludovicus donatus est armis & militiæ honoribus. In ijsdem Comitijs Cæsar Conrado fratrum alteri decrevit Sueviæ dominatum; alteri Philippo, qui pòst imperavit, Etruriam, Spoletum, & Lycates, rejectâ Guelphorum stirpe. At verò Bojum, ipso statim gubernationis initio, civilis belli fœda tempestas excepit. Albertus Bogius, cum Rapatone & Henrico Ortenburgio fratribus, de limitibus & Monasteriorum tutelâ armis contendebat: unde Boica inferior prædis objecta, nullo sacrorum profanorúmve discrimine: Bogius, qui Ludmillam Ottocari sororem duxerat, arma Bohemorum sibi sociavit. Ludovicus, ut vim exteram à suis finibus arceret, copias raptim contractas eduxit in Bogium, & acie victus est, multis in loco amissis, multis in Bojæmiam abductis. Aliâ ex parte Leopoldus Austrius, & Bertoldus Meraniæ Princeps, hic Oeno secundo, ille adverso, in agrum Ortenburgicum invecti, nemine prohibente, cædibus, bustis, populatione omnia miscuerunt; donec Henricus Cæsar utrosque jussit arma ponere, & turbatæ pacis reddere rationem. Causâ discusâ, Bogius belli concitator relegatus est in Apuliam: Ludovicus Bojus, Godefridum Stainium, quòd clanculario fœdere se junxisset hosti, capite minuit. Istos Boicæ tumultus cœlum præsagisse visum immissis ventorum tempestatibus, quæ annosas arbores, vehementibus fatigatas Aquilonibus, stirpitus convellerunt: mortales frequentibus verberati fulminibus, domorum fastigia in auras difflata, templa eversa, ut elementa ex compacto, ad humanorum scelerum vindictam, armata esse viderentur. AN. CHRIST. M. C. XCII. LUDOVICUS IV. DUX BOIARIÆ BALTHEO ACCINGITUR. BELLUM IN INFERIORE BOICA. *Stero. Avent. Hund.* LUDOVICUS DUX PRÆLIO SUPERATUS. GRAVES IN BOICA AERIS TEMPESTATES.

XIII. Leopoldus Austrius, illaudato inhumanitatis exemplo semet ultus est de Richardo Rege Anglorum, probante tamen Cæsare, improbante Pontifice Cœlestino, qui rei indignitate commotus, Leopoldum diris devovit. Irarum hæc causa. Richardus, rebus in Palæstinâ prosperè gestis, in Angliam renavigans, naufragium passus in mari mediterraneo, ad littus Illyricum ejectus est. Ut vitaret Philippi Regis Franciæ, qui iratus ex Asiâ ab Anglo discesserat, insidias, errore pernicioso deflectit in Austriam tribus duntaxat comitantibus, & depositâ majestate, tectus Templarij habitu, in tabernâ meritoriâ, haud procul Viennâ, inter media- AN. CHRIST. M.C.XCIII. *Annal. Augusten.* RICHARDUS ANGLIÆ REX CAPTUS A LEOPOLDO AUSTRIO.

ſtinorum miniſteria agnitus, delatúſque eſt ad Leopoldum, quem graviter in Ptolemaidis expugnatione offenderat. Leopoldus enim primus urbis mœnia cùm ſuperâſſet, vexillum turri affixerat, quod Richardus præreptæ gloriæ invidiâ deripuit, calcavit, projecitque in cloacam, ſuum ut ſufficeret. Quæ ignominia altè hæſerat animo Leopoldi. Ergo Richardus Ratiſbonæ Cæſari ſiſtitur ſub Decembrem exeuntem, jubetúrque agere cauſam ex vinculis. Præter Leopoldi injuriam, objecta alia; ut quòd Siciliam turbâſſet, tametſi hoſpes à Siculis perhumaniter haberetur: vaſtâſſet Cyprum in tranſitu, inſuper habitâ Chriſtianæ religionis reverentiâ: in bello Aſiatico geſſiſſet cum Rege Galliæ rei communi noxias ſimultates: quina, ut minimum, dedititiorum hoſtium millia ad Ptolemaidem juſſiſſet mactari, atque tali crudelitatis exemplo Chriſtianos captivos Barbarorum ſævitiei objeciſſet: addebatur, eundem muneribus emptum, cum Saladino conſilia miſcuiſſe: atrociter habuiſſe Chriſtianos in Aſiâ pro religione militantes. Richardus quidem ſat commodè viſus eſt diluiſſe; relictus tamen apud Leopoldum in cuſtodiâ, donec datis obſidibus, pactus eſt Cæſari decies novies centena, Leopoldo verò quadraginta aureorum millia, pretium ſuæ libertatis.

Rigord. in Philip.
RICHARDUS CAUSAM DICIT CORAM CÆSARE.
RETINETUR CAPTIVUS.
Godefr. Monach.

Iſtam nundinationem DEO non fuiſſe gratam, oſtenderunt immiſſæ in Leopoldum calamitates. Danubius effuſus extra alveum, ingentia circùm damna intulit: agrorum ſterilitas invexit famem: peſtilitas nobiliſſimo cuique infeſta in Auſtriam ſævijt: Erucæ terræ virorem depaſtæ armento detraxêre pabulum: ac demum Leopoldus ipſe, qui eatenus Pontificis execrationem deriſerat, 7. Cal. Januarias delapſus equo, & crure fœdè lacerato, quod ſerpente gangrænâ per chirurgos fuit reſecandum, idque ſine medelâ; vindicem Numinis agnoſcens iram, Angliæ Regis obſides, quos perſoluto lytro detinere pergebat invitos, dimiſit, juſſitque acceptum aurum Richardo refundi; tandémque cum bonâ ſpe vitæ melioris, ipſis Januarij Calendis efflavit animam, probè edoctus, quàm noxium ſit homini Chriſtiano, ſine modo acceptas injurias velle ulciſci.

LEOPOLDI RES ADVERSÆ.
Chron. Auguſten.

AN. CHRIST. M.C.XCIV.
Arnol. l. 4. c. 20.
XIV.

Parabat Cæſar novam trans Alpes expeditionem, tum ut vindictam ſumeret de Italis, qui Conſtantiam Auguſtam proditione captam Tancredo Siculo miſerant, quamquam jam Cæſar eam, per urbis Præfectum, anno ſuperiore receperat: tum ut Tancredo demortuo, Apuliæ Siciliæque ſibi poſſeſſionem aſſereret. Quâ uſus occaſione Henricus Leo, Cæſaris gratiam ut ſibi demereretur, Henricum filium juſſit ad caſtra proficiſci, & Cæſaris lateri cum fide adhærere, ratus, ſe eo genere officij, Transalbinas provincias & avitos honores recuperaturum. Inſinuavit ſe quidem filius (quâ erat amœnitate morum) in Cæſaris familiaritatem non ſine ſpe impetrandi fortunas parenti detractas; verùm cùm ſterilibus promiſſis differretur (ſunt enim tenaces rerum ſemel occupatarum picatæ Magnatum manus) captus aulæ faſtidio, eáque desertâ, aliam rationem inijt, quam credidit parentis voto facturam ſatis. Diſceſſit ad Conradum Rheni Palatinum, patruum Cæſaris, à quo habitus in pretio ob præcellentem indolem, & corporis elegantiam, cum gratiæ locum obtinuit, ut, cùm Conradus Agneti, quam filiam habebat unicam, maritum quæreret, nullum è rivalibus Leoni Juniori putârit eſſe præferendum. Graviter quidem eas nuptias Cæſar accepit; ſed cùm nequirent diſſolvi, anno ſequenti, quo Conradus fato conceſſit, Leoni Rheni Palatinatum, in demortui ſoceri & neptis gratiam, fecit clientelarem. Exinde nova lux Saxoniæ ſuborta: ſublatæ terrâ marique hoſtilitates: eliminata latrocinia, coercitæ populationes: pax undique Saxonibus reddita. Henricus verò Senior vitæ pauxillum, quod ipſi erat reliquum, rebus ſanctioribus & publicæ tranquillitati impendit, Brunſuici baſilicas & Ducum Regiam exornans. Sub hæc Cæſar in Siciliam tranſvectus, Salernum expugnavit, cives, quorum operâ Imperatrix fuerat in captivitatem aſſerta, ſupplicijs caſtigavit, Regnóque in ſuam poteſtatem redacto, Sibyllam Tancredi viduam, quæ Guilielmum filium Panormi Regem dixerat, unà cum nepotibus fecit captivam: puero regio effodit oculos, ſorores geminas unà cum aviâ & matre in Germaniam deportavit. Ex gazâ regiâ auri vim immenſam, cæteraque

HENRICUS LEO JUNIOR CUM CÆSARE IN ITALIAM PROFECTUS MERIS PROMISSIS PASCITUR. NUBIT AGNETI PALATINÆ.
HENRICUS LEO SENIOR VACAT PIETATI.
CÆSARIS IN SICILIA RES GESTÆ.

teraque

teræque supellectilis centum quinquaginta clitellariorum onus avexit, totam propè Siciliæ nobilitatem abduxit in vinculis, Irenen Isaaci Constantinopolitani filiam, Tancredi thoro aliàs destinatam, fratri suo Philippo cum parte Apuliæ dotali despondit. Antequam è Siciliâ solveret, litteras dedit in Germaniam, quibus ostendebat, se jam habere sub signis numerum insignem armatorum, ad Palæstinæ auxilia comparatum; simul invitavit Antistites, ut in suâ quisque Diœcesi, populos ad eandem militiam excitarent: promittens singulis viritim triginta auri uncias, & quantum annonæ satis foret, ubi primùm sacrum iter, quod anno sequenti esset ineundum, aggrederentur. Verùm ut differretur, intercessêre causæ, quas mox recensebo. *Arnol. l. 4. c. 20.*

Ac primùm quidem, quantumcunque diligentiæ adhiberetur, non potuêre fieri in tempore necessarij apparatus, de quibus habenda fuerunt Geilenhusij & Wormatiæ Comitia, & expectanda auxilia, quæ Cælestinus Pontifex, missis in orbem Christianum legatis, à Principibus poposcerat. Nomina dedêre è Germanis Proceribus ut minimùm viginti, cum flore totius juventutis. Collecta è Boijs cæterisque Germaniæ gentibus sexaginta pugnatorum millia, quos Cæsar classe in Asiam volebat transmitti, majore securitate & compendio, quàm aliàs, quando per Asiæ continentem exercitus objecti fuerant Græcorum perfidiæ & Turcarum barbariei. Cæterùm Henricus Senior, ætate fessus, diem hoc anno obijt Brunsuici; ubi in templo S. Blasij tumulatus est. Eundem secutus est Welfo patruus, nactus conditorium in Steingadensi Monasterio, quod ipse condiderat. AN. CHRIST. M. C. XCV. XV. SACRÆ MILITIÆ APPARATUS. HENRICI LEONIS ET WELFONIS OBITUS.

Rebus ad Palæstinum iter comparatis, visum est, Cæsarem neutiquam consultò facturum, si ipse unà proficisceretur. Verebantur Principes, ne quas turbas in Imperio malè affectorum ingenia moverent per ipsius absentiam. Ne tamen quicquam navigaturos deficeret, rebus omnibus abunde instructa classis est in Apulia, quæ invecta in Messanensem portum, multarum navium accessione facta est potentior, ad exercitum, qui indies augebatur, commodè transportandum. Accessêre enim sub Hartwico Bremensi Archiepiscopo, è Daniâ, Frisiâ, alisque Oceani Germanici confinijs triremes, quæ per mare Occiduum, & flexo deinde in Orientem cursu, fecêre vela. Cæsar omnibus copijs (si verum habet Godefridus Monachus) præfecit Lotharingiæ Ducem, quem, credibile est, fuisse Simonem II. Matthæi I. & Berthæ Friderici Ahenobarbi sororis filium. Præficiunt alij Henricum Leonem Rheni Palatinum, eique addunt legatos, duos Conrados, Wittelspachium Moguntinum, & Herbipolensem Episcopum, qui tum quidem Cæsari fuit ab epistolis. AN. CHRIST. M.C.XCVI. NAVIGATIO IN PALÆSTINAM. *Ep. Simonis ad Archiep. Colonien. quam recitat Godefrid. p. 263.*

Imperator lustrans Apuliam, quam nuper pacatam reliquerat, opinione reperit intricatiorem, sive ex vero, sive ex suspicione & delatorum malevolentiâ, quâ nihil deterius Principum aures potest occupare. Constantia Imperatrix, quam maritus Siciliæ moderandæ imposuerat, insimulabatur, tametsi jam anus, capta Jordani inter Siculos nobilissimi amoribus, de eo coronando, tollendóque marito, consilia cepisse, eò maximè, quòd maritus in regiam Siciliæ stirpem, neglectâ Augustæ, quæ ejusdem erat sanguinis, pro cognatis deprecatione, justo severiùs animadvertisset. Et sanè quidem Cæsar habebatur iræ nimius, cui in ea quoque rei ambiguitate frena laxavit. Nam Jordanum, ignito solio affixum, & candenti diademate coronatum, jussit comburi: Richardum verò Cerranum Comitem, conspirationis & veneni in Cæsaris necem temperati delatum, equi caudæ alligatum, raptatum per compita, & supinis pedibus, pronóque in terram capite, è patibulo suspensum necari; alium vivum ebulliri, suffocatúmque mitti in canistro ad amicos: quæ supplicia in dubijs criminibus eò sunt visa duriora, quòd inferrentur more plus quàm Siculo, ijsque Cæsar frueretur, & præstaret sibi vindictam, quod solet esse argumentum feritatis. CÆSAR IN SICULOS, EX SUSPICIONE, GRAVITER ANIMADVERTIT.

Classis interea temporis comparata solvens sub ineuntem Septembrem, prosperâ navigatione Ptolemaidem appulit, ubi accepit tristem, de morte Henrici Campaniæ Comitis, Hierosolymitani Regis, nuntium. Is noctu captans auram frigidam incau- AN. CHRIST. M.CXCVII. MORS HENRICI REGIS JEROSOLYMITANI.

XVI. incautiùs, è sublimi corruens, fractâ cervice, sibi elisit animam. Nostri, factâ exscensione, cùm Tyrum inter & Sidonem agmine composito incederent, obvium habuêre Saphatinum Saladini hæredem, omnes Babyloniæ & Damasci Tetrarchas, ingentem Saracenorum multitudinem à latere montis ostentantes, nostrósque à tergo continuis insultibus lacessentes, non sine suorum clade, & Sidonij Dynastæ aliorúmque complurium jacturâ. Castris ad Sidonem flumen locatis, cùm nostræ naves crucibus insignes apparuissent, Sidonij terrore dilapsi, urbem, arcem verò munitissimam Berytenses deseruerunt, quâ nostri potiti, tantum armorum & annonæ repererunt, quantum quingentorum præsidio satis esset in septennium. Eadem fuit sors castri Gibeli & Liediensis. Vastata latè regio, Saracenis nusquam ausis conferre signa. Et jam se spes non dubia prodebat Solymæ recuperandæ, cùm Henrici Cæsaris renuntiata mors omnem nostris alacritatem ademit.

Sidon capta cum arce Berytensi, et aliis munitionibus.

Henrici Cæsaris mors.

In Syriam, mutato proposito, cogitanti, mors injecit manus Messanæ 3. Cal. Octobris. Quorundam fuit suspicio, eam illi ab uxore medicatâ potione fuisse propinatam. Scribunt alij, ipsum in venatione æstuantem, frigidâ intempestivè potâ, captatáque per imprudentiam refrigeratione, lethalem sibi febrim accersijsse. Sub extrema, Fridericum filium, quem quadrimum Germaniæ Proceres successorem dixerant, Innocentio Pontifici per legatos commendavit. Ejus tutelam, educationem, & augustalia ornamenta Philippo fratri commisit. Defuncto datum Panormi in principe Basilicâ Mausoleum marmoreum. Magnæ illi virtutes, haud mediocribus vitijs confusæ, vagâ libidine, immiti ingenio. Ita, ejus morte, sacri belli fervor felicitásque elanguit. Germanorum plerique à crucis vexillo dilapsi: vix ullus è Principibus, præter Conradum Wittelspachium, quem Pontificis legatio retinuit, & Rudolfum Verdensem, se passus est in Asiâ diutiùs occupari, alijs domestica, alijs gliscentes in Imperio turbas, respicientibus.

Sacra expeditio dissoluta.

An. Christ. M.CXCIIX. Philippus Friderici tutor,

Philippus Friderici impuberis patruus, è Siciliâ redux in Germaniam, videbatur initio commissam sibi tutelam cum fide gesturus. Habebat permultos, qui suam ad id operam lubentes profitebantur, Bojos præsertim, authore Ludovico Duce, Adalbertum Salisburgensem, Saxoniæ Principes; sed Bertoldi Zäringij, quem Coloniensis & Trevirensis Archiepiscopi, fastigio destinaverant, impulsu, neque demum illubentibus, quos dixi, Boijs atque Saxonibus, 8. Id. Martias, oblatum sceptrum, neglecto Friderici nomine, Mulhusij accepit; Moguntiæ verò regni insignia, quæ pupillo asservanda susceperat, Tarentino Pontifice inaugurante, induit. In ejus verba Boij, Suevi, Francones, Ottocarus Boëmus, Saxonum magna pars jurârunt. Ab adversâ factione, Otho Henrici Leonis Senioris filius evocatus ex Angliâ, & à Richardo Rege avunculo animatus, Coloniæ Agrippinæ Rex est salutatus, & Aquisgrani, expulso Philippi præsidio, in Caroli Magni solio collocatus. At verò ex urbe adferebantur litteræ, quibus Innocentius Pont. utrumque improbabat. Quâ ex discordiâ natum odium, quod plures annos Imperium civili bello laceravit.

Neglecto pupillo, Imperium invadit. Otho contra Rex salutatur.

An. Christ. M.C.XCIX. Adalbertus Salisburgen. captivus. Wolfgeri Passaviensis bellum cum Ortenburgiis.

Neque verò Boica fuit à turbis immunis. Adalbertus Salisburgensis Archiepiscopus à suis clientibus (causam Annales non prodiderunt) captus ad fluvium Lamerum, in arce Werfensi per dies quatuordecim arctè est habitus: cujus rei indignitate factum, ut Salisburgo, vicinísque Episcopatibus, sacris interdiceretur. Eorum usus publicè non est restitutus, donec constitit, captivum esse redditum libertati. Haud multò pòst, Wolfgerus Batavensis Episcopus redux ex Asiâ, cruentum bellum gessit cum Ortenburgijs Rapatone & Henrico fratribus. Hi, absente Episcopo, populationibus aliisque injurijs gravia damna Episcopatui intulerant, quæ ille mox, ut domum redijt, egregiè ultus est, arcibus Ortenburgiorum plerisque solo æquatis. Confugerant Comites in castrum Grabense (Brunnerus vocat Oberbergam) quod Wolfgerus diuturnâ clausum obsidione, editâque Ortenburgensium luculentâ cæde, redegit in suam potestatem, & funditus evertit.

Conradus Wittelspachius è diverso, ubi primùm redijt ex Oriente, partes egit pacificatoris inter geminos Germaniæ Reges. Propendebat ille quidem in Othonem, motus Innocentij Pontificis authoritate, tamen à Philippo non erat alienus, ut, si Othonis voluntate regium nomen retineret, idipsum ad vitandas patriæ calamitates, lubens esset probaturus. Id saltem se confidebat effecturum, ut, inducijs in quinquennium compositis, uterque diviso Imperio, sine sanguine potiretur: credebat posse interim multa evenire, quæ malis majoribus remedium adferrent. Verùm ejus conatus abierunt in irritum; nam Otho, ejúsque partiarius Agrippinensis, ne pacis quidem consilia admiserunt ad aures, & Philippus perstitit in proposito. *Vrsberg.* XVII. CONRADUS WITTELSPACHIUS FRUSTRA DUOS REGES CONATUR CONCILIARE.

Quare Wittelspachius, ratus, se operam in Ungaria meliùs locaturum, Emericum & Andream Belæ III. Regis filios, de regno contendentes adijt; & visus quidem est, eos adduxisse ad concordiam, sed paulò pòst ambitio, sopita odia, regnandique libidinem excitavit. Emericus Andream fraude circumventum conjecit in vincula, ipséque vicissim à fratre, anno nondum elapso, ferro oneratus est, & regno exutus. Annales Australes habent, Emericum eodem, quo fratrem vinxerat, anno, DEO vindice, fato concessisse, & regnum reliquisse fratri. Wittelspachius nihilo minùs suo apud DEUM merito, & laude apud mortales, ob piè locatam operam, non caruit: & par est credere, præmio non caruisse, cùm anno M.CC. domum regrediens, in Passaviensi Diœcesi ad vitam beatiorem est evocatus, 6. Cal. Novembris. Defuncto Wolfgerus Episcopus pro dignitate parentavit, funúsque duxit Moguntiam perhonorificè & cum magnâ laude pietatis. Quo perfunctus officio, medio inter Anternacum & Confluentiam spatio cum Coloniensi, Trevirensi, & Monasteriensi Antistitibus, de pacificandis Anticæsaribus, nullo operæ pretio est collocutus. Donaverat Conradus Wittelspachius, supremo voto, Ecclesiæ Salisburgensi sacram suam supellectilem: sed Ludovicus nepos Bojariæ Dux, rescissâ patrui voluntate, non sine gravi cordatorum virorum reprehensione, quasi hæreditariam avertit. Fuerunt, qui ex eo facto multa illi adversa ex vero sunt ominati. RECONCILIAT UNGAROS AD TEMPUS. *Annal. Aust. ad an. 1202. & 1205.* AN. CHRISTI M. CC. MORITUR.

Conradum hoc anno 6. Id. April. præcessit Adalbertus Archiepiscopus Salisburgensis, in cujus sedem cooptatus est Eberhardus II. Truchsenius Episcopus Brixinensis. Is, ipso etiam aditæ dignitatis initio, Romam misit Berchtoldum Præpositum Metropolitanæ Ecclesiæ, qui pallium ab Innocentio Pontifice impetraret. Demortuo hoc Legato re nondum confectâ, in urbem successit Bernardus Præpositus Berchtesgadensis, qui nec ipse voto potitus est; quòd Pontifex factam ab Eberhardo transitionem, ab inferiore sede ad superiorem, improbaret. Quamobrem non annuit ejus petitioni Innocentius, donec facto Romæ supplici, pallij insigne, absolutámque Salisburgensis Ecclesiæ gubernationem concessit. Domum reversus, cùm D. Cunegundi S. Henrici Imperatoris castissimæ conjugi cœlitum honores ab Innocentio essent decreti, celebritatem, quâ sanctæ Virginis exuviæ Babenbergæ è tumulo in aram levabantur, inter frequentes Germaniæ Antistites Eberhardus suâ præsentiâ cohonestavit. Innocentius in tabulis, quas ad Theumonem & Capitulum Bambergense de assertâ in Divorum numerum Augustâ virgine transmisit, testatur, quòd ejus intercessione *cæci visum, claudi gressum, muti verbum, surdi recuperaverunt auditum, alijque languoribus impediti, frequenter & evidenter plenam sunt consecuti sanitatem.* Item, quòd *pulvis de ejus tumulo assumptus, sæpe conversus est in frumentum.* OBITUS ADALBERTI SALISBURGENSIS. S. CUNEGUNDIS TRANSLATIO. *S. Antonin. 3. part. c. Venerabilem. De elect. Gloss. ibid.*

Sub id temporis Summus Pontifex de Germanorum dissidio apprimè solicitus, suam de Philippi electione sententiam edidit. Memor etenim injuriarum, quas Ecclesia Romana à Gibellinâ domo acceperat, expenso Philippi perjurio manifesto, publicâ excommunicatione, & persecutione, quam ipsius progenitores, & ipse *præsumpserant in sedem Apostolicam, & alias Ecclesias*, quódque *contra proprium juramentum*, quo se Friderico Siciliæ Regi, nepoti suo, vivo adhuc Henrico Imperatore, obstrinxerat, regnum sibi, inconsulto Pontifice, usurpâsset; per Guidonem Cardi- INNOCENTIUS PHILIPPUM CÆSAREM REPROBAT. XIIX.

Cardinalem Episcopum Prænestinum, Germaniæ Principibus, inprimísque Electoribus denuntiavit, Philippum haudquaquam fuisse idoneum, qui ad regnum eveheretur: Othoni verò nihil deesse, quò minùs rerum summâ potiretur. Guido Cardinalis tali Pontificis judicio munitus, sub exeuntem Junium, Coloniam vocavit omnes Principes, qui Friderico impuberi fidem addixerant, eósque solvit juramenti religione, quâ se Philippo obligârant: huic verò, ejúsque partiarijs sacrorum usu interdixit: alijs, Pontificis nomine, diras est interminatus, nisi in posterum Othonem, ut verum Germaniæ Regem sequerentur. Idem Cardinalis, dum hæc de Republicâ Coloniæ ageret, pium morem in eam urbem invexit, quem finitimi Germaniæ populi sunt æmulati; ut, cùm hostia Eucharistica in tremendo sacrificio in altum tollitur, populus, audito nolæ tinnitu, eam cernuus adorans, à DEO pacem veniámque postulâret, donec mystici calicis consecratio foret peracta. Aliam præterea religionem persuasit, ut, quando cœleste corporis viaticum ad ægros deferretur, tintinnabulo ad DEI præsentis venerationem populus excitaretur.

OTHONEM PROBAT. AN. CHRIST. M. CCII. *Cæsarius lib. 9. c. 51.* RITUS SS. EUCHARISTIÆ ADORANDÆ, ET DEFERENDÆ AD ÆGROS.

Propagabantur isthæc officia pietatis, cùm in Boicâ civile bellum, adversus Ludovicum Bojariæ Ducem, sociavit Eberhardum Salisburgensem, & Conradum Ratisbonensem Præsules. A Duce dissidebat Salisburgensis, ob clientelam & parochiam Utinensem: Ratisbonensis reversus è Palæstinâ, unde pacem cùm magnâ cum laude attulisset, simul bellum retulit adversus Laicos Ecclesiarum tutores, quos nuncupant Advocatos: quos per vim eo munere deturbare aggressus, fœdere sibi adjunxit Salisburgensem. Certatum mutuâ cladium atrocitate, multæ arces complanatæ: Bojaria universa ex improviso oppressa, ferro flammísque vastata: direptæ Sanctorum reliquiæ: templa expilata: aræ sacrilegio violatæ: Frisinga igne deleta: patrata scelera immanitatis inauditæ. Numen eos furores visum est ulcisci, quando Salisburgi, haud multò pòst, Basilica ipsáque civitas conflagrârunt. Ludovicus Teispachium, arcem Ratisbonensis ditionis captam diruit, & mors Conradum Reginoburgi sustulit, anno M. CC. IV. 8. Cal. Majas. Suffectus est Conradus III. ultimus gentis suæ hæres Comitum Frontenhusiorum, ex Præpositurâ Frisingensi, vir gratus omnibus, tractabilis, & æquitatis apprimè retinens, olim futurus Imperij Cancellarius. Hoc etiam anno Wolfgerus Batavensis, Philippo Regi inter amicos primæ admissionis, evectus est ad Aquilejensis Ecclesiæ Patriarchatum Pilegrini morte vacantem. Passavij successorem accepit Popponem, antea Præpositum Aquilejensem, non ultra sesquiannum provicturum.

Annal. Austral. Hund. in Metrop. Avent. lib. 7. BELLUM CIVILE IN BOICA. ATROCIA BELLI EXEMPLA. AN. CHRIST. M. CC. IV.

Huic anno Landishuta, civitas elegans ad Isaram amnem, sua debet incrementa. Primùm, ad prohibendam grassatorum licentiam, specula monti, in quo hodie Ducum Regia visitur, fuit imposita, unde civitas nomen patriæ defensatricis accepit.

And. Presbyt. Arenpeck. LANDISHUTA EXCOLITUR.

XIX.

Sub id temporis incidit mors Bertoldi Ducis Meranensis è stirpe Comitum Andecensium. Tumulatus est Diessæ in majorum suorum conditorio. Ejus soboles Otho Magnus, paternam dignitatem transmisit ad posteros. Tres Othoni fuêre fratres: Ecbertus Babenbergensis, Bertoldus Colocensis Episcopi, Henricus Comitis Istriæ & Carniolæ Comes. Eidem sorores fuêre quatuor: Gertrudis Andreæ Ungariæ Regi locata, D. Elisabethæ Turingicæ mater: D. Hedwigis nupta Henrico Silesio: Mechtildis in Kizingensi parthenone Christo desponsa: quarta, Agnes, quam Francici Scriptores Mariam, & paulùm immutato Meranensi titulo, Ducis Moraviæ filiam, errore ignoscendo, nuncupant, Philippi II. Franciæ Regis thalamo per quinquennium recepta, posteaquam ille Gelbergam, alijs Engelbergam, Daniæ Regis sororem, intra tertium mensem, propinquitatis causâ dimiserat. Ex Agnete Philippum & Joannem liberos suscepit, quos Innocentius III. Pontifex, tametsi matrimonium improbaverat, Agnete defunctâ, legitimos hæredes Pontificijs tabulis declaravit. Unde extra dubium est, Agnetem impedimenti nesciam, & Philippum bonâ fide, nonnullis Episcopis auctoribus auspicibúsque nuptias contraxisse. Et verò Dana familia (si Æmilio fides est) regiæ

Chron. Andec. Rigord. in Philip. pag. 202. Paul. Æmil. pag. 302. AGNES ANDECENSIS NUPTA PHILIPPO II. REGI FRANCIÆ.

Francicæ

Franciæ cognatione juncta erat. Nam Philippi I. Regis Franciæ filia nupserat Dano Regi: unde vero fit affine, per aliquot primogenitorum gradus Gelbergam fuisse editam; sed in recensendo avorum numero, assignandáque distantiâ fuisse erratum à divortij novarúmque nuptiarum authoribus. Quo se cunque modo ea res habeat, hæc ipsa Agnes est, à quâ Andecense sacrarium aliquot coronæ spineæ ramulos, quibus augustissimum Christi caput à Judæis fuit confixum, accepit. Et eadem est, quæ crucem Forstenriedensem, rudem quidem, sed veneratione præcipuam Christi morientis effigiem, ab Albano Monacho Andecensi æditui sculptam, cùm in arce paternâ degeret, religiosè coluit, & ab eâ suæ fortunæ oraculum creditur accepisse.

Cultrix crucis Forstenriedensis.

Hoc anno Ludovici Bojariæ Ducis cum Ludmillâ nuptiæ, quas Andreas Presbyter ordine præpostero reijcit in annum hujus sæculi vigesimum quartum, sunt celebratæ. Ludmillam, quam Aventinus, more suo Græcanico, Laodamiam appellat, alij nobilissimo Boëmorum sanguine natam, alij Regis Poloniæ filiam existimant. Utrumlibet verius sit, tamen constantem ab historicis habet laudem pietatis, honestatis, & solertis ingenij. Primis nuptijs fuerat illigata Alberto Bogio, atque ex eo genuerat Leopoldum, Albertum, & Bertholdum, qui non optimè gessêre rempublicam. Marito demortuo, laudatissimè vidua vixerat per sexennium, cùm Ludovicus Dux, ejus formâ & integritate modestiæ delectatus, frequens ad eam familiariter revisebat, non dissimulans vota ipsius thoro potiundi. Non respuit quidem illa familiaritatem, negavit tamen, se extra matrimonij sanctitatem quicquam geniale admissuram: si cum honore, adhibitis, quos ipsa produceret, sponsionis testibus, duceretur, nihil futurum moræ, quò minùs ille voto potiretur. Post siparium abdiderat tres optimi sanguinis equites, totidémque habebat in lecticæ conopæo depictos. *En* (inquit illa, digito in picturam intento) *testes pacti, quod mecum es initurus* Ille, per jocum à Ludmillâ arbitros ejusmodi ratus adhiberi, ilico matrimonium prolixè addixit. Tum illa, reductâ alterâ parte siparij, ad vivos sponsionis testes; *Audistis* (inquit) *viri nobiles, à Principe Ludovico mihi nuptiarum fidem esse promissam? Audimus utique*, responderunt, *& sponsionem testamur, porróque testabimur.* Obstupuit Ludovicus fœminæ ingenium, séque domum recipiens, regio cultu nuptias adornavit, annóque vertente Ludmillam nuptum duxit, ex quâ suscepit Othonem hæredem, cujus ortus magna attulit Boicæ emolumenta. Nam antè quàm nasceretur, Ludovicus Bojariæ Dux cum Conrado Reginoburgensi pacem his legibus inijt, ut, si Dux Ludovicus nullam ex justo thoro ferret prolem, Episcopo Ratisbonensi cederet Kelhaimium, Lengenfelda, aliáque loca trans Danubium unà cum Landishutâ: contrà si ille legitimâ prole donaretur, jus esset Duci, comitijs Pontificijs interesse cum potestate suffragij: Toparchia, quæ in Oeni valle est, unà cum arce, clientelari beneficio, eidem Duci permitteretur: ut secernerentur jura, quæ Bojariæ Duces cum Episcopis habebant in urbe Ratisbonensi communia, ad tollendas litium occasiones: quæ pacta Philippus regio diplomate probavit. Circa id tempus, stirps Comitum Vohburgiorum, unà cum Bertoldo, ejusce gentis ultimo extincta, Boico Principi reliquit caducam clientelam. Fuit illa familia opibus terrísque præpotens inter Nariscos.

Ludovicus Boius nubit Ludmillæ. *Avent. lib. 7. pa. 660. Hund. pa. 292. § penult. Arenpeck. M.S. pag. 188. Andr. Presb. pa. 66.*

Ludmillæ solertia.

Vohburgiorum familia extincta. *Avent. Hund. in Origin.*

Cùm interim arma civilia Hermanno Turingiæ Landgravio Othonianarum partium incumberent, isque ab Ottocaro Boëmo, Orlamundam usque grassante, repressóque per Othonem Wittelspachium, ne Regi Othoni suppetias adduceret, desertus, Weissenseæ arctâ cinctus obsidione, suasu quorundam Principum lubens in Philippi Regis fidem concessit. Paulatim quoque alij Imperij Proceres ab Othone deficiebant ad Philippum, impulsore Adolfo Antistite Coloniensi; inter quos Brabantiæ & Lotharingiæ Duces, qui sub D. Marci festum Confluentiæ Philippo dixêre sacramentum. Colonia etiam Agrippina, quæ adhuc Othonem foverat, post biennium Philippo manus dedit. Bojæmus denique Ludovici Boicæ Ducis consilium secutus, quò foret Philippo conjunctior, hujus filiam Wenceslao filio despondit.

XX. Proceres alterius ab Othone deficiunt ad Philippum.

An.Christ. M.CC.V. Otho prælio victus. An.Christ. M.CC.VI. Popponis Passaviensis et Conradi Ratisbonensis obitus.

Anno postero Philippus Novesium suæ ditionis fecit, agrúmque latè vastavit, & affecit provinciam confinem malis ingentibus. Otho Rex, ausus cum Philippo signa conferre ad Wassinbergam arcem, Principis Limburgici proditione profligatus est, coactúsque cum paucis domesticis in Angliam profugere. Istam cladem secuta, quam dixi, Coloniensium ad Philippum defectio, posteaquam obsidionem aliáque mala toleraverant. Haud multò pòst Poppo Passaviensis Episcopus fato concessit, & infulam Mangoldo Bergensi Comiti reliquit. Sed & Conradus Frontenhusius Ratisbonensis Antistes naturæ debitum exolvit, magno sui desiderio relicto. Pauperes & Ratisbonensem Ecclesiam scripsit suorum bonorum hæredes.

An.Christ. M.CC.VII. Pacis irrita tractatio.

Anno septimo, actum de pace inter Philippum & Othonem Reges. Philippo Augustæ Vindelicorum comitia agenti, Novembri exeunte, adfuerunt duo ab Innocentio missi Cardinales, Hugo Ostiensis Episcopus, & Leo S. Crucis presbyter, cum mandatis, ut Brunoni, olim Bonnensi Præposito, qui Adolfo per sedem Apostolicam abdicato successerat, & eam ob causam à Philippo in vinculis attinebatur, libertatem impetrarent, simul ut, si quâ posset fieri, quietem redderent Germaniæ. Primum haud gravatè concessum Pontificis reverentiæ: posterius confici non potuit. Adolfus Coloniensis, quem Innocentius diris devotum loco moverat, à Legatis religione quidem solutus est, cùm id ipse infimis precibus exoràsset; sed jussus tamen est in urbem proficisci, ut suscepto piaculo, Pontifici faceret satis; cui factus supplex anno sequenti, impetrare non potuit, ut postliminio in Agrippinensem sedem reduceretur.

An.Christ. M.CC.IIX.

Cœperat tamen Innocentius in Philippum esse clementior, posteaquam Wolfgerus Aquileiensis Patriarcha, quà excusando, quà rogando, Pontificis animum leniverat. Et jam res, missis ultro citróque legationibus, eò devenerat, ut concordia inter utrumque Regem sanciretur, hisce conditionibus: primùm, ut Pontifex Philippum in piorum cœtum, unde fuerat exclusus, reciperet: deinde, ut penes eundem maneret Imperium, donec in vivis superesset: ei verò, si quid humanitus contingeret, Otho succederet, & Beatricem Philippi filiam, factâ cognationis gratiâ, sibi matrimonio jungeret: verùm antè quàm suprema manus pacificationi imponeretur, Philippus 10. Cal. Julij immani facinore fuit interemptus, non sine tamen Numinis vindictâ, quæ raró sine supplicijs juramentorum violatores ad alteram vitam transmittit. Sceleris author Otho Wittelspachius. Causa non una à scriptoribus proditur: & verò credibile non est, virum cordatum & Philippo semper fidum, ad tantam atrocitatem sine omni causâ descendisse: quanquam nulla fingi potest, quæ par sit purgandæ facti detestabilis infamiæ. Scribunt quidam, Philippum ex filiabus unam Othoni despondisse, ac deinde offensum sanguinario hominis ingenio, quippe qui Welfonem Bojum genere illustrem, & Regi in paucis charum occidisset, rescissâ sponsione, alteri addixisse: & habuisse quidem in præsens Othonem iras in potestate, sed pòst efferatum, uti quidem rebatur, novâ injuriâ, laxâsse habenas ultioni. Passus prioris sponsionis jacturam, à Philippo petijt, ut, quando à promissâ affinitate arcebatur, Philippus suâ authoritate & commendatione foret adjumento, ad conciliandas Polonæ Principis, quas exambiebat, nuptias. Philippus patrocinium visus est prolixè addixisse, & Otho paratum exemplar litterarum, quibus id negotij cupiebat commendari, extemplo Regi porrexit, ut syngrapho regio signarentur. Nihil credebat Otho subesse fraudis: sed Philippus regiam virginem sibi junctam materno sanguine, feroci viro veritus poscere, Epistolarum magistro mandavit, ut Epistolam vitiaret, muniretque sigillo. Otho, signum & membranam curiosè contemplatus, venit in latentis doli suspicionem ex lituris, quæ accuratiùs inspicienti incurrebant in oculos. Quia verò sic erat rudis litterarum, ut ne prima nôsset elementa, resignat Epistolam, dátque amanuensi perlegendam. Hic ubi unam alterámve periodum inspexerat, expallescere, hærere attonitus, æstuare animo; Otho verò urgere, ne quicquam dissimularet. Ille igitur rem, ut erat, candidè aperit: omnia prorsus alia, quàm

XXI.

Philippus Cæsar interfectus ab Othone Wittelspachio.

Vrsperg. Otho de S. Blasio. Arnold. l. 7. c. 14.

quam volebat ab Henrico Poloniæ Rege postulari, dissuaderi vehementer Othonis affinitatem. Hic Otho furere, iras implacabiles concipere, jurare Philippi necem. Clàm tamen habuit vindictæ libidinem, donec Rex, incisâ utriusque brachij venâ, Babenbergæ valetudinem curavit, & negotijs sepositis, adhibito in colloquium Spirensi (Herbipolensem alij nominant) Antistite, & Walburgio cubiculi præfecto, sermonem jucundè fallendo tempori serebat. Wittelspachius, observatâ Regis solitudine, decernit exequi meditatum scelus. Quia gerebat Prætorij præfecturam, non fuit difficilis ad Philippum accessus. Comitatum adjecerant præ foribus, Henricus Andecensis Istriæ Marchio, ejúsque frater Ecbertus Episcopus Bambergensis, haud ignari nefandæ molitionis. Otho admissus in Regium conclave, strictum lanistæ ferrum quasi per ludum vibrans, à Philippo jubetur ab intempestivâ digladiatione abstinere. Ille nihil motus imperio, exprobrat geminam perfidiam, exaggerat violatam nuptiarum sponsionem, nequiter exaratas litteras, & cum dicto regiæ cervici lethale vulnus infligit, séque mox è Regiâ proripit. Walpurgius manu in cubiculi pessulum injectâ, vocatis in auxilium prætorianis, conatus est parricidam retinere, sed secundum malam sauciatus, cohibere nequijt, quò minùs per tumultum erumperet, evaderétque, antequam posset comprehendi, rebus ad fugam antè prævisis.

Regis cæde vulgatâ, ne quid publicarum turbarum existeret, Othoni Regi non illubenti, Saxoniæ & Turingiæ Principes votis consentientibus regnum confirmârunt Comitijs Halberstadensibus. Id pari suffragiorum lubentiâ factum ipsis Martinalibus, à Boijs, Suevis, & Franconibus, in conventu Francofordiensi, quò per Spirensem Episcopum deducta Beatrix Philippi Regis filia, reos peregit omnes paternæ necis authores. Dicta in Wittelspachium proscriptionis sententia: Ecbertus Babenbergensis Episcopus & Henricus Andecensis fratres, socij conjurationis, pariter reipublicæ hostes declarati. Nón est vana suspicio, conjuratos ab Othone Rege impunitatem sperâsse, & præmium, ob sublatum regni æmulum; sed tametsi grata Regibus aliquando sint optata scelestorum facinora, grati tamen nunquam sunt scelerati. OTHO, PHILIPPO OCCISO, SOLUS IMPERAT.

Hoc anno, si Andreæ Presbytero credimus, Straubinga cœpit in civitatis formam assurgere: alij ejus originem referunt ad annum hujus sæculi decimum octavum. STRAUBINGA ÆDIFICARI COEPTA.

AN. CHRIST. M. CC. IX.

Proscriptionis Othonianæ judicium ipsis Regalibus Augustæ repetitum est, bona percussoris & Andecensis conjurati publicata. Bojariæ Palatinatus Ratoponi Ortenburgico attributus. Ludovico Bojariæ Duci transcriptum, quicquid Wittelspachius & Andecensis clientelarum possederant. Eidem atque hæredibus Otho Rex jura Boici dominatus, unà cum Toparchiâ Meringensi, & prædijs, quibus Philippi Regis filiæ potiebantur, addixit, restituítque bona omnia, quibus Henricus Leo fuerat exutus. Wittelspachium, Othonis parricidæ natale solum, & ejusce gentis avita sedes, à fundamentis eversum: area consecrata templo Deiparæ. Eodem tempore Andecense castrum eversum. Wittelspachius exinde vagus & oberrans, Oberdorfij, vico obscuro supra Ratisbonam, ab Henrico Pappenheimio, quem Arnoldus Caletinum nominat, & Welfonis, quem Otho sustulerat, filio, occisus est. Occisi caput in Danubium projectum: truncus Undenstorfij, postquam diu insepultus infletúsque jacuerat, terræ mandatus. LUDOVICI BOII DITIONES AMPLIFICATÆ.

XXII. OTTO WITTELSPACHIUS INTERFECTUS.

Comitijs Augustanis Otho Rex consilium de Urbe adeundâ Principibus aperuit. Præsules quatuordecim se itineris comites fore sunt professi, in quibus Wolfgerus Batavensis. Nomina dederunt alij, Ludovicus Bojariæ Dux, Dynastæ & Tetrarchæ complures. Antequam profectionem Otho iniret, de ipsius cum Beatrice Philippi Regis filiâ connubio actum est Hagenoæ. Innocentius Pontifex, quod jam antè statuerat, veniam fecit consanguinitatis. Sponsalia in octavâ Pentecostes celebrata Herbipoli, Ludovico Bojariæ Duce & Leopoldo Austrio paranymphis. Rex inde progressus Augustam, transmissis alpibus, ante Virginis in cœlum assumptæ ferias, castra posuit ad Lacum Benacum decimâ quartâ Septembris. LUDOVICUS BOIUS BEATRICI DESPONSUS. *Sigon.*

bris. A Veronensibus comiter acceptus, Mediolani ferreâ coronâ ab Huberto Archiepiscopo solenni pompâ ornatus est. A cæteris Italiæ civitatibus magnis passim cultus est honoribus. Viterbij Innocentium Pontificem habuit obvium. Egêre simul pacatè de augustali coronatione, quæ Romæ 5. Id. Octobris celebriter est peracta in æde Principis Apostolorum. Publicam lætitiam turbavit ortus in urbe tumultus, in quo Cæsariani non pauci, multi Romani occubuerunt. Otho egressus urbe, mox correptis in Pontificem armis, plurima Pontificiæ ditionis oppida occupavit, & Friderico Siciliæ Regi, contrà quàm Innocentio promiserat, bellum intulit.

Otho IV. Romæ coronatur. Tumultus in urbe. Otho Pontifici bellum facit.

Quas injurias Pontifex cùm prohibere aliter non posset, post paternam dehortationem, diro anathematis fulmine execratus est, & denuntiavit subjectos ab Othonis fide, obsequijsque solutos, ipsum verò Imperio exutum. Quo ex tempore ipsius fortuna vergere cœpit in deterius, & Principum studia ab eo alienari. Inter primos Sigefridus Moguntinus, Joannes Trevirensis, Archiepiscopi: Ludovicus Bojariæ Dux, Leopoldus Austrius, Hermannus Turingus, Boëmiæ Rex Ottocarus, Otho Princeps Meraniæ, Conradus Spirensis Episcopus Imperij Cancellarius, aliique complures, qui ab Innocentio jussi ad Fridericum Siciliæ Regem Ahenobarbi filium, cui olim admodum puero sacramentum dixerant, justis suffragijs Imperij fasces deferre. Collata igitur de Othone exauctorando ad Rheni & Mosellæ confluentes consilia, quæ Summus Pontifex rata habuit. Missus subinde Anselmus Justingensis, qui Fridericum in Germaniam invitaret, Siciliæ Reginâ, per quicquid sacrum est, obtestante, ne suam salutem fortunásque dubijs Germaniæ studijs, quæ jam infida fuisset expertus, eâ præsertim ætate (agebat tum annum decimum septimum) crederet. Hærentem Anselmus vix tandem movit, ut sese è Siciliâ expediret.

An. Christ. M.CC.X. Excommunicatur. Deseritur a Principibus nonnullis. Fridericus II. vocatur in Germaniam.

Et verò tam nihil adhuc constitutum erat de Othone abdicando, ut, cùm anno sequenti comitia Bambergæ agerentur, & Sigefridus Moguntinensis contra Cæsarem omni studio niteretur, impetrari tamen nequiverit, ut illi abrogaretur Imperium. Penes Ecbertum Babenbergæ Episcopum præcipuus ejusce conventûs fructus stetit. Is enim ab exilio, quod profugus in Ungariâ apud Andream Regem, affinem suum per triennium toleràrat, noxâ Philippicæ cædis sive confutatâ, sive condonatâ, in suam sedem revocatus est. Iisdem comitijs Sigefridus Sedis Apostolicæ legatus, Othonem Cæsarem, iterato anathemate, movit Ecclesiæ communione, útque eodem ab alijs Episcopis loco haberetur, datis ad eos epistolis, Pontificiâ authoritate mandavit. Quamobrem Henricus Palatinus Othonis frater, armis cum Duce Brabantiæ, & Lothariensi nobilitate sociatis, sub exeuntem Septembrem Moguntinos fines rapinis & incendio, sacris profanisque juxtà habitis, fœdè vastavit. Sigefridus, ne istâ tempestate involveretur, ad Hermannum Turingiæ Principem confugit.

An. Christ. M. CC. XI. Otho rursus excommunicatur.

Sub idem tempus Otho, ad comprimendos Germaniæ motus, ex Italiâ Aprili mense reversus, Norinbergæ suæ factionis procerum conventum habuit, eo consilio, ut internosceret, quinam in fide officióque perstarent, & contractæ cum Innocentio simultatis redderet rationem. Soluto conventu, bello gravissimo Turingiæ Principem, Innocentij partibus ut qui maximè addictum, vexavit, nihil omittens hostilitatis, quò in ejus provinciam grassaretur. Celebravit deinde nuptias, quas mors Beatricis quarto die accelerata abrupit, marito conscio, nisi fallunt nonnulli scriptores. Inter hæc Fridericus Romanis armis adjutus, Genuam, atque hinc Papiam, Cremonensium & Azonis Estensis copijs stipatus, ad vallem Tridentinam evasit, haud ignarus, Germaniæ claustra ab Othonianis insideri. Quare obliquatis per alpium asperrima itineribus, deflexit, non sine magnis difficultatibus, in Rætiam Curiensem, unde ab Episcopo, & Præsule Sangallensi Constantiam deductus est. Otho contrà, de ejus profectione factus certior, è Turingiâ Uberlingam advolat cum raro milite, eò quòd ejus copiæ, ne diris Pontificijs, quas denuo Barensis Episcopus vulgaverat, impiarentur, à signis abierant. Cùm verò novis indies viri

An. Christ. M. CC. XII. *Vrsperg.* Otho grassatur in Turingum. Fridericus venit in Germaniam.

XXIII. bu

bus Fridericus augeretur, Comitis inprimis Quiburgici, & turmâ quingentorum galeatorum, quos submiserat Henricus Veringensis Argentoratensis Episcopus, vir insignis sapientiæ & probitatis; Otho magis magisque in horas evilescens, diffidénsque suis, nusquam ausus tentare Rheni trajectum, sese in ripâ Germanicâ cum paucis continuit, dum ejus æmulus per adversam oram plerasque civitates, multáque castella sine vi sibi adjungeret. Otho Brisaci in tantum venit contemptum, ut cives, excitato tumultu, præsidiarios invaserint, Imperatorem deposcentes ad necem. Quare suo suorúmque periculo trepidus, in Saxoniam profugit, cum perpaucis, quorum credebat fidem minimè esse ambiguam. Fridericus Moguntiæ celebrem egit conventum, pridie Cal. Decembris, multorum Principum, qui donati clientelis, in ejus verba jurârunt. Adfuêre Sigefridus Moguntinus, Joannes Trevirensis, Herbipolensis, Argentinensis, Constantiensis, Basileensis, Antistites; Rex Bojæmiæ, Turingiæ Comes provincialis. Ne Ludovicus Bojariæ Dux interesset, intestinis secundæ Boicæ turbis prohibebatur. Manegoldus enim Bataviensis Episcopus, & Albertus Bogius, sociatis armis, Ratoponi Palatino bellum faciebant crudele juxtà ac sacrilegum, ne à religionis quidem domicilijs & aris vim abstinentes. Aspachium, S. Benedicti Monasterium, in D. Andreæ pervigilio, flammis exustum est.

Otho evilescit.

Refugit in Saxoniam.

Conventus Moguntinus.

Godefrid. M. S. Mogunt. apud Serar.

Turbæ Boicæ.

In hunc annum incidit puerilis ætatis, ex omni Franciâ & Germaniâ imprudens & infausta expeditio. Asserebant, se divinitus ad hoc deliramenti genus esse vocatos, neque ullâ vi aut parentum provisione poterant ab eâ cogitatione dimoveri. Triginta millia, qui Massiliam confluxerant, vel mari periêre, vel proditi sunt Barbaris ad servitutem. Qui varijs ex locis miserabili fascino, in socialem insaniam coaluerant, alij per alpes in Italiam eluctati, à latrunculis rebus omnibus spoliati; alij dolo tracti in Piratarum manus, & demersi; alij venditi Saracenis.

Puerilis in terram sanctam apparatus.

S. Antonin. 3. part. tit. 19. c. 8.

Friderici partes Principum & urbium conspiratione sic creverant, ut anno decimo tertio, postridie Cal. Februarias, Rex fuerit renuntiatus. Ejus inaugurationem biennio differt Manuscriptum Moguntinum apud Serarium, qui eum Aquisgrani, per Sigefridum Moguntinensem, scribit, solenni ritu esse inunctum in magnâ Principum frequentiâ. Idem Sigefridus, anno tertio decimo, auctoritate summi Pontificis, cujus legatum agebat, Theodoricum Agrippinensem Archiepiscopum, qui palàm Othoni affixus, anathemate se contaminabat, sacrorum usu piorúmque consortio submovit, & Coloniensibus, eâdem contactis labe, divinorum silentium indixit. Quas ob res invectæ sunt in Ubios ingentes calamitates. Earum in partem venit Monasteriensis Episcopus, quem Othonis quidam factiosi, Coloniæ captum, Verdensi custodiæ mancipârunt, quâ demum, expugnato per Adolfum Montium castro, biennium fuit solutus.

An. Christ. M.CC.XIII.

Fridericus Rex creatus.

In eâ rerum confusione Otho tamen non despondebat animum, quem erigebant Joannis Angliæ Regis auxilia, & pactum fœdus cum Ferdinando Flandriæ, cúmque Reginaldo Comite Bononiensi, qui gerebant cum Philippo II. Galliæ Rege acres inimicitias. Verùm quod credebat sibi magno emolumento futurum, vertit in grande rerum detrimentum. Nam antequam fortunæ suæ consuleret, alienam ingressus causam, novum sibi consciuit hostem, cùm ne uni quidem Friderico par esset. Collegerat justas copias, quibus ad defendendam vim saltem uti potuisset, quas junxit Flandro & Bononiensi, ad Philippum Augustum Franciæ Regem invadendum. Belli causa, quam Arnoldus & Germani Scriptores adferunt, non est ejus momenti, ut nescio quæ à Franco malè servata sponsio (si ulla quidem intercessit) tot orbis Christiani Principes in mutuas clades armaret. Vero propius est, Othonem fœderatorum auxilia voluisse sibi demereri, bello in Franciâ confecto. Fuêre (si Francicis Annalibus credimus) in Othonis sociorúmque copijs centum quinquaginta peditum millia cum ingenti equitatu. Pugnatum est ad Bovinas, pagum Tornacum inter & Insulas, ad 7. Cal. Augusti, quantâ contentione & odijs vix aliàs, strage utrinque truculentâ. Philippus II. ejus filius,

An. Christ. M.CC.XIV.

XXIV.

Pugna ad Bovinas.

Ludovicus, Odo Dux Burgundiæ, Comes S. Pauli, fuêre in acie. Philippus equo suffosso humi fusus propè ab exitio abfuit: Otho Cæsar diu inter hostilia signa luctatus, pectore graviter læso, equóque saucio, prælio excedens, victoriam ipsamque aquilam cum magnâ ductorum parte amisit: Ferdinandum Flandrum, & Reginaldum Bononiensem, Philippus captivos Lutetiam in triumpho duxit, jussitque custodiri, hunc quidem Peronæ, illum verò in Luparâ castro Regiæ Parisiensis. Eâ clade res Othonis fuerunt vehementer attritæ. Franciæ Rex ad æternam victoriæ acceptique beneficij memoriam, Virgini Matri Triumphatrici basilicam regiâ munificentiâ Sylvanecti dedicavit.

An. Christ. M. CC. XV. Concilium Lateranense. Novi ad sacram militiam apparatus. Chymensis Episcopatus initium.

Fridericus Cæsar Calend. Maij Andernaci de Repub. comitia habuit: Romæ verò Innocentius de Ecclesiarum incolumitate, à ferijs Martinalibus usque ad ultimum Novembris. Concilium in Laterano celebrârunt, Patriarcha Constantinopolitanus, Episcopi quadringenti, Metropolitæ septuaginta, Abbates octingenti; omnium Regum & Principum Catholicorum Legati. Rursus hoc anno, sacræ se militiæ permulti Principes crucis auctoramento devoverunt. Fridericus Cæsar se ejusce expeditionis imperatorem est professus, quæ tamen in plures annos est dilata. Conditus est hoc anno ab Eberhardo Salisburgensis Chymensis Episcopatus, quem Rudigerus Radeckius omnium primus gessit.

An. Christ. M.CC.XVI. XVII. XIIX. XIX. *Vrsperg.* Otho Cæsar moritur pœnitens. *Alb. Staden.*

Anno sequenti ex Angliâ in Syriam navigârunt 3. Non. Julij, Andreas Ungariæ Rex, & Leopoldus Austrius cum numeroso Episcoporum & Procerum comitatu. Andreas, mox ut sacra loca viserat, regni tumultibus in patriam est retractus. In Ungarorum locum successerunt Belgæ, Angli, Franci, Itali, magno numero. Damiata, sive Heliopolis in Ægypto, per menses aliquot supra annum oppugnata, fecit deditionem anno undevicesimo, civibus penè omnibus in obsidione extinctis. In oppugnatione Bertoldus Bogius, Ludmillæ ex priore marito filius, in Nilum effusus perijt. Inter hæc Otho IV. Imperator alvi profluvio Hartesburgi diem obijt. Ante obitum à Sigefrido Hildesheimensi Episcopo redditus est Ecclesiæ, ritéque expiatus. Prodidit sub vitæ exitum insignia melioris frugis argumenta. Jussit domesticos, ipsos adeò vernas & atrienses, pedibus jacentis cervicem calcare, ut rarâ animi demissione sibi Numen propitiaret. Misit ad Henricum fratrem Rheni Palatinum Augustalem cultum, quem adhuc penes se habuerat, quíque paulò pòst in Friderici Cæsaris manus erat venturus. Straubinga hoc anno, Ludovici Bojariæ Ducis opibus & industriâ, redacta est in urbis formam. Salisburgensis Archiepiscopus Secoviensi Ecclesiæ dedit antistitem, Carolum Præpositum Frisacensem. Idem Synodum Provincialem habuit; cui interfuêre, Frisingensis, Bataviensis, Gurcensis, Chymensis, Episcopi. Ratisbonensis ob turbas domesticas absentiam excusavit per legatos. Sub id tempus Heglwerda Monasterium dedicatum. In eo conditorium accepit Leutholdus Comes Plainius, qui ad Damiatam occubuerat.

Straubinga redacta in urbis formam.

An. Christ. M. CC. XX. Fridericus Romæ coronatur. XXV. Lis Salinaria tandem finita. *M.S. Frising.*

Fridericus, acceptis ab Henrico Palatino augustalibus insignibus, Romam profectus, 10. Cal. Decembris in D. Petri Basilicâ Imperator est salutatus. Frisinga, Othone præclaro inprimis Antistite orbata, Geroldum in demortui sedem accepit. Diu ante Othonis excessum, ejus tamen assensu, lis salinaria cum Ludovico est composita, eâ conditione, ut è telonio Monacensi certum denariorum usualium pondus Episcopali ærario quotannis inferretur. Othonis merita & famam Geroldus non æquavit: quas enim reperit amplissimas possessiones, multis partibus detrivit, intra brevem undecim annorum Pontificatum, quo exacto, Conrado Tolznero longè meliori, exauctoratus locum reliquit.

An. Christ. M.CC.XXI. *Æmil.* Damiatæ iactura.

Hic annus est amissæ Damiatæ, eò majore Bojorum damno & mœrore, quòd Ludovicus expeditioni cum summâ potestate præfectus, plurimos secum è Boicâ in Ægyptum traxerat, ex quibus pauci in patriam redierunt. Fuêre in exercitu ut minimum septuaginta bellatorum millia, Godefridus ducenta non sine auxesi numerat. Bellum initio satis prosperum; commissa prælia nostris ferè secunda. Ventum ad Cairum Nili bivium. Soldanus acceptas clades ulturus, igne Græco

septin-

ſeptingentas quinquaginta noſtrorum naves cum annonâ, multiſque mortalibus exuſſit. Noſtris in Cairi obſidione hærentibus, Nilus annuâ eluvione tumens, ruptiſque ab hoſte cataractis, totis caſtris largè infuſus, noſtros ſic intercepit, ut, cùm nullus eſſet modus evadendi, deditio copiarum omnium Soldano fuerit facienda, eâ lege, ut dedititiorum vita libertáſque, Damiatæ reſtitutione emeretur. Triginta captivorum millia à Soldano redditi, & ſine maleficio abire permiſſi. Udalricus Batavenſis Epiſcopus, ſive animi ægritudine, ſive fractus importuniſſimi belli laboribus, de viâ extinctus eſt prid. Cal. Novembris. Bonæ eum mentis fuiſſe, vel ex eo colligitur, quòd ædis primariæ Collegis indixit, ut ad aliquam antiqui moris uſurpationem, diebus ſaltem Dominicis communi menſâ frugaliter uterentur. Quam in rem duos ipſis pagos, & octo cenſus annui libras attribuit, eâ tamen lege, ut, ſi quando ab indicta victûs communione ceſſarent, donatum cenſum unà cum aſſignatis latifundijs amitterent. In Synodo Diœceſanâ anno M. CC. XX. aſſentientibus Legatis Apoſtolicis ſancivit, ut juxta Lateranenſe Innocentij III. decretum, vigeſima omnium fructuum, toto triennio in urbem mitteretur. *Hund.*

CHRISTIANI AD CAIRUM CIRCUMVENTI.

Udalrico ſucceſſit Gebhardus Comes Playnius, Leopoldi ex Ithâ nobiliſſimâ conjuge filius, ex eâ ſtirpe, quæ anno M. CC. LX. in Othone & Conrado fratribus, ſub Ottocaro Bojæmorum Rege ſtipendia merentibus adverſus Belam Ungarum, penitus extincta eſt, quando fratrum uterque miſſi ad explorandum hoſtem, interempti ſunt. Henricus VII. Friderici Imperatoris ex Mariâ Aragoniâ filius, annum agens duodecimum, Aquiſgrani ab Engelberto Colonienſi Pontifice, in Romanorum Regem antè cooptatus, Herbipoli 8. Id. Maij inauguratus eſt. Quo anno, terra paſſim per omnem ferme Germaniam, Italiam, Cyprum, tantis eſt concuſſa tremoribus, ut templorum, profanarum item ædium, oppidorúmque ruinis multi mortales fuerint oppreſſi.

AN. CHRIST. M. CC. XX II.

XXVI.

Hinc multorum animos inceſſit metus cladium futurarum. Honorius III. Pontifex, qui Innocentio III. anno decimo ſeptimo fuerat ſubrogatus, verbi divini præconibus ubique terrarum imperavit, ut Principes, populóſque ad ſuſcipienda militiæ Palæſtinæ vota, faciendóſque apparatus hortarentur, ut intra biennium, cum Friderico Imperatore, qui dudum ſe ejuſce belli ducem promiſerat, in Syriam trajicerent. Philippus Auguſtus Francorum Rex, cùm, fato præventus, in expeditionis partem venire prohiberetur, in eam rem ſupremis tabulis trecenta librarum Pariſienſium millia legavit.

AN. CHRIST. M. CC. XX III.

Godefr. Monach.

EXPEDITIO IN SYRIAM.

Quo tempore, cùm SS. Viti & Modeſti corpora in D. Andreæ Laventinâ baſilicâ, ſub altari, à Carolo Secovienſi reperta, frequentibus miraculis inclareſcerent, viſum eſt Eberhardo Saliſburgenſi, ad amplificandam Sanctorum venerationem, ea transferre Saliſburgum cum inſigni pompâ, quam ornârunt cum Metropolitâ, Paſſavienſis & Chymenſis Epiſcopi. Haud longè pòſt Eccleſiæ Laventinæ conceſſa eſt Cathedra Epiſcopalis, ad quam primus evectus eſt Ulricus, qui poſtea Straubingæ ab Eberhardo Archiepiſcopo, in præſentiâ multorum Principum, ſacris Epiſcopalibus eſt initiatus, in Othonis Bavariæ Ducis nuptijs.

Rigord. in Philipp.

Chron. Auguſten.

Hund.

Subinde Ludovicus Bojus Landavum, oppidum ad fluvium Iſaram, in Boicâ ſecundâ condidit, & colonis frequens reddidit. Ejuſdem opus eſt cinctus mœnium, quo Dingolfingam explicatiore, quàm antè, tractu munijt. Idem à Conrado Ratiſbonenſi Epiſcopo promiſſum accepit Dornſpergenſis Toparchiæ, cujus rei tabulas priſcæ ſimplicitatis teſtes ſubijcio.

AN. CHRIST. M. CC. XX IV.

LANDAVI ORIGO ET INCREMENTUM.

DINGOLFINGA MUNITA MOENIBUS.

COMITATUS DORNSPERGENSIS.

In nomine Domini Amen. Chunradus DEI gratiâ Ratisbonenſis Epiſcopus omnibus in perpetuum. Cùm ex quodam promiſſo, Duci Bavariæ conferendum eſſet feodum unum, & Epiſcopus Ratisbonenſis, quicunque tunc temporis, quando item beneficium inciperet vacare, præſideret, ad id teneretur, & nos Eccleſiam noſtram ab illo promiſſo abſolviſſemus, per beneficium Eberhardi Comitis de Dornberch: advocatiam, quæ Kaſtvogtei dicitur, quæ erat de eodem feodo, excepimus, illam Duci recompenſati per feodum, quod vacare cœpit ad æſtimationem viginti librarum: quarum decem ſint abſoluti reditus, quod vulgò ſonat, Vrber, decem verò infeodatæ, quod vulgò ſonat Manneleben. Hoc

antem

autem temporibus nostris faciendum reliquit gratiæ nostræ: si verò temporibus nostris factum non fuerit, successorem nostrum ad idem exequendum teneri, per præsens scriptum profitemur. Adjectum est autem, si feodum idem conferendum æstimationem viginti librarum excesserit, quòd Dux pro eodem excremento faciet, quicquid Consiliarius tam ex parte Episcopi, quàm Ducis, ad hoc vocatus consuluerit faciendum. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini M. CC. XXIV. Indictione XII. & XII. Cal. Martij.

[COMITATUS KIRCHBERGIUS DUCATUI BOICO ADIUNCTUS.] Circa hunc annum Colhohus Kirchbergij Comes, cujus ultima memoria est in tabulis Alderbacensibus & Schirensibus, fato functus, suâ Dynastiâ auxit opes Boici dominatus.

AN. CHRIST. M.CCXXV. Per id quoque tempus Leopoldus Austrius Schardingam ad Oenum, quam superiùs Austriæ contributam scripsimus, arce munijt, & Margaritam filiam Henrico Regi, quem Fridericus Imperator ipsius parens Norinbergæ inauguravit, matrimonio conjunxit. NUPTIÆ HENRICI REGIS. Nuptiæ tantâ mortalium frequentiâ celebratæ sunt, ut non infimæ notæ homines quadraginta, loci angustijs & confertâ multitudine, fuerint suffocati, inamabili talis apparatûs additamento. Ludovico Bojariæ Duci Henrici Regis juventus, ob compertam viri sapientiam & insignem fidem, à Friderico Cæsare est commendata, datúmque Regi adolescenti mandatum, ne absque ejus consilijs quicquam privatæ, nedum publicæ rei statueret.

AN. CHRIST. M. CC. XX VI. Anno vigesimo sexto 7. Id. April. Conradus III. Frontenhusius Ratisbonensis Episcopus vivendi inter mortales finem fecit, meliorem (ita sperare jubent ejus virtutes) vitam in cœlo auspicatus. Inter cætera, opus ipsius fuit Xenodochium ad pontem Danubij, in oppido suburbano, quod ævo nostro bellorum injuriâ destructum est. Pauperum sustentationi certas possessiones & sportulas attribuit, impendio septem librarum millium, quæ redegit ex pretio arcis gentilitiæ Frontenhusianæ, quam vendidit Duci Ludovico. Quod præterea facultatum à majoribus acceperat, omne id, utpote suæ stirpis postremus, Episcopio donavit. DD FRANCISCI ET DOMINICI DOMICILIA RATISBONÆ. Paulò ante mortem, D. Francisci Sodales recepit Ratisbonæ in Christi Servatoris ædem. Cœnobium Ordinis modestiæ consentaneum, postea adjectis Alberti Bogij & Ducis Othonis arcis fuit ampliatum. S. Dominici familia, anno demum vicesimo nono, ad D. Blasij templum religiosam sedem accepit. Sic Ratisbona paucos intra annos, aucta est gemino domicilio præclaræ sanctitatis, quæ magno fuerunt usui ad insignem pietatis & eruditionis amplificationem.

XXVII. Hoc rursus anno, Ratpoto Ortenburgius & Albertus Bogius, renovatis odijs, Bojariam inferiorem, rapinis, cædibus, incendijs, nullo sacri profanive discrimine, miscuerunt. BELLUM IN BOICA INFERIORE. Belli sedem maláque potissima passæ sunt Altahensis Cœnobij possessiones: Liechtenwerda arx nobilis, urbeculæ non absimilis, redacta in bustum. Henricus cum multis Germaniæ Proceribus transcensurus alpes, à Longobardis, qui fauces Veronenses occupârant, Italiæ aditu prohibitus, per sesquimensem Tridenti moratus, redijt in Germaniam, posteaquam, ipso spectante atque dolente, fœdum ejusce civitatis incendium contigerat. Idem, ante quadriennium, Northusij comitia habuerat: COMITIA NORTHUSII. hoc anno rursus frequentibus Germaniæ Proceribus, Aquisgrani, verno jejunio inclinante, conventum celebravit, AN. CHRIST. M. CC. XX VII. cui dedêre operam, præter Ludovicum Bojum, cujus in dirigendo Rege partes erant potiores, Salisburgensis, Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, Archiepiscopi; Lotharingiæ, Brabantiæ, Austriæ, Duces; Ferdinandus Comes Flandriæ, qui, exactâ duodenni captivitate, Parisijs erat dimissus. Convenêre præterea complures Germaniæ Episcopi & Dynastæ cum frequenti nobilitate; *Vetus Saxon. Chron.* quo tempore Margarita Henrici Regis conjunx ab Agrippinensi Archiepiscopo coronata est. Subinde Henricus Rheni Palatinus, Othonis Imperatoris germanus, sine masculo hærede, quem unicum mors illi ante annos duodecim rapuerat, defunctus est. RHENI PALATINATUS IN GENTEM WITTELSPACHIAM TRANSLATUS. Agnes ejus filia, Othoni Ludovici Boij filio desponsa, præter aliam dotem, Palatinatum Rheni, & quicquid illi terrarum adnexum est, Boicæ attulit, ipsáque Leonum insignia non indecorè Boicis rhombis adjunxit.

Ad

Ad hunc usque annum, post Conradi Episcopi Ratisbonensis obitum, interregnum fuit Ecclesiæ Cathedralis, electorum votis in diversa abeuntibus. Minor Cleri pars, Imperatoris & Ducis nullâ habitâ ratione, Godefridum Præpositum nominavit, cui subscripserunt Ministri ordinis sequioris. Godefridus à Rege Henrico nihilominus regalia accepit, sed cùm mox se decoctorem & nullius frugis ostendisset inutili sacrarum opum largitione & distractione in manus alienas, eum Gregorius IX. qui Honorio successerat, uti vitio electum loco movit, & electores sacerdotijs exuit, qui Romam adire coacti, vix post triennium gravissimis conditionibus fuêre restituti. Pars Collegii sanior ac numerosior unà cum Abbate S. Emmerammi Sifrido Ratisbonensi Canonico suffragati, ipsi à summo Pontifice mitram impetrârunt. DISSIDIUM COLLEGII RATISBONENSIS.

Hâc ipsâ tempestate, consilia de Saracenis bello Palæstino petendis, fuêre renovata. Fridericus Cæsar signum denuo extulerat. Angli submiserant sexaginta armatorum millia. Sigefridus Augustanus Episcopus, & Ludovicus Turingus D. Elisabethæ Turingicæ maritus, lectissimas etiam copias adjunxerunt. Dum Brundusij commodam navigationem opperiuntur, Christus illustri formâ, pridie S. Joannis Baptistæ, clarissimâ circumfusus luce, è sublimi, clavis & lanceâ saucius, & recenti è plagis manans sanguine, se præbuit visendum specie invitantis, & pollicentis opem, si sacri milites animos in bene cœptis firmarent. Et egebant haud vulgari beneficio, quo in conceptâ alacritate retinerentur. Plerique cœli & æstatis insolentiâ morbis tentabantur: multi varijs fracti miserijs moriebantur. Inter hos Episcopus Augustanus, & Ludovicus Turingus, quem fama vulgavit Hydrunte veneno esse sublatum: pars viribus animisque collapsi, patriam repetentes, passim agros & nemora sternebant cadaveribus. Sed & Fridericus Cæsar, in quo, velut in capite, prima vis & sapientia requirebatur, curis aliò conversis, haud obscurè profectionem aversabatur. Permulti tamen ad 18. Cal. Septembris, è portu Brundusino vela fecerunt, rati, eum simul navigaturum. Sed ille vix triduo provectus in altum, cum exiguo comitatu, maris jactationem & affectam valetudinem causatus, retro cursum avertit. Quâ fraude irritata classis, magnam partem consilium mutavit. Quadraginta ampliùs millia regressi sunt in Italiam. Gregorius IX. Pontifex mirum in modum doluit, unius Cæsaris culpâ, tantum apparatûs in nihilum recidisse. Quamobrem Purpuratorum judicio, eum declaravit incurrisse pœnas, quas Honorius cunctanti erat interminatus: quam sententiam mox ubique locorum promulgandam curavit. Hinc subductæ per Fridericum, quas passim permulti fecerant, in sacram militiam largitiones, occupatæ in Siciliâ & Apuliâ Templariorum & Hospitalariorum possessiones: vexata Spoletana vallis: patrata complura perquam indigna contra jura Ecclesiarum: oppressi pupilli & viduæ: populi novorum vectigalium insolentiâ vexati: thori continentia effusis libidinibus pudendum in modum violata, nullo famæ majestatisve respectu. Atque hæc tam diu, donec maleficiorum pertæsus, an ut nova adderet, specie tamen ostentandæ religionis, ad 3. Id. Sextiles ne dignatus quidem petere dirarum Pontificiarum expiationem, Brundusio in Syriam navigavit, malè abstersurus nævos, quos in Europâ sibi consciverat. Raynaldo Siciliæ Prætore præmisso Ptolemaidem, secutus, mox ubi Syriam attigit, decennes inducias nomini Christiano prorsus indecores, & Gregorio Pontifici improbatas cum Sultano pactus est, his conditionibus. *Fridericus Cæsar Rex Hierosolymorum esto & inaugurator: urbem sanctam cum Palæstinâ possideto: Nazarethum, Ioppen, cum oppidis vicisque, si volet, instaurato: eidem restituuntor, quæ fuerunt in Balduini IV. potestate: captivi sine lytro solvuntor. Templum Dominici sepulchri esto penes Sultanum. Cratum præsidium, quod spectat Arabiam, Mónsque Regius, sit quoque in ejus potestate.* Pontifex pacta rejecit, eò maximè, quòd gloriosum Christi monumentum, cujus causâ susceptum bellum, in Barbarorum manibus per summam ignaviam esset relictum: cætera verò, quæ Sultanus concesserat, tanti non essent, neque tam munita, quin possent, quoties vim inferret, ab eo facilè occupari.

SACROS MILITES CHRISTUS ANIMAT.

Sigon. lib. 17. de Regn. Ital. Bzovius.

XXIIX.

APPARATUS RECIDIT IN NIHILUM.

AN. CHRIST. M. CC. XXIIX.

Lit. Gregor. Fazel. de reb. Sicul. poster. Decad. lib. 8.

CÆSAR CUM SULTANO FACIT INDUCIAS.

XVI. incautiùs, è sublimi corruens, fractâ cervice, sibi elisit animam. Nostri, factâ exscensione, cùm Tyrum inter & Sidonem agmine composito incederent, obvium habuêre Saphatinum Saladini hæredem, omnes Babyloniæ & Damasci Tetrarchas, ingentem Saracenorum multitudinem à latere montis ostentantes, nostrósque à tergo continuis insultibus lacessentes, non sine suorum clade, & Sidonij Dynastæ aliorúmque complurium jacturâ. Castris ad Sidonem flumen locatis, cùm nostræ naves crucibus insignes apparuissent, Sidonij terrore dilapsi, urbem, arcem verò munitissimam Berytenses deseruerunt, quâ nostri potiti, tantum armorum & annonæ repererunt, quantum quingentorum præsidio satis esset in septennium. Eadem fuit sors castri Gibeli & Liediensis. Vastata latè regio, Saracenis nusquam ausis conferre signa. Et jam se spes non dubia prodebat Solymæ recuperandæ, cùm Henrici Cæsaris renuntiata mors omnem nostris alacritatem ademit.

Sidon capta cum arce Berytensi, et aliis munitionibus.

Henrici Cæsaris mors.

In Syriam, mutato proposito, cogitanti, mors injecit manus Messanæ 3. Cal. Octobris. Quorundam fuit suspicio, eam illi ab uxore medicatâ potione fuisse propinatam. Scribunt alij, ipsum in venatione æstuantem, frigidâ intempestivè potâ, captatáque per imprudentiam refrigeratione, lethalem sibi febrim accersijsse. Sub extrema, Fridericum filium, quem quadrimum Germaniæ Proceres successorem dixerant, Innocentio Pontifici per legatos commendavit. Ejus tutelam, educationem, & augustalia ornamenta Philippo fratri commisit. Defuncto datum Panormi in principe Basilicâ Mausoleum marmoreum. Magnæ illi virtutes, haud mediocribus vitijs confusæ, vagâ libidine, immiti ingenio. Ita, ejus morte, sacri belli fervor felicitásque elanguit. Germanorum plerique à crucis vexillo dilapsi: vix ullus è Principibus, præter Conradum Wittelspachium, quem Pontificis legatio retinuit, & Rudolfum Verdensem, se passus est in Asiâ diutiùs occupari, alijs domestica, alijs gliscentes in Imperio turbas, respicientibus.

Sacra expeditio dissoluta.

An. Christ. M.CXCIIX. Philippus Friderici tutor.

Philippus Friderici impuberis patruus, è Siciliâ redux in Germaniam, videbatur initio commissam sibi tutelam cum fide gesturus. Habebat permultos, qui suam ad id operam lubentes profitebantur, Bojos præsertim, authore Ludovico Duce, Adalbertum Salisburgensem, Saxoniæ Principes; sed Bertoldi Zäringij, quem Coloniensis & Trevirensis Archiepiscopi, fastigio destinaverant, impulsu, neque demum illubentibus, quos dixi, Boijs atque Saxonibus, 8. Id. Martias, oblatum sceptrum, neglecto Friderici nomine, Mulhusij accepit; Moguntiæ verò regni insignia, quæ pupillo asservanda susceperat, Tarentino Pontifice inaugurante, induit. In ejus verba Boij, Suevi, Francones, Ottocarus Boëmus, Saxonum magna pars jurârunt. Ab adversâ factione, Otho Henrici Leonis Senioris filius evocatus ex Angliâ, & à Richardo Rege avunculo animatus, Coloniæ Agrippinæ Rex est salutatus, & Aquisgrani, expulso Philippi præsidio, in Caroli Magni solio collocatus. At verò ex urbe adferebantur litteræ, quibus Innocentius Pont. utrumque improbabat. Quâ ex discordiâ natum odium, quod plures annos Imperium civili bello laceravit.

Neglecto pupillo, Imperium invadit. Otho contra Rex salutatur.

An. Christ. M.C.XCIX. Adalbertus Salisburgen. captivus. Wolfgeri Passaviensis bellum cum Ortenburgiis.

Neque verò Boica fuit à turbis immunis. Adalbertus Salisburgensis Archiepiscopus à suis clientibus (causam Annales non prodiderunt) captus ad fluvium Lamerum, in arce Werfensi per dies quatuordecim arctè est habitus: cujus rei indignitate factum, ut Salisburgo, vicinísque Episcopatibus, sacris interdiceretur. Eorum usus publicè non est restitutus, donec constitit, captivum esse redditum libertati. Haud multò pòst, Wolfgerus Batavensis Episcopus redux ex Asiâ, cruentum bellum gessit cum Ortenburgijs Rapatone & Henrico fratribus. Hi, absente Episcopo, populationibus aliísque injurijs gravia damna Episcopatui intulerant, quæ ille mox, ut domum redijt, egregiè ultus est, arcibus Ortenburgiorum plerisque solo æquatis. Confugerant Comites in castrum Grabense (Brunnerus vocat Oberbergam) quod Wolfgerus diuturnâ clausum obsidione, editâque Ortenburgensium luculentâ cæde, redegit in suam potestatem, & funditus evertit.

Contra

Vrsberg. XVII. CONRADUS WITTELSPACHIUS FRUSTRA DUOS REGES CONATUR CONCILIARE.

Conradus Wittelspachius è diverso, ubi primùm rediit ex Oriente, partes egit pacificatoris inter geminos Germaniæ Reges. Propendebat ille quidem in Othonem, motus Innocentij Pontificis authoritate, tamen à Philippo non erat alienus, ut, si Othonis voluntate regium nomen retineret, idipsum ad vitandas patriæ calamitates, lubens esset probaturus. Id saltem se confidebat effecturum, ut, inducijs in quinquennium compositis, uterque diviso Imperio, sine sanguine potiretur: credebat posse interim multa evenire, quæ malis majoribus remedium adferrent. Verùm ejus conatus abierunt in irritum; nam Otho, ejúsque partiarius Agrippinensis, ne pacis quidem consilia admiserunt ad aures, & Philippus perstitit in proposito.

RECONCILIAT UNGAROS AD TEMPUS.

Quare Wittelspachius, ratus, se operam in Ungaria meliùs locaturum, Emericum & Andream Belæ III. Regis filios, de regno contendentes adiit; & visus quidem est, eos adduxisse ad concordiam, sed pauló pòst ambitio, sopita odia, regnandique libidinem excitavit. Emericus Andream fraude circumventum conjecit in vincula, ipséque vicissim à fratre, anno nondum elapso, ferro oneratus est, & regno exutus. Annales Australes habent, Emericum eodem, quo fratrem vinxerat, anno, DEO vindice, fato concessisse, & regnum reliquisse fratri. Wittelspachius nihilo minùs suo apud DEUM merito, & laude apud mortales, ob piè locatam operam, non caruit: & par est credere, præmio non caruisse, cùm anno M. CC. domum regrediens, in Passaviensi Diœcesi ad vitam beatiorem est evocatus, 6. Cal. Novembris. Defuncto Wolfgerus Episcopus pro dignitate parentavit, funúsque duxit Moguntiam perhonorificè & cum magnâ laude pietatis. Quo perfunctus officio, medio inter Anternacum & Confluentiam spatio cum Coloniensi, Trevirensi, & Monasteriensi Antistitibus, de pacificandis Anticæsaribus, nullo operæ pretio est collocutus. Donaverat Conradus Wittelspachius, supremo voto, Ecclesiæ Salisburgensi sacram suam supellectilem: sed Ludovicus nepos Bojariæ Dux, rescissâ patrui voluntate, non sine gravi cordatorum virorum reprehensione, quasi hæreditariam avertit. Fuerunt, qui ex eo facto multa illi adversa ex vero sunt ominati.

Annal. Austr. ad an. 1202. & 1205. AN. CHRISTI M. CC. MORITUR.

OBITUS ADALBERTI SALISBURGENSIS.

Conradum hoc anno 6. Id. April. præcessit Adalbertus Archiepiscopus Salisburgensis, in cujus sedem cooptatus est Eberhardus II. Truchsenius Episcopus Brixinensis. Is, ipso etiam aditæ dignitatis initio, Romam misit Berchtoldum Præpositum Metropolitanæ Ecclesiæ, qui pallium ab Innocentio Pontifice impetraret. Demortuo hoc Legato re nondum confectâ, in urbem successit Bernardus Præpositus Berchtesgadensis, qui nec ipse voto potitus est; quòd Pontifex factam ab Eberhardo transitionem, ab inferiore sede ad superiorem, improbaret. Quamobrem non annuit ejus petitioni Innocentius, donec facto Romæ supplici, pallij insigne, absolutámque Salisburgensis Ecclesiæ gubernationem concessit. Domum reversus, cùm D. Cunegundi S. Henrici Imperatoris castissimæ conjugi cœlitum honores ab Innocentio essent decreti, celebritatem, quâ sanctæ Virginis exuviæ Babenbergæ è tumulo in aram levabantur, inter frequentes Germaniæ Antistites Eberhardus suâ præsentiâ cohonestavit. Innocentius in tabulis, quas ad Theumonem & Capitulum Bambergense de assertâ in Divorum numerum Augustâ virgine transmisit, testatur, quòd ejus intercessione *cæci visum, claudi gressum, muti verbum, surdi recuperaverunt auditum, aliique languoribus impediti, frequenter & evidenter plenam sunt consecuti sanitatem.* Item, quòd *pulvis de ejus tumulo assumptus, sæpe conversus est in frumentum.*

S. CUNEGUNDIS TRANSLATIO.

S. Antonin. 3. part. c. Venerabilem. De elect. Gloss. ibid.

INNOCENTIUS PHILIPPUM CÆSAREM REPROBAT. XIIX.

Sub id temporis Summus Pontifex de Germanorum dissidio apprimè solicitus, suam de Philippi electione sententiam edidit. Memor etenim injuriarum, quas Ecclesia Romana à Gibellinâ domo acceperat, expenso Philippi perjurio manifesto, publicâ excommunicatione, & persecutione, quam ipsius progenitores, & ipse *præsumpserant in sedem Apostolicam, & alias Ecclesias*, quódque *contra proprium juramentum*, quo se Friderico Siciliæ Regi, nepoti suo, vivo adhuc Henrico Imperatore, obstrinxerat, regnum sibi, inconsulto Pontifice, usurpâsset; per Guidonem Cardi-

Cardinalem Episcopum Prænestinum, Germaniæ Principibus, inprimísque Electoribus denuntiavit, Philippum haudquaquam fuisse idoneum, qui ad regnum eveheretur: Othoni verò nihil deesse, quò minùs rerum summâ potiretur. Guido Cardinalis tali Pontificis judicio munitus, sub exeuntem Junium, Coloniam vocavit omnes Principes, qui Friderico impuberi fidem addixerant, eósque solvit juramenti religione, quâ se Philippo obligârant: huic verò, ejúsque partiarijs sacrorum usu interdixit: alijs, Pontificis nomine, diras est interminatus, nisi in posterum Othonem, ut verum Germaniæ Regem sequerentur. Idem Cardinalis, dum hæc de Republicâ Coloniæ ageret, pium morem in eam urbem invexit, quem finitimi Germaniæ populi sunt æmulati; ut, cùm hostia Eucharistica in tremendo sacrificio in altum tollitur, populus, audito nolæ tinnitu, eam cernuus adorans, à Deo pacem veniámque postulâret, donec mystici calicis consecratio foret peracta. Aliam præterea religionem persuasit, ut, quando cœleste corporis viaticum ad ægros deferretur, tintinnabulo ad Dei præsentis venerationem populus excitaretur.

Othonem probat.

An. Christ. M. CCII.

Cæsarius lib. 9. c. 51.

Ritus SS. Eucharistiæ adorandæ, et deferendæ ad ægros.

Propagabantur isthæc officia pietatis, cùm in Boicâ civile bellum, adversus Ludovicum Bojariæ Ducem, sociavit Eberhardum Salisburgensem, & Conradum Ratisbonensem Præsules. A Duce dissidebat Salisburgensis, ob clientelam & parochiam Utinensem: Ratisbonensis reversus è Palæstinâ, unde pacem cùm magnâ cum laude attulisset, simul bellum retulit adversus Laicos Ecclesiarum tutores, quos nuncupant Advocatos: quos per vim eo munere deturbare aggressus, fœdere sibi adjunxit Salisburgensem. Certatum mutuâ cladium atrocitate, multæ arces complanatæ: Bojaria universa ex improviso oppressa, ferro flammísque vastata: direptæ Sanctorum reliquiæ: templa expilata: aræ sacrilegio violatæ: Frisinga igne deleta: patrata scelera immanitatis inauditæ. Numen eos furores visum est ulcisci, quando Salisburgi, haud multò pòst, Basilica ipsáque civitas conflagrârunt. Ludovicus Teispachium, arcem Ratisbonensis ditionis captam diruit, & mors Conradum Reginoburgi sustulit, anno M. CC. IV. 8. Cal. Majas. Suffectus est Conradus III. ultimus gentis suæ hæres Comitum Frontenhusiorum, ex Præpositurâ Frisingensi, vir gratus omnibus, tractabilis, & æquitatis apprimè retinens, olim futurus Imperij Cancellarius. Hoc etiam anno Wolfgerus Batavensis, Philippo Regi inter amicos primæ admissionis, evectus est ad Aquilejensis Ecclesiæ Patriarchatum Pilegrini morte vacantem. Passavij successorem accepit Popponem, antea Præpositum Aquilejensem, non ultra sesquiannum provicturum.

Annal. Austral. Hund. in Metrop. Avent. lib. 7.

Bellum civile in Boica.

Atrocia belli exempla.

An. Christ. M. CC. IV.

Huic anno Landishuta, civitas elegans ad Isaram amnem, sua debet incrementa. Primùm, ad prohibendam grassatorum licentiam, specula monti, in quo hodie Ducum Regia visitur, fuit imposita, unde civitas nomen patriæ defensatricis accepit.

And. Presbyt. Arenpeck.

Landishuta excolitur.

XIX. Sub id temporis incidit mors Bertoldi Ducis Meranensis è stirpe Comitum Andecensium. Tumulatus est Diessæ in majorum suorum conditorio. Ejus soboles Otho Magnus, paternam dignitatem transmisit ad posteros. Tres Othoni fuêre fratres: Ecbertus Babenbergensis, Bertoldus Colocensis Episcopi, Henricus Comitis Istriæ & Carniolæ Comes. Eidem sorores fuêre quatuor: Gertrudis Andreæ Ungariæ Regi locata, D. Elisabethæ Turingicæ mater: D. Hedwigis nupta Henrico Silesio: Mechtildis in Kizingensi parthenone Christo desponsa: quarta, Agnes, quam Francici Scriptores Mariam, & paulùm immutato Meranensi titulo, Ducis Moraviæ filiam, errore ignoscendo, nuncupant, Philippi II. Franciæ Regis thalamo per quinquennium recepta, posteaquam ille Gelbergam, alijs Engelbergam, Daniæ Regis sororem, intra tertium mensem, propinquitatis causâ dimiserat. Ex Agnete Philippum & Joannem liberos suscepit, quos Innocentius III. Pontifex, tametsi matrimonium improbaverat, Agnete defunctâ, legitimos hæredes Pontificijs tabulis declaravit. Unde extra dubium est, Agnetem impedimenti nesciam, & Philippum bonâ fide, nonnullis Episcopis auctoribus auspicibúsque nuptias contraxisse. Et verò Dana familia (si Æmilio fides est) regiæ Francicæ

Chron. Andec. Rigord. in Philip. pag. 202. Paul. Æmil. pag. 302.

Agnes Andecensis nupta Philippo II. Regi Franciæ.

Franciæ cognatione juncta erat. Nam Philippi I. Regis Franciæ filia nupserat Dano Regi: unde vero fit affine, per aliquot primogenitorum gradus Gelbergam fuisse editam; sed in recensendo avorum numero, assignandáque distantiâ fuisse erratum à divortij novarúmque nuptiarum authoribus. Quo se cunque modo ea res habeat, hæc ipsa Agnes est, à quâ Andecense sacrarium aliquot coronæ spineæ ramulos, quibus augustissimum Christi caput à Judæis fuit confixum, accepit. Et eadem est, quæ crucem Forstenriedensem, rudem quidem, sed veneratione præcipuam Christi morientis effigiem, ab Albano Monacho Andecensi æditito insculptam, cùm in arce paternâ degeret, religiosè coluit, & ab eâ suæ fortunæ oraculum creditur accepisse. CULTRIX CRUCIS FORSTENRIEDENSIS.

Hoc anno Ludovici Bojariæ Ducis cum Ludmillâ nuptiæ, quas Andreas Presbyter ordine præpostero rejicit in annum hujus sæculi vigesimum quartum, sunt celebratæ. Ludmillam, quam Aventinus, more suo Græcanico, Laodamiam appellat, alij nobilissimo Boëmorum sanguine natam, alij Regis Poloniæ filiam existimant. Utrumlibet verius sit, tamen constantem ab historicis habet laudem pietatis, honestatis, & solertis ingenij. Primis nuptijs fuerat illigata Alberto Bogio, atque ex eo genuerat Leopoldum, Albertum, & Bertholdum, qui non optimè gessêre rempublicam. Marito demortuo, laudatissimè vidua vixerat per sexennium, cùm Ludovicus Dux, ejus formâ & integritate modestiæ delectatus, frequens ad eam familiariter revisebat, non dissimulans vota ipsius thoro potiundi. Non respuit quidem illa familiaritatem, negavit tamen, se extra matrimonij sanctitatem quicquam geniale admissuram: si cum honore, adhibitis, quos ipsa produceret, sponsionis testibus, duceretur, nihil futurum moræ, quò minùs ille voto potiretur. Post siparium abdiderat tres optimi sanguinis equites, totidémque habebat in lecticæ conopæo depictos. *En* (inquit illa, digito in picturam intento) *testes pacti, quod mecum es initurus* Ille, per jocum à Ludmillâ arbitros ejusmodi ratus adhiberi, ilico matrimonium prolixè addixit. Tum illa, reductâ alterâ parte siparij, ad vivos sponsionis testes; *Audistis* (inquit) *viri nobiles, à Principe Ludovico mihi nuptiarum fidem esse promissam? Audimus utique*, responderunt, *& sponsionem testamur, porróque testabimur.* Obstupuit Ludovicus fœminæ ingenium, séque domum recipiens, regio cultu nuptias adornavit, annóque vertente Ludmillam nuptum duxit, ex quâ suscepit Othonem hæredem, cujus ortus magna attulit Boicæ emolumenta. Nam antè quàm nasceretur, Ludovicus Bojariæ Dux cum Conrado Reginoburgensi pacem his legibus inijt, ut, si Dux Ludovicus nullam ex justo thoro ferret prolem, Episcopo Ratisbonensi cederet Kelhaimium, Lengenfelda, aliáque loca trans Danubium unà cum Landishutâ: contrà si ille legitimâ prole donaretur, jus esset Duci, comitijs Pontificijs interesse cum potestate suffragij: Toparchia, quæ in Oeni valle est, unà cum arce, clientelari beneficio, eidem Duci permitteretur: ut secernerentur jura, quæ Bojariæ Duces cum Episcopis habebant in urbe Ratisbonensi communia, ad tollendas litium occasiones: quæ pacta Philippus regio diplomate probavit. Circa id tempus, stirps Comitum Vohburgiorum, unà cum Bertoldo, ejusce gentis ultimo extincta, Boico Principi reliquit caducam clientelam. Fuit illa familia opibus terrísque præpotens inter Nariscos.

LUDOVICUS BOIUS NUBIT LUDMILLÆ. *Avent. lib. 7. pa. 660. Hund. pa. 292. § penult. Arenpeck. M.S. pag. 188. Andr. Presb. pa. 66.* LUDMILLÆ SOLERTIA. VOHBURGIORUM FAMILIA EXTINCTA. *Avent. Hund. in Origin.*

XX.

Cùm interim arma civilia Hermanno Turingiæ Landgravio Othonianarum partium incumberent, ísque ab Ottocaro Boëmo, Orlamundam usque grassante, repressóque per Othonem Wittelspachium, ne Regi Othoni suppetias adduceret, desertus, Weissenseæ arctâ cinctus obsidione, suasu quorundam Principum lubens in Philippi Regis fidem concessit. Paulatim quoque alij Imperij Proceres ab Othone deficiebant ad Philippum, impulsore Adolfo Antistite Coloniensi; inter quos Brabantiæ & Lotharingiæ Duces, qui sub D. Marci festum Confluentiæ Philippo dixêre sacramentum. Colonia etiam Agrippina, quæ adhuc Othonem foverat, post biennium Philippo manus dedit. Bojæmus denique Ludovici Boicæ Ducis consilium secutus, quò foret Philippo conjunctior, hujus filiam Wenceslao filio despondit. PROCERES ALIQUI AB OTHONE DEFICIUNT AD PHILIPPUM.

An.Christ. M.CC.V. Anno postero Philippus Novesium suæ ditionis fecit, agrúmque latè vastavit, & affecit provinciam confinem malis ingentibus. Otho prælio victus. Otho Rex, ausus cum Philippo signa conferre ad Wassinbergam arcem, Principis Limburgici proditione profligatus est, coactúsque cum paucis domesticis in Angliam profugere. An.Christ. M.CC.VI. Istam cladem secuta, quam dixi, Coloniensium ad Philippum defectio, posteaquam obsidionem aliáque mala toleraverant. Popponis Passaviensis et Conradi Ratisbonensis obitus. Haud multò pòst Poppo Passaviensis Episcopus fato concessit, & infulam Mangoldo Bergensi Comiti reliquit. Sed & Conradus Frontenhusius Ratisbonensis Antistes naturæ debitum exolvit, magno sui desiderio relicto. Pauperes & Ratisbonensem Ecclesiam scripsit suorum bonorum hæredes.

An.Christ. M.CC.VII. Pacis irrita tractatio. Anno septimo, actum de pace inter Philippum & Othonem Reges. Philippo Augustæ Vindelicorum comitia agenti, Novembri exeunte, adfuerunt duo ab Innocentio missi Cardinales, Hugo Ostiensis Episcopus, & Leo S. Crucis presbyter, cum mandatis, ut Brunoni, olim Bonnensi Præposito, qui Adolfo per sedem Apostolicam abdicato successerat, & eam ob causam à Philippo in vinculis attinebatur, libertatem impetrarent, simul ut, si quâ posset fieri, quietem redderent Germaniæ. Primum haud gravatè concessum Pontificis reverentiæ: posterius confici non potuit. Adolfus Coloniensis, quem Innocentius diris devotum loco moverat, à Legatis religione quidem solutus est, cùm id ipse infimis precibus exorâsset; sed jussus tamen est in urbem proficisci, ut suscepto piaculo, Pontifici faceret satis; cui factus supplex anno sequenti, impetrare non potuit, ut postliminio in Agrippinensem sedem reduceretur.

An.Christ. M.CC.IIX. Cœperat tamen Innocentius in Philippum esse clementior, posteaquam Wolfgerus Aquileiensis Patriarcha, quà excusando, quà rogando, Pontificis animum leniverat. Et jam res, missis ultro citróque legationibus, eò devenerat, ut concordia inter utrumque Regem sanciretur, hisce conditionibus: primùm, ut Pontifex Philippum in piorum cœtum, unde fuerat exclusus, reciperet: deinde, ut penes eundem maneret Imperium, donec in vivis superesset: ei verò, si quid humanitus contingeret, Otho succederet, & Beatricem Philippi filiam, factâ cognationis gratiâ, sibi matrimonio jungeret: verùm antè quàm suprema manus pacificationi imponeretur, Philippus 10. Cal. Julij immani facinore fuit interemptus, non sine tamen Numinis vindictâ, quæ rarò sine supplicijs juramentorum violatores ad alteram vitam transmittit. Sceleris author Otho Wittelspachius. Causa non una à scriptoribus proditur: & verò credibile non est, virum cordatum & Philippo semper fidum, ad tantam atrocitatem sine omni causâ descendisse: quanquam nulla fingi potest, quæ par sit purgandæ facti detestabilis infamiæ. Scribunt quidam, Philippum ex filiabus unam Othoni despondisse, ac deinde offensum sanguinario hominis ingenio, quippe qui Welfonem Bojum genere illustrem, & Regi in paucis charum occidisset, rescissâ sponsione, alteri addixisse: & habuisse quidem in præsens Othonem iras in potestate, sed pòst efferatum, uti quidem rebatur, novâ injuriâ, laxâsse habenas ultioni. Passus prioris sponsionis jacturam, à Philippo petijt, ut, quando à promissâ affinitate arcebatur, Philippus suâ authoritate & commendatione foret adjumento, ad conciliandas Polonæ Principis, quas exambiebat, nuptias. Philippus patrocinium visus est prolixè addixisse, & Otho paratum exemplar litterarum, quibus id negotij cupiebat commendari, extemplo Regi porrexit, ut syngrapho regio signarentur. Nihil credebat Otho subesse fraudis: sed Philippus regiam virginem sibi junctam materno sanguine, feroci viro veritus poscere, Epistolarum magistro mandavit, ut Epistolam vitiaret, muniréttque sigillo. Otho, signum & membranam curiosè contemplatus, venit in latentis doli suspicionem ex lituris, quæ accuratiùs inspicienti incurrebant in oculos. Quia verò sic erat rudis litterarum, ut ne prima nôsset elementa, resignat Epistolam, dátque amanuensi perlegendam. Hic ubi unam alterámve periodum inspexerat, expallescere, hærere attonitus, æstuare animo; Otho verò urgere, ne quicquam dissimularet. Ille igitur rem, ut erat, candidè aperit: omnia prorsus alia, quàm

XXI.

Philippus Cæsar interfectus ab Othone Wittelspachio.

Vrsperg. Otho de S. Blasio. Arnold. l. 7. c. 14.

quam volebat ab Henrico Poloniæ Rege postulari, dissuaderi vehementer Othonis affinitatem. Hic Otho furere, iras implacabiles concipere, jurare Philippi necem. Clàm tamen habuit vindictæ libidinem, donec Rex, incisâ utriusque brachij venâ, Babenbergæ valetudinem curavit, & negotijs sepositis, adhibito in colloquium Spirensi (Herbipolensem alij nominant) Antistite, & Walburgio cubiculi præfecto, sermonem jucundè fallendo tempori serebat. Wittelspachius, observatâ Regis solitudine, decernit exequi meditatum scelus. Quia gerebat Prætorij præfecturam, non fuit difficilis ad Philippum accessus. Comitatum adjecerant præ foribus, Henricus Andecensis Istriæ Marchio, ejúsque frater Ecbertus Episcopus Bambergensis, haud ignari nefandæ molitionis. Otho admissus in Regium conclave, strictum lanistæ ferrum quasi per ludum vibrans, à Philippo jubetur ab intempestivâ digladiatione abstinere. Ille nihil motus imperio, exprobrat geminam perfidiam, exaggerat violatam nuptiarum sponsionem, nequiter exaratas litteras, & cum dicto regiæ cervici lethale vulnus infligit, séque mox è Regiâ proripit. Walpurgius manu in cubiculi pessulum injectâ, vocatis in auxilium prætorianis, conatus est parricidam retinere, sed secundum malam sauciatus, cohibere nequijt, quò minùs per tumultum erumperet, evaderétque, antequam posset comprehendi, rebus ad fugam antè prævisis.

Regis cæde vulgatâ, ne quid publicarum turbarum existeret, Othoni Regi non illubenti, Saxoniæ & Turingiæ Principes votis consentientibus regnum confirmârunt Comitijs Halberstadensibus. Id pari suffragiorum lubentiâ factum ipsis Martinalibus, à Boijs, Suevis, & Franconibus, in conventu Francofordiensi, quò per Spirensem Episcopum deducta Beatrix Philippi Regis filia, reos peregit omnes paternæ necis authores. Dicta in Wittelspachium proscriptionis sententia: Ecbertus Babenbergensis Episcopus & Henricus Andecensis fratres, socij conjurationis, pariter reipublicæ hostes declarati. Non est vana suspicio, conjuratos ab Othone Rege impunitatem sperâsse, & præmium, ob sublatum regni æmulum; sed tametsi grata Regibus aliquando sint optata scelestorum facinora, grati tamen nunquam sunt scelerati.

OTHO, PHILIPPO OCCISO, SOLUS IMPERAT.

Hoc anno, si Andreæ Presbytero credimus, Straubinga cœpit in civitatis formam assurgere: alij ejus originem referunt ad annum hujus sæculi decimum octavum.

STRAUBINGA ÆDIFICARI COEPTA.

Proscriptionis Othonianæ judicium ipsis Regalibus Augustæ repetitum est, bona percussoris & Andecensis conjurati publicata. Bojariæ Palatinatus Ratoponi Ortenburgico attributus. Ludovico Bojariæ Duci transcriptum, quicquid Wittelspachius & Andecensis clientelarum possederant. Eidem atque hæredibus Otho Rex jura Boici dominatus, unà cum Toparchiâ Meringensi, & prædijs, quibus Philippi Regis filiæ potiebantur, addixit, restituítque bona omnia, quibus Henricus Leo fuerat exutus. Wittelspachium, Othonis parricidæ natale solum, & ejusce gentis avita sedes, à fundamentis eversum: area consecrata templo Deiparæ. Eodem tempore Andecense castrum eversum. Wittelspachius exinde vagus & oberrans, Oberdorfij, vico obscuro supra Ratisbonam, ab Henrico Pappenheimio, quem Arnoldus Caletinum nominat, & Welfonis, quem Otho sustulerat, filio, occisus est. Occisi caput in Danubium projectum: truncus Undenstorfij, postquam diu insepultus infletúsque jacuerat, terræ mandatus.

AN. CHRIST. M. CC. IX.

LUDOVICI BOII DITIONES AMPLIFICATÆ.

XXII.

OTTO WITTELSPACHIUS INTERFECTUS.

Comitijs Augustanis Otho Rex consilium de Urbe adeundâ Principibus aperuit. Præsules quatuordecim se itineris comites fore sunt professi, in quibus Wolfgerus Bataviensis. Nomina dederunt alij, Ludovicus Bojariæ Dux, Dynastæ & Tetrarchæ complures. Antequam profectionem Otho iniret, de ipsius cum Beatrice Philippi Regis filiâ connubio actum est Hagenoæ. Innocentius Pontifex, quod jam antè statuerat, veniam fecit consanguinitatis. Sponsalia in octavâ Pentecostes celebrata Herbipoli, Ludovico Bojariæ Duce & Leopoldo Austrio paranymphis. Rex inde progressus Augustam, transmissis alpibus, ante Virginis in cœlum assumptæ ferias, castra posuit ad Lacum Benacum decimâ quartâ Septembris.

LUDOVICUS BOIUS BEATRICI DESPONSUS.

Sigon.

bris. A Veronensibus comiter acceptus, Mediolani ferreâ coronâ ab Huberto Archiepiscopo solenni pompâ ornatus est. A cæteris Italiæ civitatibus magnis passim cultus est honoribus. Viterbij Innocentium Pontificem habuit obvium. Egêre simul pacatè de augustali coronatione, quæ Romæ 5. Id. Octobris celebriter est peracta in æde Principis Apostolorum. Publicam lætitiam turbavit ortus in urbe tumultus, in quo Cæsariani non pauci, multi Romani occubuerunt. Otho egressus urbe, mox correptis in Pontificem armis, plurima Pontificiæ ditionis oppida occupavit, & Friderico Siciliæ Regi, contrà quàm Innocentio promiserat, bellum intulit.

Otho IV. Romæ coronatur.

Tumultus in urbe.

Otho Pontifici bellum facit.

An. Christ. M.CC.X.

Excommunicatur.

Quas injurias Pontifex cùm prohibere aliter non posset, post paternam dehortationem, diro anathematis fulmine execratus est, & denuntiavit subjectos ab Othonis fide, obsequijsque solutos, ipsum verò Imperio exutum. Quo ex tempore ipsius fortuna vergere cœpit in deterius, & Principum studia ab eo alienari. Inter primos Sigefridus Moguntinus, Joannes Trevirensis, Archiepiscopi: Ludovicus Bojariæ Dux, Leopoldus Austrius, Hermannus Turingus, Boëmiæ Rex Ottocarus, Otho Princeps Meraniæ, Conradus Spirensis Episcopus Imperij Cancellarius, aliíque complures, qui ab Innocentio jussi ad Fridericum Siciliæ Regem Ahenobarbi filium, cui olim admodum puero sacramentum dixerant, justis suffragijs Imperij fasces deferre. Collata igitur de Othone exauctorando ad Rheni & Mosellæ confluentes consilia, quæ Summus Pontifex rata habuit. Missus subinde Anselmus Justingensis, qui Fridericum in Germaniam invitaret, Siciliæ Reginâ, per quicquid sacrum est, obtestante, ne suam salutem fortunásque dubijs Germaniæ studijs, quæ jam infida fuisset expertus, eâ præsertim ætate (agebat tum annum decimum septimum) crederet. Hærentem Anselmus vix tandem movit, ut sese è Siciliâ expediret.

Deseritur a Principibus nonnullis.

Fridericus II. vocatur in Germaniam.

Et verò tam nihil adhuc constitutum erat de Othone abdicando, ut, cùm anno sequenti comitia Bambergæ agerentur, & Sigefridus Moguntinensis contra Cæsarem omni studio niteretur, impetrari tamen nequiverit, ut illi abrogaretur Imperium. Penes Ecbertum Babenbergæ Episcopum præcipuus ejusce conventûs fructus stetit. Is enim ab exilio, quod profugus in Ungariâ apud Andream Regem, affinem suum per triennium toleràrat, noxâ Philippicæ cædis sive confutatâ, sive condonatâ, in suam sedem revocatus est. Iisdem comitijs Sigefridus Sedis Apostolicæ legatus, Othonem Cæsarem, iterato anathemate, movit Ecclesiæ communione, útque eodem ab alijs Episcopis loco haberetur, datis ad eos epistolis, Pontificiâ authoritate mandavit. Quamobrem Henricus Palatinus Othonis frater, armis cum Duce Brabantiæ, & Lothariensi nobilitate sociatis, sub exeuntem Septembrem Moguntinos fines rapinis & incendio, sacris profanísque juxtà habitis, fœdè vastavit. Sigefridus, ne istâ tempestate involveretur, ad Hermannum Turingiæ Principem confugit.

An. Christ. M. CC. XI.

Otho rursus excommunicatur.

Sub idem tempus Otho, ad comprimendos Germaniæ motus, ex Italiâ Aprili mense reversus, Norinbergæ suæ factionis procerum conventum habuit, eo consilio, ut internosceret, quinam in fide officióque perstarent, & contractæ cum Innocentio simultatis redderet rationem. Soluto conventu, bello gravissimo Turingiæ Principem, Innocentij partibus ut qui maximè addictum, vexavit, nihil omittens hostilitatis, quò in ejus provinciam grassaretur. Celebravit deinde nuptias, quas mors Beatricis quarto die accelerata abrupit, marito conscio, nisi fallunt nonnulli scriptores. Inter hæc Fridericus Romanis armis adjutus, Genuam, atque hinc Papiam, Cremonensium & Azonis Estensis copijs stipatus, ad vallem Tridentinam evasit, haud ignarus, Germaniæ claustra ab Othonianis insideri. Quare obliquatis per alpium asperrima itineribus, deflexit, non sine magnis difficultatibus, in Rætiam Curiensem, unde ab Episcopo, & Præsule Sangallensi Constantiam deductus est. Otho contrà, de ejus profectione factus certior, è Turingiâ Uberlingam advolat cum raro milite, eò quòd ejus copiæ, ne diris Pontificijs, quas denuo Barensis Episcopus vulgaverat, impiarentur, à signis abierant. Cùm verò novis indies viri

An. Christ. M. CC. XII. *Vrsperg.*

Otho grassatur in Turingum.

Fridericus venit in Germaniam.

XXIII.

bus Fridericus augeretur, Comitis inprimis Quiburgici, & turmâ quingentorum galeatorum, quos submiserat Henricus Veringensis Argentoratensis Episcopus, vir insignis sapientiæ & probitatis; Otho magis magisque in horas evilescens, diffidénsque suis, nusquam ausus tentare Rheni trajectum, sese in ripâ Germanicâ cum paucis continuit, dum ejus æmulus per adversam oram plerasque civitates, multáque castella sine vi sibi adjungeret. Otho Brisaci in tantum venit contemptum, ut cives, excitato tumultu, præsidiarios invaserint, Imperatorem deposcentes ad necem. Quare suo suorúmque periculo trepidus, in Saxoniam profugit, cum perpaucis, quorum credebat fidem minimè esse ambiguam. Fridericus Moguntiæ celebrem egit conventum, pridie Cal. Decembris, multorum Principum, qui donati clientelis, in ejus verba jurârunt. Adfuêre Sigefridus Moguntinus, Joannes Trevirensis, Herbipolensis, Argentinensis, Constantiensis, Basileensis, Antistites; Rex Bojæmiæ, Turingiæ Comes provincialis. Ne Ludovicus Bojariæ Dux interesset, intestinis secundæ Boicæ turbis prohibebatur. Manegoldus enim Bataviensis Episcopus, & Albertus Bogius, sociatis armis, Ratoponi Palatino bellum faciebant crudele juxtà ac sacrilegum, ne à religionis quidem domiciliis & aris vim abstinentes. Aspachium, S. Benedicti Monasterium, in D. Andreæ pervigilio, flammis exustum est.

Otho evilescit.

Refugit in Saxoniam.

Conventus Moguntinus.

Godefrid. M. S. Mogunt. apud Serar.

Turbæ Boicæ.

In hunc annum incidit puerilis ætatis, ex omni Franciâ & Germaniâ imprudens & infausta expeditio. Asserebant, se divinitus ad hoc deliramenti genus esse vocatos, neque ullâ vi aut parentum provisione poterant ab eâ cogitatione dimoveri. Triginta millia, qui Massiliam confluxerant, vel mari periêre, vel proditi sunt Barbaris ad servitutem. Qui variis ex locis miserabili fascino, in socialem insaniam coaluerant, alii per alpes in Italiam eluctati, à latrunculis rebus omnibus spoliati; alii dolo tracti in Piratarum manus, & demersi; alii venditi Saracenis.

Puerilis in terram sanctam apparatus.

S. Antonin. 3. part. tit. 19. c. 8.

Friderici partes Principum & urbium conspiratione sic creverant, ut anno decimo tertio, postridie Cal. Februarias, Rex fuerit renuntiatus. Ejus inaugurationem biennio differt Manuscriptum Moguntinum apud Serarium, qui eum Aquisgrani, per Sigefridum Moguntinensem, scribit, solenni ritu esse inunctum in magnâ Principum frequentiâ. Idem Sigefridus, anno tertio decimo, auctoritate summi Pontificis, cujus legatum agebat, Theodoricum Agrippinensem Archiepiscopum, qui palàm Othoni affixus, anathemate se contaminabat, sacrorum usu piorúmque consortio submovit, & Coloniensibus, eâdem contactis labe, divinorum silentium indixit. Quas ob res invectæ sunt in Ubios ingentes calamitates. Earum in partem venit Monasteriensis Episcopus, quem Othonis quidam factiosi, Coloniæ captum, Verdensi custodiæ mancipârunt, quâ demum, expugnato per Adolfum Montium castro, biennium fuit solutus.

An. Christ. M.CC.XIII.

Fridericus Rex creatus.

In eâ rerum confusione Otho tamen non despondebat animum, quem erigebant Joannis Angliæ Regis auxilia, & pactum fœdus cum Ferdinando Flandriæ, cúmque Reginaldo Comite Bononiensi, qui gerebant cum Philippo II. Galliæ Rege acres inimicitias. Verùm quod credebat sibi magno emolumento futurum, vertit in grande rerum detrimentum. Nam antequam fortunæ suæ consuleret, alienam ingressus causam, novum sibi conscivit hostem, cùm ne uni quidem Friderico par esset. Collegerat justas copias, quibus ad defendendam vim saltem uti potuisset, quas junxit Flandro & Bononiensi, ad Philippum Augustum Franciæ Regem invadendum. Belli causa, quam Arnoldus & Germani Scriptores adferunt, non est ejus momenti, ut nescio quæ à Franco malè servata sponsio (si ulla quidem intercessit) tot orbis Christiani Principes in mutuas clades armaret. Vero propius est, Othonem fœderatorum auxilia voluisse sibi demereri, bello in Franciâ confecto. Fuêre (si Francicis Annalibus credimus) in Othonis sociorúmque copiis centum quinquaginta peditum millia cum ingenti equitatu. Pugnatum est ad Bovinas, pagum Tornacum inter & Insulas, ad 7. Cal. Augusti, quantâ contentione & odiis vix aliàs, strage utrinque truculentâ. Philippus II. ejus filius,

An. Christ. M.CC.XIV.

XXIV.

Pugna ad Bovinas.

 Ludo-

Ludovicus, Odo Dux Burgundiæ, Comes S. Pauli, fuêre in acie. Philippus equo suffosso humi fusus propè ab exitio abfuit: Otho Cæsar diu inter hostilia signa luctatus, pectore graviter læso, equóque saucio, prælio excedens, victoriam ipsamque aquilam cum magnâ ductorum parte amisit: Ferdinandum Flandrum, & Reginaldum Bononiensem, Philippus captivos Lutetiam in triumpho duxit, jussitque custodiri, hunc quidem Peronæ, illum verò in Luparâ castro Regiæ Parisiensis. Eâ clade res Othonis fuerunt vehementer attritæ. Franciæ Rex ad æternam victoriæ acceptíque beneficij memoriam, Virgini Matri Triumphatrici basilicam regiâ munificentiâ Sylvanecti dedicavit.

An.Christ. M. CC. XV. Concilium Lateranense. Novi ad sacram militiam apparatus. Chymensis Episcopatus initium.

Fridericus Cæsar Calend. Maij Andernaci de Repub. comitia habuit: Romæ verò Innocentius de Ecclesiarum incolumitate, à ferijs Martinalibus usque ad ultimum Novembris. Concilium in Laterano celebrârunt, Patriarcha Constantinopolitanus, Episcopi quadringenti, Metropolitæ septuaginta, Abbates octingenti; omnium Regum & Principum Catholicorum Legati. Rursus hoc anno, sacræ se militiæ permulti Principes crucis auctoramento devoverunt. Fridericus Cæsar se ejusce expeditionis imperatorem est professus, quæ tamen in plures annos est dilata. Conditus est hoc anno ab Eberhardo Salisburgensis Chymensis Episcopatus, quem Rudigerus Radeckius omnium primus gessit.

An.Christ. M.CC.XVI. XVII. XIIX. XIX. *Vrsperg.* Otho Cæsar moritur pœnitens. *Alb. Staden.*

Anno sequenti ex Angliâ in Syriam navigârunt 3. Non. Julij, Andreas Ungariæ Rex, & Leopoldus Austrius cum numeroso Episcoporum & Procerum comitatu. Andreas, mox ut sacra loca viserat, regni tumultibus in patriam est retractus. In Ungarorum locum successerunt Belgæ, Angli, Franci, Itali, magno numero. Damiata, sive Heliopolis in Ægypto, per menses aliquot supra annum oppugnata, fecit deditionem anno undevicesimo, civibus penè omnibus in obsidione extinctis. In oppugnatione Bertoldus Bogius, Ludmillæ ex priore marito filius, in Nilum effusus perijt. Inter hæc Otho IV. Imperator alvi profluvio Hartesburgi diem obijt. Ante obitum à Sigefrido Hildesheimensi Episcopo redditus est Ecclesiæ, ritéque expiatus. Prodidit sub vitæ exitum insignia melioris frugis argumenta. Jussit domesticos, ipsos adeò vernas & atrienses, pedibus jacentis cervicem calcare, ut rarâ animi demissione sibi Numen propitiaret. Misit ad Henricum fratrem Rheni Palatinum Augustalem cultum, quem adhuc penes se habuerat, quíque paulò pòst in Friderici Cæsaris manus erat venturus. Straubinga hoc anno, Ludovici Bojariæ Ducis opibus & industriâ, redacta est in urbis formam. Salisburgensis Archiepiscopus Secoviensi Ecclesiæ dedit antistitem, Carolum Præpositum Frisacensem. Idem Synodum Provincialem habuit; cui interfuêre, Frisingensis, Batavensis, Gurcensis, Chymensis, Episcopi. Ratisbonensis ob turbas domesticas absentiam excusavit per legatos. Sub id tempus Heglwerda Monasterium dedicatum. In eo conditorium accepit Leutholdus Comes Plainius, qui ad Damiatam occubuerat.

Straubinga redacta in urbis formam.

An.Christ. M. CC. XX. Fridericus Romæ coronatur. XXV. Lis Salinaria tandem finita. *M.S. Frising.*

Fridericus, acceptis ab Henrico Palatino augustalibus insignibus, Romam profectus, 10. Cal. Decembris in D. Petri Basilicâ Imperator est salutatus. Frisinga, Othone præclaro inprimis Antistite orbata, Geroldum in demortui sedem accepit. Diu ante Othonis excessum, ejus tamen assensu, lis salinaria cum Ludovico est composita, eâ conditione, ut è telonio Monacensi certum denariorum usualium pondus Episcopali ærario quotannis inferretur. Othonis merita & famam Geroldus non æquavit: quas enim reperit amplissimas possessiones, multis partibus detrivit, intra brevem undecim annorum Pontificatum, quo exacto, Conrado Tolznero longè meliori, exauctoratus locum reliquit.

An.Christ. M.CC.XXI. *Æmil.* Damiatæ iactura.

Hic annus est amissæ Damiatæ, eò majore Bojorum damno & mœrore, quòd Ludovicus expeditioni cum summâ potestate præfectus, plurimos secum è Boicâ in Ægyptum traxerat, ex quibus pauci in patriam redierunt. Fuêre in exercitu ut minimum septuaginta bellatorum millia, Godefridus ducenta non sine auxesi numerat. Bellum initio satis prosperum; commissa prælia nostris ferè secunda. Ventum ad Cairum Nili bivium. Soldanus acceptas clades ulturus, igne Græco septin-

ſeptingentas quinquaginta noſtrorum naves cum annonâ, multíſque mortalibus exuſſit. Noſtris in Cairi obſidione hærentibus, Nilus annuâ eluvione tumens, ruptíſque ab hoſte cataractis, totis caſtris largè infuſus, noſtros ſic intercepit, ut, cùm nullus eſſet modus evadendi, deditio copiarum omnium Soldano fuerit facienda, eâ lege, ut dedititiorum vita libertáſque, Damiatæ reſtitutione emeretur. Triginta captivorum millia à Soldano redditi, & ſine maleficio abire permiſſi. Udalricus Batavenſis Epiſcopus, ſive animi ægritudine, ſive fractus importuniſſimi belli laboribus, de viâ extinctus eſt prid. Cal. Novembris. Bonæ eum mentis fuiſſe, vel ex eo colligitur, quòd ædis primariæ Collegis indixit, ut ad aliquam antiqui moris uſurpationem, diebus ſaltem Dominicis communi menſâ frugaliter uterentur. Quam in rem duos ipſis pagos, & octo cenſus annui libras attribuit, eâ tamen lege, ut, ſi quando ab indictâ victûs communione ceſſarent, donatum cenſum unâ cum aſſignatis latifundijs amitterent. In Synodo Diœceſanâ anno M. CC. XX. aſſentientibus Legatis Apoſtolicis ſancivit, ut juxta Lateranenſe Innocentij III. decretum, vigeſima omnium fructuum, toto triennio in urbem mitteretur.

CHRISTIANI AD CAIRUM CIRCUMVENTI.

Hund.

Udalrico ſucceſſit Gebhardus Comes Playnius, Leopoldi ex Ithâ nobiliſſimâ conjuge filius, ex eâ ſtirpe, quæ anno M. CC. LX. in Othone & Conrado fratribus, ſub Ottocaro Bojæmorum Rege ſtipendia merentibus adverſus Belam Ungarum, penitus extincta eſt, quando fratrum uterque miſſi ad explorandum hoſtem, interempti ſunt. Henricus VII. Friderici Imperatoris ex Mariâ Aragoniâ filius, annum agens duodecimum, Aquiſgrani ab Engelberto Colonienſi Pontifice, in Romanorum Regem antè cooptatus, Herbipoli 8. Id. Maij inauguratus eſt. Quo anno, terra paſſim per omnem ferme Germaniam, Italiam, Cyprum, tantis eſt concuſſa tremoribus, ut templorum, profanarum item ædium, oppidorúmque ruinis multi mortales fuerint oppreſſi.

AN. CHRIST. M. CC. XX II.

XXVI.

Hinc multorum animos inceſſit metus cladium futurarum. Honorius III. Pontifex, qui Innocentio III. anno decimo ſeptimo fuerat ſubrogatus, verbi divini præconibus ubique terrarum imperavit, ut Principes, populóſque ad ſuſcipienda militiæ Palæſtinæ vota, faciendóſque apparatus hortarentur, ut intra biennium, cum Friderico Imperatore, qui dudum ſe ejusce belli ducem promiſerat, in Syriam trajicerent. Philippus Auguſtus Francorum Rex, cùm, fato præventus, in expeditionis partem venire prohiberetur, in eam rem ſupremis tabulis trecenta librarum Pariſienſium millia legavit.

AN. CHRIST. M. CC. XX III.

Godefr. Monach.

EXPEDITIO IN SYRIAM.

Quo tempore, cùm SS. Viti & Modeſti corpora in D. Andreæ Laventinâ baſilicâ, ſub altari, à Carolo Secovienſi reperta, frequentibus miraculis inclareſcerent, viſum eſt Eberhardo Saliſburgenſi, ad amplificandam Sanctorum venerationem, ea transferre Saliſburgum cum inſigni pompâ, quam ornârunt cum Metropolitâ, Paſſavienſis & Chymenſis Epiſcopi. Haud longè pòſt Eccleſiæ Laventinæ conceſſa eſt Cathedra Epiſcopalis, ad quam primus evectus eſt Ulricus, qui poſtea Straubingæ ab Eberhardo Archiepiſcopo, in præſentiâ multorum Principum, ſacris Epiſcopalibus eſt initiatus, in Othonis Bavariæ Ducis nuptijs.

Rigord. in Philipp.

Chron. Auguſten.

Hund.

Subinde Ludovicus Bojus Landavum, oppidum ad fluvium Iſaram, in Boicâ ſecundâ condidit, & colonis frequens reddidit. Ejuſdem opus eſt cinctus mœnium, quo Dingolfingam explicatiore, quàm antè, tractu munijt. Idem à Conrado Ratiſbonenſi Epiſcopo promiſſum accepit Dornſpergenſis Toparchiæ, cujus rei tabulas priſcæ ſimplicitatis teſtes ſubijcio.

AN. CHRIST. M. CC. XX IV.

LANDAVI ORIGO ET INCREMENTUM.

DINGOLFINGA MUNITA MOENIBUS.

COMITATUS DORNSPERGENSIS.

In nomine Domini Amen. Chunradus DEI gratiâ Ratisbonenſis Epiſcopus omnibus in perpetuum. Cùm ex quodam promiſſo, Duci Bavariæ conferendum eſſet feodum unum, & Epiſcopus Ratisbonenſis, quicunque tunc temporis, quando item beneficium inciperet vacare, præſideret, ad id teneretur, & nos Eccleſiam noſtram ab illo promiſſo abſolviſſemus, per beneficium Eberhardi Comitis de Dornberch: advocatiam, quæ Kaſtvogtei dicitur, quæ erat de eodem feodo, excepimus, illam Duci recompenſati per feodum, quod vacare cœpit ad æſtimationem viginti librarum: quarum decem ſint abſoluti reditus, quod vulgò ſonat, Urbor, decem verò infeodatæ, quod vulgò ſonat Manneleben. Hoc

autem

Ad hunc usque annum, post Conradi Episcopi Ratisbonensis obitum, interregnum fuit Ecclesiæ Cathedralis, electorum votis in diversa abeuntibus. Minor Cleri pars, Imperatoris & Ducis nullâ habitâ ratione, Godefridum Præpositum nominavit, cui subscripserunt Ministri ordinis sequioris. Godefridus à Rege Henrico nihilominus regalia accepit, sed cùm mox se decoctorem & nullius frugis ostendisset inutili sacrarum opum largitione & distractione in manus alienas, eum Gregorius IX. qui Honorio successerat, uti vitio electum loco movit, & electores sacerdotijs exuit, qui Romam adire coacti, vix post triennium gravissimis conditionibus fuêre restituti. Pars Collegii sanior ac numerosior unà cum Abbate S. Emmerammi Sifrido Ratisbonensi Canonico suffragati, ipsi à summo Pontifice mitram impetrârunt.

DISSIDIUM COLLEGII RATISBONENSIS.

Hâc ipsâ tempestate, consilia de Saracenis bello Palæstino petendis, fuêre renovata. Fridericus Cæsar signum denuo extulerat. Angli submiserant sexaginta armatorum millia. Sigefridus Augustanus Episcopus, & Ludovicus Turingus D. Elisabethæ Turingicæ maritus, lectissimas etiam copias adjunxerunt. Dum Brundusij commodam navigationem opperiuntur, Christus illustri formâ, pridie S. Joannis Baptistæ, clarissimâ circumfusus luce, è sublimi, clavis & lanceâ saucius, & recenti è plagis manans sanguine, se præbuit visendum specie invitantis, & pollicentis opem, si sacri milites animos in bene cœptis firmarent. Et egebant haud vulgari beneficio, quo in conceptâ alacritate retinerentur. Plerique cœli & æstatis insolentiâ morbis tentabantur: multi varijs fracti miserijs moriebantur. Inter hos Episcopus Augustanus, & Ludovicus Turingus, quem fama vulgavit Hydrunte veneno esse sublatum: pars viribus animisque collapsi, patriam repetentes, passim agros & nemora sternebant cadaveribus. Sed & Fridericus Cæsar, in quo, velut in capite, prima vis & sapientia requirebatur, curis aliò conversis, haud obscurè profectionem aversabatur. Permulti tamen ad 18. Cal. Septembris, è portu Brundusino vela fecerunt, rati, eum simul navigaturum. Sed ille vix triduo provectus in altum, cum exiguo comitatu, maris jactationem & affectam valetudinem causatus, retro cursum avertit. Quâ fraude irritata classis, magnam partem consilium mutavit. Quadraginta ampliùs millia regressi sunt in Italiam. Gregorius IX. Pontifex mirum in modum doluit, unius Cæsaris culpâ, tantum apparatûs in nihilum recidisse. Quamobrem Purpuratorum judicio, eum declaravit incurrisse pœnas, quas Honorius cunctanti erat interminatus: quam sententiam mox ubique locorum promulgandam curavit. Hinc subductæ per Fridericum, quas passim permulti fecerant, in sacram militiam largitiones, occupatæ in Siciliâ & Apuliâ Templariorum & Hospitalariorum possessiones: vexata Spoletana vallis: patrata complura perquam indigna contra jura Ecclesiarum: oppressi pupilli & viduæ: populi novorum vectigalium insolentiâ vexati: thori continentia effusis libidinibus pudendum in modum violata, nullo famæ majestatisve respectu. Atque hæc tam diu, donec maleficiorum pertæsus, an ut nova adderet, specie tamen ostentandæ religionis, ad 3. Id. Sextiles ne dignatus quidem petere dirarum Pontificiarum expiationem, Brundusio in Syriam navigavit, malè abstersurus nævos, quos in Europâ sibi consciverat. Raynaldo Siciliæ Prætore præmisso Ptolemaidem, secutus, mox ubi Syriam attigit, decennes inducias nomini Christiano prorsus indecores, & Gregorio Pontifici improbatas cum Sultano pactus est, his conditionibus. *Fridericus Cæsar Rex Hierosolymorum esto & inaugurator: urbem sanctam cum Palæstinâ possideto: Nazarethum, Ioppen, cum oppidis vicisque, si volet, instaurato: eidem restituuntor, quæ fuerunt in Balduini IV. potestate: captivi sine lytro solvuntor. Templum Dominici sepulchri esto penes Sultanum. Cratum præsidium, quod spectat Arabiam, Mónsque Regius, sit quoque in ejus potestate.* Pontifex pacta rejecit, eò maximè, quòd gloriosum Christi monumentum, cujus causâ susceptum bellum, in Barbarorum manibus per summam ignaviam esset relictum: cætera verò, quæ Sultanus concesserat, tanti non essent, neque tam munita, quin possent, quoties vim inferret, ab eo facilè occupari.

SACROS MILITES CHRISTUS ANIMAT.

Sigon. lib. 17. de Regn. Ital. Bzovius.

XXIIX.

APPARATUS RECIDIT IN NIHILUM.

AN. CHRIST. M. CC. XXIIX.

Lit. Gregor. Fazel. de reb. Sicul. poster. Decad. lib. 8.

CÆSAR CUM SULTANO FACIT INDUCIAS.

An.Christ. M. CC. XX IX.
Bzovius.
Fridericus sibi coronam regni Ierosolymitani imponit.

XXIX.

Fridericus tamen, quasi rem grandem fecisset, Dei resurgentis ferijs, Hierosolymis, invito licèt Patriarchâ, Regni insignia induit propriâ manu ex altari detracta, jussitque loca, quæ memoravimus, novis operibus muniri per Raynaldum natione Bojum, domo Guelfum, quem Palæstinæ præfecit. Ipse verò duabus duntaxat triremibus in Apuliam revolavit. Hìc, comperto, Pontificem, ob Sultanicum fœdus, factum esse præ quàm aliàs alieniorem, ad eum placandum, saltem in speciem, misit nobilissimos Principes Leopoldum Austrium, Othonem Meranium, Bernardum Carantanum, Bertoldum Aquilejensem Patriarcham, Sigefridum Ratisbonæ Episcopum: sed Gregorius se præbuit implacabilem, professus palàm, Syriæ inducias factas esse contra Rempublicam Christianam. Et certè flagrans erat suspicio, illas non spectare aliorsum, quàm ut Cæsar Orientis curâ solutus, foret expeditior ad invadendas Pontificis ditiones. Eò tendere credebantur coalitæ per ejus absentiam Italicæ factiones, quibus refodiebantur portentosa Guelforum & Gibellinorum nomina, quæ deinceps multorum Pontificum juxtà ac Imperatorum annos fatigârunt. Prima exinde tempestas erupit in Gregorium, qui pulsus ex urbe, se Perusiam recepit, ad Friderici vim non modò religionibus, sed etiam armis defendendam. Misit præterea quaquaversum legatos, & in his quidem Othonem tit. S. Nicolai in carcere Tulliano Cardinalem, qui de Friderici injurijs in Germaniâ expostularent.

Gregorius Pontifex Perusiam se recipit.
An.Christ. M.CC.XXX.
Leopoldi Austrii obitus.
Cæsaris iræ in Ludovicum Boium.

XXX.

An.Christ. M.CCXXXI
Godefrid. Chron. Schir. And. Presb. Chron. August. Tritbem.
Ludovicus Boius occisus ab Assassino.
Collegium Canonicorum Oetingæ a Ludovico fundatum.

Anno tamen postero, per Messanensem Archiepiscopum, per Leopoldum Austrium, pérque Ordinis Teutonici Præsidem redditus pacatior, Fridericum in gratiam recepit, eique Regnorum Siciliæ & Hierosolymitani titulos stabilivit: quæ pax nec solida fuit, neque diuturna. Leopoldus, negotio utcunque confecto, apud S. Germanum, in Campaniâ, mortem oppetijt. Exta Cassinensi cœnobio illata: ossa revecta in patriam, Eberhardus Salisburgensis in Lillenfeldensi D. Andreæ basilicâ, quam Leopoldus magnificè condiderat, tumulavit.

Gliscebant jam tum inter Cæsarem & Ludovicum Boicæ Ducem odia: & quidem Ludovicus (quâ causâ, incertum) ab illius latere discesserat. Scribit Godefridus, injurias à Ludovico Cæsari illatas, sed quæ qualésve fuerint, premit silentio. Vero similius est, nullas fuisse, nisi injurias interpretemur, Cæsarem usque eo dyscolum solito remissiùs coluisse.


Quicquid demum intercesserit, Ludovicus undequinquagesimo Principatus sui anno, 16. Cal. Octobris, Friderico authore (quod ei Innocentius IV. Pontifex in litteris encyclicis objecit, & probati authores asseverant) sicarij manu sublatus est. Fuit percussor de gente Assassinorum, qui inter Phœnices feri homines, vilissimam animam & quamlibet capitis dimicationem, Principis sui nutibus, ad quoscunque mactandos impendunt; quod ipsum præstant, si prece, vel pretio conducantur. Ludovici cædes patrata Kelhaimij: latro in vestigio à domesticis concisus: Ducis corpus in Schirensi gentis suæ conditorio compositum: optaverat Oetingæ sepeliri, ubi duodenûm Canonicorum Collegium fundavit.

BOICÆ



BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS I.
LIBER XXIV.

Otho IV. Ludovici ſucceſſor, principatum à charitate in ſubjectos auſpicatus, Summo Pontifici addictus, Epiſcoporum exemplo deficit ad Fridericum II. Cæſarem, eique pertinaciter adhærens, in anathemate ex improviſo moritur. Demortuo ſuccedunt Henricus & Ludovicus filij, diviſo imperio. Ludovicus Mariam Brabantinam necat, ex ſuſpicione natâ ex litteris amatorijs. Henricus aliquoties cum Epiſcopis colliditur: Salisburgum obſidet: bellum gerit cum Ottocaro Boëmo. Boica vexata à Friderico Auſtrio Bellicoſo, ab Henrico Rege Friderici filio, qui patri rebellans, in carcere Coſentino vitam finijt. Alberti Boëmi Legati Apoſtolici imprudens zelus in Epiſcopos, eorúmque Diœceſes. Secta Flagellantium prohibetur à Ludovico Severo progreſſu in Bojariam. Germaniæ Regnum diviſum in factiones, ſub Henrico Raſpone Turingo, Guilielmo Hollando, Conrado, Richardo Cornubienſi Anglo, Alfonſo Caſtellæ Rege. D. Virgilius, D. Eliſabetha Turingica in Sanctorum album relati. Mors & mores S. Hedvvigis.



FRidericus Cæſar, qui graviſſimum Boicæ vulnus lugendâ Ludovici cæde intulerat, ut facti, cujus paſſim author habebatur, oblineret atrocitatem, Othoni Ludovici filio, per litteras mœrorem videri voluit abſterſiſſe, multa memorans de illius in ſe fide, plura comminiſcens de ſuo in filium affectu. Verùm Otho, haud ignarus, aliunde ſibi eſſe quærenda adminicula

Petr. de Vineis lib. 4. c. 3.

CÆSARIS FICTA IN OTHONEM DUCEM BENEVOLENTIA.

I. OTHONIS IN SUBIECTOS CHARITAS. *Chron. August.* *Litt. donat. apud Hund. an. 1232.*

DEUM, cui nihil clausum, quique justissimâ lance expendit res mortalium, putavit esse demerendum. Quo die patri regiè parentaverat, jussit omnia totius Provinciæ granaria aperiri, & graves rei frumentariæ angustias, quæ istum annum cum ingente vulgi incommodo flagellabant, liberaliter laxari: quâ beneficentiâ universorum ad se rapuit animos, & patris patriæ nomen ex amore paterno est consecutus. Aliâ ex parte, Ludmilla placandis amantissimis mariti manibus, Landishutæ, Sanctimonialium contubernium, cui à Felici Valle nomen, locupletavit. Eundem annum D. Elisabethæ Turingicæ, Viduæ sanctissimæ funus nobilitavit. Ungariæ regia, quæ paternum illi sanguinem; Bojaria, quæ ex Gertrude Andecensi maternum dederunt, suo jure illam dicunt suam. Præcipuam virtutum palæstram præbuit Turingia: Marpurgense valetudinarium, quod suâ dote construxit, & implevit magisterio sanctitatis, cœlo transmisit ad triplicem coronam; Virginitatis, quam primis annis integerrimè coluit; Fidei conjugalis, quam vix ulla servavit amantiùs; & Viduitatis, quam exornavit incredibili malorum tolerantiâ, altissimæ studio paupertatis, & præstantissimæ religionis.

D. ELISABETHÆ TURINGICÆ MORS BEATA.

Idem hic annus Ratopotonem Ortenburgicum Bojariæ Palatinum extulit: sed & vidit infandum scelus natum ex recrudescente Sacerdotij & Regni divortio. Gliscebant, in horas, exitiales discordiæ: Gebhardus Passaviensis Episcopus Friderico Cæsari sese totum addixerat: E diverso Eberhardus Lanstorfius (alijs Jachenstorfius) ædis summæ Passavij Canonicus, se ex asse ad Pontificis Maximi nutum componebat, vir prisci moris, recti tenax, accuratus improbitatis censor, sed civibus & collegarum nonnullis, ipsi adeò Episcopo gravis & exosus. Oris rotundi candor, bono viro necem attulit. Subornati unde unde percussores, innocentem, sævum in modum trucidant, trucidatum obtruncant, cute exuunt, membratim deartuant, hac illac membra spargunt, immani, post D. Emmerammi carnificinam, ab omni retro memoriâ, atrocitatis exemplo. Collectæ ab amicis exuviæ ad quadriennium sepulchro caruerunt.

DISSIDIA DE CAUSA PONTIFICIS ET CÆSARIS. EBERHARDI LANSTORFII TRUCULENTA CÆDES.

AN. CHRIST. M.CC. XXXII.

VINDICTA.

Ipsius collegæ caput, quod latrones à cervice revulserant, Romam asportârunt, exposuêruntque ante Pontificis & Purpuratorum ora, vindictam de Episcopo, quem cædis peragebant reum, implorantes. Dati à Pontifice cognitores, qui, causâ rite discussâ, pronuntiârunt, Gebhardum sontem videri. Cum hic, alijs præterea aspersus criminibus, objecta non dilueret, denique anno M. CC. XXXII. velut indignus, à quo sacra peterentur, Passaviensi sede deturbatus, Rudigerum Randeckium accepit successorem, anno M. CC. XXXIII. posteaquam Chymensem Episcopatum recèns institutum per annos quindecim, cum laude gubernârat, non perinde fortunatus inter majores opes, atque in mediocritate futurus, quod varij deinde casus ostenderunt.

AN. CHRIST. M. CC. XXXIII.

D. VIRGILIUS ADSCRIPTUS SANCTORUM ALBO. *H. Canis. tom. 6. Antiq. lect.*

Malis, quibus scatebant hujus ævi mores, cœlum intermiscuit benigna pietatis incitamenta, quale illud fuit, quòd Gregorius Pontifex D. Virgilio, qui Salisburgi majore indies miraculorum frequentiâ coruscabat, ex quo ejus exuviæ fuerant à Conrado Wittelspachio in lucem productæ, cœlestes honores 4. Idus Junij decrevit. Ejusce pietatis usuram, Henrici Regis iræ, adversus Othonem Bojariæ Ducem, turbavêre. Causam Annales vetustiores reliquêre in obscuro. Pandulfus Collenutius, historiæ Neapolitanæ conditor, videtur cæteris propiùs ad verum accessisse, quando asserit; Henricum Romanorum Regem clàm cum Longobardis conspirâsse contra parentem. Addit ex Godefrido Trithemius, Henricum pravis abreptum consilijs, in conventu quorundam Principum Bopardiæ, perniciosam in Fridericum parentem iniisse conspirationem: atque *ex eo quidem die, quoscunque potuit, minis, precibus, & promissionibus cæpisse solicitare* ad defectionem, multósque sibi adjunxisse: alios verò, quos jurisjurandi religio in fide continuit, affecisse multis injurijs; & Marchionem quidem Badensem offensum rei indignitate, profectum esse in Siciliam ad Fridericum, eique cum fide aperuisse, quanto in periculo Germania versaretur. Unde subit autumare non vanis conjecturis, Othonem nostrum fuisse in eorum societate, qui ob fidei constantiam Henrici

HENRICUS REX OTHONI BOIO INIMICUS. *Trithem. in Chron. Hirsaug.* IN FRIDERICUM PARENTEM CONSPIRAT.

Henrici Regis iras sunt experti. Delirat Aventinus, cùm more suo comminiscitur, Gregorium Pontificem hasce turbas conflâsse: nam constat ex Godefrido, Gregorium id temporis Friderico reconciliatum tam fidenter; ut ejus petierit auxilia contra Romanos, cúmque eo Reate collocutus, præsidium ad Viterbij defensionem acceperit, cujus excursionibus Romani denique fatigati, ad pacem cum Gregorio ineundam sint adacti. Sed & illud eximit Pontificem omni suspicione, quòd Friderico in Germaniam revertenti litteras dederit, in Germaniam perferendas, quibus jubebatur, pro legitimo Principe recipi, & coli justis honoribus. *Blondus l. 7. decad. 2. Wencler. Gener. 42.*

II. Quicquid tandem dividiæ fuerit, Henricus Rex sex ferme armatorum millia, quæ subitario delectu contraxerat, prope Augustam recensuit, & Boicæ infudit. Ne suo ingenio videretur indulsisse, obtentui habuit, quòd Otho Dux gentis comitia Ratisbonæ indixisset, tametsi ea civitas ab anno M. C. LXXXII. Ahenobarbi authoritate, Othone Wittelspachio nihil repugnante, Boicæ dominatui subtracta, in Cæsarianarum urbium jura migrâsset. Otho monitus, ne odio flagrantem magis accenderet, conventum egit Landishutæ, nec evitavit tamen suorum clades, quas, ut in re non satis provisâ, Henrici tumultuaria irruptio in Bojariam invexit. Longiùs ea tempestas erat progressura, nisi Eberhardus Salisburgensis Archiepiscopus cursum inhibuisset, opportunus pacis sequester, sponsórque, Othonem facturum imperata, & Ludovicum filium quadrimum daturum obsidem. Ita pacato Rege, ad retinendam vetusti juris usurpationem, Othoni concessum, Ratisbonæ habere comitia, quibus adfuêre cum Metropolitâ omnes Bojariæ Episcopi. *Godefrid. VEXAT BAVARIAM. Chron. August. Stero.*

Vix Otho abs Rege nactus erat partem aliquam tranquillitatis, cùm eam Fridericus, cognomento Bellicosus, Austriæ Dux, nullâ lacessitus injuriâ, abrupit. Hic, ut erat belli appetens, gravis finitimis, ipsi adeò Cæsari odiosus, Moravis & Ungaris invisus, ne bellis materia deesset, Schardingam, quæ eâ tempestate erat Austriæ contributa, arce munijt, non tam ad tuendos fines, quàm ad vexandam Bojariam. Quam ad rem prædonem insignitè nefarium Muringerum Vesenum arci imposuit, qui Oeni confinia latè haberet infesta. Id cùm homo rapax præstaret gnaviter, & Varnbacense Monasterium in spoliarium vertisset, Otho subjectorum excitatus querelis, armatus irrupit in Austriam, actisque latè prædis, excussit Cœnobium Lambacense, non sine virorum cordatorum offensione, qui probare non poterant id belli genus, quo soli vexabantur innocentes. IDEM FACIT FRIDERICUS AUSTRIUS.

Paulò plus gloriæ quæsitum anno postero; cùm Otho Varnbacense Monasterium recepit, quadraginta latrones inde extractos securi & infamibus furcis addixit, & Monachos reduxit in pristinam possessionem. Subinde venerunt à Romano Pontifice litteræ, quibus Otho noster, perinde atque alij Principes, invitabatur ad ferendam opem rei Christianæ, sub Barbarorum jugo in Syriâ fatiscenti. Eadem à S. Ludovico Galliarum, & Henrico Angliæ Regibus flagitata. E Germaniæ Proceribus nemo Pontificis voto respondit, partim ad animum revocantibus irritas annorum superiorum pro Palæstinâ dimicationes, partim reputantibus, se patriâ desertâ, quæ gravibus urgebatur periculis, ob flagrantem, inter Cæsarem & Henricum filium, dissensionem, in Orientem abire non posse. AN. CHRIST. M. CC. XXXIV. *Chron. August.* AUXILIA PRO PALÆSTINA A GERMANIS NEGANTUR.

Quamobrem Imperator, ut nascens incendium in scintillâ opprimeret, æstâte jam adultâ, ex Apulis solvens, per Aquilejam, atque hinc per Austriam delatus in ulteriora Germaniæ, reperit filium armis, & Principum, quos maturus parentis adventus perculerat, suppetijs destitutum, atque eum, habito apud Moguntinos militari senatu, per Hermannum Ordinis Teutonici Magistrum pellexit, ut excedens arce Trifelsiâ, in quam se receperat, spe veniæ, paternæ clementiæ suam salutem permitteret 6. Non. Julij. Nihil tum durius parens in eum decrevit, quàm ut, abjurato parricidali fœdere, arces omnes, quarum fiduciâ perduellionem erat meditatus, dederet. Non respuit quidem in præsens conditionem, sed cùm ad genium reversus, cunctando versandóque priores molitiones rem extraheret; Fridericus parens conjectum in vincula, Othoni Bojariæ Duci Heidelbergæ cu- AN. CHRIST. M. CC. XXV. CÆSAR FILIUM IN VINCULA CONIICIT. III.

 stodien-

stodiendum demandavit: tum causâ Moguntiæ frequentissimo conventu profligatâ, in Apuliam deportatum, Cosentiæ, carceris pædore & ærumnarum insolentiâ consumpsit. Rarò miti fato pereunt, quos perfidia in parentes fecit inhumanos. Fortunatior fuit Otho Lunæburgicus, Welfonum nostrorum sanguis, quem Imperator 12. Cal. Septembris Ducis titulo donavit, jussitque factum referri in fastos: quòd Imperium eo die fuisset auctum uno Ducatu, quem Lunæburgicus ad se, velut præcipuo propriòque hæreditatis nomine, crediderat pertinere, & passus erat redigi in fiduciariam clientelam.

In quibus moritur.

An. Christ. M.CC. XXXVI.

Duriùs actum cum Friderico Bellicoso Duce Austriæ, quem Cæsar Augustæ Vindelicorum proscripsit, ob ferociam, crudelitatem, avaritiam, libidinem, publicæ tranquillitatis vicinorúmque perturbationem, contumaciámque, quâ sæpius citatus ad dicendam causam, vadimonium erat aspernatus.

D. Elisabethæ Turingicæ canonizatio.

Subinde S. Elisabetha Turingica à summo Pontifice relata est in numerum Divorum. Sacras ejus exuvias, Moguntinus, Trevirensis, & Hildesheimensis, Antistites, Gregorij jussu, in splendidius mausoleum, è tumulo, cum magnâ celebritate extulerunt. Simul ac ejusce solennitatis fama manavit in vulgus, tantus undique mortalium factus est concursus, ut Marpurgi, ubi hactenus fuerat ejus corpus asservatum, ad duodecies centena peregrinorum millia confluxerint. Ipse Imperator, magna pars triumphi, primus conditorium aperuit, & Divæ vertici imposuit auream coronam. Ipsa verò depellendis morbis, cum suorum cultorum pietate certavit: præbuit oleum adversus ægritudines salutare, quod toto corpore exsudavit. Mechtildis puella, oculis, linguâ, audiendi facultate penitus orbata, voto Divæ nuncupato, protinus videndi, loquendi, auditionis usum accepit. Tunica, quâ se vivens amiciebat, cum veneratione servata, infœcundis adfert opem, levat partu laborantes. Pedis vestigium, quod ipsa fortuitò marmori impressit, sæpe profuit religiosè tangentibus. Saxum, in quo consueverat miserorum pannos emaculare, quando manu premitur, adhuc fertur sudare, quod, an supra vires naturæ fiat, an humore per calidum manus attactum sursum evocato, non facilè dixerim. Non nisi cautè, & præviâ sanctioris magistratus disquisitione, miracula sunt asserenda, ne vulgi simplicitas sibimet imponat.

Imperator, istâ religione perfunctus, Confluentiam adijt, & copias legit è Lotharingicis, Ripuarijs & Belgis, quas duceret adversus Longobardos: sed cùm pauci ad nomina responderent, delectus egit è Suevis, Alsatis, quos lustravit in agro Augustano. Antequam Alpes transmitteret, invitatus à Viennensibus, & nonnullis Austriæ Proceribus, movit in Fridericum Austrium, ejus ut insolentiam coërceret. Et sanè quidem tantum traxit belli apparatum, ut quemvis alium, Friderico Bellicoso meticulosiorem, solâ potentiæ famâ fuisset debellaturus. Habebat sub signis, præter Wenceslaum Boëmiæ Regem, & Othonem Ducem Bojariæ, potissimum quemvis ex Germaniæ Antistitibus, cum flore nobilitatis: & tamen Austrius nihil territus, cum paucis, quos in fide retinuerat, se Neostadium recepit, belli impetum, mœnibus & prælijs levioribus excepturus. Talia porrò edidit hostilitatis exempla, ut, cùm appareret nihil æqui voluntate acturum, Cæsar verò sessitando nollet tempus perdere, consultius duxerit, re infectâ discedere ad res Italiæ componendas.

Cæsar Fridericum Austrium irrito conatu invadit.

An. Christ. M.CC. XXXVII. IV.

Igitur belli summâ penes Ecbertum, Belæ Ungariæ Regis avunculum, Babenbergæ Episcopum, virum apprimè militarem, penes item Comites, Eberstainium, Hennebergium, Norimbergensem, relictâ; Paschalibus ferijs Ratisbonæ operatus, transcendit in Italiam. Per ejus absentiam, & Ecberti mortem, Austrius redditus animosior, Albertum Comitem Bogium, non absimilis ingenij hominem, in suas adduxit partes. Sic auctus armis & fortitudine viri imperterriti, in campis Stainfeldensibus signa ausus est explicare adversus Cæsaris legatos, & Viennenses centuriatos, numero haud paulò superiores. Verùm pro numero virtus fuit atque armorum peritia, quæ Friderico victoriam memorabilem peperêre. Eo prælio capti, Rudgerus Batavensis, Conradus Frisingensis, Episcopi, cum numerosâ nobilitate.

Friderici Bellicosi victoria.

Fride-

Fridericus eâ fortunâ factus insolentior, cùm nemo foret, qui cursum victoriæ sisteret, brevi tempore, quicquid ditione antea tenuerat, súsque déque habitâ proscriptione, & Austriæ publicatione, redegit in suam potestatem. Quantum ærumnarum in universam Austriam invexerit, vix satis potest verbis explicari. Sublatâ omni juris divini pariter & humani reverentiâ, laxata spatia latrocinijs, expilationibus: nemini sub lare privato tuta fuit statio: coacti cives diffugere in silvarum avia & abdita speluncarum: intra domesticas latebras deprehensi, exquisitis excruciati tormentis, conjecti in reorum ergastula: quæ calamitates fuerunt in octennium propagatæ: tantus furor Principis efferati.

An. Christ. M.CC. XXXIIX. Austriæ vexatio. *Chron. Angust.*

Fridericus Cæsar vix hilo moderatiùs egit in sedem Romanam, ejúsque fœderatos. Patavium, Brixiam, Ferrariam, Sardiniam Insulam, D. Petri patrimonium suæ ditionis fecit: sævijt in Pontificios: Episcoporum alios carceribus inclusit, alios occidit, alios egit in exilium. Divorum basilicas, ipsámque D. Virginis Panormitanam, expilavit; Saracenis, ex Africa evocatis, non arma modò, sed etiam magistratus demandavit: adversus Gregorium Pontificem per suos emissarios Romæ excitavit tumultum: Legatos ad eum tendentes, contra jus gentium, conjecit in vincula. Sed neque Boica fuit omni ex parte quieta, eò tamen fuit fortunatior, quòd citra sanguinem, res legum & religionis armis gererentur. Othoni Duci lites cum Conrado Frisingensi intercesserunt, quæ sunt demum eò progressæ, ut Conradus Othonem, quasi foret impius, diris execrationibus, redderet anxiè religiosis odiosum, adigerétque ad implorandas à Gregorio Pontifice injustæ censuræ vindicias: quas & obtinuit, causâ per Frisacensem Dominicani Sodalitij præsulem examinatâ. Quæ res Episcopum sic ussit, ut, interpositâ ad Imperatorem stultâ provocatione, sit ausus dicere, Pontifici nihil esse juris in Germanos. Cujus vocis intemperies Romam delata, propè fuit ut anathemati Conradum curaret feriendum. Earum contentionum, si conjecturæ licet habere fidem, causæ subortæ ex sacrarum possessionum malâ contrectatione, quam induxerat Geroldus Episcopus Frisingensis, homo decoctor, qui ante Conradum mitram gesserat. Ille, sive profusâ rerum prodigentiâ, sive inscitâ censuum clientelarúmque locatione, insigniter opes Ecclesiæ labefactaverat, aversâ etiam Frisingensi civitate in Ducis Bojariæ clientelam: quæ cùm à Conrado in jus pristinæ libertatis reposceretur, causâ delatâ ad Cæsarem, in castris Anagniensibus pronunciatum adversus malam usurpationem. Erant & aliæ dividiæ, qualis illa, quòd Canonici Frisingenses ære collatitio, quod Duci Bojariæ ad instar tributi pendebant, onerabantur. Quâ illos exactione Otho Dux, litteris Landishutæ datis anno M. CC. XXXV. liberavit. Denique anno M.CC.XL. omnes istiusmodi lites consensu finitæ sunt, ne servatis quidem disceptationum instrumentis, quæ omnia flammis exusta, vel, si quæ flammas effugerunt, rescissa & omni nudata authoritate. Eam moderationem videtur Deus remuneràsse per accessionem clientelæ Phalajensis Comitatus, qui hoc anno, Othone Phalajo sine hærede defuncto, redijt ad Boici dominij proprietatem. Eâdem circiter tempestate Libenauiorum stirps, in Bernardo Libenauio exarescens, sua bona ad Boicæ Principes transmisit.

Fridericus Cæsar sævit in Pontificios. *Thom. Fazell. de reb. Sicul.* Otho Boius cum Conrado Frisingensi Episc. collisus. *Diplom. Frider. II. apud Hund. in addit. Gevvoldi.* Reconciliatus. Comitatus Phalaiensis et Libenavius redit ad Boicæ proprietatem.

Videbatur utcunque pacata Bojaria, cùm aliunde orta tempestas, non ipsam modò, sed alias etiam Germaniæ provincias involvit. Gregorius Pontifex fatigatus Friderici Cæsaris injurijs, in ipsâ sanctissimæ Dominicæ cœnæ celebritate, cum publicâ execratione ab Ecclesiæ consortio, & subditorum obsequijs jussit esse alienum, missísque quaquaversum legatis, voluit ab omnibus devitari. Nihil id turbarum Boicæ accersivisset, nisi malo omine nacta fuisset tempestuosum fulminis Pontificij præconem Albertum, cognomento Boëmum, Archidiaconum Passaviensem, hominem alioqui minutulum, curtæ prudentiæ, sed rigidissimum alienæ observantiæ exactorem. Bojariam obeuntem Otho habuit humanissimè, & in vulgandâ Pontificis contra Cæsarem execratione, ad invidiam, studiosè adjuvit; ratus, se Deo & Ecclesiæ eam operam non posse negare. Albertus, ca-

An. Christ. M.CC.XXXIX. et M.CC.XL. V. Fridericus Cæsar excommunicatus. Albertus Boemus Pontificis legatus austerus.

pitato

ptato ex legationis suæ magnitudine supercilio, mox sibi sumit in Boicæ Antistites minax imperium, nihil reveritus Salisburgensis, Ratisbonensis, & Passaviensis authoritatem; eósque imperiosè jubet, Romanam sententiam in Friderici caput detonare. At illi, veteribus exemplis absterriti, id muneris detrectant, & inficiantur ad se pertinere: exequeretur ipse, si vellet, Gregorij mandata, gereretque impositam provinciam. Igitur Albertus omnibus diem dicit Landishutæ. Ratisbonensis misit legatos, qui à prædonibus impediti, nequiverunt obire vadimonium. Albertus nihilo seciùs in Episcopum dirarum fulmen contorquet. Eberhardus Salisburgensis, licèt à Gregorij voluntate nunquam discesserat, ejus tamen diploma fulmineum à nuntijs obtrusum, nescio quid humanum passus, pedibus conculcat. Rudgerus Passaviensis eum, qui similis exempli litteras attulit, pugno contusum, jubet abripi in vincula: Alberto denuntiat inimicitias, conscribit armatos, quibus, velut ad sacram militiam centuriatis, cruces assuit. Nihilo moderatiùs egit Albertus in Præsulem Augustanum, Herbipolensem, Aichstettensem, qui pariter jactato fulmine nihil movebantur. Quare Albertus totâ, quàm latè patebat, Bojariâ, clero populóque universo, & immorigeris finitimorum Diœcesibus triste in templis arísque silentium indicit, quod ab Episcopis est derisum. Otho noster quietus & exors fulminum, nihil diffidens ab Alberto, tragœdiam spectabat.

Imperiosus in Episcopos.

Boicam interdicto subjicit.

Cùm sub id tempus comitia Monachij ageret, eum Salisburgensis monuit, vereri se, ne ipsi aliquando malè vertat, hominem reipublicæ exitiabilem fovisse. Actum nihilominus de Cæsare abdicando, compluribus Procerum in Wenceslaum Boëmum inclinantibus. Alia ex parte Imperator evadebat adversæ factioni formidandus, & Gregorius Pontifex solito remissiùs ejus exauctorationem urgebat. Quæ res Othonem movit, suis ut rebus consuleret, eò maximè, quòd à Friderico amicè compellatus in privato congressu, territúsque haud obscurâ malorum, quæ ipsi impenderent, denunciatione, nisi mentem atque studia Imperio commodaret, facilè prospiceret, quantis sese indueret periculis, si in Alberto fovendo Cæsaris iras provocaret. Igitur desciscit ab Alberto, destitutúmque in tantis relinquit angustijs, ut ad Conradi Wasserburgij Comitis tutelam confugere, ac denique ad corrogandam ab amicis Principibus vitæ utcunque sustentandæ stipem sit coactus.

Otho Albertum Boemum deserit.

An. Christ. M.CC. XLI.

VI.

Subinde Romæ diem obijt Gregorius IX. Pontifex 11. Cal. Septembris, vel, ut alij scribunt, quatriduo seriùs. Illi subrogatus est Cælestinus IV. ad 10. Calend. Octobris, non ultra dies septendecim Ecclesiæ præfuturus. Secuta est Romanæ sedis vacatio viginti duorum mensium, quòd Cardinalium aliqui à Cæsare in custodiâ tenerentur, alij alijs ex causis urbe prohiberentur. Hoc anno Tartari, Scytharum gens truculenta, Turcis prælio superatis, Cappadociâ potiti, totúmque orbem barbarâ confidentiâ complexi, Ungariæ, Sarmatiæ, Silesiæ, Lusatiæ, aliísque Europæ provincijs fœdissima crudelitatis vestigia impresserunt. Ne in Boicam penetrarent, effecit Friderici Austrij & finitimorum Principum fortitudo, qui admirabili felicitate innumeram ferocissimorum hominum multitudinem, quæ eversâ Cracoviâ, Strigonio, plurimisque Poloniæ & Ungariæ civitatibus, Viennam usque victrix evaserat, solo signorum conspectu sic terruit, ut nihil ultrà tentare ausi, turpi receptu, retro, unde venerant, refugerint. Sub anni hujus initium, Cœnobium Monialium familiæ Cistertiensis, quod Bertoldus Comes Graispacensis, ejusce nominis secundus, unà cum uxore Adelhaide, Regis Cypri (ut quidam volunt) filiâ, Burckhaimij D. Georgio dicaverat: quia locus Virginum pietati & solitudini visus est importunus, Sibotho Episcopus Augustanus, Conrado Rege annuente, lubentibúsque fundatoribus, Schönenfeldam, haud procul à Lyci ostijs, transtulit.

Tartarorum in Europam irruptio.

Litt. Sibot. Augustæ datæ 5. Id. Ian.

An. Christ. M.CC. XLII.

Annus secundus supra quadragesimum universam Bogensium Comitum familiam, quondam in Boica inprimis florentem, unà cum Alberto postremo ejusce stirpis, extulit. Quâ ex morte ad Boicæ Principatum revolutæ sunt Bogiorum clien-

clientelæ, quæ Danubio & Boëmico saltu, ab usque Reginoburgo & Batavio latè circumscribebantur. In ijs mons Altobogius, in cujus jugo restant veteris arcis vestigia: Bogenberga, castrum olim & subjectum oppidum cum agro confini: Falckensteinium, Mitterfelsa, Windperga, Weissenstainium, Flinsperga, Schittenhovium in Boëmiâ. Cis Danubium, Natterenberga, Pladinga ad fontes Isaræ. Ex eâ gente multi armis inclaruère, Aswinus præsertim terror Boëmorum, quos ante centum annos, & quod superat, ter victricibus signis congressus, victos fugatósque à Boicæ finibus avertit. Quarum victoriarum ut extaret memoria, in præaltâ abiete sculptum crucifixi Servatoris trophæum statuit in campo, hostili cæde memorabili: unde arbor posteris Aswini abies dicebatur. Cæterùm Alberti obitus anteactæ vitæ fuit consentaneus 18. Cal. Februarij, cum exiguâ specie pietatis, cui raro bene convenit cum ferociâ ingenij militaris. Fecit tamen nonnulla ante vitæ exitum, quæ visa habere scintillas non omnino extinctæ religionis. Iturus in Palæstinam, ad sarciendas aliquâ saltem ex parte Monasteriorum injurias, Altaichio Superiori, nonnullas Windbergæ facultates reposuit: in Prussiâ Ordini Teutonico varijs bellis utilem navavit operam: D. Francisci domicilio, quod suprà meminimus, donavit ædes prope templum S. Salvatoris. Post diutinum Romani Pontificatus interregnum, Innocentius IV. ipsis D. Baptistæ ferijs, ad summum orbis Christiani fastigium evectus est, & mox ab inauguratione animum seriò applicuit ad reddendam Ecclesiæ & Imperio tranquillitatem, missâ ad Fridericum Cæsarem legatione, quâ tamen nihil est effectum.

Arenbeck. BOGENSIS COMITATUS PRINCIPATUI ASSERTUS. MORS ALBERTI BOGII. *Cuspin. in Austr.* AN. CHRIST. M.CCXLIII.

D. Hedwigis, ne malis orbi imminentibus superesset, anno postero migravit ad Superos Id. Octobris, biennio post cladem Lignicensem illatam à Tartaris, quâ maritus occubuerat. Originem duxit ex sanguine Comitum Andecensium, Bertoldo patre. Henrico Barbato Silesio nupta, senos liberos tulit, ipsóque volente, deinceps per annos triginta abstinuit à thoro geniali. Oranti, Christi in cruce morientis effigies, soluto à trabe triumphali brachio, bene precantis formâ salutem impertijt. Aliàs, fundentis preces, faciem, vestes, conclave, Numen radiis illustravit. Sibimet austera corpusculum graviter macerabat: in alios erat benigna & oppidò liberalis. Non solebat gustare cibum, quin denis ternis pauperibus in honorem totidem Christi Apostolorum, priùs flexis poplitibus mensam conviviúmque præbuisset. Crebrò reddebat claudis gressum, visum cæcis, faciebátque alia supra naturæ vim, quæ à probis Scriptoribus prolixè celebrantur. Clemens IV. ejus memoriam cultúmque aris & publicâ religione donavit.

D. HEDWIGIS OBITUS ET VIRTUTES. VII.

Innocentius Pontifex, cui nondum adepto Pontificatum bene cum Friderico Cæsare convenerat, eóque credebatur nonnihil de Gregorij accusatione remissurus, totum hunc annum, in Friderico ad frugem revocando, consumpsit. Castellana civitas habendo colloquio erat, communi voto, destinata, non sine spe tollendi dissidij, cùm Fridericus Innocentij expectationem est frustratus, solitus inter suos conqueri, ex amicissimo Cardinale inimicum Pontificem sibi esse exortum, quippe qui mutatâ dignitate susceptâque curâ omnium Ecclesiarum, alios sensus, animósque pares supremo muneri consecutus, nequibat, citra Numinis offensam, fovere manifestam Cæsaris improbitatem. Nondum Castellâ abierat, ubi præstolatus est Friderici congressum, cùm hic pacis odio, Campaniam, Samnites, Viterbium, Montem Faliscum, aliásque Latij & Tusciæ Romani patrimonij ditiones, cœpit incendijs, Pontificiorum sanguine, omnique maleficij genere miscere. Ergo, cùm nihil quicquam insanabili ingenio remedij proficeret, Innocentius classe Genuensium in Galliam, velut fidam Romanæ rei stationem, navigavit, ubi à S. Ludovico Rege mirâ observantiâ, à toto verò regno pronissimis obsequijs exceptus est. Concilium Lugduni indixit in annum sequentem, ad quod orbis Christiani Principes, inprimis verò Fridericum Imperatorem invitavit. Verùm hic gnarus, de suâ dignitate in publico totius orbis theatro esse disceptandum, Veronam ex Apuliâ profectus, adversarium Principum conventum Lugdunensi objecit.

AN. CHRIST. M. CC. XLIV. PONTIFEX FRUSTRA NITITUR CÆSAREM EMENDARE. *Chron. Bossian. Fazell. de reb. Sicul.* NAVIGAT IN GALLIAM. VERONENSE CONCILIABULUM.

jecit. Veronæ adfuit Conradus Frisingensis Episcopus, Otho Meraniæ Dux, & Fridericus Austrius, qui, quoniam splendidissimè comitatus accesserat, non modò in Cæsaris gratiam est receptus, sed impetravit etiam, ut inposterum Austriæ Duces Archiducum titulo prærogativisque potirentur. In eo comitio Cæsar Innocentium gravissimè traduxit, negavitque, se suspecto tribunali suam salutem aliter, quàm per Legatos crediturum, idcirco satis habiturum, si Petrum Vineam Campanum, & Thadæum Suessanum, qui suo nomine de pace agerent, Lugdunum amandaret. Quia verò palàm esset, totius orbis Principes & Præsules de suo capite dicturos sententiam, ad omnes dedit litteras circulares, quibus nitebatur suam causam extollere, & Pontificis authoritatem elevare. Nihilominus, cùm in frequentissimo Patrum Senatu ejus legati objecta crimina neutiquam refellerent, Lugduni ab Ecclesiâ proscriptus est, & exutus omni dignitate. Vetiti præterea omnes, qui ipsi juramento vel fœderibus essent devincti, deinceps eum ut Imperatorem agnoscere, nedum consilijs auxilijsve adjuvare. Ijs verò, penes quos potestas eligendi, permissa facultas alium subrogandi.

Austriæ Duces donantur titulo Archiducum. Concilium Lugdunense. Fridericum Cæs. excommunicat. An. Christ. M. CC. XLV.

Quæ Friderici damnatio ingentes Germaniæ, Italiæ, toti Romano Imperio turbas invexit. Herbipoli, authore Romano Pontifice, Henricus Raspo Turingiæ & Hassiæ Landgravius, S. Elisabethæ levir, tametsi sæpius oblatum diadema rejecerat, victus denique Moguntini, Coloniensis, & Trevirensis Archiepiscoporum rationibus, regium sibi nomen passus est imponi. Fridericus Cæsar abiens in Italiam, Germaniam Conrado filio commendaverat; qui contracto raptim exercitu, movit in Rasponem, comitia Francofurti agentem. Explicatâ utrinque haud longè à Rheno, acie, pridie Non. Augusti (vel paulò, uti quidam scribunt, seriùs) Henricus fortissimè dimicans, Conradum ingenti affectum clade in fugam conjecit. Conradum fugisse in Sueviam, & Reutlingam ab Henrico obsessam periculo exemisse, Germani scriptores tradunt, addentes, Rasponem, acceptâ rursus ad Ulmam ignominiâ, telo confossum, perijsse. Verùm Monachus Paduanus, qui istius ævi res non indiligenter est executus, refert; Conradum apud Othonem Bojariæ Ducem collegisse vires, & affinitatem junxisse, ductâ in matrimonium Elisabethâ Othonis filiâ, è quâ natus infelix Conradinus, de cujus calamitoso exitu dicemus in loco. Henrici imperium non omnino fuit annuum. Eum, quidam ajunt, mœrore extinctum, pridie ejus diei, quæ ejus coronationi erat constituta: alij, equi casu attritum: alij, in arce sua Wartenbergâ apud Isenacum, profluvio ventris absumptum.

An. Christ. M. CC. XLVI. Henricus Raspo Turingus regium nomen assumit. IIX. Siffrid. Epitom. Hist. Landgr. Turing. Joan Steindel. Henr. Mutius. Conradum Cæsaris filium prælio superat. Telo conföditur. Conradus ducit Elisabetham Boicam Conradini matrem.

Hoc etiam anno 4. Nonas Decemb. diem clausit Eberhardus Archiepiscopus Salisburgensis, cæterà bonus, si à Cæsaris proscripti factione abstinuisset. Ob profusas in miseros largitiones, pater pauperum audiebat. Idem D. Hartmanni reliquias miraculis illustres, ex humili tumulo extulit in locum decentiorem; Burchardus Comes Sigenheimius à Pontifice suffectus, donatúsque pallio: in itinere, cùm Salisburgum repeteret, Samsweilæ mortem obijt, & sepulturæ mandatus est. Huic successit Philippus Carinthiæ Ducis filius. Sigefridus Ratisbonensis Antistes, hoc item anno finem fecit vivendi, cùm annos viginti præfuisset. Conatus quidem est, Sanctimonialium disciplinam ad veterem normam revocare, sed ejus consilijs intercessit Metropolitæ & Legati Apostolici auctoritas, quam Parthenones appellârant.

Eberhardus Salisburgensis moritur. Sifrid. Presb.

Fridericum quoque Austrium hic annus extulit bello Ungarico. Cùm bis uno die, de hoste triumphâsset, à domesticis est trucidatus. Aliqui notârunt, fuisse ab ijs in venatione interemptum. Ita Princeps, cujus magnanimitati ne unus quidem sufficisset orbis, nefariâ conscleratorum manu sublatus, sub angusto cespite spes immensas condidit, nullâ prole relictâ. Hermannus Badensis, ortus ex Irmengarde sorore Agnetis, quæ Othoni Bojo nupserat, cùm Gertrudem Henrici Medlingensis, Friderici ex fratre neptem, duxisset, Austriam & Stiriam hæres adijt: cui paucis post annis defuncto, successit Primislaus Bojæmus, qui Margaritam Austrij sororem acceperat in thori societatem.

Moritur item Fridericus Bellicosus sine prole.

Hæc

An. Christ. M. CC. XLVII. *Arenbeck. Tritbem. in Chron. Hirsaug.*

Hæc de varijs funeribus, à quibus gradum referimus ad Boicæ calamitates. Hâc tempestate, idem fulmen, quo Fridericus Cæsar erat adflatus, Othonem nostrum corripuit: Bojariæ simul usu sacrorum per septennium fuit interdictum: & non modò templa mœror publicus occupavit, sed etiam sacerdotes varijs ab Othone vexati malis alienam culpam luerunt. Inter hæc Ludovicus Othonis filius (si verum habet Trithemius) Fridbergam arcem cum oppido, in confinio Rhetorum atque Vindelicorum, ad frenandas Augustanorum molitiones excitavit. Ejus civitatis originem differt Aventinus ad annum sextum supra sexagesimum. Hic, quem recensemus, annus, in publicis tabulis ultimam habet Othonis Comitis Gruenbacensis, ejúsque familiæ memoriam: cujus clientelæ proinde ad Boicæ proprietatem sunt devolutæ.

IX. Otho Dux Boiariæ excommunicatur. Fridbergæ origo. Gruenbacensis Comitatus Ducatui Boico assertus.

Ad Imperium quod attinet, Raspone sublato, res penes Conradum videbantur fore quietiores, cùm Innocentius Pontifex Petrum Caputium Cardinalem in Germaniam misit, cum mandatis, ut, quando Conradus paternis vestigijs in vexandâ Romanâ Ecclesiâ insistebat, novo Regi creando opportuna consilia suggereret. Ille, ubi Germaniæ Principes convenit, plerosque reperit à capessendo sceptro aversos, quod sine summâ invidiâ prensari, & sine sanguine non posset retineri. Innocentius quidem Henrico Brabantiæ Duci diadema obtulit; sed ille honorem, in suum ex sorore nepotem Guilielmum Hollandiæ Comitem, vix dum agentem annum vigesimum, virum armis & religione bonum, derivavit. Ejus judicium secuti, Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis Archiepiscopi, apud villam Worinchiam in Ubijs, Guilielmum Regem renuntiârunt. Deductus Coloniam, pronis complurium Principum studijs salutatus, auctúsque copijs, quas ipsi Pontifex, quasi sacrum bellum gesturo, amicíque Proceres conciliârunt, Aquisgranenses, Friderici partiarios, semestri obsidione faméque fatigatos invasit. Eum, nonnulli volunt, anno demum duodequinquagesimo à Guilielmo S. Sabinæ Cardinale, Calendis Novembris, alij à Sigefrido Moguntino Aquisgrani fuisse coronatum: recentiorum alij credunt, eum nunquam accepisse diadema.

Adrian. Barland. Hist. Holland. c. 18. Guilielmus Hollandus Rex creatur. Invadit Aquisgranum.

An. Christ. M. CC. XLIIX. *Chron. August.*

Inter hæc Otho Bojariæ Dux Conradum Comitem Wasserburgium, quòd Albertum Boëmum Legatum Apostolicum, de quo superiùs, tecto reciperet, & Pontificias partes constanter tueretur, per filium Ludovicum jussit obsideri. Ludovicus redactum ad ultima, omni ditione exuit, fecítque cum suo Alberto extorrem. Ita factum, ut Conrado exilij ærumnis confecto, nobilissima Wasserburgiorum & Halensium Comitum familia finem acceperit, & eorum fiduciariæ possessiones Boicæ patrimonio fuerint (ita hodie Jureconsulti loquuntur) consolidatæ. Eodem tempore, Otho Meraniæ Regulus, Burgundiæ Comes, Andecensium & Diessensium ultimus, quia constanter Innocentio adhærebat, à Cæsare proscriptus, Schärdingensem, Neoburgensémque (alijs Puemburgensem) dynastias Oeno confines, Othoni Bojo, jussu Cæsaris, vacuas reliquit: quam cessionem Fridericus è castris Parmensibus, Cæsareo diplomate, Othoni nostro ejúsque hæredibus confirmavit Anno M. CC. XLIIX. mense Junio. Idem Otho Meranius ab Hagero viro nobili confossus, vel, ut alij volunt, veneno sublatus Plassenburgi, opes ingentes destituit; e quibus Bojariæ venit in manum, quicquid ille in Vindelicis cis alpes tenuerat: Menhardus verò Goritius intra alpes utramque Oeni vallem, Athesinos, & Tirolios occupavit: quæ in Voitlandiâ ultra Danubium ditione possederat, Herbipolensis & Bambergensis Episcopi, cum vicinis Toparchijs partiti sunt: alia Veneti, alij Francones sui juris fecerunt.

Conradus Wasserburgius pellitur in exilium. Eius morte Comitatus Wasserburgensis fit Ducatui caducus. Schardinga et Neoburgum redeunt ad Boicam. Othonis Meranii possessiones post mortem a variis occupatæ.

Hæc dum in eo sunt, apud Bojos negotia religionis malè gerebantur. Philippus Salisburgensis Metropolita, ex Innocentij Pontificis voluntate, Patrum conventum egit Múldorfij. Id actum inprimis, ut Otho noster, quem Episcoporum secessio ab Innocentij partibus abstraxerat, ijsdem authoribus, quando jam erant saniora amplexi, à Friderici Cæsaris factione avelleretur. Synodo, præter Salisburgensem, operati sunt, Frisingensis, Ratisbonensis, & Secoviensis Episcopi: sed in Othone ad meliora revocando operam perdiderunt: quippe qui suæ non putavit esse

An. Christ. M. CC. XLIX.

X.

OTHO BOIUS IN CÆSARIS PARTIBUS PERTINAX.

esse in Cæsarem fidei, neque constantiæ, ab Imperatore, quem sibi amicum sumpserat, desciscere, & transire ad Wilhelmum Hollandum, cujus electionem nunquam probâsset, neque ambivisset amicitiam: enimvero prudenter non mutari veteres amicos incertâ spe, & ambiguis fortunæ eventibus: probè se meminisse, quantas calamitates fides in priores Cæsares malè culta in Boicam invexisset: & certè Friderici potentiam, perinde atque majorum, esse hodiéque formidandam.

CONTENTIO DE EPISCOPATU PASSAVIENSI.

Talia obstinanti addebat animos Rudigerus Pataviensis Episcopus, quem legatus Pontificius, Alberti Bojæmi incitatione, dignitate moverat, & eâ quidem ignominiâ, ut quicquid ab ipso constitutum gestúmve esset, pro infecto & inani haberetur. Eidem Legatus subrogârat Bertoldum Sigmaringæ dominum, Episcopi Ratisbonensis fratrem, Hassum paterno sanguine; cui cùm Rudigerus nihil deferret, lis acta ferro. Bertoldus à fratre adjutus, armatis Ecclesiæ Passaviensis clientibus, quibus ex rapto vivere jucundum erat, insignem Episcopatus partem, ad usque Brunovium, autumno jam præcipiti, cædibus & igne vastavit, & insontibus colonis, pastor scilicet egregius, magnam armenti vim abegit. Quâ re commoti Dynastæ Boij, Alramus Utendorfius, Ortolfus Waldius, & Henricus Rorius, correptis armis, pecoris raptores adorti, excussâ prædâ, complures trucidârunt, & Bertoldi fratrem unà cum Wilhelmo Prambachio captivum, Burghusium abduxerunt.

AN. CHRIST. M.CC.L.

ALBERTI BOEMI EXITUS.

Levioris erat momenti minutum id certamen, quàm ut finem faceret haud levi contentioni, quæ fuit istiusmodi. Rudigerus anno M.CC.L. invitus cessit Episcopatu. Bertoldo quoque mitra detracta est: neutri facta injuria: in altero neglecta religio; in altero innocentum causa vindicata. Rudigerus, post abdicationem, vixit annos quatuor: Albertus Boëmus (si verum habent membranæ Passavienses) quia ingenti flagrabat odio, in vinculis exegit, quod vitæ superfuit; & cute per inimicos detractâ, inter magnos cruciatus animam exhalavit, mitiorem finem meritus, si mitiùs egisset, minúsque fuisset in capiendis muneribus liberalis. Passavium reversus, Canonicis auctor fuerat, ut Bertoldo exauthorato, Conradum, Ducis cujusdam Poloni filium, & Bojæmiæ Regis nepotem, sufficerent: navatæ operæ remunerationem à Conrado accepit Castrum Bubuzium, arcem Wildensteiniam, & Wollshersteiniam cum annexis latifundijs, & sacerdotijs Canonicorum, qui Conradinæ electioni fuerant adversati. Addidit Passaviense vectigal, cum quibusdam prærogativis: in quorum vicem, Albertus Conradum *in patriam rediturum, quatuor equis, & sexaginta sex marcarum puri argenti viatico instruxit, & Coloniæ pro eodem, in centum marcas argenti, sponsor factus est.* Ita mirum non est, si Ecclesiæ spolijs induto ab adversarijs ablatæ sunt pellis exuviæ. Conradus reversus in Poloniam duobus fratribus captis, solus patrimonio potitus est, & abjectis infulis, animum adjecit ad nuptias, quas & contraxit cum Odowicij Polonici cujusdam Ducis filiâ, cùm quindecim non ampliùs menses Episcopatum non optimis artibus tenuisset. Ejus discessu, Bertoldo rursus aperta via est ad Episcopatum, quòd Canonici vererentur, ne exterus Leodij Decanus, à Pontificijs legatis nominatus, confirmatúsque authoritate Apostolicâ, sedem invaderet, satiúsque ducerent, subesse homini suæ nationis, qui & mox à Wilhelmo Hollando Rege jure regalium est donatus.

Paralip. Vrsperg.

FRIDERICI CÆSARIS OBITUS.

XI.

Porrò annus quinquagesimus Fridericum Cæsarem Imperio vitáque exuit Idibus Decembribus. De mortis genere historici variè sentiunt. Volunt aliqui, illum à Manfredo, quem injustis natalibus genuerat, veneno primùm tentatum, ac deinde, cùm præter parricidæ votum pestis remissiùs in miserum patrem grassaretur, immissâ in os culcitrâ præfocatum. Eum suo functum fato, notant Meinardus Episcopus Immolensis, Guilielmus de Puteo in suis Annalibus, & Dandalus in historiâ. Matthæus Parisius addit, anathemate solutum fuisse, & assumpto Cistertiensium habitu, cùm jussisset supremis tabulis sarciri damna Ecclesiarum, captivos libertate donari, & ad terræ sanctæ subsidium pecuniæ vim ingentem erogari, cum miris animi resipiscentis argumentis, perceptisque morientium mysterijs,

mysterijs, expirâsse. Locus illi fatalis fuit Castellum Florentinum, haud longè à Luceriâ, in quo, morbo correptus, statim ominatus est, se eò loci vitam positurum, eò quòd olim à conjectoribus acceperat, ditionem Florentinam, quam idcirco studiosè vitaverat, fore sibi funestam. Corpus in Monte Regali, prope Panormum, à Manfredo, quem donârat Tarentino dominatu, regiè est tumulatum. Atque is quidem turbulenti Principis & Pontificibus infesti fuit exitus, ætatis anno LVII. Jam venerat in demortuorum censum, cùm nondum vulgatâ ipsius per Germaniam morte, velut adhuc superstiti in Apuliam ducebatur filia Ducis Saxoniæ cum splendido apparatu: quo in itinere haud dubiam mortem Conradus Friderici filius oppetijsset, nisi mirâ provisione aliud fata voluissent. Othoni Bojariæ Duci sponsæ deducendæ cura erat demandata: Conradus erat in honorifico comitatu. Ventum erat Ratisbonam, atque inde ibatur Landishutam, cùm Albertus Ratisbonensis Episcopus, qui nondum suam sedem adierat, eò quòd civitas, Friderici Cæsaris partes secuta, Pontificijs execrationibus implicita jam quinquennio teneretur, ut cives, quos sibi hostes sumpserat, extra mœnia proliceret, sponsæ impedimenta militari manu invasit. Nec mora, quique civium audacissimi effusi extra muros, cum Episcopo manus conserunt, cæduntúrque: pars in vestigio obtruncati, pars capti. Hæc injuria cùm ad Conradum pertineret, collecto confestim armatorum globo, movet in prædatores; jubet simul Othonem civibus ire suppetias: sævitur in agrum Hohenfelsij clientis Episcopalis. Gesta hæc ante Christi nascentis ferias, quarum reverentiâ hostilitas paulum est repressa, donec Hohenfelsius, clàm receptus Ratisbonam, cum Episcopi partiarijs in Conradi caput conspirat. Appetebat nox, quarta ante Calendas Januarias, meditatæ neci delecta, paucis conscijs, in quibus Episcopus, &, quod aliqui notârunt, Ulricus Abbas S. Emmerammi, ad cujus Cœnobium Conradus diverterat. Jam omnia ad patrandam cædem erant comparata, interceptáque suffugia, cùm Fridericus quidam Euvesheimius, nocte intempestâ Conrado facit indicium impendentis ilicò carnificinæ, auctórque est Conrado, se ut in latebras properè abripiat, patiatúrque, cubile regium à se occupari: quippe qui libens victima succedanea sit futurus. Paret Conradus, séque mox subducit. Euvesheimius ipsius personam vix induerat, cùm percussores regij conclavis fores effringunt, Conradum personatum, specie decepti, atque unà cubiculi ministrum trucidant, ternósque domesticos in vinculis abducunt, rati, se egregiè latronum partes egisse. Conradus suo tectus latibulo, noctem egit trepidus, posteráque luce circumfusus à suis, publicò se reddidit inter lætissimas aulæ & civitatis gratulationes. Dictæ contra parricidas atroces sententiæ, quas tamen Conradus sic temperavit, ut metus ad omnes, pœna ad paucos pertineret. Hæc adversus Cœnobitas decreta. Ara argentea appendens sexaginta septem auri pondo, quam D. Ramvoldus Abbas, S. Henrici Imperatoris ævo, dedicârat, sublata è Sacrario: Monachi præstantis Bibliothecæ parte mulctati, ablatis præclaræ artis quingentis voluminibus: Ulricus Abbas dignitate motus: ea pars cœnobij, in quâ patrandum erat scelus, diruta: in ejus areâ, Monachorum ære, Virgini Deiparæ & S. Nicolao, quibus Conradus suam salutem ferebat in acceptis, sacellum extructum, & Capella regia nuncupatum, dotatúmque certo proventu, qui uni Monacho quot diebus, qui perenniter ad aram pro Rege ejúsque successoribus operaretur, esset satis. Cæteroqui Conradus vetuit, quicquam duriùs in Religiosos eorúmque possessiones designari. Id decretum anno sequenti, mense Januario, tabulis firmatum, quibus sanciendis Otho noster, Conradi socer, Ludovicus ejusdem filius, Conradi levir, Otho Marchio Hohenburgius, Henricus Marchio Burgravius, Ludovicus Senior Comes Oetinganus, Godefridus Hohenlohius, testes adfuêre. Hohenfelsius sicariorum princeps scribitur fulmine; sceleris verò socij extorres varijs casibus perijsse, ut pateret, Principum capita debere esse, atque haberi sacrosancta. Albertus Episcopus profugit ad Boëmos, quorum adjutus armis, Primislao Regis filio ductore, aliquot mensium grassationes, rapinas, & coloniarum incendia Boicæ Transdanubianæ fœdum in modum invexit. Retinuit tamen

Siffrid. ad an. 52.

Chron. Augst. Naucler Generat. 42.

CONRADUS FRIDERICI FILIUS DE VITA PERICLITATUR.

AN. CHRIST. M. CC. LI.

Hieron. Zigler. de viris illustrib.

BOICA VEXATUR A BOEMIS.

tamen Episcopatum, quousque apud Romanum Pontificem variorum criminum arcessitus, cùm ea non refutaret, detractâ mitrâ, Sittenbergæ Monachum induit.

XII. Supererant petendæ de Boëmis vindiciæ. Eorum incursationibus ut finis imponeretur, Conradus 3. Cal. Junias, unà cum Othone Bojo, Regis colloquium Chambi expetiêre: qui, sive pacem nollet, sive Regi diffideret, sui non fecit copiam. Ludovicus Bojus Othonis filius arcem Teispacensem apprimè munitam, quâ Albertus Episcopatum firmaverat, ne hostibus receptum præberet, complanavit, redegitque in formam pagi ignobilis.

Guilielmus Hollandus irrumpit in Boicam.

Nancl. Gener. 42.

Conradus Rex fugit in Apuliam.

An. Christ. M. CC. LII.

Brover. ann. Trev. l. 16. pag. 901. Arenpeck.

Hactenus hærebat Conradus Rex in Germaniâ, ratus, se operæ grande pretium facturum, si, antequam ad capessenda parentis regna proficisceretur in Apuliam, quotquot posset, Germaniæ Principes atque civitates sibi conciliaret. Quamobrem putavit tentandos sibi Procerum Rhenensium animos, an quâ possent ratione à Guilielmi Hollandi partibus abduci. Hæc meditantem prævertit Hollandus, qui, compertâ Friderici Cæsaris morte, nihil cunctatus, contracto ex amicorum auxilijs justo exercitu, penè improvisus movit in Bojariam, supremam aleam neutiquam detrectaturus, nisi staret per æmulum, qui, non expectato ejus adventu, se recepit ad Rheni confinia, unde & ab Hollando fugatus est, prælio superatus ad Oppenheimium: quæ illi clades Germanici regni spem accîdit, fecitque, ut transmissis alpibus, in Apuliam refugeret. Quo tempore Monachij Nosocomium, ad ægros tenuioris fortunæ sublevandos, est inchoatum. Sacra illi Sanctissimi Spiritus ædes est adjuncta, & dedicata medijs cineralibus: census ab Othone Duce ex vectigali ad portam Isaranam attributus.

Certamina de Austriæ et Styriæ dominatu.

Gliscebat inter hæc nova lis de Austriæ, Styriæ, cæterisque Friderici Austrij ditionibus. Hoc extincto (quod ad annum XLVII. compendio meminimus) Hermannus Badensis, Othonis Cæsaris auxilio, Austriam Styriámque occupavit. Hic anno superiori rebus humanis exemptus, Fridericum quidem filium in vivis reliquit, sed gubernaculo immaturum. Hinc capta occasio à rerum novandarum cupidis, agendi de adsciscendo alio, qui par esset rebus gerendis, quasi ambiguum foret jus pueri Friderici. Quid non molitur ambitio? Supererat adhuc Margarita Friderici Austrij vidua annis obsoleta. Hanc, nullâ ætatis habitâ ratione, ducit Primislaus Boëmi Regis filius, haud multò pòst facturus ab eâ divortium: neque enim illi anus, sed dos arridebat. Consilium fuit, nuptiarum obtentu, animare judicium quorundam Austriæ Procerum, qui bellum sponsum ad capessendam Provinciam invitabant. Cætera Austriæ nobilitas divisa in factiones: pars Henricum Misniæ Marchionem, pars Henricum Bojum, Othonis filium natu minorem, respiciebant. Missi ad Misnium legati, qui, negato à Boëmis commeatu, domum irriti reverterunt. Primislaus interim sublevatus favore vulgi, rem suam agebat gnaviter. Eodem tempore Henricus Bojus honestâ legatione, cujus princeps Dietmarus Weissenecksius, ad capiendos fasces properè vocabatur.

An. Christ. M. CC. LIII.

XIII. Ad eum capessendum Henricus Othonis filius frustra invitatur.

Otho parens cunctari, differre legatos, &, ne quid præcipiti consilio statueret, Belæ Ungariæ Regis, qui filiam Henrico Bojo locaverat, sententiam exquirere; Bela, sibi quàm genero addictior, studiosè ambire, opportunissimam regno suo, vicini dominatus accessionem. Otho nihilominus, ne nihil planè tentaret, utrumque filium cum non magno ad tantam rem comitatu, ducit Oetingam Veterem quò foret Austriæ propior, sed specie eos accingendi balthco militari, auspicijs cœlorum Reginæ, quæ illic magnâ religione colitur. Verùm sera nimis & imbecilla fuit ista provisio, in quâ ne unum quidem momentum debuisset negligi. Etenim se jam Primislaus & armis & Austriorum favore sic firmârat, ut nullus, nisi armatâ manu, sperari posset in Austriam ingressus. Quare certus, non tentare dubiam nimis aleam, quæ tamen novum Principatum ambienti semper est tentanda, bello abstinuit: passus tamen est, Henricum Belæ socero Boicas suppetias sociare. Is devitans Salisburgensium montium & Carantanorum, quæ hostili præsidio occupabantur, fauces, per alpes Noricas, lubente Menhardo Goritiensi Toparchâ, auctus Ezelini Dynastæ Tarvisini copijs, ad Belam penetravit, eique fidam

dam

dam operam præstitit, donec, pace inter alienæ fortunæ rivales compositâ, Austria cessit Primislao, Styriâ Belæ relictâ. Ita Boij in occasione captandâ remissiores, alienæ magnitudini manus commodârunt, hoc tamen emolumentum ex ea rerum mutatione consecuti, ut quicquid terrarum ad Anassum usque, perantiquo jure olim Bojariæ cohæserat, & à Friderico Ahenobarbo fuerat Austrijs contributum, ad veteres dominos postliminio per Ludovicum Othonis filium reduceretur. Brevis fuit Othoni parenti recuperatæ possessionis usura. Nam hoc anno 3. Cal. Decembris fato functus est, finem longè laudabiliorem habiturus, si vitæ postrema primis respondissent. Potissimus illi nævus, Episcoporum exemplo, ab Innocentio Pontifice descivisse, & pertinaciter adhæsisse Cæsaribus. Etiam aspernatus est dirarum religiones, quas ad supremum usque spiritum, tametsi à B. Bertoldo D. Francisci sodale, egregiæ sanctitatis viro, severè increpitus, neglexit. Quo factum, ut incogitans & inexpiatus, subitò expirârit, cùm paulò antè jucundus & hilaris inter amicos consedisset. Datum etiam vitio, quòd non multò ante mortem, sublato veterum numismatum usu, Landishutæ novam monetam, quæ in solâ Bojariâ, nusquam alibi, valebat ad commercium, magno subditorum damno cuderit: quòd ordinem sacrum minutámque plebem habuerit inclementer. Illatus est in Schirense Majorum mausoleum, neque inde motus, licèt Clemens Summus Pontifex, decimo post ejus excessum anno, litem ipsi movit de sepulchro, per Frisingensem & Ratisbonensem Episcopos cognitores, qui perquirerent, num aliqua pœnitentis animi signa prodidisset. Si nullum aliud, hoc saltem repererunt, quòd nuper S. Spiritus domum hospitalem pietatis & misericordiæ studio excitâsset. Quare Agnetis uxoris & posterorum honori concessum, urna defuncti ne loco moveretur, ejúsque manibus ne insultaretur. Quod scribunt de nescio cujus agricolæ viso, quem, ferunt, à sensibus abreptum, spectâsse judicium, cùm ante obitum, ad divinum tribunal variorum criminum reus ageretur, non videtur esse majoris authoritatis, quàm quæ subinde à sanctioribus judicibus non discussa, temere jactantur in vulgus.

Otho Dux Boicæ moritur.

Othonem ad alteram vitam, beatiori (uti spes est) fato secutus est Innocentius IV. Neapoli 7. Id. Decembris, Anno M.CC.LIV. Demortuo suffectus est Alexander IV. Sed & hic annus Conrado Regi fatalis fuit. Eum Manfredus frater, natus extra matrimonium, veneno peremit pridie feriarum Christi ad cœlos ascendentis. Conrado filius erat superstes Conradinus, ex Elisabethâ Boicâ ante biennium genitus, hærésque ultimis paterni testamenti mandatis declaratus. Puerulo dati Bojarij tutores. Manfredus parricida donatum à Friderico patre Tarentum retinuit. Eo neutiquam contentus, cùm dudum antè regnum Siculum cœcâ ambitione esset complexus, ratus, se regij hæredis opprimendi opportunam occasionem nactum, ob infantis ætatulam ad prioris ambitus insaniam relapsus, ut erat homo projectus ad omne scelus, primùm Conradini tutores vocare in invidiam: dictitare, Bojos, ut in externâ gente, superbè avaréque pupilli nomine dominaturos: subinde non obscurè suam operam fidémque venditare populis: exambire studia: prensare Regni, in quo ipse natus esset & educatus, procurationem: denique miro artificio irrepere in Pontificis Romani gratiam, ut anathemate parentis solutus, firmatúsque in Tarenti dominatu, novis præterea honoribus augeretur, non sine imminutione auctoritatis debitæ Boijs tutoribus. Talibus audacior præjudicijs, nixúsque favore Siculorum, Apulorum, Calabrorum, Picentinorum, Brutiorum, Campanorum, sibi adjunxit Saracenos, Nucerinos, eorúmque instructus viribus, Pontificis militem in hibernis Fogianis nihil hostile metuentem opprimit, armis, equis, impedimentis exuit. Tum demum Alexander Pontifex, comperto, cum quo homine res esset, instaurat copias, & ductore Octaviano Ubaldo, jubet comprimi fallacissimi nebulonis audaciam. At ille, non ausus tentare pugnam, Nuceriam refugit, patitúrque se arctè obsideri. Cùm vi non posset evadere, dolo solvit obsidionem. Clàm emittit ex urbe consutos ex fraudibus emissarios, qui paulùm progressi, cultum lugubrem induunt, mentiuntúr-

An. Christ. M.CC.LIV.

Conradus Rex veneno sublatus.

P. Æmil. in Ludo. IX.

Manfredi Siculi vafræ molitiones.

XIV.

que

que, se venire è Suevià, & tristem de Conradini morte nuntium adferre. Mendacio admiscebant lachrymas non sponte cadentes, litterásque adulterinâ manu signóque suppositas. Mors pupilli, talibus argutijs nunciata, ilico creditur: Octavianus Alexandri legatus, refixis signis, discedit à Nuceriâ: tutores suâ credulitate delusi, perinde, atque si nullus esset Conradinus, cujus nomine imperarent, è Siciliâ abeunt: Manfredus pupillo, velut mortuo, attatus regiè parentat: regiam gazam, quæ Panormi condebatur, arripit: ejus largitione sibi devincit veteranos: conducit militem Africanum, ac demum, cùm nulla crederetur justa regiæ stirpis soboles superesse, Rex salutatur, Siculorum animis errore tam profundè dementatis, ut priùs se ad firmandam regni usurpationem vimque defendendam firmarent, quàm veniret quisquam è Germaniâ, qui fidem faceret, vivere Conradinum. Pari fraude actum cum Jacobo Rege Aragonum, qui Petrum filium, Aragonicæ juventutis principem, Constantiæ Manfredi filiæ despondit, ratus, ejusmodi nuptias non fore suæ domui indecores, quandoquidem duodecim auri myriadum dote, & Regni Siculi haud dubiâ spe (nam Manfredus masculâ prole carebat) tyrannidis & natalium dedecus speciosè obnubebatur. Atque ista quidem de Conradino & improvidâ Bojorum tutelâ.

Regni Siculi usurpatio.

Joan. Marian. Hist. lib. 13. c. 13.

Cæterùm hic annus sterilitate & immani brumâ horridus, præter ista, quæ dixi, nobilissima funera, Libitinæ dedit Bertoldum Passaviensem Episcopum, militiæ, quàm mitræ meliorem, eique subrogavit Othonem Lonstorfium natione Bojum, virum bono publico natum, prudentiâ, consiliorum maturitate, comitate morum, & cultu religionis in paucis commendatum. Hic, inito statim Episcopatu, Boijs Ducibus reconciliatus, sacrorum usum reddidit, quem prædecessor triennio suspenderat: iisdem Ducibus clientelas, quas Bogij, Rapato, ultimus ex Ortenburgicis Bavariæ Comes, Passaviensis Ecclesiæ beneficio tenuerant, omni lite sublatâ, asseruit, accepítque in vicem jura castra Obernpergensis, ídque citra contentionem, sed æquâ justorum arbitrorum æstimatione. Jam tum Ludovicus & Otho Boicæ Duces, pari imperio, post parentis obitum, cœperant obire munia Principatus, & pace cum finitimis, Alberto quoque Ratisbonensi conciliatâ, reductâque in templa publicâ religionis celebritate, mortalium cœlitúmque amicitiam ambire. Quò verò minus inter eos esset dissidij (utili, an noxio, ad posteros exemplo) Provincias sunt partiti. Ludovicus natu major Rheni Palatinatum, Burgraviatum Reginoburgensem, Regenstaufium, Lengenfeldam, Calmunzium, totámque Boicam superiorem est sortitus. Henrico, qui, comperto parentis obitu, ex Ungarico bello prosperè domum redierat, cum Ducis titulo, Ratisbona, Chambum, Kelhaimium, Erdinga, Landishuta, Oetinga, Burghusium, Hala, Straubinga, Vilshovium, Landavium, Dingolfinga, Brunovium, Schardinga, & quicquid est adjacentium, obvenêre.

Ludovicus IV. et Henricus XIII. Boicam partiuntur.

An. Christ. M, CC. LV.

Ad hunc annum referunt primam originem Monasterij Eremitarum D. Augustini Ratisbonensis, natam memorabili prodigio. Sacerdos sacrosanctum Corporis Christi viaticum, ægro supremùm laboranti deferens, fallente vestigio, eo loco, quem Judæorum pontem nuncupant, lapsus in lutum, augustissimum sacramentum hàc illac sparsit. Bono viro mirum in modum attonito, casúmque lamentanti, genij cœlestes ad colligendam divini ferculi jacturam advolant: summâ reverentiâ ferunt opem: pignus sacratissimum restituunt: &, ne terra, Dei hominis contactu venerabilis, profanis vestigijs tereretur, noctibus istam urbis partem luce collustrare soliti, aream templo accommodam radijs describunt. Cives ostento moniti, ut locum tegerent, primò ligneam ædiculam opere subitario imposuerunt, ac deinde è saxo aliam struxerunt augustiorem, cui addidêre sacerdotes, qui per annos undecim divina peregerunt: denique subortâ de templi tutelâ dissensione, visum est, ne altercatio pietati officeret, Patribus Augustinensibus ædem donare, iisque facere Cœnobij condendi potestatem. Quâ in æde postea editum est miraculum sacri plenum horroris. Presbytero ad aram facienti irrepsit dubium de verâ Christi in sacramento præsentiâ. Deus, ut ambigenti scru-

And. Presb. Nicol. Crusen.

Origo Monasterii PP. Augustinianorum Ratisbonæ.

pulum eriperet, usus est manu signi Christi in cruce morientis. Illa, de trabe soluta, miro modo porrecta, calicem consecratum sacerdoti abstulit. Prodigij tot fuere testes, quot adfuere sacrificio. Ne ejus excideret memoria, res, ut gesta est, non modò relata est in fastos, sed etiam penicillo, in vitreâ fenestrâ, & acu in aulæo depicta.

XV. Porrò Ludovicus noster ad res Palatinatus ordinandas profectus, cum finitimis Principibus, & sexaginta ut minimùm civitatibus Imperij, sociale fœdus inijt exemplo Italicarum urbium, quò delectis ad communem publicæ rei defensionem ducibus, justóque copiarum numero, iretur obviam licentiæ latrociniorum, aperiretur securitas commerciorum, tolleretur immensum quantum ingravescens portoriorum iniquitas, exscinderentur prædonum spoliaria, tuta præstaretur commeandi libertas. Neque enim publico consuli aliter poterat, periculis flagitiísque indies augescentibus ex nefariâ quorundam audaciâ, quibus spes résque omnis in turbido, & spolijs insontium. Fœderis Principes, Gebhardus Moguntinus, Conradus Coloniensis, Arnoldus Trevirorum Archiepiscopi: Jacobus Mediomatricorum Episcopus, Abbas Fuldensis: Ludovicus Bojus Comes Palatinus, Conradus, Emico, & Godefridus Comites Silvestres: Richardus Cattimelibocus, Fridericus Liningensis, Bertoldus Zigenhagius, Comites: Poppo Tubingensis, complures alij Proceres cum nobilitate ingenij probioris. Sic tantisper cohibita improbitas, donec Guilielmi Hollandi mors novas turbas invexit.

An. Christ. M.CC.LVI. Guilielmus Hollandus Cæs. occisus.

Sublatus est anno sequenti fato miserabili. Posteaquam semel victor Frisiorum annuas propè grassationes egregiè represserat, ad eos subigendos animum adjecit. Post 5. Cal. Februar. cùm paludes, &, quæ æstivo tempore restagnant, aquas diuturnum gelu fecisset pervias, Frisiam denuo ingressus, antequam signa in hostem explicaret, ex insidijs occisus est. Sunt, qui scribunt, nescio quem conjectorem ipsi fuisse vaticinatum, Frisiorum manus ejus capiti fore fatales. Refert Crantzius, ne hodie quidem constare, quo loco ipsius corpus sit tumulatum: ita proclive est opinari, fabulosum esse monumentum, quod illi Stero, & ex eo Brunnerus statuerunt in mausoleo pridem à Frisijs, nescitur ubi, excitato, in spem Romanorum Regis aliquando sepeliendi.

Ludovicus Severus uxorem necat.

XVI.

Sed in Boicâ cædes longè luctuosissima patrata est à nostro Ludovico, unde Severi longè lenius, quàm facinus meruit, consecutus est cognomentum. Ad Rhenum abiens, Mariam conjugem, Henrici Magnanimi Brabantiæ Ducis filiam, Werdeæ Sueviæ, hodie Donawerdæ, apud Elisabetham Conradini matrem, suam sororem, reliquerat. Dum ipse publicis regundi Palatinatus negotijs incumbit, quo fato incertum, certè illaudato errore, Maria uxor binas Epistolas, marito alteram, alteram Rauchgravio (Hirsutum Comitem latinè dixeris) dedit per hominem omnis expertem litteraturæ, ignarum primorum adeò elementorum, perferendas, cum eâ tamen cautelâ, ut Ludovico litteras cerâ miniatâ signatas, alteras atro munitas sigillo Comiti traderet. Sed tabellarius, sive oblitus imperij, sive quo casu, litteras nigricante signo clausas Duci reddidit. Hic ad primum epigraphes, paulò quàm fœminam Principem, eámque nuptam decuisset, licentioris conspectum offensus, nescio quid sequioris amoris suspicans, Epistolam resignat, perlegit, voces singulas morosè expendit. Suspicionem accendêre paucæ dictiones, quarum sensum nemo, nisi latentis arcani conscius, assequeretur. Hinc tristis animi nubes: è nube & turbatâ credulitate tempestas furiosa, & larga persuasio uxoris ab alio adamatæ, quâ nihil in matrimonijs est funestius. Igitur tabellarium, velut adulterinæ consuetudinis interpretem, in vestigio confodit, & citatis itineribus, lymphato similis Donawerdam advolat: arcis præfectum, officij causâ prodeuntem, jugulat: Helicam Prennbergiam virginem nobilem, Mariæ uxori in primis charam fidámque, pugione transfigit: Gynæcei moderatricem matronam honestissimam ex arcis fastigio præcipitat: ac denique, totâ familiâ mortis terrore suspensâ, Mariam conjugem, Numen fidei conjugalis conscium, divina humanáque omnia obtestantem, quò periret fœdiùs, carnificis ferro manúque truci-

dat. Nocte proximâ, ubi furor posuerat, facinoris atrocitas objecta menti tantum incussit mœroris, ut prodigiosâ canitie tinxerit cæsariem florentissimi juvenis: neque enim adhuc vigesimum septimum ætatis annum excesserat. Hæc patrata Cal. Februarij, maritis ad exemplum, quàm crudelis sit & injusta zelotypiæ temeritas: uxoribus, quàm periculosa & perniciosa quævis species levitatis: quo in genere bene monet Sapiens, quòd *zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Regna & tædæ geniales nullos, ne è longinquo quidem, patiuntur rivales: uxor, quæ oculos alieno indulget, semet obcœcat: quæ cor audet inter duos partiri, sese occidit: etiam hujuscemodi minutiæ gravis sunt momenti: si tamen, qui læsus est, inconsultò & ultra rationem sævit, non sævit impunè. Mariæ innocentia, si Erfordianis monumentis fides est, Ludovico est divinitus revelata. Comes flagitiosæ familiaritatis suspectus, quem ferunt fuisse ex stirpe Wittelspachij, Philippi Cæsaris percussoris, provinciâ excessit, & passim verbis atque scriptis Mariæ integritatem testatus est. Ludovicus ab Alexandro IV. Pontifice delicti veniam exoravit, jussus duodenis S. Brunonis sodalibus, piaculi loco, condere Cœnobium: sed cùm nulli adhuc ejusce ordinis homines in Boicâ sedem locâssent, Cistertiensibus nobile amplúmque Monasterium, quod hodiéque numero floret & virtutibus, Furstenfeldæ ad fluvium Ambronem construxit, & justo censu locupletavit.

Prov. 6. 34.

ORIGO MONASTERII FURSTENFELDENSIS.

AN. CHRIST. M.CCLVII.

XVII.

REGNI GERMANICI DISSIDIUM INTER RICHARDUM CORNUBIENSEM ET ALFONSUM HISPANUM.

Stero. Matth. Westmonast. in flor. Angl. hist. Trithem. in Chronico Spanheim. Script. Anonym. Fragment. Chron. Spanheim.

Cæterùm Romanum Imperium, rectore destitutum, inter dissentientes Procerum curas & comitia sæpius cœpta, sæpius abrupta, fluctuabat in interregno. Alexander Pontifex, Fridericorum mores & turbulenta ingenia suspectans, Gerardum Moguntinensem Archiepiscopum monuit, ne in Augustali suffragatione sineret ullam Conradini pueri haberi rationem. Conradus Coloniensis Antistes Richardo Cornubiæ Comiti, Joannis Anglorum Regis fratri, certam regni spem ostendebat, si eligentium animos & vota auro prensaret. Arnoldi Trevirensis scriptor domesticus ait, Ludovico Severo marcarum myriadem, Moguntino octo marcarum millia esse à Richardo donata. Coloniensis quoque magno ære conductus est. Moguntinus id temporis captivus ab Alberto Brunsuicensi tenebatur. Verùm, ubi primùm libertatem auro Anglico redemerat, domum redux comitia ad Idus Januarias Francofordiæ indixit, quibus Richardus ab emptis Principibus, quibus accessit Henricus Dux Bojariæ, Rex est creatus, & ipso Christi cœlos ascendentis die, Aquisgrani à Coloniensi Præsule prima Regni Germanici Insignia accepit. His auspicijs adductæ nonnullæ urbes Rheno confines suam illi fidem obstrinxerunt, Colonia, Poppardia, Wesalia, Moguntia, Francofurtum, Oppenheimium, Spira, Wormatia. Magnificè illi applausum, quousque pecunia aulæ splendorem & gratulantium affectus aluit. Verùm ubi Basileam venit, exhausto ærario, Principum populorúmque studia elanguêre, & bonus Rex desertus, contempto quàm regnanti visus est propior. Quamobrem Wetteraviâ Philippo Falckenstainio; Poppardiâ, Wesaliâ, cæterisque obnoxijs urbibus Philippo Hohenfelsio, vicario nomine, commendatis, sepositâ regni Germanici curâ, trans mare, unde venerat, bene emunctus, edoctúsque, regna quæsita largitionibus sine aureis habenis apud venales animas non retineri, se subduxit.

ALFONSUS CASTELLÆ REX RICHARDO OBJICITUR.

Ioann. Marian. l. 13. c. 11.

Aliâ ex parte Arnoldus Archiepiscopus Trevirensis, repudiatâ quindenûm millium argenti Anglici marcarum corruptelâ, cum Duce Saxoniæ, cum Marchione Brandenburgico, Spirensi, Wormatiensi Episcopis, aliisque Proceribus, haud longè à Francofurto, in lectissimâ nobilissimorum virorum coronâ, Alfonsum Castellæ & Legionis Regem, Richardo prætermisso, cooptavit. Erat Alfonso mite ingenium, ingens animus, belli pacisque artibus peræquè instructus, gloriæ, quàm voluptatum cupidior, deditus otio litterarum, nec tamen à negotijs alienus; sed avidus corradendæ pecuniæ: quæ res illi in popularium odium verterat, ut domi, quàm apud exteros, minori esset in pretio. Ejus tamen in comitijs grandis habita ratio, quòd genus maternum duceret à Germanis Imperatoribus, utpote filius Beatricis, pérque eam Philippi quondam Augusti nepos. Missi igitur Constantiæ &

Spiræ

Spiræ Antistites, qui eum ad capessendum Imperium solicitarent. Verùm ille, quamvis alijs super alias legationibus ambiretur, sive quòd suorum voluntati studijsque diffideret, filiorum ætate nondum maturâ, sive quòd ob intestinos motus anxius perplexúsque, domestica peregrinis anteferret, venire distulit; in præsentiâ satis habens admittere regium titulum, spémque Imperij adeundi, ubi res & consilia maturuissent. Carpebat interim Richardi electionem, elevabátque inutili disceptatione, quasi regna, perinde atque scholastica subsellia, disputando caperentur. Ita Germaniæ conditio longè erat calamitosissima, confusus judiciorum ordo, nulla imperandi obsequendíque certa provisio, singulis ad rerum suarum tutelam, vel ad alienarum eversionem intentis.

XIIX. Philippus Salisburgensis Archiep. loco movetur.

Et sanè quidem, jam ab anno superiore, pax in Boicâ perierat, unde minimè decuisset. Philippus Antistes Salisburgensis, quia Pontificatum, sacerdotio nondum initiatus, gesserat, & sacræ ditionis arces atque civitates improbis clientibus demandârat, adnitente Ecclesiæ Metropolitanæ Collegio, à Romano Pontifice jussus est, Ulrico Secoviensi Episcopo infulam cedere: quod cùm ille accitis è Boëmiâ & Carinthiâ auxilijs, ferociter detrectaret, & ferro flammísque in Archidiœcesim grassaretur; datum est ex urbe negotium Henrico Chymensi Episcopo, ut eum, Alexandri edicto, ad causam dicendam citaret, vetarétque inposterum res & munia Archiepiscopatus attingere: quòd si morem non gereret, eum igni & aquâ interdictum, juberet ab omni sacrorum consortio abstinere. Ea cùm Philippus, perinde atque inania terriculamenta sperneret, multò factus insolentior, Ulricum æmulum unà cum Chymensi Sedis Apostolicæ Legato, & Othone Præposito, cùm nullo loco essent securi, Romam abegit, Chymensem Episcopatum fœdè laceravit, súsque déque habuit ablatum Salisburgensibus divinorum usum, nisi si qui, prævalentibus Philippi minis atque terroribus, è D. Petri sacerdotibus facerent ad aram, cæterisque sacris publicitus operarentur inviti. Tantus demum mœror & solitudo basilicis est inducta, ut Ecclesiæ patrimonio expilato, vix esset super, quantum sufficeret quatuor Sacerdotibus tenuiter sustentandis. Cùm indies exaggeraretur insontium calamitas, duo Canonici ex illustri Collegio, Ulricus Comes Ortenburgicus, & Gregorius, tot fracti malis, defecerunt ad Philippum, ejúsque causam Romæ defendendam susceperunt. Gregorius in itinere miserè perijt: Ulricus auditus quidem est à Pontifice, sed nihil, præter ignominiam, domum retulit. Ita lis & arma magnis odijs pessimóque exemplo ad multos annos (uti in loco videbimus) protracta.

An. Christ. M.CC. LIIX. Stero. Ottocari Boemi cum Henrico Boio bellum.

Ne unis turbis Boica vexaretur, tumultus est è Boëmiâ subnatus, cui speciosè obtendebatur, Schardinga, Neoburgum, Rieda, quæ post mortem Hermanni Badensis ad Principatum redierant, repetebantúrque ab Ottocaro, cui Primislao cognomen, Rege Boëmiæ, quasi per injuriam ab Austriâ, quâ ipse potiebatur, essent abstractæ. Hic igitur opibus & ditione tumidus, stimulante juventâ, inimicitias Henrico Duci Bojariæ denuntiat, neque ultra quinque dies cunctatus, festinatâ irruptione, ingentes copias Boicæ infundit, jactans passim & minax, se propediem Landishutæ, quæ erat Henrici Regia, vim infestam allaturum. Et jam ultra Passavium grassatus, per Elisæ vallem Fraunhovium usque signa protulerat, cùm Henricus, nihil delecti militis habens in parato, trepidis undique nuntijs, & villarum incendijs admonitus, missis quaquaversum mandatis & conquisitoribus, jubet popularium centurias, quotquot possent, arma capere, & ad patriæ pericula, quod validum est incitamentum, ocyus advolare. Simul rogat Ludovicum Severum fratrem, ne velit deesse Boicæ supremè laboranti. Ludovicus, coactis raptim ex Rheno suppetijs, cum paucis accurrit, magnum tamen nominis sui terrore momentum bello allaturus. Confluxêre mox è Boijs justo numero legiones cum equitatu satis expedito: castra castris opposita. Ottocarus, qui ex insperatâ irruptione omnia sibi prona somniaverat, deturgente audaciâ, sibi diffidens, petit, impetrátque unius diei inducias, qui D. Bartholomæo sacer erat. Credebatur, consilio priùs, quàm prælio causam velle disceptare; sed fucus erat audaculi supremam

aleam reformidantis. Fugam nocte intempestâ Myldorfium intendit. Nec mora, Henricus suos jubet confestim hærere tergis fugientium, ex quibus complures ad Myldorfij trajectum deprehensi, dum extremis turbatis, primósque prementibus, confertim nullóque ordine pontem sublicium prægravant, rumpuntque, pars Oeno hausti; pars in ipso enatandi conatu telis confossi; pars recepti in suburbium, facibus subjectis, unà cum impedimentis combusti. Quos fluvius & flamma rapuit, à Sterone quadringenti, ab Annalibus Salisburgensibus ter mille recensentur. Ottocarus cum paucis per pontem ante alios elapsus est. Cæteri ferè omnes Myldorfij mœnibus clausi, novem dierum obsidionem tolerârunt, factâque deditione, victorum clementiâ dimissi, pacis conciliandæ fuerunt authores; quæ his legibus sancita, ut Schardinga, quæque antè nominavi, unà cum Schittenhovio Boici juris remanerent.

Ottocari clades.

An. Christ. M.CC.LIX.

Sophiæ et Elisabethæ Boicarum nuptiæ.

Gebhardus Comes Hirsbergius, qui præcipuam in eo tumultu fidem industriámque probaverat, ad Sophiæ Ducum sororis nuptias, præmij loco est adlectus. Sub id tempus Elisabetha sororum altera, Conradini mater, Menhardo Goritiæ & Tiroliorum Comiti locata: ritus nuptiales pridie Non. Octob. Monachij celebrati. Conradus Frisingensis Episcopus eâdem in urbe, 15. Cal. Februarij, mortuus, locum fecerat Conrado II. ex stirpe Comitum Silvestrium; quicum Leo Ratisbonensis Episcopus, quâ causâ, incertum, gravibus inimicitijs collisus est, non sine multorum sanguine, cum pudendo istius ævi dedecore, quasi damnatâ Christianæ mansuetudinis lenitate, honestum esset, videre Episcopos galeatos in mutuam suorúmque clientum cædem sævientes. Sapiebant certè minùs, quàm Rudolfus Cæsar Habspurgicus, qui consultum ajebat, trium litium compositionem, unius liberali condonatione redimi. Atqui feroces Episcopi, flammâ, ferro grassabantur: quibus in dimicationibus, occubuit Ulricus Holzhauserus, vir apprimè nobilis. Ulteriùs furor tendebat, nisi Ludovicus Severus, pacis arbiter intervenisset, & Ratisbonensem ad præstanda Ecclesiæ Frisingensi damna induxisset. Sed & militaris iste Ratisbonæ Episcopus, ausus est cum Boicæ Ducibus gerere inimicitias, quibus nullo maleficij genere temperatum, donec contentio arbitris est permissa, in quibus Weinhardus Rorbachius, Henricus Preisingius, quos honoris causâ nomino, cæteris omissis, quorum posteri desierunt. Ejusdem Leonis Episcopi authoritate, Vallis Speciosa, quæ à D. Wilhelmi Ordine antea tenebatur, venit in Patrum Augustinianorum manus. Gesta hæc pòst, quàm Alberto Pitogejo, Albertus Magnus, doctrinâ & virtutibus, summis ævi sui viris æquandus, ad sedem Ratisbonensem successerat. Hujus natales, magnos in D. Dominici disciplinâ progressus, modestiam, docentis celebritatem, laudatissimos in Pontificatu mores, & voluntariam infulæ abdicationem, prolixè ab alijs descriptos, non est operæ pretium hoc loco repetere. Quæ contra ejus famam à malevolis sunt olim jactata, dilucidè à Trithemio & Delrio refelluntur.

XIX.

Bellum inter Conradum Frisingensem et Leonem Ratisbonensem Episcopos. Componitur a Ludovico Severo.

An. Christ. M.CC.LX.

Udalricus Salisburgensis, quem regendi cupido cum Philippo Archiepiscopo commiserat, anno abhinc secundo, non modò Romanis censuris, sed etiam manu militari armatus, bellum renovavit. Ex urbe redeuntem Dux Carinthiæ Philippi frater, Radstadij sub noctis crepusculum aggressus, multis utrinque cæsis, pluribus sauciatis, profligavit. Cùm per Anassi vallem in Boicam properaret, haud procul à Cœnobio Admontensi lapsus in Austriacorum insidias, ab Henrico Turriano captus, & in castrum Wolckenstainium retrusus aliquamdiu, Ducis tamen Austrij voluntate redditus est libertati, quæ homini ad stuporem infortunato nihil profuit, quem non modò Salisburgensium odia, sed etiam quæsturæ Romanæ exactio, eò tandem necessitatis adegerunt, ut impetratâ à Pontifice missione, quinquennem dignitatem sponte posuerit, nullâ re magis, quàm adversâ fortunâ memorabilem.

Udalricus Salisburgensis. Profligatus. Captus.

Henricus Bojus à turbulentis istius anni motibus non fuit intactus; vel lacessitus, vel ingressus in causam belli, quod inter Udalricum æmulúmque gerebatur. Quamobrem, sive repetierit sumptus à se factos, sive quæ alia ratio intercesserit, octo oppida Archiepiscopio detraxit; adscitisque in belli societatem Dynastis

Henricus Boius Salisburgum obsidet.

Vis-

Vispacensibus, Salisburgum, propugnaculo ad Salinas excitato, frenavit & obsedit. Eam invasit partem atque incendit, quæ à cæterâ urbe, interfluente Salzâ, dirimitur, neque priùs destitit ab oppugnatione, quàm clarâ meridie serenóque cœlo, fulminis ictu territus, agnovit, se irato Numine vim inferre urbi, quam sui majores D. Ruperto dedicâssent. Induxit tamen Philippum, ut mitram, censuris & tot dimicationibus malè habitam, abdicaret. Idem Henricus in pacificandis Boëmiæ & Ungariæ Regibus, plurimum operæ posuit: pax tamen serò coaluit. Ottocarus damnatis pactis, quibus nuper Belæ Ungaro, pacis causâ, Styriam permiserat, eam bello repetijt. Bela vicissim Stephano filio defensionem justæ possessionis demandavit. Jamq; utriusque castra in mutuum conspectum venerant, sólóque Thaysæ fluminis objectu dirimebantur, cùm Stephanus numero potior, vado reperto, per noctem tenebris & cœlo pluvio perobscuram, refixis signis movet in Ottocarum, qui ad Lavam Austriæ oppidum tetenderat. Nondum ortâ luce, Otho Comes Hardeccius, & Conradus Plainius missi ad explorandum, ab Ungarorum antecursoribus, plerisque manipularium obtruncatis, occiduntur. Quos fuga nóxque servavit, Boëmi castra complent tumultu, hostem adesse vociferantes. Ottocarus arma celeriter expedit, jubétque legiones imperium expectare, donec diei crepusculum hostis numerum sitúmque ostenderet. Jam eò ventum erat, ut neutris liceret citra ignominiam referre pedem. Ergo hinc & hinc magnis animis concurritur, donec Stephanus, ubi prima non succedunt, aciem deserit, secúmque trahit agmen universum. Ottocarus, & Otho Brandeburgicus, qui suppetias venerat, instant fugientibus, premúntque ad usque Thaysam, indéque ad Moram, fluvios, tantâ vi, ut Ungari, præ terrore vadorum obliti, turmatim undas imbribus tumefactas tranantes, ingenti numero mergerentur. Cæsi & aquis hausti sedecim millia. Inter manubias, auri argentíque magna vis reperta. Pugnatum 13. Julij. Bojaria Plainium luxit, suæ stirpis ultimum. Denique Regem utrumque belli cladiúmque cùm cepisset satias, Henrico Bojo sequestri (quippe qui Ungaro affinitate, Bojæmo sanguine erat conjunctus) fecêre pacem. Ungarus omnem Styriam & Petoviam urbem Boëmo cessit: útque fœdus firmiore nexu cohæreret, Cunegundis Belæ Regis neptis, locata Ottocaro, qui à Margaritâ Austriâ, sterilitatis obtentu, quæ erat istius ævi improba licentia, diverterat. Certè erat injuriosum, aliàs fœcundam, neque thoro ineptam, quæque Austriam pro dote attulerat, jubere, non res sibi suas, quas maritus mordicus retinebat, sed purum putum habere repudij ludibrium.

Solvit obsidionem.

Dubrav. l. 17.

XX.

Stephanus Ungarus ab Ottocaro Boëmo acie vincitur.

Melioribus auspicijs Ludovicus Severus Annam Conradi Gloggoviensis Silesiæ Ducis filiam matrimonio sibi conjunxit. Is paulò antè Ratisbonenses haud exiguâ solicitudine metúque levavit. Non ita pridem, ut eos cæteroqui mobiles & pronos ad turbas, faciliùs in officio contineret, castrum muniverat in clivo Geierspergensi. Atqui cives rati, suæ libertati injectum esse frenum, Ludovici potentiam ingeniúmque suspectantes, omnem movebant lapidem, ut arx invisa tolleretur. Id cùm lege fieri non posset, neque consultum videretur adhibere vim, quà precibus, quà pretio impetrârunt, ut Ludovicus munitionem auro mutatam complanaret.

Ludovici Severi cum Anna Gloggoviensi nuptiæ.

Sed & hic annus inficetam juxtà ac turpem Flagellantium sectam extulit. Natam ajunt Perusiæ in Tusciâ, indéque propagâsse examina trans alpes. Profitebantur horridos peccatorum abolendorum ritus: nudi umbilico tenus; instar Lupercorum, velatâ facie, viri fœminis; promiscuum vulgus nobilibus juncti, omnis ætas & ordo, ingenti numero permixti sociabantur. Agmen unicum subinde viginti millia trahebat. Solenne illis, per triginta dies & semissem, sub dio, etiam rigente brumâ, & quâvis aliâ tempestate, bis quotidie verberibus in terga sævire, concentu lamentabili, gestibúsque ad supplicium mœstitiámque composito implere auras, & spectantium oculos. Et hæc quidem potuissent tolerari, si cætera abfuissent. Non aberat obscœna libido: docebant, nihil esse deferendum magistratui sanctiori: sanguinem scuticis tali excussum pompâ, non modò vim habere

Secta Flagellantium.

Errores.

sacrosancti baptismatis, sed etiam æquari martyrio, & citra aliud mysterium remediúmve reddere perfectam innocentiam. Initio apud simpliciores aliquem tulêre plausum, sed superstitiosâ deliratione propiùs exploratâ, habiti ludibrio, & passim Principum edictis exterminati, eviluerunt. Ludovicus Severus, Frisingam usque progressos passus non est ultrà prodire. Conquievit isthæc insania, donec anno sæculi sequentis quadragesimo nono (quod suo loco recensebimus) nebulo nescio quis, eam, cum errorum additamento, ab Inferis revocavit.

An. Christ. M.CC.LXI. Anno primo supra sexagesimum, Otho Princeps, quem regno Pannoniæ fata destinabant, natus est Henrico Bojariæ Duci ex Elisabethâ conjuge: quo anno Seemannus Bojus nobilis, Ratisbonensis Archidiaconus, in Bojariâ inferiore, Ordini S. Augustini cœnobium construxit, quod ab eo Seemanhusij nomen accepit. Situm est inter Rotam & Vilsam.

XXI.

Hund. Alexander IV. Romanus Pontifex rebus humanis exemptus, Sedem Apostolicam Urbano IV. natione Gallo Tricassino, qui anno abhinc quarto divinæ Eucharistiæ triumphale festum instituit, vacuam reliquit. Quæ ad ejus tribunal ab Alfonso Castellæ Rege & Richardo Cornubiensi de Imperij diademate, quod uterque sibi tribuebat, fuêre disceptata, videri possunt in Pontificio diplomate, quod eâ super re Urbanus vulgavit in Urbe Veteri 6. Cal. Septemb. Anno M.CC.LXIII. *Extat. Ep. 212.*

Alterum filium sibi cognominem Henricus Bojus ex Elisabethâ suscepit. An. Christ. M.CC.LXII. Urbanus Pont. Max. Siciliæ Regnum injustè occupatum, Manfredo Friderici II. notho abjudicavit, quod Clemens successor Carolo Provinciæ Comiti, D. Ludovici Franciæ Regis germano, addixit, præterito Conradino, qui tamen legitimus uniúsque regni istius heres vulgò censebatur. Quoniam aliquanti temporis Annales rerum memorabilium admodum steriles, vix habent quicquam rerum nostratium, cogimur aliquot annorum breviaria compendio referre. *Stero.*

An. Christ. M.CC.LXIII. et M.CC.LXIV. Anno sexagesimo tertio, 5. Cal. Februarias, immanis ventorum sævitia non domos modò, sed etiam sylvas evertit, & insequente Augusto ac Julio sidus insvetum, radios latè vibrans, in Cometæ modum apparuit. Rursus anno sequenti simile meteorum mortales horribili aspectu per tres & ampliùs menses terruit. Id ubi primùm cœpit videri, Urbanus Pontifex morbo correptus est, extinctóque ominoso sidere, mox vivere desijt 6. Non. Octob. Posteaquam sedes quatuor mensibus vacaverat, Clemens IV. Narbonensis Gallus, absens, Perusiæ subrogatus est, & vocatus ex Angliâ, ubi legatione Pontificiâ fungebatur, vir inter ævi sui sapientissimos, authoritate & virtute singulari. VENTORUM TEMPESTATES, COMETÆ FREQUENTES.

Stero. An. Christ. M.CC.LXV. Annus quintus & sexagesimus Othoni Passavij Episcopo postremus fuit 5. Id April. In demortui locum sublectus est, magno collegarum consensu, Uladislaus Silesius, Ducis Boleslai Pij filius, Henrici Barbati & D. Hedwigis, quam hoc anno in album Sanctorum retulit Clemens Pontifex, nepos, princeps mirâ præditus morum suavitate. Postquam paucis mensibus præfuerat, Canonicorum Salisburgensium suffragijs, ad Metropolis gubernationem, ab Udalrico abdicatam, vocatus, missâ ad Clementem Pontificem legatione, pallium, Archiepiscopatus insigne, impetravit; simul obtinuit, ut Petrus, quo moderatore in Paduano Gymnasio fuerat usus, Passaviensi mitrâ donaretur. Cometam anno superiore visum, multæ turbæ, multæ Regum Principúmque dimicationes, hominum item pecudúmque mortalitas sunt secutæ.

An. Christ. M.CC.LXVI. Carolus Andegavensis D. Ludovici Galliæ Regis frater, unà cum uxore, triginta triremibus vela fecit è portu Massiliensi, & Romam appulsus, in æde Lateranensi, jussu Pontificis, Siciliæ Rex est renunciatus. Tum commisso acri, ad Beneventum, prælio, victor Manfredum, Siciliæ incubatorem sustulit, 3. Non. Martias. CAROLUS D. LUDOVICI GALLIÆ REGIS FRATER CREATUS REX SICILIÆ. MANFREDUM CÆDIT.

Neque verò Boica fuit à turbis immunis. Ottocarus Boëmus, Princeps inquies, & animi immodicus, sive eum pudor accepti ad Myldorfium dedecoris, sive otij impatientia, quæ per omnem illi vitam adhæsit, ad rumpendum fœdus impulit, initâ cum Salisburgensibus, Passaviensibus, & Ratisbonensibus belli societate,

erum-

erumpens in Bojariam, Mense Augusto, colonorum cædibus, villarum incendijs, populationibus, fœdum in modum grassatus est: Regenstaufium, Nitavium arces, aliásque munitiones exscidit, agrúmque finitimum Ratisbonam usque omni genere hostilitatis deformavit, ac demum commeatus inopiâ, per Egram in Bojæmiam se recepit. Henricus Bojus, qui interea temporis subitario delectu militem armaverat, ut paria Boëmio reponeret, eum trans Ilissum flumen insecutus, Veldam oppidum, & vicina circùm castella incendit, regionem permisit militari direptioni. Dein 3. Cal. Novembris, nocturnâ proditorum ope, Passavio potitus, magnam urbis partem exussit, cæteram concessit victorum arbitrio. OTTOCARUS BOIARIAM DEVASTAT.

Hæc ubi deferbuerant, serum rebus afflictis attulit remedium integrata cum Ottocaro concordia. Nata Henrico ad diem 5. Id. Junias, ex Elisabethâ conjuge Catharina. Ludovici quoque Severi familia facta auctior, ortu filij ipsi cognominis. In Viennensi Synodo à Guidone Cardinale tit. S. Laurentij, Joanne Pragensi, Conrado Frisingensi, Leone Ratisbonensi, Petro Passaviensi, Brunone Brixinensi, Amalarico Lavantino, aliisque minoris notæ Præsulibus assentientibus, ad Cleri populique reformandos mores multa præclarè constituta, quæ dudum in usum legésque alibi gentium transierunt. Singularia hæc: ut, si contra sacri ordinis reverentiam & prærogativam Ecclesiasticæ immunitatis, sacrorum Antistites, vel Canonici in custodiam raperentur, ilico apud violentiæ authores sacra cessarent: ut Judæi cornutum petasum, perfidæ sectæ tesseram, deferrent: Christianis ne se miscerent, nullam Reipub. partem attingerent: quando sacra mysteria publicè per vias solenni ritu deferrentur, se intra lares domesticos abderent: neminem prorsus suis ritibus initiarent. AN. CHRIST. M.CC. LXVII. VIENNENSIS SYNODUS. XXII.

Philippus Salisburgensis, cui ob malè gestum Pontificatum diræ Romanæ infulam detraxerant; nescitur quâ causâ, quibúsve meritis, ad Aquileiensem Patriarchatum est evectus, adnitente ejus fratre Udalrico Carinthiæ Duce; qui, ut damna, Salisburgensi Ecclesiæ nuperis tumultibus per injuriam illata, quoquo modo sarciret, Clagenfurtum, & SS. Viti & Georgij oppida, D. Ruperti clientelis adjecit, brevi, immo nullo propè emolumento; quod Philippus, rescissis paulò pòst pactis, intervertit. Sic crudâ istâ ætate cum rebus sacris ludebatur. Raro redeunt ad frugem, quos injusta sanctioris patrimonij contrectatio semel contaminavit. AN. CHRIST. M.CC. LXIIX.

Peperit hic annus bellum Carolo Andegavensi Siciliæ Regi cum Conradino Suevo. Hic ephœbos vix excesserat, quando Pontifice obnuntiante, Germaniæ Procerum, & Henrici Castellani Alfonsi Regis germani, qui Romæ gerebat Præfecturam, malesuadâ persuasione ingentes copias contraxit: quibus ut præstaret stipendia, Ludovico Severo avunculo suo & tutori Donawerdam, Lavingam, Hochstadium, Merdingam, Schongavium, Peitingavium, Ambergavium, Abusiacum, Swabecum, à parente pignori opposita, vendidit bis mille argenti pondo. Eum Fridericus Austrius, Ludovicus Severus, Menhardus Tirolius, numerosa è Boijs & Suevis nobilitas secuti sunt. Ludovicus Severus execrationum Pontificiarum, quibus ista expeditio in ipso Italiæ ingressu devovebatur, fulmine territus, se retulit in Germaniam. Auctæ Conradini vires accessione Gibellinorum. Ubi ventum ad lacum Fucinum, acie utrinque explicatâ, consertæ manus magno ardore: prælium tres horas tenuit, & jam Conradinus se pro victore gerebat, & præmaturè ordines ad prædam legendásque manubias solvebantur, quando Carolus cum recenti subsidiariorum globo, ex insidijs in eum coortus, totam aciem disjecit, fugavítque: Conradinum è fugâ retractum, agnitúmque annuli indicio, anno sequenti unà cum Friderico Austrio, Neapoli manu carnificis obtruncavit. Sic extincta sunt suprema Sueviæ Austriæque lumina. Ajunt, demessum Friderici caput ingenti CONRADINUS CAROLO SICULO BELLUM INFERT. VINCITUR, CAPITUR, OCCIDITUR.

genti miraculo Deiparæ nomen inclamâsse: areolam, in quâ uterque occubuit, sanguineo circulo divinitus fuisse circumscriptam, quadrum verò, quo iste orbis sepiebatur, diu, quasi rorantibus lachrymis, illustrissimis funeribus parentâsse. Taceo alia prodigia, in quibus recensendis, sine magnis testibus nolim esse nimiùm solutus aut liberalis. Mira Dei judicia, patrum crimina in filiorum supplicio vindicantis, plectentisque seram avorum posteritatem. Sueviam Conradini nece orbam, Teccenses, Wirtenbergenses, Badenses, Habsburgij, partitis inter se ditionibus, occupavêre. Clemens Pontifex hoc anno 3. Cal. Decembris Viterbij decessit, sedemque duobus annis, novem mensibus, & duobus diebus vacantem, reliquit implendam magnis virtutibus à Gregorio X. viro apprimè sapienti, quem Leodij Archidiaconum fuisse scribit Æmilius.

An. Christ. M.CC. LXIX. *Stero.*

Annus undeseptuagesimus dedit Henrico Bojo filium Ludovicum 7. Id. Octobris. Ipsis Christi natalitijs tanta fuit aquarum eluvies, quantam istius ævi mortales non viderant: solum præter consuetum imbribus superfusum, postea tam prodigiosâ siccitate exaruit, ut, semente in ipsa herbescente viriditate exustâ, nihil præter steriles annonæ angustias famémque protulerit: ne tamen terra prorsus esset infœcunda, eò lætiorem vini copiam peperit.

An. Christ. M.CC.LXX.

XXIII. Uladislai Salisburgensis obitus.

Annus posterus Uladislao Salisburgensi fatalis fuit. Rebus omnibus in Boicâ, Styriâ & Carinthiâ ad Ecclesiæ suæ commoda compositis, profectus in patriam, ut cerneret hæreditatem, quæ ipsi à parentibus obvenerat, ejúsque partem D. Ruperto contribueret, à cognatis, qui ejus voluntatem erant subodorati, venenum hausit, cujus ut pestem cœpit notare, curriculo Salisburgum reversus, placidè animam posuit, & dignitatem Friderico Walleio reliquit, quo anno civitas magnam partem igne conflagravit. Cætera hujus anni funera cumulavit Belæ Ungariæ Regis, Henrici Ducis nostri soceri, obitus, cùm, re in Moraviâ malè gestâ, paulò ante mortem pacem cum Ottocaro Boëmo fecisset: sed Stephanus filius regno potitus, bellum mox renovavit senescente Decembri, factâque in Austriam eruptione, quâ parte spectat meridiem, & prædis longè latéque actis, ad septendecim hominum millia abduxit in captivitatem.

Stero. Cremer.

An. Christ. M.CC. LXXI.

Quibus injurijs provocatus Ottocarus, vere proximo ingressus Ungariam, arces munitissimas Posonij, Altenburgi, Tyrnaviæ, S. Georgij, aliáque præsidia occupavit, longiùs grassaturus, nisi annonæ penuria eum in Bojæmiam rejecisset circa ferias Pentecostes. Stephanus vicissim eas clades ultus est in Moraviæ & Austriæ finibus, donec sub Junium exeuntem, Episcopis virisque religiosis sequestribus, inopinata pax subitò coaluit. Henricus Bojariæ Dux Elisabethæ conjugis funus mœstus extulit, postcaquam illa ad III. Idus Martias Stephanum liberorum sextum erat enixa. Mirum quantum Bojaria lectissimæ Principis jacturam luxerit: quippe quæ omnium Ordinum amorem, singulari in subjectos benignitate, quâ nihil ad demerenda populi studia valentius, sibi conciliaverat. Elisabetham primo partu editam, veluti fœcunditatis suæ primitias, Landishutæ in Sanctimonialium asceterio, Christo dedicavit. Hoc ipso anno D. Dominici religiosa familia ab Henrico Duce Landishutam est introducta.

Elisabetha Henrici Ducis uxor defuncta.

An. Christ. M.CC. LXXII.

Bertoldus Franciscanus mortuus.

Ad Principum funera accessit Idib. Decembris Bertoldus è D. Francisci sodalitio, vir divinæ in dicendo sapientiæ, & tractandis animis præclarum instrumentum, qui proinde dictus est sui sæculi Elias. Turingia, Bojæmia, Ungaria, ex ore dicentis acres ad virtutem stimulos, pietatisque flammas visa est haurire. Perorantis caput plures coronæ irradiárunt. Fœminam, cùm pro concione quoddam flagitij genus ille perstringeret, ictu exanimavit, & precibus revocavit ad vitam, ut peccatum, cujus horrore expiraverat, expiaret sacrâ confessione. Rediviva narravit, se protractam

ad

ad tremendum Numinis tribunal, puncto temporis vidisse simul sexaginta animarum millia, quæ recens è corporibus migraverant; quo ex numero, tres duntaxat, non plures, flammis piacularibus adjudicatas, cæteras omnes deturbatas ad æternos inferorum rogos. Eum, scribunt, vivúmque mortuúmque compluribus miraculis claruisse, inter quæ magni æstimandum, quòd fuerit Bertoldus genuinus D. Francisci alumnus & imitator, & cùm tantus esset orator, non pauciora bene fecerit, quàm dixerit. Hujus anni autumnum fœdæ nimborum tempestates domos passim in locis decliviori-bus everterunt; abripuerunt magnam armenti & annonæ vim: ignis verò aquis inimicus, Ratisbonæ basilicam principem, unà cum Episcopalibus ædibus redegit in parietinas: sic armabat Deus creaturas ad peccatorum ultionem.





BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS I.
Liber XXV. & ultimus.

In Rudolphi I. Habspurgici electione, suffragia tulerunt Ludovicus Severus & Henricus fratres, ratione Ducatus Bavariæ. Ludovicus Severus adit Conradini hæreditatem, eâque ab Alberto Austrio Cæs. exuitur. Filium sibi cognominem, optimæ indolis adolescentem, in hastiludio occisum amittit. Piè moritur. Rudolpho I. succedit Adolfus Nassovius, ab Alberto Austrio acie victus & occisus. Alberti varia bella, in Bojos, in Austriacos, in Boëmos. A Ioanne Nepote trucidatur. Henricum VII. Lutzelburgicum accipit successorem. Hujus filius Ioannes, excluso Henrico Carinthio, adit regnum Boëmiæ. Henricus Dux inferioris Bojariæ sæpius cum Ottocaro Boëmo in Cæsarem conspirat, & in gratiam recipitur. Cum Archiepiscopo Salisburgensi colliditur. Otho Boicæ Dux, Vngariæ Rex, varijs casibus jactatus, regnum deserit. Vindictam parans in Vngaros piè moritur. Fridericus Austrius ambiens tutelam Henrici Othonis filij, à Ludovico Bojo prælio superatur. Rudolfi Palatini in matrem & fratrem iniquitas damnatur à Cæsare. Bellum in Augustanos. Conradus Nantuinus, vir apprimè religiosus Wolfratshusij injustissimè ab avaro judice interficitur. Notburgis Ratenburgicæ virtutes & miracula. Alberti Altahensis vita exemplaris.

An. Christ. M.CC. LXXIII.



Ermaniæ dudum rectore destitutæ tristis erat facies. Dominabantur Principum factiones, privatorum latrocinia, odia publica infestis armis grassabantur, prout partium cuique vires & potentia. Elanguerat jubendi & obsequendi moderatio, nisi si quam

quam lubentia & violentia, pro casuum & fortunæ varietate, dictabant. Richardus Cornubiensis è vivis excesserat: Alfonsus Hispanus naturâ cunctator, initio Germanici dominatus incuriosus, pòst timidè avidus, denique flagranter & præposterè ambiens, sublato æmulo, jus electione quæsitum urgebat, ratus, se rosas sine spinarum aculeis carpturum. Atqui Gregorius Pontifex per legatum Proceres Imperij severè commonefecit, ut sui memores officij, citra cunctationem, Regem eligerent, qui Ecclesiam rémque publicam ex æquo tueretur: id nî propere facerent, se suâ authoritate usurum, reperturúmque, qui lubens se fastigio pateretur admoveri. Ergo Principes, mense Septembri ad exitum properante, Francofordiæ conveniunt. Adfuere Wernerus Moguntinus, Sigefridus Coloniensis, Henricus Trevirensis Archiepiscopi; Ludovicus Severus Bojo Rheni Palatinus, & Henricus ejus frater, quibus æquum atque indivisum jus parem dabat suffragij potestatem. Et Henricus quidem excusatâ absentiâ, per legatos Henricum Præpositum Oetingensem, & Fridericum Landishutanæ Ecclesiæ Rectorem, debitum in subsellijs votisque locum tenuit, quantumlibet refragaretur Ottocarus Boëmus, per legatum Bertholdum Leiningium Episcopum Bambergensem, caussatus, Imperij Septemviratum violari octavi Electoris suffragatione. Ivêre nihilominus Principes in Ludovici Severi sententiam, ad memoriam revocantis, in Richardi Cornubiensis electione, nemine repugnante, se fratrémque ivisse in suffragium: eò quòd eligendi dignitas, ad utrumque à Boico Principatu esset hæreditario jure derivata, quam proinde pari potestate, & unâ velut actione, meritò retinerent. Eam sine injuriâ à neutro hæredum posse avelli, nedum prohiberi, ne, qui unum duntaxat votum unanimi concordiâ simul conciperent, illud in communem cæterorum Electorum suffragationem conferrent: Id enimvero non magis confundere electionis harmoniam, quàm si geminæ chordæ, eodem tono, musicis concentibus adhibeantur. Quare rejectâ, magno consensu, Ottocari opinatione, permissus uterque fratrum non modò consilia conferre ad magnam, si ulla aliàs fuerat, deliberationem, sed etiam promere vota in Romanorum Regis electione. Triduum tenuit disceptatio. Arenbeckius scriptor domesticus author est, Principes, cùm sententiæ variarent, jus Cæsaris nominandi totum Ludovico Severo ex compacto permisisse. Ajunt alij, Moguntinum pro Rudolfo Habspurgio Comite toto conatu laborâsse, & Trevirensem, juxtà ac Coloniensem traxisse in vota; cæteros Electores, Ludovicum Palatinum, Henricum Bojum, Albertum Saxonem, addit Argentinas Marchionem Brandeburgicum, spe nuptiarum cum Rudolfi filiabus, quas senas habebat virgines formâ & indole lectissimas, Moguntino esse assensos, & Ludovicum quidem eâ cautione, ut nequa ipsi lis de Mariæ Brabantinæ primæ uxoris cæde unquam moveretur: & hic re ipsâ, Annâ Polonâ defunctâ, duxit Mechtildem Habsburgicam anno XCV. Norimbergæ, calend. Septembribus, ex quâ prognati Rudolfus Palatinus, Ludovicus IV. Imperator, & filia nupta Hassiæ Landgravio. Istas Ludovici nuptias Trithemius refert in hunc annum.

I.

STATUS GERMANIÆ.

COMITIA AUGUSTALIA AD REGIS ELECTIONEM.

UTERQUE BOICÆ DUX AD SUFFRAGIA ADMISSUS.

Stero.

Alb. Argent.
Gerard. Roo.

RUDOLFUS HABSPURGIUS REX CREATUS.

Rebdorf.
Trithem.
Chron. Spanh.

Igitur concordi Electorum assensu, si Ottocarum excipias, Rudolfus 12. Oct. (si Argentinensi credimus) vel, ut Stero notavit, circa octavam D. Michaëlis, absens Rex est renunciatus, quo tempore Basileam obsidione premebat. Regni delati nuntium primus attulit Henricus Pappenheimius: secundum Fridericus Zolleranus, qui postea Burgravius Norimbergensis est creatus. Accepto nuntio, solutâ obsidione, & pace compositâ, Basileensem Episcopum, magno metu liberavit. Fertur Episcopus, comperto comitiorum Augustalium exitu, exclamâsse: *Domine DEUS, sede firmus & fortiter, alioquin locum tuum Rudolfus occupabit.* Inde cum splendido apparatu Francofurtum profectus, votis Electorum annuit. Soluto conventu, rectâ itum est Aquisgranum, ubi Rudolfus 3. Cal. Octob. accepto diademate, ritu regio est inunctus. Cùm more majorum Proceres illi sacramentum fidémque clientelarem essent professuri, & sceptrum augustale (incertum quo casu) non esset ad manum, eóque lis esset, an absente sceptro, foret integrum, se

Alb. Argent.
Trith.
Chron. Hirsaug.

AQUISGRANI CORONATUS.

Regi religione obstringere; Rudolfus, prolatâ Crucifixi effigie; *Ecce signum* (inquit) *in quo nos, & totus mundus est redemptus, hoc signo, loco sceptri, utamur.* Quæ pietas & solertia, velut insignis sapientiæ omen accepta, mirificè utriusque Ordinis Principes recreavit, fecitque, nemo ut esset præsentium, quin crucis signum exosculatus, solenni formâ se lubens Rudolfo obligaret. Fuit porrò, antea quàm ad regni fastigium ascenderet, ijs non modò virtutibus, sed etiam opibus, quæ eum vehementer commendarent. Erat Alsatiæ Landgravius, urbis Argentoratensis Vexillifer, potiens partis ditionis, quam Sabaudiæ Dux in Helvetia tenuerat, Badenæ Dominus, Mospergi, Kyburgi, Winterturris, Mulbergæ, Grezingæ, Durlaci. Est etiam scriptor ad manum, qui eum asserit Bernates fecisse sibi vectigales. Fuerat olim Ottocari Boëmi magister equitum, multis præterea clarus triumphis, quos varijs prælijs victor de hoste reportârat. Unde est, cur explodatur vulgi fabula, quæ ejus opes atque potentiam, angustis Habspurgi Helvetici limitibus & paupertate circumscripsit. Post regnum aditum, proximæ ejus curæ, in latrocinijs rapinísque totâ Germaniâ extirpandis, desudârunt. Memorant Annales Mansfeldici, in solâ Turingiâ arces sexaginta, nefariorum hominum spoliaria, ab eo excisa, & unicâ die viginti novem ejusce farinæ nebulones, Erfurti, capitis supplicio esse affectos.

Cuspin. pag. 351. 353. Serar in Wernero. OPES RUDOLFI. *Roster. Stemm. Lothar. to. 5. fol. 277. b.* LATROCINIA ET PRÆDONES ELIMINAT. AN. CHRIST. M. CC. LXXIV.

II.

Non defuêre tamen in Germaniâ, quos invidia ad arma, adversus optimum Principem socianda, concivit. In his Everhardus Wirtenbergicus, Montfortius, Helfenstainius, Dockenbergius, alij præterea undecim Dynastæ, cum aliquâ parte finitimæ nobilitatis. Eos Rudolfus omnes egregiè subegit, compulitque ad debitam obsequelam: vias omnes totâ Germaniâ, ab usque finibus Italiæ, ad ipsum maris Britannici littus, repurgavit à grassatoribus, restituitque securam commeandi & commerciorum libertatem. Ausus quidem est Ottocarus Boëmus, misso in Germaniam legato Secoviensi Episcopo, in Norimbergæ comitijs Rudolfi electionem in dubium revocare, frequentissimo Procerum Senatu, sed ægrè ab ijs impetratum, ut manus violentas abs Legato abstinerent. Atque hic quidem annus fuit tantâ frugum rerúmque omnis generis ubertate fortunatus, ut, velut reflorescente Imperij felicitate, tritici quartarium viginti duobus Argentinensis monetæ teruncijs, siliginis sedecim, ova quatuordecim, haleces octo, singulis ejusdem valoris nummis, gallina duobus, venirent. Ludovicus Severus Rudolfi magnum in se favorem expertus est, quando regijs tabulis, velut avunculo, & supremâ morientis voluntate delatam Conradini Regis, Conradi filij, hæreditatem asseruit: in hâc Schongavia, Castrum Beitinganum, Ambergavium, Staufensis curia, villa Iglingensis, Durcheimensis, Möringensis, Heibischense oppidum, Werdense, Tapheimium, Neoforum, cum præfecturâ Pergavia, Neocastro, & Schönenbergâ, quæ etiam dotis nomine, Elisabethæ Ludovici matri à Rege Conrado fuerant olim attributa: Alia præterea bona omnia cujuscunque nominis, quæ ad Conradinum proprietatis titulo pertinuerant. Item clientelas, Hersprucensem, Vilseckiam, Ambergensem, Aurbacensem, & castrum Hochensteinium, cum omnibus juribus & appendice rerum connexarum concessit. Hujusce beneficij litteræ datæ sunt calendis Martij Hagenoæ, quas postea ratas habuêre duo Saxoniæ Duces Joannes & Albertus, ille quidem Anno M. CC. LXXV. Wormatiæ, 5. Cal. Aprilis; hic verò 8. Id. Novemb. Coloniæ Agrippinæ, quod singulorum tabulæ demonstrant.

Trith. in Chron. Hirsaug. OTTOCARUS RUDOLFO ADVERSATUR. LUDOVICUS SEVERUS ADIT CONRADINI HÆREDITATEM.

Porrò Gregorius X. Pontifex Maximus Lugduni Patrum Concilium coëgit. In his Episcopi, majorésque Hierarchæ quingenti (septingentos numerat Eberhardus) minorum gentium Præsules admodum mille sexaginta. Sedêre inter Episcopos, Leo Ratisbonensis, Bruno Brixinensis, Joannes Chymensis. In eo conventu repulsam passi sunt Alfonsi Hispani, & Ottocari Bojæmi Regum Legati, cùm Rudolfi Regis electionem impugnarent: Alfonsus postea cum Pontifice eâdem de causâ coràm collocutus, nihil præter humanissima verba reportavit. Rudolfus, ut se Pontifici gratum, & accepti beneficij memorem ostenderet, Bononiam, Eccle-

LUGDUNENSE CONCILIUM. *Joan. Marian.*

Ecclesiæ Romanæ propriam esse voluit. Penè supra fidem est, quantopere Princeps optimus bonorum sibi animos devinciret suavissimâ lenitate, nemini negans sui copiam, qui regiam opem implorarct. Contigit, ut Prætoriani quempiam fortunæ vilioris aditu prohiberent; cùm ille; *Per ego*, inquit, *DEUM vos obtestor, date locum adeuntibus: quorsum enim impero, si miseris non succurro? An datus sum Imperator, ut velut opertaneum aliquod monile condar in area, vel aliquo sacrario?* Idem, Losannæ cum Gregorio congressus, de Palæstinâ recuperandâ sapienter egit, sed casso deinde eventu, tametsi in Lugdunensi Synodo sacrorum proventuum decumæ, ad sexennium, in belli sacri subsidium fuissent indictæ. Et fuerunt quidem illæ repræsentatæ à sacerdotibus, sed bellum omissum.

CONSULTATIO DE BELLO SACRO.

Hoc circiter anno Furstencella Cistertiensis Ordinis, in Boicâ inferiore, inter Vilsum & Oenum amnes, ab Hartwico Canonico Passaviensi inchoata, Henrici Ducis sumptibus ad culmen est perducta.

FURSTENCELLÆ ORIGO ET ABSOLUTIO. *Diplom. Petri Passavien. Ep. apud Hund.*

Ingolstadij, D. Francisci alumnis hoc anno cœnobium condidit Ludovicus Severus: qui, octavo pôst anno, ijsdem Monachij domicilium attribuit. Rudolfus Rex frequentissimum Germaniæ conventum egit Augustæ Vindelicorum, in quo rursus Ottocari Boëmi causa, de jure Romanorum Regis eligendi, est agitata, & clarissimo decreto confossa, quo disertè pronunciatum, Septemviratum & electionem, ex antiquo, ratione Bavariæ, ad Principes Boicæ stirpis pertinere, & olim pertinuisse. Diploma Rudolfi editum est à Gewoldo. In ijs comitijs Bernardus Episcopus Secoviensis, qui Ottocari nomine Bojos fratres accusatum venerat, à Friderico Salisburgensi, cordatâ oratione fuit exagitatus, non modò ob luculenta damna, quæ Ottocarus Ecclesiæ Salisburgensi hostili manu recens intulerat, æstimata argenti pondo quadraginta millibus, sed etiam ob Austriam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Marchiam Vindorum, ac portum Naonis, cum manifestâ injuriâ usurpatam. Tametsi enim daretur, eum juris aliquid nuptijs & dote Margaritæ conjugis, ante annos sex & viginti, quæsijsse, id tamen exolevisse jam dudum, postquam optimæ Principi libellum repudij injustissimè dederat, pellice in ejus thorum introductâ, ac demum illam veneno necârat. Enimvero repudiatæ dotem fuisse restituendam: & quamvis à conjuge non divertisset, dotales tamen ditiones, quæ meræ essent Imperij clientelæ, nullo jure ab eo potuisse usurpari, qui se negaret esse Imperij clientem. Missi proinde à Rudolfo Legati ad Ottocarum, Henricus Basileæ Episcopus, & Fridericus Zolleranus, qui ditiones iniquè detentas repeterent, juberéntque causam dicere, cur abs Rege sæpius citatus, non modò ipse neglexisset imperium, sed etiam Henricum Bojariæ Ducem in eandem pervicaciam traxisset, non sine noxâ læsæ majestatis. Nam Henricus auro Boëmico inductus in fraudem, fœdus cum Ottocaro inierat anno superiore, quo disertè cavebatur, eosdem amicos inimicósque fore utrique communes. Id fœdus Henrico propè fuit exitiale: certè magnâ temeritate non caruit. Nam & periculosè & imprudenter cum turbulentis ingenijs, quæ insuper habent bellorum causas, ejusmodi societates ineuntur: neque unquam promiscuè debent respicere dominorum personas, quas semper oportet habere eximias. Legati ab Ottocari contumaciâ, præter insolentes cavillationes, quibus Rudolfi electionem pergebat accusare, & detrectare obsequium Principi, quòd eum olim stipendia facientem, sibi obnoxium, & regio prætorio præfectum gubernasset, nihil retulerunt. Accedebant alia neutiquam obscura perduellionis argumenta. Etenim Ottocarus regios feciales suspendio peremerat: & accusabatur, misisse in Styriam, qui veneficarum incantamenta ad inferendam Rudolfo necem conducerent. Cùm igitur Rudolfus ab insanabili ingenio, lenitate nihil æquum impetraret, collecto exercitu, armis putavit esse subigendum. Henricus noster primum impetum erat excepturus, nisi æstimatâ virium tenuitate, per amicos in Rudolfi gratiam redijsset, quam sibi reconciliavit per nuptias Catharinæ regiæ Principis, contractas cum filio Othone. Attamen rursum Henricus novâ Ottocari pecuniâ corruptus, deprehensus est consilia de Rudolfo, in cujus erat exercitu, inter abrupta nemorum deserendo agitâsse.

AN. CHRIST. M.CC. LXXV. *Arenbeck.* FRANCISCANI INGOLSTADII ET MONACHII RECEPTI. JUS ELIGENDI CÆSAREM PERTINET AD BAVARIAM. *Gevvold. in Metrop pa. 8. III. Chron. Austral. pa. 327.* OTTOCARUS IN IUS VOCATUR. *Salisb. Metrop. Felix Faber in Suevic.* HENRICUS INFERIORIS BOICÆ DUX IPSI FŒDERATUS. OTTOCARI CRIMINA. *Chron. Austral.* ARMA CÆSARIS ADVERSUS OTTOCARUM. *Trithem. Chron. Sponh.* HENRICUS BOIUS RUDOLFO RECONCILIATUS.

RELABITUR IN REBELLIONEM. *Bern. Altaben.* agitâsse. Quamobrem novis à Rudolfo beneficijs debuit in officio contineri, qui ditionem, quæ est ad superiorem Anassum, hypothecæ loco, ad filiæ Catharinæ firmandam dotem ipsi oppignoravit. Quâ delinitus facilitate Henricus, aliquantisper ita fidus promptúsque fuit, ut Rudolfus nemine libentiùs liberaliúsve uteretur. RURSUS IN GRATIAM RECIPITUR. *Chron. Austr.* FICTUM OTTOCARI OBSEQUIUM. Ottocarus propinquantes Rudolfi vires pertimescens, speciosâ simulatione promisit, se in posterum in Cæsaris authoritate futurum.

AN. CHRIST. M. CC. LXXVI. PONTIFICUM MORTES. Rebus ad eum modum compositis, in Boicâ tantisper otium ab armis fuit: sed in summos orbis Antistites immitis Parca sævijt. Gregorius X. Pont. Max. 4. Id. Januarij, Aretij in Tuscia, vitam magnis actam virtutibus posuit. Innocentius V. natione Burgundus, Pontificatum inijt 12. Cal. Februarij, neque ultra 10. Cal. Julij tenuit. Hadrianus Ligur Genuensis 4. Id. Julij creatus, 15. Cal. Septemb. diem obijt, vacuámque sedem Joanni XX. aliàs XXI. Lusitano reliquit, per octo tantùmmenses, totidémque dies retinendam.

AN. CHRIST. M. CC. LXXVII. IV. Interea quicquid Rudolfus pro Germaniæ salute moliretur, multa se tamen optimis conatibus objiciebant, quò minùs natam ex interregni diuturnitate rerum inclinationem, ad pristinam normam erigeret. Ut arbores, quæ altas egère radices, ita Reipublicæ vitia longo usu inolita operosè evelluntur. Difficile est omnia ad antiquæ consuetudinis momenta revocare, quæ ad sequiora desciverunt. Odiosus est plerisque priscus rigor atque severitas, cui pauci sunt pares. Quid malorum in Imperio viguerit, malim verbis alienis, quàm meis dare sub aspectum. Julius Pflugius Naumburgensis Episcopus, tametsi Rudolfi temporibus longè recentior, agens de Republicâ constituendâ, sapienter Imperij tenorem, qualis erat sub Rudolfo, causásque defectuum descripsit: *Cùm diu (inquit) hoc Imperium floruisset, ita tulit eventus, ut post mortem Friderici II. duodeviginti annos gubernatore careret. Interea, cùm velut populis rector deesset, cui parerent uni, optimam illam, quâ majores eorum fruebantur, formam jam amisisse videbantur. Quam etsi per Rudolphum Habsburgium recuperare studuerunt, non ita tamen ut antè floruit. Nam quo tempore magistratus ac Principes præsidio Cæsaris erant nudati, nec habebant, à quo defenderentur, opes ipsi suas, quibuscunque rebus possent, firmârunt, & multa eorum, quæ Imperatorum antea fuerant propria, ad se transtulerunt; ut, cùm quisque in civitate ac ditione suâ regendâ & tuendâ munus Imperatoris obiret, ipse ejus nervis & quasi viribus niteretur. Inde cùm hæc usurpâssent aliquamdiu, nec sine vi, ab eorum possessione dimoveri possent; maluit Rudolphus de suo jure decedere, quàm offendere voluntates eorum, quorum operâ domi & militiæ utiliter uti posset: nec suspicatus est, unquam fore, ut qui ex ipso quasi patrimonio crevissent, non obtemperaturi essent sibi posterisque ultrò, nec Rempublicam gratis animis adjuturi. Et quamquam Princeps sic statuebat, se Imperium beneficijs multò faciliùs, quàm vi atque armis tenere posse, decessit tamen non parùm de publicis Imperij ejusdem facultatibus atque emolumentis. Quin ex eo tempore, indies, magis atque magis extenuata fuerunt jura atque vectigalia Cæsaris; ut post Carolum IV. è publico non modò nervos bellorum, sed ne pacis quidem subsidia suppeditarent. Debilitavit quidem ratio hæc potestatem, quam penes debebat esse summa rerum, atque ita convulsit, ut, quibus Principibus populisque imperare oportebat Cæsarem, eorum ipse nutum intueri quodam modo cogeretur: cùm præsertim ei non ampliùs liceret pecuniam atque militem, sine quibus nihil magnarum rerum bene geri potest, imperare, nisi Principum atque Ordinum consensus accederet.* Hæc cùm ita haberent, non expediebat Rudolfi rationibus, talia simul invertere, neque ad se legum munia & magistratum retrahere, tametsi vires Principatus haud leviter solverentur, nec jam sibi constaret imperandi ratio, quæ labascit, nisi uni reddatur, multóque fit contemptior, si privatorum hominum nomina, juxta vel supra Principis reverentiam auctoritatémve, attollantur; aut unus aliquis ita magnus fiat, ut nihil, nisi ipsius velut unico arbitrio, geri posse videatur. Nam Princeps, solus esse debet supremus rerum arbiter, ídque jure ac nomine regio, tametsi plurium consilijs atque sapientiâ debeat sublevari, non autem gubernari.

Quem

Quem in articulum Imperij conditio devenisset, unius Ottocari sæpius repetita insolentia abunde ostendit, cùm revolutus ad priorem contumaciam, non legibus modò, sed etiam armis debuit coërceri. Quas ad res Popardiæ habita comitia ipsis Ramalibus, ad quæ Rudolfus accessit cum lectissimo comitatu. Isthic ante omnia jussit disceptari jura clientelarum, quæ Imperij feuda vulgò audiunt: tum agi de bello. Quæ in commune de fiduciariâ Cæsareorum beneficiorum conditione visa frequente Senatu, retulit Bernardus Agritianus Jureconsultus, nobilitate, eruditione, & prudentiâ singulari. Auditâ relatione, Senatusconsulto decretum est: si quis beneficiarius Imperij, agens intra Provinciæ suæ limites, cessante impedimento, intra annum feudi dominum non adiret, eúmque de more non recognosceret: tali velut indigno feudum esse auferendum. Ea lex maximè spectabat Ottocarum, quippe qui nondum Cæsarem, ut beneficij dominum, quâ par erat reverentiâ, coluerat. Valuit etiam decretum, ut quotquot Proceres ac civitates in Rheni confinio, in Franconiâ, Sueviâ, & Bojariâ, Imperij clientelis potiebantur, sponte suam fidem obsequiúmque sacramenti religione profiterentur, & si quas arces, oppida, agros, urbes, per interregni licentiam à Friderici Imperatoris tempore, malè invaserant, ultro restituerent Imperio.

Ottocarus denuo rebellat.

Lex de clientelis.

Stero.

V.

Verùm Ottocarus, per insignem contumaciam negabat, se Austriam, Styriam, aliáque provinciarum, quas sub interregno invaserat, defenderátque ingenti sumptu atque discrimine adversus Ungarorum & Tartarorum insultus, redditurum. Cùm igitur refractariâ hominis arrogantiâ Imperij majestas ludibrio haberetur, major in eum vis decreta. Contulêre suam operam Moguntinus, Coloniensis, Herbipolensis, Passaviensis Antistites, unà cum Ludovico Severo, Henrico Bajoariæ Ducibus, & lectissimis Franconiæ & Sueviæ centurijs. Ludovicus Severus, cùm esset in procinctu, tabulis ritè confectis, Furstenfeldensi Monasterio prædium Hettingshusense donavit: vectigalia Wasserburgensia & Monacensia publicanis locata, simulac locationis tempus effluxisset, per annos quatuor jussit ad damnorum à se illatorum compensationem, aliquot Præsulum judicio, conferri: arces juris ambigui, ad veteres possessores reverti, nisi dati cognitores aliter pronuntiarent: nova vectigalia, citra Cæsaris authoritatem constituta, antiquari. Igitur, ut ventum in primam Austriam, civitas Anassina, Ibissa, & Tulna nullam expertæ vim, Rudolfo patuerunt. Sola Vienna & Neoburgum munimentorum clausêre portas, certæ obsidionem tolerare. Neoburgum ab unicâ Bojorum turmâ strategemate occupatum: Bojæmorum præsidium deditum, & in vincula conjectum. Ottocarus de totius belli exitu ex his initijs malè ominatus, lubens admisit pacis mentionem. Dati utrinque sequestres. In his Cæsaris nomine Ludovicus Severus. Ante omnia, ad sanciendam fœderis firmitatem, contracta est gemina affinitas. Wenceslao Ottocari filio, adhuc tum octenni, desponsa una ex filiabus Cæsaris: vicissim Ottocari filia Rudolfo Cæsaris filio promissa: deindè conventum in has leges; ut Ottocarus Austriam, Styriam, Carinthiam abdicaret: cæteras clientelas Transdanubianas versus Aquilonem, à Cæsare ritu ac jure beneficiario capesseret, contentus utili (ut vocant) dominio: redderet absque pretio captivos, obsides cum honore. Id unum ægrè supplici condonatum, ne in propatulo, Rudolfo flexis poplitibus sacramentum clientelare diceret. Id enim vehementer aversabatur, quòd olim Rudolfum habuisset in obsequijs. Cæsar in Cambergâ insulâ, utcunque remotâ ab arbitris, tentorium sic jussit explicari, ut laxatis facilè funiculis subitò posset omni ex parte dissolvi. Scenâ ad eum modum compositâ, Cæsar cinereo indutus paludamento, tribunal ascendens monitus est, ut splendidiore cultu uteretur. At ille: *Sinite* (inquit) *hodie paupertatem sæpius derisam arroganter, de stolidâ purpurâ splendidè triumphare.* Tum ubi Ottocarus ejus affusus genibus, concessæ clientelæ vexilla daturus recepturúsque, & solennia dicturus verba, procubuit, mox papilio diductus in latera & humi lapsus, supplicem multitudini ostentavit, non sine Germanorum cachinnis, & acerbâ ludificatione Boëmorum. Gesta hoc anno, Annalium Australium scriptor ad annum

Ludovici Severi decreta salutaria.

Rudolfus Austriam invadit.

Neoburgum capitur a Boiis.

Pax cum Ottocaro.

Dubrav. lib. 17.

Ottocari arrogantia illuditur.

Stero.

LEO RATISBONENSIS EPISC. MORITUR. *Epitaph. Leonis apud Hund.*

num superiorem retulit, Sterone repugnante. Leo Ratisbonensis Episcopus 13. Cal. Augusti naturæ debitum exolvit, & mitram Henrico II. è Comitibus Roteneckijs oriundo, reliquit. Hujus propria laus fuit, sopire odia, & integrare amicitias. Principem basilicam, quam igne deturpatam Leo cœperat instaurare, duxit ad fastigium, útque sumptibus par esset, Toparchiam à majoribus acceptam Ludovico Severo vendidit: & quod de sacri ædificij sumptibus superfuit, ad diluendum æs alienum, quo premebatur Episcopium, redimendáque ejusdem bona, quæ præcessores averterant, convertit.

AN. CHRIST. M. CC. LXXIIX. *Dubrav.*

OTTOCARUS ARMA RESUMIT: SÆVIT IN CONSILIARIOS. HENRICUS BOJUS RURSUS AURO CORRUMPITUR.

Dubrav. lib. 17.

Chron. Austral. OTTOCARUS IN PUGNA OCCUMBIT.

VI.

Anno duodeoctogesimo arma resumpta adversus Ottocarum. Domum à nuperâ pacificatione reversum, Cunegundis Regina, superba mulier, ignominiæ, quam maritus in clientelari professione nuper acceperat, intolerans, eum probrosè quotidianis convitijs lacessebat, ne inultam injuriam penes se residere pateretur. Non fuit operosum, hominem iræ alioquin immodicum, tacitóque dolore vindictæ imminentem, accendere. Prima mentis efferatæ flamma erupit in consiliarios, quasi temere, ne facto quidem virium periculo, pacem suasissent, dissuasissent bellum. Pars aulâ ignominiosè ejecti, pars moti dignitatibus & honorarijs præfecturis: tum rescissæ liberorum regiorum desponsationes, quæsitáque nova nomina bellandi. Contractæ ex Bojæmis, Moravis, & Polonis ingentes copiæ: sparsum in Cæsaris clientes aurum, ad fidei corruptelam. Inter hos iterum Henricus Bojus, qui hac escâ delinitus, deserto Cæsare, otium bello prætulit minimè vano perduellionis argumento. Fuit aliquantò spectatior Ludovici Severi benevolentia, qui valida quidem socero, sed sera subsidia adduxit. Eluxit insigniter Boicorum Præsulum in Cæsarem studium: Salisburgensis selectam trecentorum cataphractorum turmam suppeditavit: totidem Ortenburgici sub signis habuêre. Pugna in Marchiensi campo ad Lavam oppidum commissa 7. Cal. Septemb. qui dies in sextam feriam inciderat. Rudolfus Christi patientis & Crucis honori vovit ædem, si victoriâ potiretur. Iturus in hostem, jussit identidem sanctissimum Christi nomen inclamari. Ottocarus contrà, Pragæ vocabulum, & appensum collo peplum candidum, suis tesseræ loco esse voluit. Primo statim conflictu Cæsar periculum ingens adijt, equo, cui insidebat, confosso à percussore, quem Ottocarus magnis promissis conduxerat. Jam nihil erat propius, quàm ut Cæsar in terram effusus, solóque tectus clypeo, configeretur, nisi eum stipatores periculo exemissent. Captus Boëmi emissarius, nec à Rudolfo permissus occidi: quòd crederet, publicæ rei interesse, hominem adeò fortem in vivis servari. Cæsar erectus in equum, póstque discrimen ardentior, ducto in hostem cuneo, ab utroque latere ingentem edens stragem, hostilem aciem disjecit. Ottocarus à Polonorum auxilijs, & magnâ parte Moravorum, Styrorum, Carinthiorum, & Austriorum conductitiorum, quos aliàs imperiorum atrocitate suppliciisque barbarum in modum vexaverat, desertus; inter principia acerrimè pugnans, multis saucius vulneribus occubuit. Rudolfus eum longè maluisset habere captivum atque superstitem. Cum ipso cecidisse scribunt armatorum quatuordecim millia. Albertus Halsius ob egregiè navatam eo bello operam, auctus à Rudolfo Comitis dignitate. Otho Brandeburgicus, Ottocari ex sorore nepos, susceptâ Regni Boëmici tutelâ, res cum Rudolfo sic composuit, ut, quæ pacta fuerant regiorum liberorum connubia, rata manerent, ipse verò Wenceslai ætatem, quousque summæ rei maturus esset, regeret. Hoc anno Conradus Frisingensis Antistes, rebus humanis exemptus, sedem Friderico reliquit. Gainkovense domicilium, castrum olim Comitum Leonbergensium, Ordini militari Teutonicorum Equitum dono datum est. Plumenthalium, quod ejusdem est instituti, videtur esse vetustius.

Chron. Austr. Stero. PAX COMPOSITA. GAINKOVEN ET PLUMENTHAL ORDINIS TEUTONICI.

AN. CHRIST. M. CC. LXXIX. RUDOLFUS HENRICO BOIO ITERUM IGNOSCIT.

Rudolfus Cæsar bello Bojæmico perfunctus, Henrico Bojo iratus, consilia de capiendâ iteratæ perfidiæ ultione agitavit, & propè fuit, ut ipsi patriæque pœnas exitiales inferret: sed Otho, gener Cæsaris, supplex factus socero, obtinuit, ut parenti dignitatis & clientelarum gratia fieret, eâ tamen conditione, ut decederet

parte

parte dotalis provinciæ, quæ ipsi Danubium inter & Anassum pignoris nomine fuerat attributa. Leniùs actum cum Ludovico Palatino, quòd in eum, præter neglecti officij suspicionem, nihil adferretur, & Cæsar suopte ingenio non nesciret, regnorum initia clementiæ temperamento gaudere. Mors Petrum Passaviensem Antistitem passa non est frui promeritâ cultæ in Cæsarem fidei & præstitorum auxiliorum remuneratione. Diem obijt Cal. Maij Tulnæ in Austriâ, & Wicardum Polhaymium accepit successorem, quo etiam anno D. Francisci Sodales ab Henrico Duce Bojariæ in urbe Landishutanâ sedem accepêre. NIHIL MOVET IN LUDOVICUM SEVERUM. AN. CHRIST. M.CC. LXXX.

Anno undeoctogesimo, nobilissima Mospurgicorum Comitum familia cum Conrado ejusce gentis ultimo extincta est. Mospurgicum Comitatum, quâ parte beneficium erat Romani Imperij, Rudolfus Cæsar Ludovico Bojo genero donavit anno sequenti : ita habent Cæsareæ tabulæ, 10. Cal. Septembris datæ Norinbergæ. Plures illustrium Boicæ Dynastarum stirpes sub hæc tempora exaruerunt. Werdensis in Othone finem accepit : Landspergia & Vilsbiburgica in Henricis: Chagensis in Ratoldo : Ahusia sive Landawensis in Hademaro & Rapotone: Henchoviensis in Henrico & Ludovico fratribus : Murnaviensis in Adelaide: Elbrechtkirchia in Babone : Libenavia in Sifrido & Bernardo : Dornbergia in Ehrnhardo : Hadmarspergia in Sibothone. Sic intra non longum tempus auctæ sunt tot familiarum occasu Boicorum Principum opes atque potentia. Hoc item anno Fridericus Salisburgensis Archiepiscopus sacrum conventum egit, cui interfuêre minores Pontifices, Frisingensis, Ratisbonensis, Passaviensis, Brixinensis, Chymensis, Secoviensis, & Lavantinus. AN. CHRIST. M.CC. LXXXI. COMITES MOSPURGICI EXTINCTI. ALIÆ FAMILIÆ PARITER DESIERUNT.

Hiems peracerba acrem huic anno famem invexit. Sub exeuntem Februarium præalta nix terram sic obruit, ut ne culmina quidem villarum apparerent. Neque dum desierat sævire tempestas insolens 16. Cal. Augusti, quando Frisingâ Longavium usque humus nive incanuit, mortalibus portentoso malo stupentibus. Exusta frigore sementis, spem omnem colonis futuræ messis abstulit, eóque redegit annonam, ut complutibus optimatum nulla fuerit panis primarij copia, & nobilium mensis sordidus ex avena fuerit adhibendus : unde facile est æstimare promiscuæ multitudinis inediam. Quo tempore patratum est apud Altahenses atrox crudelitatis exemplum. Volcmarus Abbas egregiè pius, obsérvánsque religiosi instituti; quorundam è suis alumnis, ob exactam prisci moris disciplinam, odium incurrerat. Odium evasit in litem, quæ delata est ad Romanum tribunal à discolis cœnobitis. Volcmarus suam causam non deseruit, neque desertus est à Pontifice. Inter hæc nonnullorum è Monachis suasu, ab externis diripitur Monasterium: campanæ, & quicquid in sacrario erat alicujus pretij, à rebellibus divenditur, vel acceptâ pecuniâ oppigneratur fœneratoribus. Neque hîc stetit impietas. Abbatem Danubium traijcientem tres refractariorum cognati, cum nonnullis alijs, telis conficiunt : jumenta cum sarcinis avertunt : occisi corpus à Werdâ, ubi commissum scelus, Tundorfium usque supernatavit undis, non sine prodigio & indicio sanctitatis. Collectum cadaver probiores Monachi in æde D. Kiliani honorificè condiderunt. Pœna mox sicarios est à tergo secuta. Henrici Ducis jussu habitâ de nefariâ cæde quæstio. Duo è latronibus Straubingæ acti in rotam: duo affixi patibulo, duo carnificis ferro obtruncati. Hoc anno (quod constat ex publicis Henrici Ratisbonensis Episcopi tabulis datis 14. Cal. Augusti) Zythopœi (quos vulgus vocat braxatores) Ratisbonenses sese sponte Ludovici Severi tutelæ submiserunt, addicto in annos singulos centum viginti argenti librarum tributo. VII. HIEMS ASPERRIMA ET DIUTURNA. *Hund. in Metrop. pa. 18.* FAMES. *Stero.* VOLCMARUS ALTAHENSIS ABBAS CRUDELITER INTERFECTUS.

Superioris anni sterilitatem excepit ingens hominum pecudúmque mortalitas, cum tantâ funerum multitudine, ut, cùm sepulchreta innumeros non caperent, plurimi fuerint evehendi in agros, & profano cespite condendi. Rudolfus Cæsar nihilominus comitia egit Augustæ, in quibus solenni ritu Albertum filium, Ducem Austriæ & Styriæ, Carnioliæ, Portus Naonis, & Marchiæ Vindorum; Rudolfum verò natu minorem, Ducem Sueviæ creavit. Læta hæc tristis casus mœrore acerbissimo funestavit. Hinrannus Comes Rudolfi filius, cum sedecim nobilibus AN. CHRIST. M.CC. LXXXII. PESTILITAS INGENS.

bilibus secundo Rheno navigans, aquis haustus, luctum incredibilem Cæsari attulit: erat Princeps indolis præstantissimæ, & natus ad res maximas. Jam anno superiore Anna Rudolfi conjunx moriens ingentem dolorem marito pepererat. Ita, ut fit in rebus humanis, bono Cæsari DEus prospera adversis temperabat.

HINRANNI CÆSARIS FILII MORS.

AN. CHRIST. M. CC. LXXXIII.

Post anni præcedentis pestilitatem, belli terror Boicæ incubuit ex hac causâ. Catharinâ Henrici Boij conjuge Cæsaris filiâ defunctâ, Albertus frater Austriæ Dux eam provinciam, quam inter Danubium & Anassum soror dotis nomine acceperat, quæque ante quadriennium, ob initam cum Ottocaro Bojæmo conspirationem, fuerat Henrico detrahenda, repetebat velut pertinentem revolutámque ad Austriæ Ducatum. Eam, cùm Henricus ostenderet se voluntate non redditurum, Albertus putavit armis esse extorquendam. Quam ad rem cum Friderico Salisburgensi, qui jam aliàs hostilia meditabatur in Henricum, paciscitur belli societatem, & Ludovicum Severum sibi conciliat, ne in fratris causam ingrediatur. Rebus ita comparatis, castra movet in Welsensem agrum, augétque copias Salisburgensibus auxilijs. Res spectabat ad certamen (ut inter cognatas acies) apprimè truculentum. Ne ad hujusmodi extrema veniretur, Menhardus Tirolensis, recens à Cæsare creatus Dux Carinthiæ, Henricus Ratisbonensis, & Godefridus Passaviensis pacis sequestres effecêre; reductâ inter dissidentes æquabili concordiâ, à quâ qui prior resiliret, ad mille librarum pœnam teneretur.

ALBERTUS AUSTRIÆ DUX BELLUM PARAT IN HENRICUM BOIUM.

LIS PER SEQUESTRES FINITUR.

AN. CHRIST. M. CC. LXXXIV.

Annus posterus Friderico Salisburgensi fatalis fuit 7. Id. Maij. Rudolfus Hoheneckius Cæsaris Cancellarius, summâ totius Collegij consensione, ne uno quidem refragante, in defuncti locum est cooptatus, & à Rudolfo Cæsare per Legatos Martino Pont. Max. commendatus, qui negotium dedit Constantiensi, & Aichstettensi Episcopis, unà cum Abbate Salmsweilensi, ut authoritate Apostolicâ de ejus moribus, eruditione, & prudentiâ cognoscerent, & si quidem ab ijs satis instructum comperirent, sacris Pontificijs curarent initiari. Initiato Martinus morte præventus pallium conferre non potuit, sed id curæ reliquit Honorio IV. successori, gente Romano, insigni Germanorum fautori.

FRIDERICI SALISBURGEN. ARCHIEP. OBITUS.

IIX.

AN. CHRIST. M. C C. LXXXV.

Archiepiscopus, ut Pontificatus initia pace firmaret, cum Henrico Bojariæ Duce collocutus, eum Ecclesiæ suæ, quippe quæ à Boicis Principibus esset amplâ dote, ditionisque magnâ parte liberaliter erecta, Patronum agnovit: recitatæ quoque sunt nuper sancitæ cum Friderico pactiones, quas Henricus non eâ, quâ par erat, sinceritate servavit, male functus munere boni tutelaris. Inducias fecerant usque ad Septembrem exeuntem, cùm interea temporis Müldorfium, civitas Salisburgensis imperij, casu, an dolo conflagravit. Pene adhuc fumantem Henricus obsedit. Archiepiscopus inopinato nuntio præter omnem spem excitatus, Græcio, quò se contulerat, citatis itineribus Salisburgum reversus, tumultuario delectu populares armat, & erumpens in Boicam, longè latéque populationibus, flammis grassatur. Henricus Müldorfio potitus, jam erat in procinctu, ut grassanti armatus occurreret, cùm Ludovicus Severus frater, pacis interpres reconciliat inducias usque ad anni sequentis Februarium ineuntem. Sic ferro utrinque condito, minax tempestas est discussa, & iræ tantisper sopitæ.

HENRICUS BOIUS MYLDORFIUM INVADIT. ARCHIEPIS. SALISBURG. VASTAT BAVARIAM. PAX INITUR.

Major imminebat terror à Tartaris infusis in Ungariam, innumerabili multitudine per undecim milliaria singulis castris sparsi, altè ante se agebant formidinem, jámque remotioribus gentibus, perinde atque olim metuenda Hunnorum, Vandalorum, aliáque Borealium nationum examina, ingentes creabant curas. Sed Numini visum non est, eam pestem longiùs penetrare. Ulteriora petentibus nix, imbres insueti, cœlo jactæ grandinis procellæ iter interclusêrunt, redegerúntque in eas angustias, ut quocunque se verterent, nihil nisi mortem, ingentésque suorum strages experirentur. Quibus elementa pepercerunt, à circumfusis quaquaversum Christianorum copijs supremâ clade deleti, ijs duntaxat exceptis, quos fuga neci exemit.

TARTARI INFUSI IN UNGARIAM. *Eberhard.*

OCCIDIONE DELETI.

Per id tempus nefandum scelus à Judæis Monachij commissum. Emerunt à sceleslâ vetulâ infantem, quem suæ crudelitati, & inveterato in Christum odio litarent.

tatent., Innocentulo truculenter lancinato cum sanguine vitam expresserunt. Ut prima successerant, accensa luporum insatiabilis rabies sitisque sanguinis Christiani, alteram tenelli pueri victimam à trivenefica lamiâ facili sibi pretio comparavit. Jam ad lanienam puer raptabatur, cùm ipsius parens interveniens, scelestissimæ lupæ prædam excussit. Proinde habitæ à Magistratu quæstiones, haud operosè à trifurciferâ utriusque plagij confessionem extorserunt, unà cum indicio patratæ ab Hebræis carnificinæ. In lamiam capitali supplicio animadversum. In Judæos urbs tota sævijt, concursu undique facto ad consceleratæ gentis excidium. Comportatis lignis, subjectæ faces sanguinario olidorum verporum larario, & quicquid contrà niterentur Senatus urbici stipatores, non antè accensæ plebis furor posuit, quàm centum octoginta putidissimæ nationis latrones flammis ultricibus essent exusti. HEBRÆI MONACENSES OB INFANTEM EXCARNIFICATUM GRAVITER PLEXI

Eodem anno feliciore fato Godefridus Passaviensis Episcopus, gente Westphalus, Rudolfo Cæsari ab Epistolis functus est: Bernardus Brambachius Austrius ejus loco infulas induit. Hoc quoque anno, Sigeburgi, dictatæ à Rudolfo Cæsare severæ in rixosos leges, quarum hæc sententia; ut, quisquis ferrum in alterius caput stringeret, telúmve aliud intenderet, præcisâ manu mulctaretur: si cædem faceret, capite plecteretur: qui patrato facinore profugeret; patriâ, fortunis omnibus, & refugio ubicunque locorum careret: qui profugum tecto reciperet, Cæsaris arbitrio lueret: nemini fas esset arma bellica, nisi bellum esset, gestare, jus tamen esset vim vi repellere. GODEFRIDI EPISC. PASSAVIENSIS OBITUS. LEGES ADVERSUS RIXAS.

AN. CHRIST. M. CC. LXXXVI.

Actus deinde Augustæ Vindelicorum Imperij conventus, in quo compositæ Salisburgensis Archiepiscopi & Henrici Bojariæ Ducis discordiæ. Salisburgensi Müldorfium anno sequenti restitutum: mandatum Sueviæ & Bojariæ prætoribus, ut grassatores, quos spes impunitatis & inveterata licentia magno Reipub. damno animabant, severis quæstionibus suppliciisque comprimerent. Additi Boicis Prætoribus judicij capitalis quatuor viri, Winhardus Rorbachius, Conradus Wildenrodius, Wichnandus Iringoburgicus, & Ulricus Rormosius: in Sueviâ totidem constituti, qui istiusmodi tribunalia suâ authoritate firmarent. Quo tempore receptus usus, ut publicæ tabulæ, quæ antea Latino sermone scribebantur, vernaculâ linguâ ederentur. Disceptata per id tempus, quæ Boijs & Suevis intercedebat, controversia de reis ex delicto capiendis: ut si Suevus in Boicâ cædem aut furtum, aliúdve facinus pœnâ dignum admisisset, aut vicissim: an Suevo Bojum, & Bojo Suevum vincire fas esset. Cæsar litem, adstipulante Ludovico Rheni Palatino, lege diremit; neque comprehendendum à Bojo Suevum, nec contrà; sed delicti cognitionem & correptionem per utriusque provinciæ delegatos, quos pacis conservatores vocabant, conjunctim esse faciendam. Quâ de re extant litteræ hoc anno à Rudolfo & Ludovico Palatino, 7. Id. Februarij datæ Augustæ Vindelicorum. Quæ inter Boicæ Principes Ludovicum & Henricum de regundis finibus & provinciarum partitione, ad concordiam, aliquot annis sancita sunt, non sunt ejus momenti, ut nostro ævo, quo Principatus indivisus ex Majorum providentiâ stat penes unius dominatum, operæ pretium sit ea recensere. Id argumentum nobis sæpius sequentibus sæculis recurret. PAX SALISBURGENSIS. *Avent. l. 7. Hund. in Metrop.*

IX.

PUBLICÆ TABULÆ COEPTÆ SCRIBI LINGUA VERNACULA. LEGES DE REIS EXTERIS CAPIENDIS.

Longè dignius Annalium memoriâ grande vulnus, quod Romano Imperio hâc tempestate illatum est, quando Regnum Italiæ cœpit emergere in solito majorem libertatem. Lucenses, retento Imperij fidelium nomine, eam duodecim aureorum millibus, Rudolfo Cæsari depensis, emerunt. Florentini dimidio minoris: Genuenses etiam in libertatem pretio asserti: aliæ civitates super alias venêre in manus Italicorum Principum, cùm nec expediret populis esse sine freno, nec bene è longinquo regerentur; nec ferrent totam libertatem. Enimvero Rudolfus, tametsi crebrò orat à Pontificibus invitatus in urbem, adduci tamen non potuit, ut ad capessenda tum Longobardiæ, tum Romana insignia, more majorum, in Italiam transcenderet. Solebat Phrygis fabulam identidem memorare, quæ de Leone & vulpe est: cùm hæc ad ineundam familiaritatem, & subeundum ITALICÆ QUÆDAM URBES EMUNT SUAM LIBERTATEM. *Cuspin. pag. 444. Blond. Dec. 2. lib. 8. an. 1285.* RUDOLFUS AVERSATUR PROFECTIONEM ITALICAM.

Leonis spelæum solicitaretur, responderétque, se quidem ingredientium animalium multa vestigia observare, sed nulla regredientium: quo apologo Cæsar insinuabat, quantis periculis & dimicationibus Imperatores Italiam petijssent; quàm rari sine clade pedem retulissent. Inter hæc Gotscellensis basilica Canonicorum D. Augustini Regularium ab Henrico Episcopo Ratisbonensi est dedicata: de cœnobij prima origine nihil mihi est compertum.

Hund.

AN. CHRIST. M.CC. LXXXVII.

Hic & sequens annus Boijs fratribus nonnihil fuit inquietus ob recurrentes identidem de herciscundis familiæ juribus dividias: quæ tamen steterunt intra arbitrorum disceptationes, quibus suam quoque authoritatem Cæsar interposuit. Ut ne à pacta concordiâ, quæ rara est inter fratres, discederetur impune, data utrinque pignora, & Ludovico quidem Falckenstainium, arx Boicæ Transdanubianæ, Boëmiæ & Hercinio nemori contigua, Mainburgum, & Sternstainium: Henrico verò Grunberga, Rosenheimium, & Pfreimbda: quæ tamen cautio non prohibuit, quò minùs anno proximo cædium rapinarúmque quæstiones Ratisbonæ haberentur, ubi Principes Augusto mense convenerunt. Pax ne dissiliret, effectum est moderatione & sapientiâ arbitrorum. Eodem conventu constitutum utriusque Principis consensione, ut jus fásque foret subjectis amborum, arma consociare contra Boëmos, si quando vim Boicæ inferrent: item neutri fratrum fore fraudi, si alteruter, patriam defendentibus se Ducem offerret. Hoc anno Straubingam arsisse comperio.

AN. CHRIST. M.CC. LXXXIIX.

AN. CHRIST. M.CC. LXXXIX.

Et verò propè fuit, ut bellum ab Alberto Austrio totâ Boicâ accenderetur. Cognoverat, itinera viatoribus terrâ fluminéque in Austriam commeantibus ex arce Falckensteiniâ reddi infesta. Ut grassatores compesceret, citra aliud maleficium, expulsis prædonibus arcem redegit in suam potestatem. Causa non improbabilis modum vindicandi probavit, ne ad arma veniretur. Albertus damnis gravioribus certavit cum Rudolfo Salisburgensi Antistite. Hic Austrio Duci castrum quodpiam exciderat: quæ res ipsi caro stetit. Præter alia detrimenta, arx Pfandorfia quatuor turribus pro istius ævi ingenio firmiter munita, haud procul à Judenburgo, expugnata & æquata solo: civitas Frisacensis vi occupata, vastata flammis, exuta mœnibus.

Rudolfus Archiepiscopus, ne bellum prosequeretur, morte prohibitus est, quæ eum 3. Non. Augusti abstulit. Is anno superiore D. Virgilij reliquias, Idibus Novembris, celebri pompâ, quam cohonestârunt Ratisbonensis, Passaviensis, Gurcensis, & Secoviensis Episcopi, in locum ornatiorem transtulerat. Defuncto Nicolaus IV. Pontifex successorem dedit Conradum Vanstorfium Episcopum Lavantinum, rejecto Stephano Henrici Boij Ducis filio, quem, vixdum agentem ætatis annum vigesimum primum, Canonici postulaverant. Hoc anno S. Salvatoris domicilium, quod Monachi Osterhovenses eatenus possederant, D Norberti sodalibus est attributum.

AN. CHRIST. M.CCXC. X. HENRICUS DUX MORITUR.

Rudolfi Salisburgensis funus secutus est obitus Henrici Ducis Bojariæ. Adstitêre ad ultima properanti Henricus Præsul Ratisbonensis, & Wernerus è S. Francisci familiâ sacrarum litterarum interpres, quorum monitis & piâ exhortatione, ad supremam luctam egregiè animatus, jussit omnibus, quos aliquando læserat, satisfieri accuratè. Postremis ceris mandavit, Othoni filiorum natu maximo fratres Ludovicum & Stephanum subesse, vetuitque, ne ante exactum quadriennium provinciam inter se partirentur. Sepultus est, uti imperaverat, Landishutæ in Vallis Felicis parthenone. Sed neque Ludovici Severi domus luctu caruit. Ludovicus, quem ex Anna Silesia tulerat, cum ingenti dolore renovavit mœrorem de morte alterius filij, qui anno LXXXII. Rheni fluctibus absorptus, vivere desierat. Ludovicus, adolescens indolis præstantissimæ, Norinbergæ in hastiludio, à Craftone Hohenlojo confossus est, hastâ in lethale gutturis vulnus exerrante. In diem decimum supervixit. Raro modestiæ exemplo, voluit in Nosocomio inter pauperum sordes emori, ratus, se ex tali paupertatis palæstrâ feliciùs, quàm ex splendidissimâ Regiâ, ad æternitatis triumphum migraturum. Furstenfeldæ in ma-

LUDOVICUS SEVERI FILIUS IN HASTILUDIO OCCISUS. EIUS PRÆCLARÆ VIRTUTES.

in matris conditorio petijt tumulari. Tantâ fuit animi demissione & rerum humanarum despicientiâ, ut videretur sui pretium, & natalium honores ignorare. Ut insignem temperantiam in arcano haberet, ferè abstemius frigidam ex aureo cratere bibebat: utebatur cæteroqui mensâ frugali, quæ non voluptati, sed necessitati, ad servandas corporis vires, serviret. Ingens illi erat omnis obscœnitatis odium & ignoratio. Tot tantæque virtutes magnam de eo spem concitârant, & videbatur, si quem nactus fuisset dominatum, tali Principe felix futurus & fortunatus. Biennio antè, quàm è vivis abiret, in omnem eventum, Moguntiæ, testamentum condidit, quo (si quidem patri foret superstes) paternos liberos ortos è tertijs nuptijs, sibi in herciscundâ hæreditate volebat coæquari, & pariter admitti ad omnia jura succesionis.

Otho ipsius patruelis, initia sui in Boicâ secundâ Principatus pacis artibus nobilitavit, permisso litium arbitrio Henrico Episcopo Ratisbonensi, cujus judicia, ob spectatissimam viri sapientiam & æquitatem, eâ tempestate, perinde atque divina oracula colebantur. Otho cum Ludovico patruo, ad stabiliendum pacis otium, bis hoc anno congressus est: semel Frisingæ ad 15. Cal. Julias: iterum Ratæ 3. Non. Octobris. Fuêre inter constituendæ tranquillitatis leges, duæ præcipuæ: prima, ut, si pacem contingeret abrumpi, quisquis sacerdotem ullum, vel sanguine nobilem faceret captivum, illius arx gentilitia, domúsve solo æquaretur, facinoris author solum mutaret, maneréque extorris, donec Principis voluntate, in patriam reciperetur. Altera; ne nobiles in se mutuis cædibus digladiarentur. Itum quoque obviam dissensioni, quæ inter Ludovicum Severum & Collegium primarium Ecclesiæ Frisingensis gliscebat. Causa erat, quòd Ludovicus per Episcopi absentiam, Frisingæ jecisset recentis arcis fundamenta. Quamobrem Canonici metuentes, ne nova munitio aliquando fraudi foret civitati, vel Episcopatus jurisdictioni, controversiæ arbitrium Ratisbonensi Episcopo detulerunt, qui videtur pronuntiâsse secundum Ludovicum. OTHO PACIS STUDIOSUS. LEGES IN PACE SERVANDÆ.

Hoc anno Rudolfus Cæsar ultimam vitæ lineam attigit, pridie Calendas Octobris, Germersheimij: ita habet Argentinas, & Epitaphium ejus Mausoleo Spiræ incisum. Vixit annos tres & septuaginta, rebus pro bono Imperij gestis clarissimus. Tali avo materno meritò Principes Boicæ, quotquot hodie magnis fulgent virtutibus, gloriantur: sunt enim orti ex Ludovici & Mechtildis Rudolfi filiæ illustrissimo sanguine. Erat Rudolfus formâ decorâ, dignâ Imperio, artubus bene compactis, capite mediocri, rarâ cæsarie, naso aquilino, cibi potúsque mirâ moderatione, prudentiâ & animi magnitudine incomparabili, pietate singulari; quatuordecim de hoste victorias retulit; unde Victoriosi nomen est consecutus. Paulò ante mortem, Francofordiæ in Principum comitijs egerat de Alberto filio, Duce Austrio, in Regni collegam adsciscendo; quod cùm non impetraret, sedatè tulit repulsam. Et verò Alberti plurimùm intererat Regni accessione muniri adversus conspirationes, quæ Styris authoribus in eum cudebantur. Ingenti ille flagrabat invidiâ, quòd in producendis provehendísque Suevis esset justo liberalior; in Austrios verò, Styros, & alios, non modò parcus & astrictior, sed etiam austerus, qui Aularum scopulus est, & Principum non infrequens naufragium. Querimonia erat, Suevis cedere opes atque honores, alijs obsequiorum onera & tributorum præstationes. Animos faciebat conjuratis, quòd Albertus nondum pacem fecerat cum Archiepiscopo Salisburgensi, qui in demortui locum causámque successerat, speraréntque haud fore sibi difficile, contractâ cum ipso, aliisque finitimis armorum societate, suas firmare vires, eò quòd extincto Cæsare, minùs esset à Regno Germanico metuendum, vitio mortalium, quorum rara est benevolentia in demortuos. Ergo cum Ungariæ Rege fœdus ineunt, addictâ in præmium & stipendij vicem Marchiâ Vindorum, si bellum ex voto caderet: simul trahunt in partem conspirationis Conradum Salisburgensem, eíque dant negotium addicendi Othoni Bojariæ Duci Styriam; Boëmo Austriam inferiorem: Superiorem verò Salisburgensi despondent, inani captæ nondum feræ & alieni corij partitione, quæ nexa ex eventu infaustum erat exitum sortitura. AN. CHRIST. M.CC.XCI. RUDOLFI HABSBURGII MORS. *Cuspinian.* ALBERTUS RUDOLFI FILIUS AUSTRIIS EXOSUS.

 Primi

An. Christ. M.CC. XCII.

Primi inter conjuratos fuerunt Hardindus Wildonius & Fridericus Stubenbergius, qui aliique omnes in hoc magnopere desipiebant, quòd præcoci audaciâ, imparati, milite nondum adlecto, nedum sub eadem signa auctorato, alij ante alios prædæ futuri intempestivè bellum ostentârunt. Stubenbergius ausus est Alberto per fecialem abnuntiare amicitiam & clientelam, palámque significare, se nullum, præter Othonem Bojariæ Ducem, patronum agnoscere. Haud multò pòst Salisburgensis, & Otho, correptis armis, missóque ad Albertum Burchardo Ellerbachio, qui hostilia denuntiaret, rigente hieme, diversis profecti itineribus, ac deinde conjuncti, Rotemannum oppidum invadunt, claustra ab Admontensis Præsulis excubitoribus insessa expugnant: Admontium Cœnobium, & Leubenum ad Muram diripiunt, Pontenses obsident, & inde ab Alberto, qui laborantibus in tempore succurrit, depulsi, turpem fugam arripiunt. Subinde, Ludovico Severo interprete, paciscuntur inducias, eodémque authore componunt pacem brevi dissolvendam.

Coniurati in Austrium,

Pacem faciunt.

Imminebant Augustalia comitia, quibus agendis Francofurtum erat destinatum. Albertus illuc iturus, Monachij sororem Mechtildem salutavit, plenus bonæ spei, se non Imperij candidatum, sed Regem ad eam regressurum, quòd de aliquot Principum in se studijs nihil ambigeret, crederétque, se aliorum suffragia haud difficilè sibi conciliaturum. Verùm Gerardus Eppenstainius Archiepiscopus Moguntinus, vir in paucis solers ac versutus, qui pro Adolfo Nassovio Comite, suo consanguineo nitebatur, & Sigefridus Coloniensis multis ab eodem affectus beneficijs, cunctorum ferè Electorum vota traxêre in suam sententiam. Otho Bojus, per Legatos comitijs adfuit, denunciavítque Patribus, se, quemcunque illi Cæsarem crearent, modò ne is foret Albertus Austrius, optare. Ergò cùm Electores plerique sua suffragia Moguntini arbitrio permisissent, Adolfus, sexto post Rudolfi excessum mense, Rex est renunciatus, & è vestigio ductus Aquisgranum, auguralibus cæremonijs à Sigefrido Coloniensi est initiatus. Ipsius quoque conjunx Imagina Limburgica eodem tempore est coronata. Adolfus bonam ætatis partem egerat in aulâ Cæsaris Rudolfi, dederátque jam dudum specimen virtutis militaris, quinquies victor acie explicatâ, totidémque Ducis Brabantiæ Legatis interemptis. Quod illi tantam nominis existimationem comparaverat, ut ejus opera à quibusvis Principum maximis ambiretur. Cùm totus esset in belli studijs, id datum illi vitio, quòd militiæ bene peritos, eorúmque consilia, rei politicæ gnaris, eorúmque authoritati anteferret, quod magnam illi invidiam peperit apud homines togatos, quorum industria libentiùs in umbrâ, quàm in castris versabatur.

Adolfus Nassovius Rex creatur,

Magnum Belg. Chron.

Ludovicus Severus suspectans annorum insequentium motus, qui ob istiusmodi novi Principis extraordinarium ingenium, non immeritò (quod mox videbimus.) poterant timeri; cum Eberhardo Wirtenbergico Comite fœdus inijt mutuæ in quosvis hostes defensionis, exceptis Oetingensibus Comitibus Eberhardo sanguine conjunctis, & Gebhardo Dynastâ Hirspergio, contra quem Wirtenbergius auxilia quidem pactus est, sed eâ lege, ut Otho Bojus adversus patruum & patrueles Hirspergium tueretur. Quo tempore Otho Bojus à Friderico Heinbergio excitatus, Ludovicum Menhardi Tirolij filium à suis proditum, nocturnâ in oppidum S. Viti irruptione fecit captivum. Credebatur Menhardus ulturus esse injuriam; sed Elisabetha Alberti Austrij uxor, Ludovici Boij ex sorore neptis, magni animi, & prudentiæ singularis fœmina, Ludovici captivi soror, vindictæ intercessit, verita, ne, si bellum in majus erumperet, difficilior evaderet pacis reconciliandæ, & Ludovici fratris liberandi facultas. Subinde Albertus Austrius domum reversus, Menhardo auctor fuit, ut veterem cum Boijs amicitiam, filiique libertatem bello præferret. Pacis conciliatorem Lintzij egit Ludovicus Severus, eò studiosiùs, quòd magnam sibi tempestatem ab Adolfo Cæsare videret impendere, ex causâ neutiquam probabili, & Gerardi Moguntini incentivo.

Ludovici Severi foedus cum Eberhardo Wirtenbergio.

Archivum Elect.

Otho Bojus Ludovicum Tirolium facit captivum.

An. Christ. M.CC. XCIII.

Adolfus, in illustri Principum comitatu, secundo Rheno navigans, Furstenburgum, Ludovici arcem prætervehebatur. Portorij exactores, ignari quinam navigarent vectores, vectigal exigunt, passique repulsam, tela spargunt in navem, atque unum è comitibus Cæsaris lateri adsidentem vulnerant: tum cognito, quibus negotium facessissent, trepidi mœrentésque errorem deprecantur supplices. Quò minùs Cæsar precibus haberet fidem, Moguntinus invidiosissimâ criminatione obstitit, obduravítque aures Cæsaris, traducendo Severum Ludovicum, quasi ejus jussu, ex insidijs, & de industriâ; tela missa fuissent in caput Cæsaris, utique feriendum, nisi propitium Numen eum texisset: mirum non esse, vitæ Cæsaris eum insidiari, qui inviderit ejus electioni. Turpis valde Principi credulitas, cui suavior est vox accusatoris, quàm rei defensio. Fidem reperit calumnia. Ludovicus majestatis ex tempore, indictâ causâ, damnatur, declaratúrque hostis Reipublicæ: Palatinatus Rhenanus prædæ vicinorum Electorum permittitur: spernuntur Comes Oetingensis, & Burgravius Norinbergensis, Ludovici oratores: ipsi Ludovico vix dantur aures, sanctissimè juranti, se prorsus inscio, quamlibet gravem errorem contigisse. Id cùm fronte imperterritâ impavidus constanter asseveraret, serena mens, & recti conscientia ipsi pro clypeo fuit, fecítque, ut Cæsar iras in potestate haberet. Adolfi Cæs. periculum. Ludovici Severi accusatio.

Accessit Ludovico haud spernenda felicitas, quæ hoc anno auri venam in montibus Heidelbergensibus aperuit; at illa major, quæ ad ultimas animi rationes, exactè pro æternitatis ingressu componendas, mortis imminentis tempestivè memorem induxit. In Boicâ, quasi brevi migraturus, omnes levioris momenti causas, ex Henrici Ratisbonensis Episcopi sententiâ, exquisitè discussit, conclusítque cum magnâ Ecclesiarum & sanctioris ordinis utilitate. Leges condidit, quibus incendia, latrocinia, prædonum licentia, aliáque publici otij turbamenta, reprimerentur. Boicâ probè ordinatâ, Heidelbergam redux, morbum contraxit, partibus, quas pudor & natura tegunt, vitiatis. Cùm præ verecundiâ remedia opémque medicorum refugeret, malum evasit immedicabile. Ad ultima tendenti Bertoldus D. Francisci alumnus, noxas confitenti aures dare solitus, animo procurando incubuit. Eo consultore ac teste dictavit supremas tabulas 4. Cal. Februarij, quibus jussit restitui Ecclesiæ Frisingensi castrum Mospacense: compensari Monasteriorum, & aliarum Ecclesiarum damna: ad quadriennium nihil collectarum exigi de earum bonis, quò faciliùs illa ad culturam frugémque possent revocari. Ubi culta forent, jussit levari aliquâ parte tributorum. Totidem annis imperavit agros, colonos, monasteria Weissenbrunnense, Thierhauptense, Biburgense, Monasteriense, Diessense, Kuebacense ab omni exactione, aliarúmque præstationum onere esse immunia. Udalricum Rotemosium olim Vicedominum, Cunegundem ejus conjugem, & Ulricum filium unà cum uxore, vinculis, quibus attinebantur, absolvi: Ramungo Camerstainio ablata restitui: Monasterio Furstenfeldensi, in quo condi voluit, quantum donari oporteret, reliquit arbitrio Mechtildis Principis: præcepit refundi damna quibusvis illata per suos hæredes. Quæ tabulæ confectæ sunt Haidelbergæ Anno M.CC.XCIV. Cal. Januarij, quo die naturæ debitum exolvit in eodem conclavi, in quo ante annos sexaginta quinque primam lucem aspexerat. Morti proximus, annulum pronubum digito detractum, Mechtildi charissimæ conjugi, Monachij id temporis agenti, voluit deferri pignus fidei amorísque conjugalis. Fuit Princeps verè magnus, pacis, ubi ubi licuit, fundator, pietatis promovendæ, in Boicâ præsertim, apprimè studiosus; uno duntaxat uxoris necatæ nævo aspersus, quem magnis utique virtutibus eluit. Monachij & Ingolstadij D. Francisci Patres locavit: Angeranam ejusdem Ordinis ædem, quam Frater Castinus è primis Patris Seraphici discipulis eousque incoluerat, sacratis istius instituti Virginibus tradidit. D. Augustini Eremitarum cœnobium hoc anno ab ejus filijs cœptum est ædificari. Justa illi funebria Furstenfeldæ persoluta, Episcopo Frisingensi & Ratisbonensi, solenni ritu operantibus.

Auri vena. Severus se ad bene moriendum comparat. Eius morbus. An. Christ. M.CC. XCIV. Testamentum. Obitus. *Vide superiùs ann. 1275.* Monasterium Angeranum. Initia Monasterii Augustiniani, Monachii.

Quibus

XIII. Quibus peractis, pax, quam inter Salisburgensem ipsiúsque fœderatos, & Albertum Austrium conciliaverat, dissilijt, & intempestivo quidem levíque momento. Alberto toxicum inter epulas, nescitur quis, propinavit. Id tantâ malignitate viscera ipsáque præcordia invasit, ut sævientibus torminibus, animáque linquente, neque color, neque vox ægro constaret, integrâ tamen ratione. Fridericus & Albertus Buechaimij nobile par fratrum, quia proximi adstabant mensæ, mox suspicione à præsentibus defiguntur, quasi venenum temperâssent. Illi, ut famæ atque innocentiæ consulerent, nullâ vitæ curâ, in dapes involant, rati, se ijs degustatis, suam probaturos fidem, & contumeliam depulsuros. Verùm Albertus nutu testatus utrumque esse innoxium, manu vetuit facere virulenti ferculi experimentum. Ingens erat interim totius aulæ trepidatio, & medicorum anxietas, quòd judicarent, seram, vel nullam fore vim in pharmacis veneno grassante jam in venas: hoc unum adhibuêre remedium, ut in re propè desperata: jussère Albertum supinis pedibus, capite deorsum suspenso, attolli, quod illi saluti fuit. Nam veneno hâc arte egurgitato, vires & anima semineci redierunt: pallor tamen perpetuò deinceps hæsit in vultu, & oculorum alter extillans, reliquit Alberto lusci cognomentum. Ex mortis adeò propinquæ discrimine subitò fama manavit in vulgus, eum perijsse: unde recruduit Austriorum, Styriorum, aliorúmque Magnatum cupido rerum novandarum, & excutiendi invisum gentis externæ dominatum. Ergo fiunt Crembsij & Stokeravij coitiones, quæ ne tum quidem sunt intermissæ, quando percrebuêre nuntij de recuperatâ Ducis valetudine. In Suevos faba cudebatur, quos conjurati omnino volebant ejectos. Salisburgensis rebellantibus subsidio misit turmam centenariam cum legione millenariâ. Geminæ in Austriâ salinæ vastatæ: Tronavium, recens extructum ab Alberto præsidium, incensum. Dux confirmatâ valetudine, Austrijs civibus diffidens, è Sueviâ copias evocat, à quibus primo statim impetu profligati rebelles: Falckensteinius unus è primarijs, fortunis eversus & proscriptus. Otho Bojus redierat in partem conspirationis. In eum movens Albertus per Styriam, Ratstadium bimestri obsidione frustra tentavit, Boijs, qui suppetias venerant, acriter propugnantibus. Subinde in Alberti castris brumæ rigor & fames cœpit dominari. Quocirca, cùm ultrà non posset, nisi summis incommodis, trahi obsidio, Albertus vasis conclamatis, discessit in Ungariam, genero Andreæ Regi laturus opem. Rebus isthic prosperè gestis, domum redux, Salisburgensem, & Othonem Bojum ultro de pace appellavit, & Suevis in patriam amandatis, sopivit Austriorum quiritationes. Mense Martio pactæ sunt nuptiæ Rudolfi Boicæ Principis, Ludovici Imperatoris germani (quem Ludovicus Severus superioris Bojariæ hæredem unà cum fratre reliquerat) cum Mechtilde Adolfi Cæsaris filiâ, cui pridie Idus Martias Cæsar decem argenti marcarum millia, Ulmæ, dotem addixit. Cæremoniæ geniales mense Octobri, Norinbergæ celebratæ sunt.

Bellum adversus Albertum Austrium recrudescit. Albertus venenum haurit.

Conjurati profligantur.

Bellum paratur adversus Othonem Boium.

Rudolfi Palatini nuptiæ.

An. Christ. M.CCXCV.

XIV. Adolfus Cæsar, litem, quæ inter Clerum civésque Ratisbonenses vertebatur, medio inter Pascha & Pentecosten tempore finijt. Cives urbem novis operibus muniverant, urgebántque Clerum, suam ut symbolam in munimentorum sumptus conferret, quòd sacri peræquè ordinis atque civilis interesset, civitatem mœnibus vallisque defendi. Atqui Henricus Episcopus, Clerúsque se immunitatis Ecclesiasticæ legibus tuebantur, ipsiúsque Friderici Imperatoris sanctione, quæ relata est in feudorum volumen. Gliscebant inter partes inimicitiæ non sine periculo tumultus, si qua vis ab alterutris pararetur. Quare Henricus Cæsarem appellavit, qui juxta Friderici tabulas, secundum libertatem sacerdotum, sententiam vulgavit, jussitque per Episcopum Brixinensem Friderici legem publicè recitari. Post ejusce causæ victoriam, Henricus unum annum, eóque amplius provixit. Diem obijt 7. Cal. Augusti, cùm pridie ad D. Jacobi Apostoli honorem, DEO sacram hostiam magnâ pietate obtulisset. Defuncto Conradus Luppurgius Cal. Augusti est subrogatus, vir mitissimo ingenio, unde à familiaribus Moysis nomen est consecutus. Fuit Henricus in componendis dissidijs insigni prorsus sapientiâ,

Lis de Cleri immunitate.

Ad decus & decorem de usu Feudorum.

A Cæsare finitæ.

An. Christ. M.CC. XCVI.

Henrici Ratisb. Episc. obitus.

pientiâ, & magno rerum usu, quem per undeviginti annos, quibus Ecclesiæ Ratisbonensi præfuit, sibi paravit: quo fiebat, ut Boicæ Duces illo causarum suarum arbitro ut plurimùm uterentur. Ut quotidie renovaret mortis instantis sibi memoriam, per annos duodecim, urnam mortualem semper ad lecti spondam habuit, & sepulchrum totidem ante obitum annis adornavit. Per annos sedecim, certo die, prout defunctis solet, sibimet ibat exequias anniversarias. Primus musici concentus usum Ratisbonam invexit: ditavit Cathedrale sacrarium pretioso eóque multiplici divinorum officiorum instrumento. Lustrabat ipse Monasteria, redigebátque singula ad primævum institutum. *Primus* (inquit Everhardus) *vinum Latinum*, quod quidem dulce & Italicum interpretor, *Canonicis ad præbendam, tertiis temporibus dari instituit.* Principibus & patriæ pro tutelâ apud DEUM fuit: author pacis, & publicæ custos concordiæ. Subinde Ludovicus Henrici filius, Othonis & Stephani Boicæ Ducum frater, finem vivendi fecit natus annos septem & viginti, nullâ prole relictâ.

Eberhard.

Stero.

Eberhard.

LUDOVICUS HENRICI FILIUS MORITUR.

Rudolfus, qui cum Ludovico fratre, post Severi parentis obitum, Superiori Boicæ imperabat, bellum in Tirolios paravit, nec tamen gessit. Ejusce parandi causa hæc. Adolfus Cæsar ad 8. Cal. Julias Principum conventum indixerat. Plerique adfuêre, præter fratres Tirolios Ludovicum, Othonem, & Henricum Menhardi nuper defuncti filios, qui sacris ultra annum fuerant interdicti. Eorum absentiam Proceres, ipséque Cæsar majestatis contemptum sunt interpretati, excepto Rudolfo, qui in Senatu aliam prodidit causam, cur se domi tenuissent. Nimirum Ludovicus Severus Menhardo Ratenbergam urbem, quæ Oeno est adsita, quater mille & viginti argenti uncijs oppignorârat. Rudolfus, persolutâ redemptione, pignus repetebat, erátque in eo, ut, cùm Tirolij locum, contra suprema parentis mandata, mordicus retinerent, causam ad Cæsaris tribunal deferret. Illi metuentes ne accusarentur in comitijs, &, ut in re manifestâ, cum rubore damnarentur; forum fugiebant, erántque à causâ dicendâ alieni: Enimvero

Avent. l. 7. pag. 727.

RUDOLFUS BOIUS A LUDOVICO TIROLIO ET FRATRIBUS RATENBERGAM REPETIT.

causâ semper in omni
Judicium spoliatus amat, qui possidet, odit.

Gunther. Ligur.

Nihilominus, Rudolfo accusante, dicta contra absentes sententia, & Rudolfo permissum, pignus armis vindicare. Ventum tamen non est ad extrema, sed ad concordiam, mutuâ partium consensione. Soli Monachi Matronæ Montis culpam alienam luerunt, coacti militaribus injurijs, Monasterium D. Petro sacrum, exilio mutare.

XV.

Exinde Rudolfus arma vertit in Wolfhardum Episcopum Augustanum, qui Kaltenbergensem arcem, ante quadriennium à Rudolfo, vivo etiamnum patre, conditam, complanaverat. Id ne esset impune Episcopo, Rudolfus Conrado Haldenbergio negotium dedit sumendarum vindiciarum. Hic Mergenthamiam arcem, noctu in murorum pinnas per fruticeta enixus, ex improviso occupat, munitque manu militari. Cives Augustani contrà correptis armis, ad recuperandum castrum convolant, vim præsidio inferunt, &, cùm eorum insultus fortiter ab obsessis reprimerentur, re infectâ, cum ignominiâ domum redeunt. Rudolfus, compertâ civium hostilitate, velut bello lacessitus, justum exercitum legit, lustrátque Dachavij: sed cùm stipendia non repræsentâsset, militi vivendum fuit ex rapto: direptæ opulentiorum fortunæ; sacra perinde atque profana violata: corrasa undique annona. Quâ de re factus certior, cùm ij, qui Mergenthamiam præsidio tenebant, nihilo facerent æquiora, partes jubet ab armis discedere, & jure, pro Cæsareo tribunali, causam disceptare. Id factum ad Idus Novembreis, quando utrisque imperatæ sunt induciæ.

BELLUM AUGUSTANUM.

Erat tum inter Rudolfi primæ admissionis amicos Otho Crondorferus, obscuro quidem loco natus, sed qui suam fortunam eò usque produxerat, ut, posteaquam per omnes servitiorum gradus irrepserat in Rudolfi familiaritatem, Vicarij dignitatem, qui secundum Principatum primus erat, non sine grandi æmulorum invidiâ sit adeptus. Æmulationes acuit hominis insolentia, avaritia, crudi mores, melio-

OTHO CRONDORFERUS SUSURRO GRAVITER PUNITUS.

meliorum fastidium, sui unius magna æstimatio, cæterorum contemptus, tanta obtrectandi libido, ut Rudolfum ac Mechtildem matrem improbus susurro ausus sit inter se committere falsis ultro citróque delationibus. Fraude deprehensâ, factus est ex opulento miserrimus, Numine ipsius arrogantiam castigante. Conjecto in vincula Dachavij, Rudolfi jussu, oculi effossi, quibus alios despexerat, & lingua excisa, quâ omnibus consueverat insultare. Perijt nemini miserabilis, qui nemini, nisi sibi, per omnem vitam bene voluit.

Cæsaris filii discordes.

Inter hæc Cæsarem vocârunt in Cattos Melibocos domesticæ filiorum contentiones. Majores natu parenti rebellabant, quòd is natu minores, & eos quidem genitos ex impari matrimonio, majoribus in hæreditate sortiundâ & dignitate pares esse jussisset. Ex ijs, qui primus nascendi ordine, Henricus uxoris Rudolfinæ sororem duxerat. Ille cum Cæsare in Hassiam profectus, pacis egit interpretem, eâque compositâ, reversus in Bojariam, Mergenthamiam arcem jussit æquari solo, ne deinceps Bojariæ infesta, novis maleficijs vetera cumularet. Id

Bellum Augustanum recrudescit.

accepêre Augustani pro classico, qui, ubi primùm nuperæ induciæ exierant, icto cum Henrico Burgoviæ Comite & Zornijs fœdere, jussu Augustani Episcopi, quem ætas grandæva domi retinebat, Oberthalam, recens emptam Rudolfi arcem invadunt, & exscindunt. Sic bellorum mala ibant in orbem ad finitimorum perniciem. Rudolfus injuriæ intolerans, confestim è Boijs agit delectus, & ab Othone & Stephano patruelibus suppetias ex Inferiore Bojariâ impetrat, quæ adductæ sunt Stephani Ducis auspicijs. Augustani medio tempore à Fridbergæ obsidione rejecti, igne, ferro, omnem circà provinciam devastant, & armento abacto, Augustam se referunt. Boij paria strenuè reposuerunt, facturi graviora, nisi Cæsar Kissingam armatâ manu delatos, & Vindeliciæ imminentes compescuisset, minitans, se moturum in Bojos, nisi ab hostilibus abstinerent.

An. Christ. M.CC. XCVII.

Factæ eapropter ad anni insequentis initium induciæ, breve admodum frenum licentiæ militaris. Nam vixdum adolescente Januario, Augustani abusi Rudolfi absentiâ, qui ad Rheni confinia discesserat, Bielam, Conradi Wildenrodij oppidum invadunt improvisi, diripiunt, exurunt. Serebantur videlicet causæ maleficiorum. Wildenrodiorum familia, quæ cum Rorbeckijs gerebat veteres simultates, injuriam ijsdem retulit in acceptis, censuitque, non aliter, quàm æmulorum sanguine, posse vindicari. Ulciscendi facinus Conradus Haldenbergius Wildenrodiorum patruelis in se suscepit. Is, cùm Landspergæ Bojorum agerentur de Augustani belli ratione comitia, communicatâ cum Engelscalco Wildenrodio facinoris meditatione, Weinhardum Rorbeckium Conrado Wildenrodio adstantem, multis vulneribus confodit, & patratâ cæde elabitur. Qui sceleris erant affines, è Boicâ profugerunt; occisi fratres Hermannus & Engelscalcus, cæteráque gens Rorbeckiorum opem fidémque Rudolfi Ducis Monachij obtestantes, in publico consessu facti atrocitatem, explicatâ interfecti cruentâ veste, orationéque ad rem præsentem accommodatâ, tantò efficaciùs ostendunt, quantò Wildenrodiorum causa erat ab omni patrono desertior. Igitur in conscios criminis dicta proscriptionis sententia. Conradus Wildenrodius fretus innocentiâ, quippe quo inscio cædis consilium fuerat susceptum, credidit ad se pœnam non pertinere, & citatus vadimonium deseruit, séque tenuit arcis suæ munimentis, donec fide ipsi publicâ cautum est, non fore fraudi crimen alienum, si modò se probaret insontem. Ad dicendam causam admissus, tametsi à patratæ cædis societate & conscientiâ videretur esse liber, tamen occupatis præjudicio cognitorum animis, mulctatus est publicatione bonorum. Kaltenberga, castrum gentilitium, Lechsberga, aliàs à Principibus oppignorata, Rudolfi fisco addictæ: ipse verò solum vertere est coactus. Toleravit exilium, donec in patriam revocatus, donatus est Palatij præfecturâ. Cæteris Wildenrodijs, qui extorres Veronæ stipendia faciebant, profuit Rorbeckiorum inhumanitas, quæ grassata in exulum clientes, Principem flexit ad miserationem, ut patronos ab exilio revocaret. Dum hæc in superiore Boicâ gererentur, Otho & Stephanus Boij fratres, Ratisbonam obsederunt.

Weinhardi Rorbeckii cædes.

Causa

Causa belli non est missa in chartas: id constat, obsessos eruptione factâ Abacense oppidum exussisse: tandémque tamen fame pressos, per Conradum Episcopum in Principum gratiam esse reductos. AN. CHRIST. M. CC. XCVII.

OBSIDIO RATISBONÆ.

Quo bello Boij expediti, longè graviori sese implicuerunt, quod ab Alberto Austrio, quem regnandi cupido nondum defecerat, alieno suasu consilijsque susceptum est. XVI. Adolfus Cæsar, homo bellicosus, & quod superiùs monui, totus armorum tractationi deditus, tametsi pacis artibus non esset imbutus, nihilominus Gerardi Moguntini, sine quo nihil magnæ rei gerebat, ductu, regni initia sic temperavit, ut dignus imperio, populisque non ingratus haberetur. De plebe vix erat, qui ejus mores improbaret; sed non erat idem sensus togatæ nobilitatis, quæ dolens se jacêre, nullóque esse numero, dum omnia Gerardi Moguntinensis manu arbitrióque sursum deorsum verterentur, clancularijs obtrectationibus Adolfo conflabat odium, quasi non ipse regeret, sed à suo Gnathone regeretur, eóque palàm audiret Rex sacerdotalis. Publico nocet, privati hominis famam obstruere luminibus Principatùs. Quamobrem Adolfus, sentiens unius Moguntinensis supercilium detrahere regiæ majestati, quòd is vulgò haberetur regni moderator, regij verò nominis umbra penes se resideret, excussit paulatim istam magisterij nubem: sed quod perinde erat odiosum, totum se adjecit viris ingenij militaris, quod alterum vulnus erat hominum togatorum, quos nihil ista mutatio sublevabat. Imperantibus nullus subjectorum ordo negligendus est, sed suo quisque loco & dignatione habendus, nisi Princeps mancum, ac debile velit esse imperium. Sed & erant præterea, quæ publica studia alienabant: jussorum acerbitas & insolentia: fastidium Principum: tenuiorum contemptus & oppressio: expilationes Ecclesiarum: violentia præfectorum: súsque déque habita promissorum fides, quo vitio nullum est in Principe odiosius: publica adulteria: vis illata pudori virginum, viduarum, sanctimonialium: sordida avaritia, quæ eò vilitatis devenerat, ut suam libertatem venderet Eduardo Anglorum Regi accepto ad bellum stipendio, quod vertit in suos usus, defraudato milite atque ductoribus, in quos accepta pecunia debebat erogari: certè visum est abjectum ac turpe, Romanorum Regem Anglo esse, instar stipendiarij, venalem. Moguntinus interim & occulto dolore, quòd se videret redactum in ordinem, & erectus regiorum flagitiorum odiíque publici adminiculis, induxit animum, fastigio, ad quod Adolfum illaudatis artibus provexerat, speciosioribus deturbare. Quâ de re agitata primùm Pragæ consilia opertanea cum Adolfo Saxone, cum duobus Brandeburgi Marchionibus, ipsóque Boëmorum Rege, cujus tum per Moguntinum agebatur coronatio. Eodem congressu decreta dies, quâ ad maturandam Cæsaris abdicationem Egræ conveniretur. Aliâ ex parte jam conspiraverant in Adolfum, ob intolerabilem regiorum ministrorum duritiem, Argentoratenses, Friburgenses, Bipontini, Comites permulti, Liechtenbergij, Ochsensteinius, Hohenlöus, Alsatiæ Landgravius, aliíque Dynastæ & Principes, in quibus Argentinensis, Frisingensis, Passaviensis, Chimensis Episcopi. Boici Principes immoti perstiterunt in Adolfi fide, nullâ habitâ ratione proximarum cum Alberto Austrio necessitudinum, eò quòd facinoris ultra modum audacis periculo, à rebellandi consilijs absterrerentur.

ADOLFO CÆSARI, A GERARDO MOGUNTINO, *Pfaffenkönig*.

CONFLATUR INVIDIA.

CONSPIRATIO.

CUIUS BOII PRINCIPES FUERUNT EXPERTES.

Quia porrò vix unquam est inter tot conscios arcani silentium: & Principibus familiare est, habere ubique alienorum dictorum factorúmque scrutatores; Adolfus, compertâ conspiratione, Gerardum Moguntinum è Boëmiâ reducem, citra cunctationem bello aggreditur, obstátque, ne conjurati apud Egrenses convenirent. Ita anni reliquum privatis molitionibus est consumptum. AN. CHRIST. M. CC. XCIIX.

Februario demum sequenti, Moguntiæ, Adolfi exauctoratio Procerum voluntate conclusa est, & constitutum, ut Albertus Austrius illi subrogaretur. Hinc bellum, quod Adolfo fuit ultimum ac fatale. Otho Boicæ Princeps illi expeditam trecentorum cataphractorum turmam adduxit: ad castra properanti Albertus Haigerlochus, cum longè numerosiore Suevorum globo se ausus objicere, prope Oberndorfium victus occubuit, cum memorabili suorum strage. Denique expli-

ALBERTUS AUSTRIUS ADOLFO SUBROGATUR.

OTHO BOIUS ADOLFO DUCIT SUPPETIAS.

explicatâ æmuli utriusque acie, signa collata sunt 6. Non. Julij, in agro Wormatiensi, haud longè à Gillenheimio. Pugna ad septenas horas producta, donec Adolfus, sese per hostile agmen fortiter inferens, Alberti manu (ita scribit Argentinas) secundùm oculum sauciatus, à Comitibus Sylvestribus est trucidatus. Ubi Adolfus jacuit exanimis, Albertus victor per præcones edixit, ne ultrà civilis sanguis funderetur. Ei, nemine Electorum refragante, 5. Id. Augusti confirmatum est imperium, & 9. Cal. Septemb. à Wigboldo Coloniensi Archiepiscopo Aquisgrani regium diadema impositum. Mariti honor cum Elisabethâ conjuge mense Novembri Norinbergæ communicatus.

Adolfus acie victus occiditur.

Serar. in Gerardo ex M. S. Mogunt.

Eodem tempore Bernardi Episcopi, & civium Passaviensium lis dirempta. Passavienses cupido incesserat, neglectâ Antistitis sui auctoritate, occupandi, qualem habent liberæ Imperij civitates, immunitatem. Jam cœperant pro arbitrio legere magistratus, usurpare sigillum insigne potestatis, ære campano, præter solitum, Patres vocare in curiam. Hæc protervè obstinantes Episcopus obsedit, mœnibúsque quassatis, adegit, ut pollicerentur, se Cæsaris arbitrio staturos, nec ejus injussu quicquam rei novæ molituros. Damnati à Cæsaris cognitoribus, jussi sunt Episcopo, more prisco, esse obsequentes, & mulctâ luere noxam tentatæ perduellionis.

Passaviensis civitas affectans libertatem, redigitur in ordinem.

XVII.

Stero.

Sævitur in Judæos.

Hoc ipso anno, totâ Franconiâ sævitum est in perfidam Hebræorum gentem. Idem factum Norinbergæ, Rotenburgi, Eistadij, Winsheimij, Perchingæ, instinctu cujusdam Rindfleischij agricolæ, qui promiscuam vulgi multitudinem dementârat, mentitus, se divino monitu ad eam lanienam fuisse incitatum. Accendebat populi furorem sparsus in vulgus rumor, quòd Judæi sanctissimam Dominici Corporis hostiam in mortario contudissent, prolicuissent grandem sanguinis copiam, & quamlibet conati celare crimen, per sacri cruoris exuberantiam essent detecti. Passim fuêre ad rogos protracti, nemine auso pereuntibus opitulari, nisi si quis eadem cum ipsis vellet experiri. Nonnulli Norinbergæ, & Neofori arcibus, alij Franconiæ oppidis recepti, & moliti defensionem, unà cum receptatoribus, & locis, ad quæ confugerant, incendio sunt absumpti. Boij fuêre finitimis clementiores. Ratisbonenses ducti miseratione, neminem unum indictâ causâ passi sunt necari: quæ moderatio, postquam carnificina deferbuerat, vehementer probata est à viris sapientibus.

Eâdem tempestate editum in Boicâ facinus, quod istam laudem magnopere obscuravit. Conradus Nantuinus, vir in paucis pius & innocens, votivis peregrinationibus, quas religionis causâ, ad Divorum ædes, aliáque monumenta sanctitatis, obire consueverat, ex asse addictus, Wolfratshusij divertens, incidit in crudeles hominis avari manus. Fuit hic Guntherus, qui eo loci pro Rudolfo Duce juri dicundo præerat, vir nefarius, & rei etiam ex iniquo faciendæ ad insaniam avidus. Credidit, in paupertinâ peregrini zonulâ latere aliquid, quod verti posset in avaritiæ suæ alimentum. Ut prædam honesti specie raperet, calumniam struxit Nantuino, quasi pueri cujuspiam integritati stuprum obtulisset. In causâ turpissimâ nemo, præter judicem, testis aut accusator. Evicit tamen quadruplatoris auctoritas, ut innocentia virtutis incognitæ damnaretur ad rogum. Et arsit quidem per summam injuriam vir integerrimus, sed non sine luculento probitatis argumento, quod iniquissimus Judex, quamlibet invitus, demortuo impendit. Ad morientis bustum, equo, qui eum vexerat, mirum dictu, in ipso vestigio, pedum oculorúmque usus omnis ereptus est: plectebatur videlicet, in sessoris vicem, jumentum. Id quò redderetur manifestius, domesticorum aliquis ossiculum, in cineribus inter Nantuini reliquias repertum, equo admovet, & ejus attactu, momento visum gresśumque equo restituit. Quo prodigio mortales excitati, vota certatim Nantuino nuncupârunt. Ejusdem cineres subinde collecti in urnam, temploque recepti, non sine frequentibus in visitantes beneficijs, ipsius memoriam ad posteros honorificè transmiserunt. Septem Episcopi publicis tabulis, quæ nomen Bonifacij Romani Pontificis præferunt, concesśere indulgentiarum largitiones celebrantibus, certis anni diebus, Nantuini sepulchrum.

Conradi Nantuini insontis supplicium.

Alber-

Albertus Cæsar anno XCIX. comitia habuit Norinbergæ, quæ frequentârunt Boicæ Antistites Salisburgensis, Frisingensis, Ratisbonensis, Passaviensis. Iisdem interfuit Rudolfus Rheni Palatinus, Coloniensis, Trevirensis, Moguntinus Archiepiscopi: adfuêre præterea Duces Carinthiæ, aliique Proceres bene frequentes. In eo conventu Albertus Rudolfum filium Austriæ ditionibus præfecit: deinde Tulli Leucorum cum Rege Galliarum Philippo Pulchro amicè congressus, Blancam ejus filiam Rudolfo, quem dixi, filio sacris nuptialibus conjunxit. Eodem tempore, Stephanus Othonis Boij frater Juttam, sive Juditham Poloniæ Principis filiam in thori societatem sibi despondit. An.Christ. M.CC. XCIX. Comitia Norinbergensia. Rudolfus Austriæ Archidux Blancam ducit.

Annum sæcularem, quem Jubilæum dixêre, Bonifacius VIII. Pontifex novo exemplo orbi terrarum celebrem ac sanctum reddidit, aperto immenso Christi thesauro, ex quo largitus est amplissimam peccatorum condonationem omnibus peregrinis sacrâ exomologesi & mysterio Eucharistico ritè procuratis, qui istius anni decursu, Divorum Apostolorum Petri & Pauli ædes, per dies omnino quindecim piè frequentarent: Urbis verò inquilinis triginta quinque dies, quos isti religioni impenderent, indixit. Constituit præterea, ut cujusque sæculi exordio eadem pietas, pari animorum emolumento, per annum repeteretur. Eam indulgentiam Clemens VI. quinquagesimo cuivis anno: Sixtus IV. quinto ac vigesimo cujusque sæculi, largiti sunt, quò foret facultas frequentior, cœlesti Patri, ex dilectissimi filij infinitis laborum dolorúmque perpessionibus ac meritis, satisfaciendi. Christianus orbis universus Bonifacij liberalitate & fructu animorum expiandorum excitatus, magnum cepit solatium atque adjumentum, quod plurimos ad sacra Apostolorum limina in urbem pertraxit. An.Christ. M.CCC. Annus Jubilæus.

In quâ cœlestium donorum affluentiâ sua tamen quies Germaniæ non constitit. Albertus Rex, Pontifici nondum satis probatus, evaserat Electorum nonnullis odiosus. Dietherus Nassovius, Adolfi Cæsaris frater, è D. Dominici familiâ, quem Bonifacius, prætermissâ capitularis comitij auctoritate, sine Cleri suffragio, Trevirensibus Archiepiscopum dederat, Alberto, quoad vixit, ob germani necem, fuit infensus. In eandem alienationem descenderant Gerardus Moguntinus, qui Adolfum, tametsi minùs gratum, noluisset tamen necari, Wigboldus Agrippinensis ejusdem amicus, ob accepta beneficia, & Rudolfus Bojo-Palatinus respectu privatæ utilitatis clàm eidem infensi. Orta est inimicitia & conspiratio, tum ex singularibus causis, tum ex Alberti accuratione, Rhenensia portoria, quæ admodum sunt opulenta, fuerántque olim in Cæsarum ærario, repetentis. Tenacissimè figuntur, quæ potentium manibus iniquis semel adhæserunt. Visa hæc petitio Rhenensibus Principibus durior, quàm ut ilico probaretur ab asserentibus, ea vectigalia esse Cæsarum beneficia, quæ à successoribus non debeant imminui, sed potiùs ampliari. Moguntinus eò dolebat acerbiùs, quòd consanguineo deturbato, Albertum ad fastigium evexisset, crederétque, sibi eo nomine omnia deberi. Sed non perennat istiusmodi benefactorum, quæ sine maleficio & discrimine non obveniunt, memoria. In commune conspirantes, querebantur, intolerabilem esse tantorum proventuum jacturam: quid enim demum Principibus sit reliquum, si, quæ Cæsarum liberalitate possiderent, solâ habendi libidine à Cæsaribus ad fiscum revocentur? Addit Aventinus, Moguntinum, quid promissæ abs Alberto pecuniæ exigentem, non fuisse auditum, & offensum repulsâ, suspenso de cervice cornu venatorio, inter aulicos jactâsse, plures se gestare in eo cornu Cæsares, & cum dicto se proripuisse ex aulâ. Igitur Antistites conjurati, Septembri senescente, diem dicunt Alberto, &, quod prisci moris erat, ut Archidapifero honoraria foret judicandi facultas, si qua lis in Cæsarem moveretur, Rudolfum, inter Electores sæculares primum, appellant suæ causæ judicem ac cognitorem. Albertus non refugit vadimonium. Moguntinus Cæsarum creandorum evertendorúmque peritus artifex (adhæret ejuscemodi hominibus, ex usu atque successu, nescio quid pestilentis adversus Principes irritamenti) sumptâ accusatoris personâ, Albertum reum agit, quòd Adolfum Cæsarem impio bello, & nefando parricidio inter- Alberti Cæsaris osores. XIIX. Rebdorf. Bulla aur. Accusatio.

interemisset, non sine crimine læsæ majestatis: addit calumniam, eum idcirco à Bonifacio Pontifice diris esse devotum, eóque indignum supremo fastigio. Rudolfus inclinans in conjuratorum sententiam, ab avunculo Cæsare desciscit, sibíque consciscit primas belli iras atque impetum, quem in ipsum Cæsar mox convertit. Graviùs sentiuntur consanguineorum, quàm extraneorum injuriæ. Cæsar, comperto, agi comitia de suo capite atque dignitate, ilico Rudolfum, Augustensium & aliorum Imperij civium viribus invadit, exuítque compluribus ditionibus, quæ Cæsarum beneficio non ita pridem fuerant Bojariæ contributæ, Neoforo in Nariscis, Lawingâ, Danuwerdâ, cujus castrum jussit exscindi, Schwabeckâ, Schongaviâ cæterisque, quæ Conradinus Ludovico Severo, partim dono, partim pretio concesserat. Ludovicus Rudolfi frater, Otho & Stephanus patrueles, quòd in Rhenensium conspirationem non venissent, ab isto bello fuêre immunes: & hos quidem reperio, Landishutæ cum ducentis secundæ Boicæ nobilibus baltheo militari, pompâ memorabili ad 5. Cal. Julij, fuisse accinctos.

RUDOLPHUS PALATINUS BELLO PETITUR. DITIONUM PARTE EXUITUR. *Avent.*

Sub hæc Albertus sibi domandum sumpsit Moguntinum. Sævijt in agros, complanavit arces, Bingium obsedit, cepítque deditione, eóque necessitatis conjuratos adegit, ut, cùm eos malorum pertæduisset, pacem supplices exorârint: quæ reconciliata est, non sine luculento Rudolfi Palatini damno. Mulctatus est grandi argenti mulctâ, quam ut dependeret, necesse habuit, tributum, quod *ungulare* vocant, à subditis exigere, certo assium numero in singula armenti capita, quod tamen ipse per Episcopos prohibitus, à Clero non impetravit. Tales videlicet sunt Regum iratorum in suos Judices sportulæ, qui nunquam sine noxâ à subjectis damnantur. Sed neque culpâ caruit Rudolfi factum in Mechtildem matrem Alberti sororem plenum inhumanitatis. Erat in Mechtildis potestate Ludovicus filius, quem suo loco videbimus Imperatorem. Rudolfus fratris pupillarem procurationem contendebat ad se pertinere. Ergo matrem perinvitam fratrémque, ex Schiltbergâ arce primæ Vindeliciæ, captivos Monachium abducit. Mechtildis plurimùm utebatur operâ consiliísque Conradi Otlingeri, viri rarâ prudentiâ, eóque invisi Rudolfo, quòd cum fide res Mechtildis gereret, censerétque, Ludovicum in matris curâ esse retinendum. Rudolfus autumans aliter se voto non posse potiri, nisi sublato consultore & adjutore materni juris, Otlingerum, suspectæ cum Mechtilde familiaritatis, aliorúmque criminum per quadruplatores insimulat, & mense Novembri damnatum afficit capitali supplicio, filius degener, & proditor maternæ innocentiæ. Quid ageret calamitosa mater, filio, & urbibus, castellisque, quæ pupillari administratione tenuerat, à Rudolfo per vim spoliata? In armis nulla spes, sed ingentium malorum metus; sed Rudolfi charitatem bona mater nondum exuerat. Ut erat apprimè sapiens & cordata, mœrorem dissimulat, & necessitatem vertit in rationem. Accito Emichone Episcopo Frisingensi, & Othone secundæ Bavariæ Duce, oppida violenter adempta, cæterásque possessiones Rudolfo concedit, reservato tamen ad viduitatis alimenta exiguo censu. Tum persuadet Rudolfo, pactum fore stabilius, atque extra omnem aleam, si Cæsaris judicio firmetur. Ergo simul ad Albertum proficiscuntur. Ubi Hœcstadium, locum extra Rudolfi ditionem, venerant, Mechtildis extempló negat, se pactioni per vim à captivâ iniquissimè extortæ ullâ ratione teneri, filium apud Cæsarem injuriarum arcessit, & Nordlingæ postliminium impetrat non modò ad jura dotalium bonorum, sed etiam ad curam tutelarem Ludovici filij, negantis, se domum rediturum, nisi sub maternâ potestate. Quia porrò Boica superior inciderat in grande æs alienum, vectigalium administratio Rudolfo, cujus culpâ tot nomina contraxerat, tantisper adempta, donec debita expungerentur. Ita qui fratris tutelæ inhiabat, uti debuit invitus alieno curatore: unde factum, ut nullam Reipublicæ partem attingeret, in Cæsaris aulâ per honoris speciem retentus, ductúsque cum Othone Duce inferioris Bojariæ ad bellum, quod Albertus intulit Wenceslao Boëmorum Regi.

ÆRE MULCTATUR. AN. CHRIST. M.CCCI.

XIX.

RUDOLFUS IN MATREM ET FRATREM INIQUUS.

OTLINGERUM SUPPLICIO AFFICIT.

AN. CHRIST. M.CCC.II.

A CÆSARE DAMNATUR.

Susce-

Suscepta est magno molimine expeditio, spe magnas opes ex opere metallico comparandi. Lis erat de Cuthnensibus fodinis, è quibus nihil effossum est præter dedecus, & rei inconsultæ ignominiam. Cæsar, ut ijs potiretur, validum quidem exercitum in Boëmiam eduxit, sed nullo prorsus operæ pretio, immo ne conspecto quidem hoste. Certamen duntaxat fuit cum aquarum virulentâ malignitate, quæ complures viros fortissimos, & jumenta ingenti numero extinxit, coëgitque Albertum re infectâ in Germaniam redire, irato exercitu, quòd stipendia non repræsentâsset, sed improvidè malis ingentibus exposuisset solâ ditescendi cupiditate. Cometa, triste sidus, Autumno per mensem comas explicavit, clades portendens mortalibus, quarum pars fuit Mechtildis Cæsaris Alberti soror hoc anno defuncta, Princeps magnarum virtutum, cujus fœcunditati suam debet originem, quicquid Boico-Palatinæ stirpis hodie superest. In Ludovici Severi mariti conditorio Furstenfeldæ est sepulta. Ejus liberalitate Diessensis Cœnobij opes, cum pietate collapsæ, ad frugem redierunt.

AN. CHRIST. M.CCC.III. BELLUM BOEMICUM INCONSULTUM ET FRUSTRANEUM. *Stero.* AN. CHRIST. M. CCC. IV. MECHTILDIS RUDOLFI MATER MORITUR.

Defloruit anno sequenti nobilissima & potens Hirsbergiorum Comitum familia, demortuo sine prole Gebhardo Sophiæ Boicæ filio ejusce sanguinis ultimo. Suiggerus sator ejusce gentis, Utilone Boijs imperante, Aistettensem Episcopatum condidit: Gebhardus auxit Hirsbergensi Toparchiâ, & urbe Berchingensi, cujus ditio penes Ludovicum Bavarum, quem ille hæredem dixit, cum jurisdictione, quâ adhuc nostri Principes, cum exiguo tamen emolumento potiuntur, relicta est. Idem D. Dominici alumnos Aistadium induxit. Blanckstettense D. Benedicti Monasterium ad ipsius avos suam refert originem.

AN. CHRIST. M.CCC.V. *Hund. in Origin.* HIRSBERGII COMITES EXTINCTI.

XX.

Quod nunc exequor, luculentum est fallacis humanæ fortunæ documentum. Andreâ Veneto Ungarorum Rege sine liberis defuncto, vota Procerum in diversa abierunt. Nonnulli Carolum Robertum, Alberti Cæsaris ex Clementiâ sorore nepotem, jam olim istius sceptri candidatum, optabant. Ille jus regnandi ab aviâ ducebat, Ladislai Regis sorore: & verò etiam sublevabatur authoritate Cæsaris, &, quod magni erat ponderis, favore Pontificum, qui rem strenuè urgebant, intentato etiam Pontificij fulminis timore, qui hoc ipso reddebat Ungaros à Carolo alienos, quippe quibus durum videbatur, suffragiorum libertatem, præter morem, minis arctari. Igitur eorum sententia obtinuit, qui Wenceslaum Juniorem Wenceslai Boëmi gnatum, regio diademate donârunt. Sed quia complurium ingratijs solio erat impositus, parens reformidans æmulorum invidiam, ne qua vis ei fieret, putavit in Boëmiam esse revocandum. Duobus rivalibus submotis, Ungari Othonem secundæ Bojariæ Ducem, Belæ IV. ex Elisabethâ filiâ nepotem, &, quod consequens est, avito sanguine Ungarum, ad capessendum regnum invitârunt. Otho, licèt ad tantæ fortunæ spem excitatus, nihil tamen citra amicorum judicia voluit decernere. Re in concilio in utramque partem accuratè disceptatâ, prævaluêre, qui speciosiora, & Othonis animo gratiora suaserunt. Legatis domum benignè remissis, comparata sunt, quæ visa facere ad tantæ dignitatis splendorem. Proxima cura fuit, coronam, quam Wenceslaus in Boëmiam asportaverat, impetrare. In eâ tradendâ, Wenceslai facilitas atque modestia nihil moræ fecit. Otho, accepto regni pignore, è Boëmia rectâ contendit in Ungariam. Quo in itinere corona vidulo inclusa, comitum fidissimo commendata, ignaro tamen, quid veheret, excidit casu nulli observato, neque cognito ante noctem. Hîc mœror & incredibilis sollicitudo. Miser suâ vestigia relegens, in arenâ à viatoribus tritâ coronam obsignatam reperit, & cum ingenti lætitiâ retulit ad diversorium. Omen inde captum, variantibus conjectoribus; quorum aliqui longum & stabile Imperium, alij breve & ærumnosum dicebant, portendi. Horum præsagium confirmavit eventus. Otho delatus in Ungariam, producto regni diademate, mox à populo in omnem auram mobili, in magno Procerum comitatu, Albam Regiam deducitur, & à Benedicto Vesprinensi, & Antonio Chianadensi Episcopis solennibus cæremonijs inauguratur. Serenum initium statim obnubilavit Ungarorum invidia, ægrè ferentium, ante se, qui regnum dederant, haberi Regis domesticos, atque

OTHO BOIUS UNGARIÆ REX INFORTUNATUS. *Dubrav. l. 18.* CORONATUR.

atque in primis quidem Albertum Halsium, & Hartliebum Puechbergium Comites, quos Otho è Boicâ adduxerat. Non erat obscurum, Ungaros neutiquam passuros exterorum haberi potiorem rationem. Ergo Otho deferens iratis, Bojos à se dimittit, séque nudat honestissimo comitatu, ratus, satis sibi esse præsidij in Ungarorum fide. Sed longè secuta alia. Regnum securè lustrantem Ladislaus Transilvaniæ (ut vocant) Vaivoda, captivum abducit, offensus, quòd Otho oblatas filiæ nuptias abnuisset. In eo carcere squalorem annuum toleravit, donec familiaris servulus, an (quod scripsit Argentinas) Vaivodæ conjunx, florentissimi Principis commiseratione, viam ad fugam aperuit. Elapsus Uratislaviam, Conrado Principi proditus, novum adit periculum amittendæ libertatis, quam, pactis cum Agnete Poloni filiâ nuptijs, redemit. Octavo demum hujus sæculi anno, patriæ redditus, post longam jactationem, Straubingæ, cum ingenti Bojorum gaudio, nuptias cum Agnete celebravit. Et ista quidem fuit fides fortunæ tam speciosè blandientis. Eundum fuit bono Principi à solio ad ergastulum, à corona ad compedes & graves fugæ ærumnas.

Boios domesticos in patriam remittit.

Capitur a Vaivoda Transsilvano.

Evadit ex annuo carcere.

Uratislaviæ, Agneti matrimonium addicit.

An. Christ. M. CCC. VI.

XXI.

Wenceslaus Boemiæ Rex occiditur.

Dum peregre per tot rerum discrimina jactaretur, in patriâ res nonnihil sunt turbatæ. Wenceslao Seniore Boëmo rebus humanis exempto, ejus filius Olomutij in domo suburbanâ, dum solus captat auram frigidiorem seminudus & inermis, à nefario latrone vix sextum decimum agens annum, tergemino lethali vulnere est confossus. Percussor deprehendi non potuit. Turingus quidam, in scalis, cum cruentâ sicâ repertus, priùs à Palatinis discerptus est, quàm ut parricidij authores consciósve posset edicere. Sublatâ per hoc scelus nobilissimâ stirpe, subitò exorti è Germaniâ Regni rivales. Rudolfus Cæsaris Alberti filius Wenceslai Senioris viduam duxerat, Henricus verò Carinthius, Wenceslai sororem, eòque dotis nomine sibi coronam censebat deberi. Dum causa disceptatur, Rudolfus moriens litem dirimit. Carinthio favebant Boij fratres, Alberto infensi, quòd promissa stipendia, ob navatam nuper bello Boëmico operam, & pecuniam, ob illata Boijs à Cæsariano milite damna, non repræsentaret. Carinthius per Othonis absentiam, Stephani fratris ope, in Bojæmiam penetraverat. Discordes nihilominus erant Boëmorum sententiæ, alijs Henrico Carinthio, alijs Friderico Rudolfi demortui fratri sua studia deferentibus. Cæsar, certus non deesse filio, armatus ingressus est Boëmiam. Commodum Stephanus Bojus Landishutæ æger castris adesse, nedum Cæsari vim objicere, potuit. Nobilitas tamen, correptis armis, tumultuario delectu agrestium centurias ad signa coëgit, quas Alberto, in Oeni trajectu, Schardingam inter & Passavium obijceret. Sed, quod in bello palmarium est, caput deerat; singulis Dynastarum manipulatim, & non nisi in proprios clientes imperio utentibus. Verbo, scopæ erant dissolutæ, & colonorum multitudo extemporaria infidáque, si quam vim veteranus Cæsaris miles inferret. Certè rusticanus apparatus ludibrio fuit Cæsarianis. Albertus copias bifariam partitus, partem jussit Passaviensi ponte transmitti, partem ipse sub solis ortum in Bojorum conspectu traduxit. Bini procedebant gradu militari, eâ fidentiâ, ut nemo è Boijs esset, qui telum mitteret in transeuntes, ne tum quidem, cùm in populationes effusi, agrestium spes opésque diriperent. Sic in ventum ludúmque abiêre Bojórum iræ.

Boii copias Cæsari in cassum obiiciunt.

An. Christ. M. CCC. VII.

Hund. in Com ad.

Salisburgensis Archiep. Carinthiam vexat.

Anno subsequenti Salisburgensis Archiepiscopus, jussu Cæsaris, cum exercitu movit in Carinthiam, haud dubiè eo consilio, ut Henricum è Boëmiâ ad domestica pericula revocaret. Sed potiores visæ regni, quod ambibat, curæ. Ita nullo propè resistente, facilis fuit Archiepiscopi expeditio. Spatio sesquimensis D. Viti Fanum subegit, invasit Clagenfurtum, Wolckenmarcum: arcem Rabenstainiam, haud procul à Frisiaco expugnatam solo æquavit, & S. Thomæ montem valido præsidio communijt.

An. Christ. M. CCC. IIX.

XXII.

Albertus Cæsar a nepote trucidatus.

Non longè tunc Albertus aberat à funesto casu, quo immani parricidio occisus est, cùm propè esset, ut in Carinthiam moveret, cum ingenti apparatu. Scribunt, eum sub signis habuisse quinquaginta peditum, triginta equitum millia. Jam

erat

erat in procinctu, cùm à Joanne Sueviæ Duce, suo ex fratre nepote, ad necem crudeliter fuit destinatus. Noverat, propediem patruum Badenâ Helvetiorum Rhinfeldam profecturum, ubi foret insidijs opportunus. Vix annum tredecimum ferox adolescentulus attigerat, inter Alberti liberos regiè educatus. Per ætatem non erat habilis Principatui, qui sub Alberti tutela regebatur, administrando. Ille tamen præcoci ingenio, patrui imperia aversabatur, totus in sectandâ libertate, & appetendo regimine paternarum ditionum. Sed & Cæsar Kyburgensem Dynastiam ad se traxerat, tametsi nepoti jure materno deberetur. Ultro spirantem iras, nonnulli Procerum privatis in Cæsarem odijs, & Adolfi Cæsaris ultioni imminentes, incendebant, sperantes fore, ut, Alberto sublato, insani juvenculi beneficijs augerentur. Ergo simul in Alberti necem conspirant. Maij calendæ illuxerant, cùm ejus patrandæ se dedit opportunitas. Cæsar festivè cum amicis epulatus, ingressus iter, prope Vindonissam, nobilem olim Episcopatûs sedem, nunc pagum infrequentem, Germanicè Windisch, Rusam flumen, alijs Ursalam, navigio cum paucis traijcit, in quibus omnes conjurati, qui de industriâ familiarissimè colloquentes sese Alberto adjunxerant: reliquus comitatus cum turmâ prætorianâ, paulatim flumen erat trajecturus. Ergo Cæsarem per camporum aperta equitantem, & desertum à suis, scelerati parricidæ obversâ fronte invadunt. Joannes nepos (quod fuit pro classico) patrui jugulum ferro traijcit: Warthius unus è conspirationis socijs, ei latus haurit lethali vulnere: Palmensis ictu truculento caput diffindit. Sic Albertus in cespite jacuit exanimis, inque suo sanguine volutatus. Tam miserabilem exitum sortitus est Cæsar victoriosus, & triumphatoris nomen promeritus: Princeps à sævitiâ alienus, magnanimus, studiosus veritatis, osor bilinguium, & falsis delationibus alienæ famæ insidiantium. Hoc nævi habuit, quòd prolatandorum finium avidior, bella inconsulta gesserit. Interfecti corpus Konigsfeldæ, in cœnobio, quod ejus uxor, haud procul à latrocinij loco, construxerat, dicârâtque D. Claræ, conditum est, donec ab Henrico VII. Cæsare, anno sequente refossum 4. Cal. Septembris, Spiræ, juxta Adolfum Cæsarem, (urnæ vix palmo distant) locatum est. Sic fatales inimicitias mors æquo jure componit. Certè multis rem altiùs expendentibus visum est, Alberti cæde Adolfi manibus fuisse parentatum. Ejus percussores plerique infelici fato perierunt: justitia divina æquissimâ lance omnibus suas rependit vices. Joannes Nepos vagus & inops, nunc mendici, aliàs mercatoris aut agricolæ habitu ignorabilis, post longos errores ab Henrico Cæsare, Pisis, in Augustiniani Monasterij angustias est relegatus. Rudolfus Warthius vivus actus in rotam: simili cruciatu peremptus Russelingus Warthij famulus: Gualterus Eschibachius, qui parricidij suasor & spectator duntaxat fuit, per annos triginta quinque in agro Wirtenbergensi mercenarium bubulcum egit, omnibus ignoratus, donec in extremâ vitæ lineâ semet prodidit: Ulricus Palmensis in Basileæ suburbano diu delituit, tandémque in arce suâ Altaburâ, mœrore & rerum inopiâ contabuit. Scelerum pedisequa est calamitosa miseria: nemini debet esse impunè, manus violentas uncto Domini injecisse.

PERCUSSORUM SUPPLICIA.

Vulgatâ Alberti morte, Electores in villam Rensеanam, quæ media est inter Confluentes & Poppardiam in Rheni ripâ, de cooptando novo Principe consultârunt. Philippus Pulcher Franciæ Rex vehementer solicitabat animum Clementis V. Pontificis, ostentato etiam armorum metu, ut Carolum Valesium fratrem, præteritis Germanis, Romano Imperio conaretur imponere. Degebat tum Pontifex Avenione, statione Franci injurijs opportunâ. Attamen Clemens, licèt Gallicæ gentis, unde illi origo, respectu, & spe Regis sibi demerendi validè urgeretur, Germaniæ Principes, atque inprimis Rudolfum Palatinum per litteras officij admonuit, ut virum tanto dignum fastigio legerent, solâ publicæ utilitatis habitâ ratione. Quo factum, ut Patres, Pontificis authoritate animati, Henricum VII. domo Lutzelburgicum summæ rei destinarent, Principem

Magn. Chron. Belg. Acta M. S. Balduini. Alb. Argent. Lut. Clement. ad Rudolf.

ALBERTO SUCCEDIT HENRICUS VII. LUTZELBURGICUS.

cipem togæ militiáque artibus præcellentem. Francofordiæ vigesimo septimo Novembris, vel, quod Argentinas mavult, Calendis Novembribus, vel, quod alij, 5. Cal. Decembris, adnitente Balduino ejus fratre Trevirorum Archiepiscopo, rex est salutatus, & sequenti anno ineunte, cum honestissimo apparatu deductus Aquas, sacro Epiphaniæ die, ab Henrico Coloniensi (contrà ac Argentinas, ejúsque sequaces scripserunt) Regni Romanorum coronam accepit, unà cum Margaritâ uxore, Joannis Brabantiæ Ducis filiâ. Antè quàm coronaretur, affinitatem junxit cum Rudolfo Boico-Palatino, per nuptias filiæ Mariæ Lutzelburgicæ, quam Ludovico Rudolfi filio locavit cum dote sedecim argenti marcarum millium: Rudolfus verò aliquot ad Rhenum oppida filio contribuit: quod Ludovicus frater, postea Imperator, quia injussu suo factum, improbavit; unde semina magnorum odiorum, quæ per omnem vitam utrumque fratrem graviter exercuerunt.

An. Christ. M. CCC. IX. *Henrici VII. publicæ tabulæ.*

Subinde Henricus Cæsar, icto cum Boijs fœdere, professus est, se eosdem, quos ipsi, amicos inimicósque habiturum, simul addixit, limitibus Imperij in Boicæ confinibus se neutiquam daturum Comites, qui commune otium, se quidem conscio, turbarent. Præterea dedit Rudolfi Palatini curæ atque honori, ut Joannem Lutzelburgicum filium, unà cum novâ nuptâ duceret in Boëmiam, ubi ab Ordinibus, quos Henrici Carinthiæ tædium ceperat, in Regem petebatur. Initio videbatur, Carinthium voluntate regno non decessurum, sed extrema armis tentaturum: quamobrem Rudolfo adjungere oportuit validum exercitum, in quo fuêre quingenti è Boicâ nobilitate. Sed cùm denique Carinthio Boëmorum insidiæ, perinde atque Cæsaris arma essent metuenda, ne se in pedicas inextricabiles indueret, cum conjuge, rebúsque, quas properè potuit convasare, Boëmis relictis, confugit ad Rudolfum, sat habens, si ex insidiosis honoribus, incolumis posset in patriam remeare. Rudolfus casuum humanorum memor, comiter acceptum, in Tirolim salvum reduxit: quietus ævi reliquum exegit, umbratili Regis nomine contentus, ut meminisset, se infelicem aliquando Regem fuisse.

Henricus Cæsar foedus icit cum Boiis. Joannes Lutzelburgicus. XXIII. Cedente Carinthio Boemiæ regno potitur.

Manebant interea altâ mente repostæ injuriæ, quas Boica secunda ab Alberto Cæsare, per Ducis Othonis absentiam, acceperat. Degebat in Aulâ Cæsaris Fridericus Austrius, clientelas Austriæ, more solenni, Spiræ, beneficij titulo professurus. Ibi dum hæret, & Cæsare tergiversante, per varias comperendinationes negotium extrahitur; Duces inferioris Bojariæ Neoburgum occupant: Schardingam, rigente brumâ, in quartum mensem obsident, ac demum per cuniculos penetrant in arcem, ipsis anni sequentis Regalibus. Obsessi, desperatâ civitatis defensione, ignem tectis injiciunt, & fugam Wernstainium maturant. Obrui à Boijs fugientes poterant, nisi facti Othoni Duci supplices, inducias usque ad Friderici reditum, cum vitæ libertatisque veniâ impetrâssent. Fridericus, ineunte vere, è Rhenensi tractu, è Sueviâ & Salisburgo, ad quindecim armatorum millia Boicæ infudit, à quibus provincia longè latéque ferro flammísque deformata est. Riedam insigne oppidum, post toleratam dierum quatuordecim obsidionem, póstque arcem hosti deditam oppidani incenderunt, ne præda veniret in Friderici manus. Cùm subinde ab eo Schardinga premeretur, Boij Principes septuaginta peditum millia, & justum equitatum, in adversâ Oeni ripâ, obsidenti objecerunt. Copias ducebant Truhendingius, & Hohenlohus Comites. Cùm nihilominus Fridericus hæreret in obsidione, Hartliebus Puechbergius, per pontem extemporaneum, Oenum transmissus, sessitantes oppressit eâ celeritate, ut fugientibus ne spatium quidem fuerit convasandi. In castris ingens est præda reperta. Direptæ simul Salisburgensis sarcinæ, venditæque sub hastâ per ludibrium; redactæ ex ijs quatuor non amplius libræ nummûm Passaviensium. Gesta hæc Nonis Novembribus. Sub id tempus Waldeius alteram Austriacorum manum Titmaningam (Salisburgensis ditionis oppidum) adduxit, peræquè gravem amicis atque inimicis, cùm omnia

Boii bellum Friderico Austrio inferunt. An. Christ. M. CCC. X.

Austrii opprimuntur.

nullo

nullo discrimine populationibus & igne vastaret. Castris pestilitate fœdatis, lues in Boicam propagata graviter sævijt.

Eodem anno facta, Ludovico authore, nova primæ Bojariæ partitio. Rudolfo cessit Monachium, Vohburgum, Pheringa, Haimhusium, Schwaba, Wasserburgum, Klingenberga, Hadmarsperga, Faleia, Aiblinga, Fauces Erlanenses, Ebseum, Kuffstainium, Weirberga, Ratenberga, Kitzbiela, Telzium, Wolfratshusium, Gruenenwalda, Falckenstainium. Palatinatus Rhenensis, & Ratisbonæ jura, in sortem non venerunt. Ludovico sortitò obtigit Ingolstadium, Neoburgum, Raina, Keschinga, Hundsperga, Truishaimium, Hœchstadium, Donersperga, Gundelfinga, Aicha, Hagela, Ascholdinga, Fridberga, Schiltberga, Mülhusium, Schnaitbachium, Schrobenhusium, Dachovia, Wickershofium, Landsperga, Wildenroda, Widersperga, Neolechsperga, Pælium, Weilheimium, Pfaffenhofium, Geisenfelda, ager Wochoviensis in Austriâ. Divisio facta est per arbitros, quantâ potuit accuratione. Arbitrorum nomina in posterorum gratiam adscribo. Hæc relata sunt in publicas tabulas. Henricus Seeveldius, Eberhardus Thorius, Henricus Rorbachius, Bertoldus Küllenthalius, Otho Greiffenbergius, Albertus Judmannus supremus stabuli magister, Henricus Gumpenbergius, Otho Euringsburgius, Bertoldus Röchlingius. Credebatur fraternæ concordiæ bene consultum, positis utrique portioni limitibus, qui omnem controversiam tollerent; sed divisa imperia semper habent dissidiorum materiam: proinde bello nihilo seciùs certatum est, factæ utrinque cædes, sævitum incendijs, qui mos pessimus istius ævi fuit, & fructus fraternorum odiorum, quibus erat volupe malè facere, tametsi ex alieno malo nihil caperent emolumenti. Id tamen bello fuit aliquantò tolerabilius, quia non fuit diuturnum.

Nova Boicæ partitio.

XXIV.

Subortæ digladiationes.

Nam postero anno mox posuerunt iræ. Reliquum erat, ut secunda Boica cum Austrijs pacem iniret. Stephanus Othonis frater II. Cal. Januarias diem obierat, parens quinque liberorum superstitum, Henrici, Othonis, Beatricis, Elisabethæ, & Agnetis, quos omnes adhuc impuberes Stephanus Othoni commendaverat. Ergo Elisabethæ nuptijs cum Othone Austriaco pax sancita est Passavij sequestri Elisabethâ Alberti Cæsaris viduâ, adhibitisque arbitris Conrado Salisburgensi, Bernardo Passaviensi, Joanne Brixinensi, Alberto Gurcensi, Henrico Carinthio, & Comitibus Ortenburgicis. Pacificationi adfuêre, Otho, cujus res maximè agebatur, ejúsque patrueles Rudolfus & Ludovicus.

An. Christ. M. CCC. XL.

Pax cum Friderico Austrio.

Pacatâ domi Bojaria, Otho memor acceptæ ab Ungaris injuriæ, spirabat ultionem, quam urgebant viri militares, quibus omnis ars, & vitæ ratio est in armis: sed ulciscendi aviditatem destituebat belli nervus, ærario exhausto per sumptuosos, in capessendo Ungariæ sceptro, apparatus, & per bella, quæ Otho immensis impendijs aluerat. Obstabat etiam gravitas æris alieni, cui diluendo vix ullus erat modus, vectigalibus oppignoratis, & extenuatis privatorum facultatibus. Sed his omnibus anteponebatur ignominiæ delendæ cupiditas, vitio mortalium, qui turpius putant, accepta mala non reponere, quàm tolerâsse; quasi tolerantia sit confessio imbecillitatis & imbelliæ. Omnes circumspicienti conficiendæ pecuniæ modos, occurrit jurisdictio minoris imperij, & jus nobiliorum oppidorum, quæ hactenus manserant penes principatum. Hæc ergo, quæ erant in facultatibus dominatûs, ad conquirenda stipendia magno ære distrahit, non sine grandi fisci detrimento, permittitque opulentioribus è nobilitate: concedit item Episcopis & civitatibus per suos cuique fines, eâ lege, ut, ubi pretium ex pacto repræsentâssent, ijs fas esset, dare minorum causarum Judices & arbitros, æs multatitium in rem suam vertere, universas actiones, præterquam homicidij, furti, latrocinij, verbo, rerum capitalium, & juris (ut vocant) gladij

Otho Boius vindictam parans in Ungaros.

Vendit jurisdictionem minoris Imperij.

dij exercere: unde comparata jura locorum, quæ hodie Hofmarchiarum nomine censentur. Acta hæc Landishutæ, mense Junio, exemplo parùm utili, non illaudabili tamen documento, quo discant Principes, sumptus metiri cum censibus, ne quæ suæ fidei habent ad sustinendum Principatum commissa, sinant abire in manus alienas, cum ingente posterorum damno, qui in accisis regendi adminiculis, eò subinde necessitatis adiguntur, ut vel cætera principalis patrimonij consumant, vel subjectis sint justo graviores. Et verò totum æs, quod ex eâ venditione corrasum, non provenit ex emptorum ærarijs, sed ex inopum sudoribus, quibus ex istâ pactione nihil accessit commodi, sed multum detrimenti, quòd deinceps aliquantò avariùs à tenuioribus dominis, quàm olim ab opulentis Principibus haberentur. Pauperculi ter octavas rerum omnium, etiam vilis supellectilis pensitârunt dominis, ter omni armento capitatim vectigal impositum: à rerum promercalium propolis semel exacta hæc pensitatio. Indictum quoque rei frumentariæ grande tributum: Parsum tamen sacerdotum decumis & frumento cibario, quod Principis beneficiarij, ordo sanctior, domus hospitales, in penum referebant. Hæc cuicuimodi provisio Othoni usui non fuit, fortassis DEO vindice. Ungariam ingredi parantem mors 5. Idus Septembris oppressit, cùm annum unum supra quinquaginta vixisset. Hæredem reliquit ex Agnete conjuge Henricum tredecim, non amplius, dierum infantulum, cui moriturus, præsente Landishutæ & Straubingæ Magistratu, Ludovicum patruelem, solenni nuncupatione tutorem dixit: quæ tutela magnas peperit turbas & dimicationes.

Moritur, Relicto filio Henrico.

Henricus Cæsar, petente Pontifice, alpes transcendit autumno jam adulto, ut, si quà posset, Gibellinorum & Guelforum factiones componeret. Cùm haud satis, pro periculi magnitudine, à copijs esset instructus; è Boijs & Austrijs auxilia contraxit. Bojos duxit Rudolfus Palatinus: Ludovicus, ex arcano Cæsari offensus, se non movit. Austrios habuit sub signis Leopoldus Sueviæ Dux. Cæsar Mediolanum, invitis Guelfis, ingressus, regni Longobardici diademate insignitus est. Multa tentavit pro conciliandis factionibus, sed irrito labore, quòd feralia odia utrisque aures occlusissent. Invasit Vicentiam, Patavinos subegit, & ære mulctavit, Cremonam deditione captam mœnibus nudavit: Brixiam obsidione laboriosâ devicit, in quâ Walramus Cæsaris frater sagittâ ictus occubuit. Veneti in Cæsarem munifici, ad tiaram Romanam mille talenta Veneta donârunt: addidêre sellam argenteam auro illusam, coronam auream exquisitissimis ornatam gemmis. Obtulêre classem, quæ in Apuliam & Brutios exercitum veheret. Hæc ridentis fortunæ principia Beatricis Reginæ inprimis religiosæ obitus vertit in luctum.

Henricus Cæsar ingressus Italiam. Multas civitates invadit.

An. Christ. M.CCCXII.

Cæsar ad Urbem progressus res gessit memorabiles adversus Guelfos. Româ potitus, à Pontificijs legatis Imperator est salutatus. Magna molientem, mors 9. Cal. Septembris, veneno, nisi multi scriptores fallunt, propinata sustulit: quanquam sunt aliqui, qui factum passim vulgatum non inanibus argumentis refellunt. Eum præcesserat 8. Cal. Aprilis Conradus Salisburgensis, armis, quàm religione, famosior. Wickardus Polhaimius, D. Ruperti aliorùmque Sanctorum reliquijs in decentiorem locum translatis, nobilior, in ejus sedem est evectus. Emicho Frisingensis à pietate laudatus, anno superiore, Viennæ diem obijt, & Conradum III. domo Monacensem, Canonici Juris Doctorem, successorem reliquit. Idem annus cœlo transcripsit Albertum Suevum claris ortum natalibus in agro Haigerlochiano, Superioris Altaichij Monachum, virum in semet oppidò severum, ut adolescentiæ nævos expiaret. Erat verò in miseros, eos præsertim, qui in vitiorum luto volutabantur, egregiè misericors atque benignus: rerum futurarum præscius multa præsagiebat: fuit Elephantiacorum adjutor sospitalis, rebus supra naturæ vires patratis ante & post mortem celebris.

Romæ coronatus, Moritur.

XXV. Mors Conradi Salisburgensis, et Emichonis Frisingensis. Albertus Suevus Monachus Altahensis moritur dives meritorum.

Sed neque in istius temporis corruptelâ, sexui sequiori defuerunt decora sanctimoniæ, in Notburge Virgine plebejâ, natâ Ratenburgi, quæ olim erat Boici imperij, nunc est Tirolensis. Mira fuit in egentes benevolentiâ, quam cùm Ottilia hera restrinxisset, eam jubens analecta, quæ ad pauperes ferebat, porcis affundere, præproperâ morte culpam luit. Defunctæ manes in harâ tristibus lamentis quiritantes à domesticis observati, non priùs quievêre, quàm largâ in miseros stipe fuerunt expiati. Henricus Ratenburgius Otiliæ maritus, ad incitas propè redactus est, posteaquam Notburgis ipsius familiam deseruerat: Verùm, ubi eam infimis precibus exoratam, rei domesticæ præfecit, sensit sub ipsius manu, opulentiam postliminio reduci. Virginis funus claruit miraculis. Ejus tumulum in Ebeni jugo ad D. Ruperti ædiculam, mortales templo porphyretico exornârunt, cui Maximilianus I. Imperator supremam manum imposuit. Colitur hodiéque peregrinorum frequentiâ, qui suam illi pecorisque salutem, non sine conspicuo beneficentiæ experimento, commendant. NOTBURGIS VIRGO RATENBURGICA.

Conradus IV. Ratisbonensis Episcopus, vir apprimè pacificus, & in suam Ecclesiam liberalis, mitram posuit cum vitâ. Episcopatus Nicolao, Regis Bojæmiæ Cancellario, post ejus decessum, venit in manus. Venio nunc ad ingentes Boicæ turbas. Negabant Landishutani & Straubingenses, sacramento ab Othone adacti, se, ad Henrici ejus filij tutelam, alium, quàm Ludovicum Bojariæ Ducem admissuros. Verùm Albertus & Adelramus fratres Halsij, Eberwinus Degenbergius, Hartliebus, Bocksbergius, aliique secundæ Boicæ optimates, Friderici Austrij auro promissisque corrupti, spreto Othonis testamento, illum in Provinciam, Tutoris nomine, invitabant. Dulce tutoris nomen & rarò innoxium, ubi pupilli opulentia magis arridet, quàm procuratio. Progressus est Fridericus usque ad Landavum, & Ludovico litem movit de tutelâ. Res primùm disceptata in colloquio, in quo cùm Fridericus, quasi pro imperio omnia traheret ad suum arbitrium, respuerétque, quicquid contrà afferretur; Ludovicus, juvenili ferociâ, congressum abrupit, & manu ad capulum missâ; *Quando* (inquit) *verbis nihil proficimus, ferro causam decidemus.* Periculum erat, ne progrederetur longiùs, nisi amici iratum cohibuissent. Fridericus grandia minatus, bellum indixit, & rectâ profectus in Sueviam, Leopoldum fratrem adduxit in suam sententiam. Simul per cursores jussit, ex Austriâ sine morâ paratas ad vim inferendam legiones properare. Ludovicus è Boicâ fortissimum quemque, & ex Franconiâ, finitimisque, amicos in campum Sedelbacensem evocavit. Austrij bellum in hostico ducere velle videbantur: Boij contrà flagitabant pugnam, ut populatores à suis finibus arcerent. Præ quàm alij in prælij descriptione placet Aventinus scriptor, qui rem explicat citra speciem vanitatis, & abstinet à phaleratâ aliorum narratione, qui victoriam sexcentorum armatorum manu, velut miraculo partam jactârunt. Austrij Boijs factiosis sociati, apud Gamelstorfium quinque passuum millia à Mosburgo substiterunt. Id ubi Ludovico per exploratores renunciatum, signa illuc moveri jubet absque cunctatione. Habebat in exercitu Bertoldum Neyffenium, Winandum Trausnitium, Bertoldum Graisbacensem, Henricum & Wilhelmum Marescallos Biberbacenses bellicæ disciplinæ peritissimos. Ad 4. Idus Novembris à primâ luce ad vesperum Austriorum castra, magnis utrinque ausis, oppugnata & defensa, sed à Ludovico denique expugnata, &, hoste in fugam averso, direpta. Permulti è Fridericianis, ad Ambronis amnis trajectum profugi, dum conferti pontem prægravant, & sublicis solutis abrumpunt, aquis hausti: alij tranatum molientes, abrepti gurgitibus. Boij perduelles, per nota sylvarum, quæ isthic frequentes, diverticula cum Austrio elapsi. Ex hoste, pars optimâtes, pars boni sanguinis quadringenti quadraginta capti: cæteri plerique cum promiscuâ multitudine occubuerunt. Effodiebantur adhuc, Aventini ævo, loricæ, calcaria, gladij, non obscura magnæ stragis mo-

AN. CHRIST. M. CCC. XIII. CONRADI IV. RATISBONEN. EP. MORS.

XXVI. CONSPIRATIO IN LUDOVICUM BOIUM. FRIDERICUS AUSTRIUS HENRICI INFANTIS BOII TUTELAM AMBIT.

A LUDOVICO PROFLIGATUR.

monumenta. Repertus etiam est, longo pòst tempore, cataphractus ferreo habitu, in cavâ fago, tabe, præter ossa solutus. Boij victoriam Deo gratulati, paulò post solis occasum, legerunt manubias, quæ potiorem partem cessêre Mospurgensibus & Landishutanis. Horum præterea virtuti, cujus egregium specimen in conflictu dederant, datum à Ludovico, ut galearum insigne, quo adhuc utuntur, scuto civitatis adderent. Ea clades Fridericum Imperio imminentem, mirè cùm affligeret, cuperétque, captivos asseri in libertatem, primus Ludovicum per legatos de pace appellavit, petijtque, ut locum diceret, pacatè, fide publicâ, colloquendi. Convenêrunt anno proximo Salisburgi. Arbitri consensu delecti, Wichardus Salisburgensis, Henricus Carinthius; quibus authoribus, integrata amicitia, iniuriæ condonatæ: ab Austrijs ejurata Henrici Boij infantis tutela: captivis utrinque donata libertas. Boij rebelles jussi Austriorum fœderi jurejurando obnuntiare, vel datis sponsoribus, publicæ quieti cavere. Schardinga, donec redderentur captivi, apud sequestres relicta: præfectis dictatæ leges, ad quarum normam, quæstiones, hinc & hinc, de regundis finibus, discernerent.

Boicæ Gentis Annalium
Partis primæ
FINIS.





INDEX

INDEX.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

Hatto

I.

K.

L.

M.

N.

Not-

Reinal-

INDEX.

Vene-

FINIS

